ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI
VATICANI SECUNDI

Vol. I: Periodus prima

Vol. II: Periodus secunda

Vol. III: Periodus tertia


Vol. IV: Periodus quarta

CURA ET STUDIO
ARCHIVI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN I
PERIODUS PRIMA

PARS III
CONGREGATIONES GENERALES XIX-XXX



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXI

962
LIBRARY
MT. ST. ALPHONSUS SEMINARY
ESOPUS, NEW YORK 12429

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS XIX
14 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XIX

14 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis*:

Praeest hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Eugenius Tisserant, Decanus.

Incipit disceptatio de principiis generalibus circa constitutionem *de fontibus revelationis*. Loqui postulaverunt:

Em.mi ac rev.mi DD. cardinales: Liénart, ep. Insulensis in Gallia; Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania; Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Ioseph Siri, arch. Ianuensis in Italia; Ferdinandus Quiroga, arch. Compostellanus in Hispania; Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus in Canada; Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria; Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Hollandia; Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis in Belgio; Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Augustinus Bea; beat.mus D. Maximus IV Saigh, patriarcha Antiochiae et totius Orientis; exc.mi Domini: Gabriel Manek, arch. Endehenus in Indonesia; Albertus Soegijapranata, arch. Semarangensis in Indonesia; Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus in Hispania; Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada; Alfredus Bengsch, arch.-ep. Berolinensis in Germania; Arcturus Tabera, ep. Albasitensis in Hispania; Ioseph Reuss, aux. Moguntinus in Germania; Ioseph Gargitter, ep. Brixinensis in Italia; Simon Hoa Hien, ep. Dalatensis in Vietnam; Aemilius Guerry, arch. Cameracensis in Gallia; Iesus Clemens Alba, ep. Tehuantepecensis in Mexico; rev.mus P. Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.; Paulus Schmitt, ep. Metensis in Gallia; Paulus Butorac, ep. Ragusinus in Iugoslavia; Franciscus Simons, ep. Indorensis in India; Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio.

Velint omnes audire. Em.mus ac rev.mus praeses consilii praesidentiae proponit suffragationi huius amplissimi coetus hanc propositionem circa schema iam discussum *de sacra Liturgia.* Suffragatio fiet per schedulas, quae mox distribuentur Patribus. Illi Patres, quibus placet pro-

positio quam legam, signabunt stylo magnetico aliquod signum, vel aliquam crucem super *Placet;* illi vero, quibus propositio non placet, signum facient super *Non placet.* Signum faciendum est tantummodo stylo magnetico. Schedulae ab assignatoribus locorum auferentur ante horam undecimam. Rogantur ergo Patres ne ante illam horam e suis locis exeant. Propositio sic sonat et repetetur deinde variis linguis: Discussione expleta quoad schema *de sacra Liturgia,* proponitur ut Concilium det suffragationem, coniunctim quidem, super has propositiones:

1. Concilium Oecumenicum Vaticanum II, examinato schemate *de sacra Liturgia,* eius criteria directiva approbat, cum ipsa fovere intendant, debita cum prudentia et rerum intelligentia, ut variae liturgiae partes magis ac magis exstent vere vitales et animorum fidelium formativae, sicut hodiernae exigentiae pastorales expostulant.

2. Emendationes in conciliari discussione propositae, statim ac examinatae et debita forma exaratae fuerint a commissione conciliari de re liturgica, sollicite submittantur suffragationi congregationis generalis, ut huius vota textui definitivo redigendo inservire possint.

Lego iterum textum lingua latina...

Rogantur Patres ne confundant schedas praesentiae cum schedis suffragationis. Priores sunt coloris albi, aliae sunt coloris quasi caerulei.

Nunc repetitur textus variis linguis.

Versio hispanica

(P. D. Casimiro Morcillo González, subsecretarius)

Se advierte a los Padres conciliares que deberán emitir su sufragio sobre la moción que a continuación leeré en castellano. Para emitir el sufragio habrán de servirse de las cédulas o tarjetas de color azul o azulado que tienen en su poder y que no deben confundir con las tarjetas de color blanco que sirven solamente para demostrar su presencia en la sesión.

El sufragio se ha de hacer señalando con una cruz o un signo cualquiera debajo del *Placet* si es que aprueban la moción, debajo o sobre el *Non placet* si es que no aprueban la moción, y solamente con el lápiz magnético, puesto que otra clase de tinta no serviría para hacer el recuento.

Se retirarán las cédulas o tarjetas del sufragio entre las diez y media y las once, por consiguiente se ruega instantemente a los Padres Conciliares que no se ausenten del aula conciliar hasta que las tarjetas hayan sido retiradas.

La moción que se propone a la asamblea es la siguiente:

« Terminada la discusión del esquema *de sacra Liturgia,* se propone a la votación de la asamblea la siguiente moción:

1. El Concilio Ecuménico Vaticano Segundo, visto el esquema de sacra

Liturgia, aprueba los criterios que le inspiran, puesto que se enderezan a hacer con prudencia y comprehensión las diversas partes de la liturgia más vitales y formativas de los fieles, conforme a las modernas exigencias pastorales.

2. Las enmiendas propuestas en la discusión conciliar, tan pronto como sean examinadas y en la debita forma compiladas por la comisión conciliar de re liturgica, sean diligentemente sometidas a votación de la congregación del texto definitivo ».

Versio anglica

(P. D. Ioannes Krol, subsecretarius)

May I have your attention please.

The Council Presidency directs the proposal of the following motions:

" Having completed the discussion on the schema of the sacred Liturgy, it is now in order, as a matter of procedure, to have the Fathers in this general session vote on the following two proposals ".

The first of these is (reads as follows):

" The Second Vatican Ecumenical Council, having seen and examined the schema of the sacred Liturgy, approves therein the general directives which, with due prudence and understanding, tend or aim to make the various parts of the sacred Liturgy more vital and more instructive for the faithful in conformity with the pastoral needs of our day ".

The second motion or proposition reads as follows:

" The changes proposed in the conciliar discussions, as soon as they are examined and compiled in due form by the conciliar commission on liturgy, will be submitted with due care to this general session, so that by their votes the Fathers may assist or direct the commission in preparing a definite, revised text, which again will be submitted to the general session ".

You are to express your pleasure on the ballots that will be distributed. (they are in an approximately blue shade) and indicate under the one or the other that it pleases or does not please you.

This is merely a matter of procedure and not a change in the normal rules of procedure of the Council.

Thank you.

Versio gallica

(P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

Communication faite sur les instructions de l'Eminentissime Cardinal Président du conseil de la présidence.

La discussion du schéma *de sacra Liturgia* étant terminée, la motion suivante va être proposée au suffrage de la Congrégation Générale. Cette motion comprend deux paragraphes.

« 1. Le deuxième Concile Œcuménique du Vatican, après avoir examiné le schéma *de sacra Liturgia,* en approuve les critères directifs qui tendent, avec la prudence et la compréhension voulues, à rendre les diverses parties de la liturgie toujours plus vivantes et toujours plus formatrices pour les fidèles conformément aux exigences actuelles de la pastorale.

« 2. Dès que les amendements proposés au cours de la discussion du schéma auront été examinés et mis en forme par la Commission Conciliaire de liturgie, qu'ils soient soumis sans retard au vote de la Congrégation Générale afin que le texte qui résultera des suffrages des Pères, soit introduit dans la rédaction définitive ».

Le vote sur l'ensemble de cette motion aura lieu par le moyen des bulletins de vote qui sont distribués et qui seront recueillis par les clercs chargés des places. Les Pères qui veulent donner leur *placet* comme ceux qui veulent donner le *non placet* sont priés de mettre un signe apparent, de préférence une petite croix, à la place prévue pour cela sur le bulletin. L'attention des Pères est attirée sur la différence entre ce bulletin qui est de couleur bleue et le bulletin de présence qui est blanc. Les Pères sont invités à ne pas quitter l'Aula avant que les bulletins aient été recueillis par les clercs.

Versio germanica

(P. D. Villelmus Kempf, subsecretarius)

Nach beendigte Discussion des liturgischen Schemas wird vom Presidenten des Konzils vorgeschlagen über die folgenden Punkte abzustimmen:

1. Nach Prüfung des Schemas über die heilige Liturgie billigt das zweite vatikanische Konzil die Direktiven dieses Schemas, dass sie mit der gebührigen Klugheit und Sachkenntnis intendieren, dass die verschiedenen Teile der Liturgie mehr und mehr Lebensnah und der religiösen Durchbildung der Gläubigen dienlich werden gemäss den Notwendigkeiten der heutigen Seelsorge.

2. Die bei der Diskussion des Konzils vorgeschlagenen Verbesserungsvorschläge werden sobald sie von der liturgischen Konzilskommission durchgesprochen und zusammengestellt sind, zur Abstimmung der Generalkongregation vorgelegt. Diese bot dann die Redaktion des entgültigen Textes.

Die heutige Abstimmung wird erfolgt durch bräunliche Lochkarten. Man möge sie nicht verwechseln mit den Lochkarten die Gegenwart des Konzilsvaters angeben.

Versio arabica

(P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

بعد انتهاء المناقشة في موضوع الليتورجيا المقدسة ، يطلب نيافة المتقدم في مجلس الرئاسة من آباء المجمع الاقتراع على الاقتراحين الآتيين :

اولا : لما كان المجمع المسكوني الفاتيكاني الثاني قد نظر في مشروع الليتورجيا المقدسة فانه يثبت المبادئ العامة التوجيهية التي تهدف بحكمة وتفهم الى ان يحيى المؤمنون حياة ليتورجية اوفر في كل مواضيع الصلاة العامة وفقا لمقتضيات الحياة الرعوية العصرية .

ثانيا : اما الاقتراحات والاصلاحات المقدمة للمناقشة في المجمع المسكوني فان لجنة لجنة الشئون الليتورجية تنظر فيها وتعد لها صيغة موافقة ، ومتى اكتملت تلك الصيغة تعرض حالا على مجلس الاباء العام ، وعلى ضوء ذلك الاقتراع توضع الصيغة النهائية .

اما الاقتراع فيصير باستعمال الاوراق المعدة للتصويت وبكتابة اشارة صليب في مكان كلمة Placet او في حال الرفض بكتابة اشارة اخرى في موضع كلمة Non placet وستجمع اوراق التصويت نحو الساعة الحادية عشرة .

Secretarius generalis: Audiant iterum omnes! Propositio, quae lecta est variis linguis, facta est directe ab em.mo praeside consilii praesidentiae, non a consilio praesidentiae.

Rogantur Patres ne, in signo faciendo, praetergrediantur limites loculi ubi est *Placet,* vel *Non placet.* Non habetur, in hac suffragatione, *Placet iuxta modum,* ut evidens est. Dixi.

Praeses card. TISSERANT: Nunc incipit expositio de schemate...

[*Intervallum*] Subsignatio in schedula non est necessaria. Nomen est in fronte schedulae.

DISCEPTATIO

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE FONTIBUS REVELATIONIS *

CAPUT I

DE DUPLICI FONTE REVELATIONIS

[9] 1. [*De revelatione Veteris et Novi Foederis*]. Revelatio, quam Deus in sapientia et bonitate sua hominibus impertiri dignatus est, nobis advenit Veteris et Novi Foederis oeconomia. In Vetere quidem Deus multifariam multisque modis patribus locutus est in prophetis (cf. Hebr. 1, 1); in Novo autem thesauros sapientiae et scientiae suae toti humano generi per ipsum Filium suum eiusque Apostolos effudit (cf. Io. 14, 26 et 16, 14; Hebr. 1, 2).

2. [*De prima diffusione revelationis Novi Foederis*]. Haec Novi Foederis revelatio, quae Veteris Foederis revelationem longe transcendit eamque consummavit, Deo ita disponente, potissimum per praedicationem sparsa est et auditu recepta, secundum illud Apostoli: « Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi » (Rom. 1, 17). Christus siquidem Dominus in vita sua filiis Israël arcana regni caelorum viva voce manifestavit et post resurrectionem Apostolis suis praecepit ut praedicarent omni creaturae (cf. Mc. 16, 15), dicens: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (Mt. 28, 18-20). Quia igitur Apostoli doctrinam Christi et quidem eius nomine praedicant, ideo dicuntur in Sacris Scripturis simpliciter loqui « Verbum Dei » vel « Verbum Domini » (cf. Act. 4, 29; 8, 25; 13, 46; 15, 36); immo eorum praedicatio ipsa vocatur « verbum Dei » (cf. Act. 6, 2, 7; 11, 1; 12, 24; 13, 7, 48 etc.)

---

* Cf. vol. I, pars I, p. 262 *nota*.

quippe quae vere sit sermo Dei per eos ad homines missus [9]
secundum illud Apostoli ad Thessalonicenses: « ... gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam, cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis » (1 Thess. 2, 13). Unde, teste S. Clemente Romano, « Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo. Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo [10]
et Apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti verboque Dei confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia, egressi sunt annuntiantes regni Dei adventum ».[1]

3. [*De transmissione revelationis Novi Foederis*]. Ministerium autem verbi, quod Christus et Apostoli inceperunt, volventibus saeculis semper in Ecclesia servatum est. Nam sicut Apostoli tradiderunt quae a Christo acceperant (cf. 1 Cor. 15, 3 coll. 11, 23) et successoribus suis custodienda commiserunt (cf. 1 Tim. 6, 20; 2 Tim. 1, 14) sic Episcopi, qui in Ecclesia locum Apostolorum per successionem obtinent, eorum doctrinam semper praedicatione tradiderunt et cum auctoritate interpretati sunt. Quidam ex Apostolis vel apostolicis viris revelationem, divino afflante Spiritu, litteris quoque mandaverunt; illis autem scriptis vivum Apostolorum praeconium nec abrogatum neque imminutum, sed potius roboratum, securius conservatum et authentice explanatum est.

4. [*De duplici fonte revelationis*]. Christi itaque et Apostolorum mandatis et exemplis edocta, sancta mater Ecclesia semper credidit et credit integram revelationem, non in sola Scriptura, sed in Scriptura et Traditione, tanquam in duplici fonte contineri,[2] alio tamen ac alio modo. Nam libri Veteris et Novi Testamenti, praeterquam quod revelata continent, insuper Spiritu Sancto inspirante conscripti sunt, ita ut Deum habeant auctorem.[3] Traditio autem vere divina, a Spiritu Sancto continua successione in Ecclesia conservata, in rebus fidei et morum ea continet omnia, quae Apostoli, sive ab ore Christi sive suggerente Spiritu Sancto, acceperunt atque Ecclesiae quasi per manus tradiderunt, ut in eadem per praedicationem ecclesiasticam transmitterentur.[4] Quare quae divina Traditio ratione sui con-

[10] tinet, non ex libris, sed ex vivo in Ecclesia praeconio, fidelium fide et Ecclesiae praxi hauriuntur.

5. [*De habitudine unius fontis ad alterum*]. Nemo ergo Traditionem exinde minoris facere aut ei fidem denegare audeat. Licet enim Sacra Scriptura, cum sit inspirata, ad enuntiandas et illustrandas veritates fidei instrumentum praebeat
[11] divinum, eius nihilominus sensus nonnisi Traditione apostolica *certe* et *plene* intelligi vel etiam exponi potest; immo Traditio, eaque sola, via est qua quaedam veritates revelatae, eae imprimis quae ad inspirationem, canonicitatem et integritatem omnium et singulorum sacrorum librorum spectant, clarescunt et Ecclesiae innotescunt.

6. [*De habitudine utriusque fontis ad Magisterium*]. Ut autem ambo fontes revelationis concorditer et efficacius ad salutem hominum concurrerent, providus Dominus eos tanquam unum fidei depositum custodiendum et tuendum authenticeque interpretandum tradidit non singulis fidelibus, utcumque eruditis, sed soli vivo Ecclesiae Magisterio.[5] Magisterii Ecclesiae ergo est, utpote proximae et universalis credendi normae, non modo iudicare, adhibitis quae divina Providentia suppeditat auxiliis in iis, quae, sive directe sive indirecte, ad fidem et mores spectant, de sensu et interpretatione cum Scripturae Sacrae tum documentorum et monumentorum quibus temporis decursu Traditio consignata est et manifestata, sed ea quoque illustrare et enucleare quae in utroque fonte obscure vel implicite continentur.[6]

NOTAE

[1] Clemens Romanus, *Ep. ad Cor.* 42, nn. 1-3: PG 1, 292.

[2] Cf. Conc. Vat., Sess. III, Const. Dogm. *De fide cath.,* c. 2: Denz. 1787; EB 77. Cf. 2 Thess. 2, 15: « Tenete traditiones, quas didicistis sive per *sermonem* sive per *epistolam* nostram », ubi notat S. Thomas: « Unde patet, quod multa in Ecclesia non scripta, sunt ab Apostolis docta et ideo servanda ».

[3] Cf. Conc. Vat.: *ibid.*

[4] Cf. Conc. Vat.: *ibid.* et Conc. Trid., Sess. IV, Decr. *De can. script.*: Denz. 783; EB 57.

[5] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: AAS 42 (1950) pp. 567, 569: Denz. 2314; EB 611.

[6] *Ibid.,* p. 569: Denz. 2314; EB 611.

CAPUT II

DE SCRIPTURAE INSPIRATIONE, INERRANTIA ET COMPOSITIONE LITTERARIA

7. [*S. Scripturae inspiratio et canonicitas*]. Praeterquam viva [12]
Prophetarum et Apostolorum voce, Deus in Scripturis quoque sanctis Veteris ac Novi Testamenti, quae alterum ac praeclarum constituunt supernae revelationis fontem,[1] verbum suum hominibus tradere et accuratius conservari voluit. Haec est Scriptura « divinitus inspirata » (2 Tim. 3, 16), ab Apostolis catholicae Ecclesiae tradita atque in sacro canone rite agnita et recepta,[2] ad perpetuum eiusdem Ecclesiae usum, ut munus suum adimpleat docendi, ad christianae vitae moderamen et ad omnium hominum salutem.

8. [*Inspirationis propria natura et definitio*]. Ad hanc vero divinam Scripturam exarandam, Deus ipse sacros quosdam scriptores seu hagiographos ita ad scribendum interne excitavit et movit, ita quoque scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse primarius Scripturarum Auctor intenderet, recte mente conciperent fideliterque scriptis mandarent.[3] Est enim Inspiratio biblica, ex constanti doctrina Ecclesiae, speciale quoddam charisma ad scribendum, quo Deus in hagiographo et per hagiographum operando, scripto hominibus loquitur, ideoque ipse nominatur veroque sensu est auctor principalis integri sacri textus. Hagiographus autem, in conficiendo libro, est Spiritus Sancti « organon », seu instrumentum, idque vivum ac ratione praeditum, cuius proinde propria indoles ac veluti singulares notae ex libro sacro colligi possunt.[4] Quapropter iure Ecclesia omnino reprobat quodlibet extenuandae naturae Inspirationis conamen, illudque praecipue quo coniuncta haec et supernaturalis Dei hominisque scribendi ratio quovis modo ad mere naturalem impulsum vel animi commotionem reducitur.[5]

9. [*Plures auctores humani*]. Singulorum autem et omnium librorum Veteris ac Novi Testamenti exaratorum quolibet tempore unus est Auctor primarius Deus; auctores vero humani complu- [13]
res fuerunt decursu saeculorum, usque ad completam revelationem, immo unus idemque liber duos vel plures interdum habuit

[13] auctores. Qui omnes, iuxta Ecclesiae doctrinam, habendi sunt tanquam ministri divini verbi scribendi, a Spiritu Sancto assumpti.

10. [*Inspiratio personalis hagiographi et communitas*]. Item, quemadmodum ex Scriptura ipsa eruitur (cf. 2 Petr. 1, 21) et Ecclesia semper docuit, sacrae Inspirationis charisma hagiographis a Deo electis et ductis personale propriumque fuit, non autem charisma fidelium coetui commune vel communicatum. Ex Dei autem providentia, origo libri sacri ipseque liber cum gestis et vita communitatis civilis et religiosae, in qua auctor vivebat, ita cohaerent, ut ex iis aptius intelligi possint.

11. [*De extensione Inspirationis*]. Pariter, cum Deus ipse divino suo afflante Spiritu totius Scripturae sacrae sit Auctor, omniumque per hagiographi manum in ea exaratorum veluti scriptor, consequitur omnes et singulas sacrorum librorum partes, etiam exiguas, esse inspiratas.[6] Itaque omnia quae ab hagiographo enuntiantur, a Spiritu Sancto enuntiata retineri debent.

12. [*De inerrantia ut consectarium Inspirationis*]. Ex hac divinae Inspirationis extensione ad omnia, directe et necessario sequitur immunitas absoluta ab errore totius Sacrae Scripturae. Antiqua enim et constanti Ecclesiae fide edocemur nefas omnino esse concedere sacrum ipsum errasse scriptorem, cum divina Inspiratio per se ipsam tam necessario excludat et respuat errorem omnem in qualibet re religiosa vel profana, quam necessarium est Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse.[7]

13. [*Quomodo inerrantia diiudicanda sit*]. Hac tamen inerrantia diiudicanda est ex modo quo veritas in libro sacro attingitur. Qui modus imprimis elucet ex indole generali libri, de qua, in casu dubii, definitivum iudicium soli competit Ecclesiae. Aliter enim veritas exprimitur in libro historico vel didactico; aliter in prophetico, poetico, allegorico, parabolico. Quod autem ad singula spectat, modus attingendi veritatem diiudicetur oportet etiam ex sensu quem in determinatis adiunctis pro sui
[14] temporis condicione expressit hagiographus.[8] Veritas enim et fides S. Scripturae, seu id quod auctor scribendo reapse significare voluit, saepius non recte intelligitur, nisi rite attendatur ad

suetos nativos cogitandi, dicendi vel narrandi modos, qui tempore [14] hagiographorum vigebant, quique tunc in mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant.[9] Cum igitur haec omnia, salvis Scripturae Sacrae auctoritate et sanctitate, in eodem divino eloquio, quod pro hominibus modis verbisque humanis exprimitur,[10] inveniantur, non magis erroris argui debent quam cum paria ac similia in cotidiano usu adhibebantur, immo adhibentur, proindeque Scripturae sacrae auctoritati ac sanctitati minime officiunt.

14. [*Divina condescensio*]. Quae omnia, salva iugiter Dei veritate et sanctitate, manifestam statuunt aeternae Sapientiae condescensionem in verbo suo divino humanis signis ac litteris vestiendo proferendoque hominibus, sicut olim in Unigenito Patris Verbo, quod, humanae infirmitatis assumpta carne, per omnia nobis assimilari voluit praeter peccatum (cf. Hebr. 4, 15) [11] et ignorantiam.

NOTAE

[1] Leo XIII, Litt. Encycl. *Providentissimus Deus,* 18 nov. 1893: EB 82.

[2] Conc. Trid., Sess. IV, Decr. *De can. script.*: Denz. 784; EB 58-60; Conc. Vat., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 2 et can. 4: Denz. 1787 et 1809; EB 77, 79;

Benedictus XV, Litt. Encycl. *Spiritus Paraclitus,* 15 sept. 1920: EB 448;

Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante,* 30 sept. 1943: EB 538.

[3] Leo XIII, Litt. Encycl. *Providentissimus Deus*: Denz. 1952.

[4] Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante*: EB 556.

[5] S. Pius X, Decr. *Lamentabili,* 3 iul. 1907, et Litt. Encycl. *Pascendi,* 7 sept. 1907: Denz. 2009-2010 et 2090; EB 200-201, et 272-273.

Cf. quoque Conc. Vat., *ibid.*: Denz. 1787; EB 77;

Leo XIII, Litt. Encycl. *Providentissimus Deus*: Denz. 1952; EB 125.

[6] Cf. Pont. Comm. de Re Bibl., Decr. 18 iun. 1915: Denz. 2180; EB 420; S. C. S. Officii, epist. 22 dec. 1923: EB 499.

[7] Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante*: EB 539, cum verbis relatis Leonis XIII, Litt. Encycl. *Providentissimus Deus*: Denz. 1950; EB 124. Cf. quoque EB 44, 46, 125, 420, 463, etc.

[8] S. Augustinus, *De doctrina christiana,* II, 18, 26: PL 34, 75-76.

[9] Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante*: Denz. 2294; EB 558-562.

[10] « Per hominem more hominum loquitur »: S. Augustinus, *De Civitate Dei,* XVIII, 6, 2: PL 41, 537: Cf. Pont. Comm. de Re Bibl., epist. 16 ian. 1948: Denz. 2302; EB 581.

[11] Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante*: Denz. 2294; EB 559.

Caput III

DE VETERE TESTAMENTO

[15] 15. [*De auctoritate V. T. in Ecclesia*]. Scripturis Sacris Veteris Testamenti Deus, iam a vetustissima aetate, populum in suam peculiarem acquisitionem adscitum sibique amico foedere iunctum, de salutiferis consiliis inter homines exsequendis erudire sategit. Itaque, in iis praesertim quae ad christianae religionis fundamenta, sive in verbis sive in historiae rebus, ad finem usque temporis spectant, Veteris Testamenti vis, auctoritas et emolumentum minime enervata dicenda sunt. « Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus » (Rom. 15, 4).

16. [*De habitudine inter Vetus et Novum Testamentum*]. Dei autem ad hominem habitudo, inde ab Adae praevaricatione, in hoc tendebat, ut per repromissiones quae ad patres nostros factae sunt et prophetica de Redemptore oracula ac nuntia in dies inclarescentia, omni humanae creaturae aditus pateret ad salutem sperandam. « De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetae, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt » (1 Pt. 1, 10). Scripturae enim Sacrae Veteris Testamenti testimonium perhibent de Christo (cf. Io. 5, 39) et, ex omnipotentis ac miserentissimi Dei voluntate, necesse erat impleri omnia quae de Salvatore promisso inibi dicebantur, prout Iesus Dominus noster Apostolos suos docuit, quibus ipse sensum denique aperuit ut intelligerent Scripturas (cf. Lc. 24, 44-45).

Quare, totius Veteris Testamenti ratio atque momentum in hoc est, ut in Novum tendat et in Novo pateat. « Quid hoc stabilius, quid firmius verbo, in cuius praedicatione Veteris et Novi Testamenti concinit tuba, et cum evangelica doctrina, antiquarum protestationum instrumenta concurrunt? ... Quia, sicut ait beatus Ioannes, *lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Iesum Christum facta est* (Io. 1, 17); in quo et propheticarum promissio impleta est figurarum et legalium ratio praeceptorum,

dum et veram docet prophetiam per sui praesentiam, et possibilia [16]
facit mandata per gratiam ».[1]

17. [*De indole Veteris Testamenti*]. Quapropter, haec Sacrosancta Vaticana Synodus, ex evangelica apostolicaque doctrina sollemniter docet Deum, utriusque Testamenti auctorem et inspiratorem, Vetus ita sapienter condidisse ut Novum suavi providentia praepararet et multifariam prophetice nuntiaret et variis typis significaret, ita ut Veteris Testamenti Libri et ipsi unius divinae revelationis divinique consilii salutis supernaturale iter et cursum describant. Quae autem in illis continentur, ob veteris oeconomiae indolem incompletam,[2] praesertim ad mores quod spectat, denique conferenda sunt cum Christi Evangelio ab Apostolis praedicato, eorumque recta interpretatio rite submittenda est vivo Ecclesiae magisterio, hoc est illorum iudicio « qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt ».[3]

18. [*De auctoribus humanis Veteris Testamenti*]. Denique, ad humanos auctores Veteris Testamenti librorum quod spectat, quamquam huiusmodi authentia dogma de eorum divina inspiratione per se et directe non tangit, Sacrarum Scripturarum catholici interpretes sancte teneant quidquid certi hac de re in utroque revelationis fonte invenitur. Quatenus vero huiusmodi quaestio fidem tangat, solius est Ecclesiae ultimum hac de re iudicium ferre.

NOTAE

[1] S. Leo Magnus, *Sermo 51 de Transfiguratione,* 4: PL 54, 311.

[2] Pius XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 mart. 1937: AAS 29 (1937) pp. 150 ss.

[3] S. Irenaeus, *Adv. Haer.* 4, 26, 2: PG 7, 1053-1054.

Caput IV

DE NOVO TESTAMENTO

[17] 19. [*De Evangeliis eorumque auctoribus*]. Neminem fugit inter omnes divinas Auctoritates, quae Sanctis Litteris continentur, Evangelium merito excellere.[1] Quattuor Evangelia apostolicam originem habere Ecclesia Dei semper et ubique sine dubitatione credidit et credit, constanterque tenuit ac tenet auctores humanos habere illos quorum nomina in Sacrorum Librorum canone gerunt: Matthaeum nempe, Marcum, Lucam et Ioannem, quem diligebat Iesus.

20. [*De historico Evangeliorum valore*]. Eadem Sancta Mater Ecclesia firma et constantissima fide credidit et credit quattuor recensita Evangelia sincere tradere quae Iesus Dei Filius ad aeternam hominum salutem, inter homines degens, reapse et fecit et docuit (cf. Act. 1, 1). Quamvis enim cum historicae compositionis rationibus, quae apud nostrae aetatis peritos in usu sunt, Evangelia non in omnibus conveniant (nec convenire necesse sit), tamen quae dicta et facta inibi divino afflante Spiritu consignantur, idcirco litteris mandata sunt ut cognoscamus eorum verborum, de quibus eruditi sumus, veritatem ex testimonio et traditione illorum « qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis » (Lc. 1, 2-4).

21. [*De veritate factorum Christi in Evangeliis*]. Quapropter, haec Sacrosancta Vaticana Synodus illos damnat errores, quibus denegatur vel extenuatur, quovis modo et quavis causa, germana veritas historica et obiectiva [2] factorum vitae Domini nostri Iesu Christi, prout in Sanctis illis Evangeliis narrantur. Qui errores adhuc perniciosiores evadunt, si in dubium revocent facta v. g. infantiae Christi, Redemptoris signa et miracula eiusque mirabilem a mortuis resurrectionem et ad Patrem gloriosam ascensionem, quae ipsam fidem afficiunt.

22. [*De veritate verborum Christi in Evangeliis*]. Pariter Sacrosancta haec Vaticana Synodus errores damnat quibus as-

seritur Christi verba quae et quatenus ab Evangeliis Domino [18] adscribuntur, saltem quoad ipsam rem verbis significatam, plerumque ipsius Christi non esse, sed potius mentem referre Evangelistae, seu, quod vel gravius est, communitatis christianae primitivae.

23. [*De veracitate doctrinae Apostolorum in Scripturis canonicis*]. Doctrinam autem Apostolorum, quae in reliquis Novi Testamenti canonicis Scripturis continetur, nefas est dicere nonnisi humana industria humanisque inventis vel ex Iudaeorum aut gentium placitis, praeter vel contra ea quae Christus ipse et docuit et voluit, temporis decursu esse concinnatam. Apostolis enim suis, quos ipse docere omnes gentes in mundum universum miserat, Christus adstitit (cf. Mt. 28, 20), iis tandem Paraclitum Spiritum a Patre promissum misit, ut omnia eos doceret et omnia ipsis suggereret (cf. Io. 14, 26) quae Christi erant (cf. Io. 16, 14), ad aeternam humani generis salutem in aevum servanda.

NOTAE

[1] Cf. S. AUGUSTINUS, *De consensu evangelist.,* 1, 1: PL 34, 1041-1042.
[2] Cf. S. C. S. OFFICII, *Monitum,* 20 iunii 1961: AAS 53 (1961) p. 507.

CAPUT V

DE SACRA SCRIPTURA IN ECCLESIA

24. [*De curis Ecclesiae circa S. Scripturam*]. Caelestis sa- [19] crorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa caritate et liberalitate per Ecclesiam hominibus tradidit,[1] numquam in Ecclesia latuit; etenim inde ab initio Ecclesia Christi maxima reverentia et alacritate divina eloquia custodivit, a quavis falsa interpretatione defendit, ad salutem animarum in sacra praesertim praedicatione sollicite adhibuit [2] atque in sua liturgia quotidie omnibus proponere non desiit.

25. [*De versione latina Vulgata*]. Sine praeiudicio praecellentis auctoritatis primigeniorum textuum Sacrae Scripturae, inter plures quae olim circumferebantur latinas versiones, Ecclesia

[19] latina decursu temporis unam praetulit, « Vulgatam » nempe, quam authenticum seu genuinum fidei testimonium habet. Ex legitimo enim huius versionis tot saeculorum usu in Ecclesia, patet eandem in rebus fidei et morum ab omni prorsus errore esse immunem, prout ab Ecclesia intellecta est et intelligitur, et in disputationibus, in lectionibus concionibusque tuto ac sine errandi periculo citari posse.[3] Tanta enim cum Magisterio ipsius Ecclesiae fuit « Vulgatae » connexio, ut traditionis auctoritate pollere dicenda sit. Simul autem haec Sacrosancta Vaticana Synodus reverenter excipit alias venerandas vulgatasque in Ecclesiis orientalibus versiones, in primis graecam illam antiquissimam Veteris Testamenti versionem a Septuaginta viris nuncupatam, ipsorum Apostolorum usu probatam.

26. [*De lectione S. Scripturae apud sacerdotes*]. Meminerit quivis Ecclesiae administer sancti Pauli Apostoli monitum: « Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus » (2 Tim. 3, 16-17). Praeeuntibus Ecclesiae Patribus, « necesse est ut qui ad officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant »;[4] sacerdotis enim sermo « Scripturarum lectione con- [20] ditus sit »,[5] ne inanis forinsecus praedicator fiat « qui non est intus auditor ».[6] Sacrae autem Litterae « possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Iesu » (2 Tim. 3, 15), cum ex manu Ecclesiae accipiantur ac pium lectorem moveant mentis docilitas et desiderium discendi quae ad spiritualem aedificationem faciant.

27. [*De lectione S. Scripturae apud fideles*]. Nostro tempore, divina favente Providentia, laudabiliter factum est ut non pauci quoque fideles Sacram Scripturam in textibus primigeniis legant, et ut, maxime ad omnium usum et bonum, conversiones plurimae Librorum sacrorum ex iisdem textibus primigeniis in vulgatas linguas confectae sint.[7] Maxime autem gaudendum est de actuoso amore quo praesertim Christi Evangelia et Apostolorum scripta in dies vulgantur et manu versantur. Etenim haec sacra lectio, ut Ecclesiae Patres et Doctores testantur, sanctique viri semper experti sunt, mentem illuminat, voluntatem firmat, cor ad amorem Dei accendit. Attamen haec Sacrosancta Vaticana Synodus enixe christifideles monet ut ad sacrum ipsum textum

accedant, attenta Ecclesiae doctrina et cum solida aptaque institutione. [20] Quod in primis valet pro lectione Veteris Testamenti; sed etiam in Novo Testamento « sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem » (2 Pt. 3, 16). Ideo versiones in usum fidelium recognoscantur atque approbentur ab Episcopis, « apud quos est apostolica doctrina »;[8] necessariis insuper et vere sufficientibus explicationibus instruantur, ad mentem Ecclesiae,[9] cuius vivum magisterium fidelibus est norma proxima credendi. Non enim a quovis vel docto viro divinorum eloquiorum genuinus sensus auctoritative statui potest, sed ab uno Ecclesiae magisterio cui Sacrarum Scripturarum depositum concreditum est interpretandum. Episcoporum etiam auctoritati subiciendum est quodcumque inceptum ad Sacram Scripturam in plebe christiana divulgandam atque illustrandam.

28. [*De exegetis catholicis*]. Cum hodie, ex noviter inventis, multa adducantur, quae ad penitiorem intelligentiam sensus litteralis, qui praecipue attendendus est in divinis Scripturis, conferant, meminerint tamen ii qui, in Ecclesia et ad Ecclesiae utilitatem, in divinis eloquiis investigandis sua scientia laudabiliter adlaborant, semper se in exponendis Scripturis sanctis Sancti Spiritus Dei indigere auxilio [10] et non aliter Scripturam intelligendam [21] esse « quam sensus Spiritus Sancti flagitat, quo conscripta est ».[11] Non enim ad exercitandum ingenium Scripturas sanctas Deus hominibus dedit, sed ad spirituale bonum; ideo maiorem nostrae aetatis interpretum eruditionem comitetur oportet, in doctrina spirituali haurienda et exponenda, ea dicendi suavitas, qua veteres Patres et Doctores, amore Ecclesiae et animarum salute unice permoti, excellebant. Quam maxime ergo exegetae catholici curent theologicam sacrorum textuum doctrinam, ut non modo ipsi et alii scientiae theologicae cultores mutuo se adiuvent, verum etiam ut sacerdotibus adiumento sint ad doctrinam christianam coram populo aptius enucleandam, et fidelibus omnibus ad vitam sancte agendam adserviant.[12] Haec omnia fieri possunt tantummodo si in Biblia exponenda qua par est reverentia ac oboedientia ad analogiam fidei, ad Ecclesiae traditionem, et ad Apostolicae Sedis de re normas iugiter attendatur.[13]

29. [*De habitudine theologiae ad S. Scripturam*]. Cum universae theologicae doctrinae Sacra Scriptura una cum Traditione

[21] velut anima sit, et ex utriusque fontis studio sacrae disciplinae semper iuvenescant, theologiae doctores maximi faciant propriae disciplinae incrementum quod ex recta Librorum sacrorum interpretatione obvenit. Sacrorum enim Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem est auctor Deus; ideoque fieri nequit, ut sensus qui ab hac doctrina quoquo modo discrepet, legitima interpretatione ex illis Libris eruatur.[14] Curent ergo theologi nostri pro sua scientia illustrare atque comprobare concordiam omnimodam doctrinae catholicae, ab initio ad nostra usque tempora traditae, cum divinis illis eloquiis admirabili Spiritus Sancti opera et consilio pro Ecclesia ad universorum salutem conscriptis.

NOTAE

[1] Verba desumuntur a Conc. Trid., Sess. V, Decr. *De reformatione,* c. 1, cum addito « per Ecclesiam »: EB 65.

[2] Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante,* 30 sept. 1943: EB 538.

[3] Conc. Trid., Sess. IV, Decr. *De can. script.*: Denz. 785; EB 61; Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante*: Denz. 2292; EB 549.

[4] S. Gregorius M., *Reg. Past.* 2, 11: PL 77, 50.

[5] S. Hieronymus, *Ep. ad Nepotian.*, 8: PL 22, 534.

[6] S. Augustinus, *Sermo* 179, 1: PL 38, 966.

[22] [7] Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante*: EB 549.

[8] S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, 4, 32, 1: PG 7, 1071.

[9] Cf. CIC, can. 1391.

[10] S. Hieronymus, *In Mich.* 1, 10-15: PL 25, 1215.

[11] Id., *In Gal.*, 5, 19-21; PL 26, 445.

[12] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante*: Denz. 2293; EB 551.

[13] Cf. *Iusiurandum contra errores modernismi,* 1 sept. 1910: Denz. 2146; EB 354.

[14] Leo XIII, Litt. Encycl. *Providentissimus Deus,* 18 nov. 1893: EB 144.

2 – RELATIO EM.MI P. D. ALFREDI CARD. OTTAVIANI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE DOCTRINA FIDEI ET MORUM

Peto veniam em.mo card. praesidenti si, antequam loquar, petam aliquam explicationem circa votum propositum. Quaero: quomodo cum unico voto possit responderi duobus quaesitis, cum possit unum placere et aliud non placere: v. gr. puto secundum quaesitum omnibus placere; nescio utrum primum quaesitum omnibus placeat. Postea dabit, si credit, nobis explicationem praeses.

Nunc procedo ad quaedam praemittenda relationi, quam praeparavi et quam, ad curandos meos oculos, tradidi legendam lectori.

Tamen quattuor puncta velim personaliter praemittere:

1. Circumferuntur quaedam schemata quae essent substituenda schemati officialiter proposito. Hoc mihi non videtur congruere cum dispositione can. 222, par. 2, quae unice Summo Pontifici reservat materiam disponendam, et non esset reverens et obsequiosum erga Summum Pontificem, qui dedit discutiendum propositum schema officialiter, et igitur mens eius est ut hoc schema discutiatur, non alia quae privatim proponuntur. Si sunt correctiones faciendae, huic schemati fiant. Est liberum omnibus proponere correctiones, emendationes. Sed super hoc schema debet fieri discussio, non super alia.

2. Vos audietis certe multos loqui de defectu toni pastoralis in schemate proposito. Sed dico: primum munus, fundamentale munus pastoralis est doctrina: « Docete ». Mandatum Domini maximum hoc est: « Docete omnes gentes ». In hoc iam habetur fundamentum pastoralis. Ceterum, quoad formam loquendi postea ii, qui de stylo curam habebunt, poterunt dare maiorem expressionem pastoralem. Sed notandum est Concilium loqui concinnate, lucide, breviter et non ad modum praedicationis, non ad modum litterae pastoralis alicuius episcopi, nec etiam ad modum litterarum encyclicarum Summi Pontificis. Stylus conciliaris est iam signatus a praxi saeculorum.

3. Facta est quaedam observatio, non haberi afflatum novae theologiae in hoc schemate. Sed afflatum locutionis conciliaris debet esse afflatum saeculorum, non alicuius scholae, quae hodie est et cras fortasse in clibanum mittitur.

4. Spero fore ut, pro vestro ingenio et pro vestra doctrina, debitam considerationem habeatis laboris quem per duos annos exc.mi episcopi fecerunt, quibus adstiterunt theologi et exegetae ex universo orbe diversarum scholarum; laboris etiam ipsius commissionis centralis, quae per

varias sessiones adlaboravit variis schematibus perficiendis. Igitur non sunt pessumdandi labor et fructus ingenii et doctrinae tantorum virorum.

Satis nunc, et rogo ut lector meam relationem velit legere.

Textus scripto traditus:

Venerabiles Concilii Patres, antequam relationem de proposita constitutione doctrinali tradam legendam ab aliquo administro, velim quae sequuntur praenotare.

1) Circumferuntur quaedam schemata quae essent substituenda schemati officialiter proposito. Hoc mihi videtur prorsus contrarium canoni 222 § 2, qui uni Summo Pontifici reservat « res tractandas » in Concilio.

Laedit etiam reverentiam et obsequium debitum eidem Summo Pontifici qui iussit examinari schema iam officialiter propositum. Corrigantur, itaque, quae non placent et ordo laboris auctoritate pontificia definitus servetur.

2) Audivi quosdam deplorare non inveniri in schemate proposito afflatum et modum loquendi novae theologiae (nouvelle théologie), quae ultimis triginta annis favore theologorum quorundam gaudet.

Concilium autem Oecumenicum debet uti afflatu et modo loquendi quo Ecclesia per saecula usa est et non patietur vicissitudines et variationes temporum sed per saecula debet esse in futurum intelligibile hominibus, quia « Veritas Domini manet in aeternum ».

3) Quidam desiderant rerum expositionem magis pastoralem; at primum munus pastorale est tradere rectam doctrinam iuxta mandatum Domini: « euntes... docete ». Forma autem loquendi conciliaris non est eadem quae adhibetur in praedicatione, in litteris pastoralibus episcoporum et in ipsis Litteris Encyclicis Summorum Pontificum, sed debet esse doctrinaliter accurata, lucida et solemnis. Pastorum Ecclesiae erit postea parvulis frangere panem.

4) Spero fore ut pro vestro ingenio et doctrina debitam aestimationem habeatis laboris confecti ab iis episcopis doctissimis et ab eximiis doctoribus et exegetis ingenio et magna doctrina praeditis quibus munus praeparandi constitutionem directe concredidit et sigillum suae aestimationis Summus Pontifex dedit, praecipiens ut hoc ipsum schema Patribus Concilii praesentaretur pro discussione et emendationibus.

Rev. Salvator Garofalo:

Venerabiles Patres,

Neminem fugit praecipuum Concilii Oecumenici munus esse doctrinam catholicam tueri ac promovere.

Concilium Vaticanum I docet: « neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia nec unquam ab eo sensu altioris intelli-

gentiae specie et nomine recedendum »...[1] « Crescat igitur ... et multum vehementerque proficiat, tam singulorum omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetate ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia » ...[2]

Non iam expectandam nunc esse renovationem, sed « incrementum catholicae fidei », patet ex proposito Summi Pontificis Ioannis XXIII, feliciter regnantis, cogendi Concilium hoc, ut videre est in suis primis litteris encyclicis ...[3] In allocutione autem qua idem Summus Pontifex solemniter Concilio initium dedit, haec audivimus: « quod Concilii Oecumenici maxime interest hoc est: ut sacrum christianae doctrinae depositum efficaciore ratione custodiatur atque proponatur », ita ut integra, non imminuta, non detorta doctrina catholica eluceat.

Nullum ergo dubium esse potest finem primum ac immediatum Concilii Oecumenici esse doctrinalem, qualis maxime congruit extraordinario Ecclesiae Magisterio et prout salus animarum, quae suprema est lex matris ac magistrae Ecclesiae, exigit.

Acta tamen, seu constitutiones Concilii Oecumenici, quoad formam, aequanda non sunt litteris encyclicis Summorum Pontificum, quae, etiam cum doctrinales se praebent, ad magisterium ordinarium pertinent. Minus adhuc huiusmodi acta assimilari debent homiliis, quas Ecclesiae pastores ad instructionem atque exhortationem fidelium habere solent. Magisterium enim doctrinale Concilii Oecumenici, ad normam constitutionis dogmaticae de fide catholica Concilii Vaticani I, solemne secumfert iudicium de credendis atque agendis, ...[4] atque « ea infallibilitate pollere (dicendum est), qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit » ...[5]

Nec proinde Concilio Oecumenico expedit ut suo muneri atque officio reiciendi errores renuntiet, quacumque forma id fiat: id enim exigitur ad hoc ut, iuxta vota a Summo Pontifice saepius expressa, vultus Ecclesiae Catholicae novo splendore clarescat atque Christi Sponsa, quantum fas est hic in terris, exhibeatur omnium oculis « gloriosa Ecclesia, non habens maculam aut rugam, sed sancta et immaculata » ...[6]

Denique praetereundum non est, immo attente ponderandum, schemata Constitutionum dogmaticarum apparata fuisse iuxta consilia et vota ab episcopis et praelatis data, cuius analyticus conspectus in Appendice Actorum et Documentorum, volumine II, exhibetur.

Inspicienti autem indicem analytici conspectus, evidens fit hunc complecti circiter 800 paginas, quarum 234, seu plus quam quarta pars, continet conspectum consiliorum atque votorum de rebus ad fidem et

mores pertinentibus, quaeque, exceptis quibusdam argumentis a paucis tantum episcopis propositis, pertractata sunt in nostris schematibus.

Vera ergo videtur adesse consonantia inter mentem Summi fidei Magistri et mentem episcoporum orbis catholici, quoad munus doctrinale Concilii Oecumenici Vaticani II, necnon inter optata Summi Pontificis et modum quo quaestiones ab Ipso Pontifice commissioni theologicae propositae, digestae atque explanatae sunt.

Munus apparandi textum constitutionis *de fontibus revelationis* a commissione theologica speciali subcommissioni demandatum est, in qua ...[7] episcopi de re singulari ratione experti simul cum peritis ex variis nationibus delecti et Universitatum studiorum professoribus, partes habebant. Textus a subcommissione statutus, praehabitis etiam scripto votis ubi materia obscurior vel disputationibus obnoxia erat, submissus est commissioni theologicae plenarie sedenti, quae omnia ad perfectiorem formam adduxit et unanimi consensu commissioni centrali proposuit.

In commissione centrali textus constitutionis denuo revisus est, in genere et etiam in minimis. Animadversionibus quae in commissione centrali factae sunt, commissio theologica, iubente Summo Pontifice, respondere debuit. Tandem commissio em.morum Patrum « De Emendationibus », rebus examinatis, textum Concilio proponendum statuit.

Constitutio dogmatica prima, *de fontibus revelationis,* quinque capitibus de Sacra Scriptura et de Traditione agit, ad normam doctrinae catholicae prout in documentis fidei et Magisterii Ecclesiae exponitur, habita tamen ratione necessitatum nostrorum temporum.

Nemo sane est qui ignoret quanti ponderis et momenti Constitutionis argumentum sit; cum nostra aetate, multa, favente divina Providentia, laudabiliter investigata et facta sunt, sed etiam, ut accidere solet, aliqua circumferuntur, sive inter doctos, sive inter simplices fideles, quae animum Pastorum Ecclesiae de puritate fidei solliciti moverunt et movent.

In cap. I, ubi de duplici fonte revelationis, respicitur imprimis ad historicum processum revelationis utriusque Testamenti, ut melius doctrina catholica modo sentiendi hodierno aptetur, deque Sacra Traditione ita agitur, ut quae ab anteactis Conciliis dicta sunt in clariorem lucem ponantur et, iuxta vota plurimorum episcoporum, nexus essentialis Traditionis cum vivo Ecclesiae Magisterio expresse indicetur.

Quae in cap. II afferuntur de Sacrae Scripturae divina inspiratione, inerrantia et compositione litteraria quae dicitur, ex doctrina recentioris Magisterii pontificii desumuntur et hodiernis investigationibus aptantur, in declarationem tutae et proficuae doctrinae.

In cap. III, ubi de Vetere Testamento, positive de auctoritate Sa-

crorum Librorum Veteris Foederis in Ecclesia agitur, ut praecaveantur excessus sive in detrimentum, sive in indebitam intelligentiam harum Scripturarum.

In cap. IV, de Novo Testamento, ea tantum ponuntur quae nostro tempore, de Evangeliis praesertim, in discrimen vocantur et de quibus vestra sententia, venerabiles Patres, ex hodierna rerum conditione vere dici potest urgere.

In cap. V, ubi de Sacra Scriptura in Ecclesia, curas Sponsae Christi pro divino deposito in decursu saeculorum extolluntur, et omnes quos spectat hortantur, ut ad fontes fidei accedant, attenta tamen Ecclesiae doctrina et apta solidaque institutione, prout et natura et dignitas Scripturarum Sacrarum *expostulant.*[8] Providetur praeterea ne studium divini verbi meram investigationem scientificam sapiat, sed in utilitatem doctrinae et aedificationis spiritualis plebis Dei, uti par est, vertat.

Constitutio ergo nostra est dogmatica, non disciplinaris; et licet quae dicuntur aliquando ex circumstantiis temporum exorta sint, debent tamen per saecula vigere; doctrinalia enim Concilii irreformabilia sunt, etsi perfectibilia. Hac de causa genus loquendi illud est, quod textibus perennibus fidei consonat, et quod vigere semper possit; ideo non indulget terminologiae quam quidam nunc amare possunt, sed dubium est an post breve tempus intelligi adhuc queat.

Verborum proprietate providetur etiam, ex iustitia et caritate, ut fratres nostri separati doctrinam Ecclesiae catholicae quam clarissime dignoscere valeant.

Nihil praeterea in hac constitutione proponitur, quod revera in catholicis scholis et inter doctos nostros disputari possit, etsi aliquando contra vel extra communem doctrinam disputetur.

Quodsi errores hic illic explicite indicantur et reprobantur (uti in cap. II *de inspiratione,* n. 8, et in cap. IV, nn. 21 et 22, *de veritate Evangeliorum*), hoc fit quia non pertinent ad ea quae, ut ait Summus Pontifex in allocutione inaugurali, « aperte pugnant cum honestatis principiis » et ex effectibus erronea facile omnibus appareant.[9]

Veritatem solemniter ab erroribus defendere pertinet, ut initio dictum est, ad Magisterium Concilii, cum singuli episcopi, ut singuli, minus efficaciter agere possint contra errores qui latius diffunduntur quam in territorio ubi illi Magistri fidei authentici exstant.

Tandem indoles constitutionis *pastoralis* dicenda est, quatenus perspicua propositio doctrinae eiusque custodia et defensio maxime ad munus pastorale pertinent et cuique pastorali incepto solidum et necessarium fundamentum praebent.

Vestrum nunc est, venerabiles Patres, qua auctoritate et sollicitu-

dine polletis, de iis omnibus ut testes et doctores fidei iudicare, cum commissioni theologicae persuasum sit omnia ad unguem expoliri posse, sive quoad doctrinam sive quoad rationes illam efficacius proponendi, nonnisi ab illis apud quos, ex lumine Spiritus Sancti, est, ut cum Augustino dicam: « forma intelligendi de apostolica auctoritate descendens » ...[10] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (can. 3). [2] (Vincentii Lerin, *Commonitorium,* n. 28: PL 50, 668; Conc. Vat. sess. III, c. 4, Denz. 1800). [3] (A.A.S. LI, 1959, p. 511). [4] (cf. sess. III, c. 3, Denz. 1793). [5] (sess. IV, c. 4, Denz. 1839). [6] (cf. *Eph.* 5, 27). [7] aliquot. [8] requirunt. [9] apparent. [10] (*De Civitate Dei* XV, 2, PL 41, 439).

3 – PATRUM ORATIONES

1

EM.MUS P. D. ACHILLES CARD. LIÉNART
Episcopus Insulensis

Venerabiles Fratres,

Praesens doctrinale decretum mihi non placet, quia in toto suo tenore mihi videtur prorsus inadaequatum esse materiae quam tractare intendit.

De fontibus divinae revelationis agitur. Qua in re hoc schema, primo, puto graviter deficere seu incompletum esse. De duobus equidem fontibus nobis loquitur, *Scriptura Sacra ac Traditione.*[1] Verum est etenim duabus his viis revelationem nobis transmitti, quasi per rivulos quibus derivetur. Sed de alio fonte tractare decretum omittit qui profundior et ipse unicus est, a quo praefati duo promanant: scilicet verbum Dei.

Quod enim verbum Dei fons sit revelationis, vigilanti cura asseruit Concilium Tridentinum, sic loquens de Evangelio, de bono nempe nuntio: « quod promissum ante per Prophetas in Scripturis Sanctis Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari iussit ».

Priusquam enim hagiographi, tam Veteris quam Novi Testamenti, suos scripsissent libros sub inspiratione Spiritus Sancti, locutus iam fuerat Deus per Moysen et Prophetas. Humanis tandem labiis ipsemet locutus est in persona proprii Filii sui, Iesu Christi, ut suo verbo suaque

gratia viveremus, antequam acta et verba eius scripta ab evangelistis fuerunt.

Oportuit ergo de verbo Dei in hoc decreto tractari quasi de essentiali fonte revelationis omnis.

Secundo vero, mihi videtur decretum de his fontibus tractare modo frigido, nimis prorsus scholastico, cum tamen in praesentia simus unius e mirabilioribus donis a Deo nobis concessis. Creaturae enim suae dignatus est Deus loqui. Innumeris mediis hoc fecit, « multifariam multisque modis »; ut seipsum nobis notum faceret in ineffabili suae vitae mysterio, ut perfectius Ipsum cognosceremus quam per solam rationem naturalem unquam attingere valeamus; ut tandem suum erga nos amorem revelet, ac miserentissima sua consilia, ut sic eum diligere discamus.

Nonne peculiariter opportunum fuisset, huius decreti voce, solemnem verbo Dei reddere Sacram Synodum tributum, spectantibus praesertim fratribus nostris separatis, qui tam amanter verbum Dei colunt ac venerantur, ut sic probe noscant non minorem hac in re nostram esse devotionem ac suam.

Nonne dignum et iustum fuisset illud Dei verbum summopere exaltare cum nihil eo sublimius, nihil securius excogitari possit. In ipso enim vox eius auditur, arcana caelestia revelantis, qui Veritas cum sit « nec falli nec fallere unquam potest ».

Nonne praecordiale fuisset omnibus in mentem revocare quomodo « vivus sit sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti », ...[2] nec vacuum unquam reverti verbum ad Deum qui emisit illud, quoniam illud semper gratia comitatur « quae cor aperiat his quae dicuntur » ...[3]; quoniam etiam unicuique semper nostri, in cordis secreto loquitur Spiritus « qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati », sicut dixit Concilium Vaticanum in sessione III ...[4]

Horum omnium absentiam deploro, cum magis quam errorum expositio ac condemnatio, potens sit ostensio doctrinae veritatis ad nutriendam christianam fidem.

Denique, quisquis sit valor ratiocinationum et argumentorum in textu allatorum, ut momentum statuatur Scripturae Sacrae et Traditionis, aestimo quod in materia tam alti ac supernaturalis ordinis, qualis sit revelatio, oportet ut prae omnibus in fidei documenta innitamur.

Quare etenim recipit Ecclesia Scripturam Sacram ut locum e quo revelationem hauriat, nisi quia certa est ibidem invenire verbum Dei authentico modo conservatum, provida actione Spiritus Sancti, qui eiusdem auctores inspiravit. Quare recipit Ecclesia Traditionem ut locum quo etiam hauriatur revelatio, nisi quia, testante Deo, credit eundem

Spiritum Sanctum sibi communicatum fuisse, ut in lumine suo paulatim, sine ullo errore, illa omnia palam faciat quae in divino nuntio sunt contenta. « Ego rogabo Patrem, ait enim Dominus, et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum » ...[5] « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem », vel pressius iuxta graecum textum: ὁδηγήσει, ambulare vos faciet, *εἰς τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν,* [6] ad veritatis plenitudinem.

Haec autem documenta alterius altiorisque sunt valoris quam nostrae argumentationes, in quibus non semel minus certa occurrere possunt.

Non in scholasticis argumentationibus fundatur fides nostra, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Dolendum est iuxta principium tale, ab omnibus incunctanter admissum, decretum de fontibus revelationis non fuisse conceptum, ideo enixe peto ut recognoscatur penitus.

In textu scripto tradito: [1] Scripturam Sacram ac Traditionem. [2] (*Hebr.* 4, 12). [3] (*Act.* 16, 14). [4] (Denz. 1791). [5] (*Io.* 14, 16). [6] deest.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Fratres,

Schema, si aperte loqui licet, non placet.

1. Propter linguam qua utitur hoc schema et magis etiam schema secundum. Optime quidem em.mus card. Ottaviani dixit primum officium etiam pastoris esse praedicare veritatem. Sed interest quomodo praedicetur. Valet proverbium etiam pro praedicatione: « Tonus est qui facit musicam ». Eadem veritas potest praedicari ita ut alliciantur homines ad eam, et eadem veritas etiam sic, ut deterreantur ab ea. Etiam in Vaticano Concilio I, primum schema *de revelatione* a Patribus refutatum est praesertim propter tonum nimis professoralem in quo factum fuerat a professore P. Franzelin; et deinde alius, P. Kleutgen, officium habuit scribendi novum schema.

In schemate, nunc, quod hodie nobis proponitur, mihi non videtur esse et audiri vox Matris et Magistrae, non vox boni Pastoris, qui oves vocat nominatim, et oves audiunt vocem eius, sed magis lingua scholaris, professoralis, nec aedificans nec vivificans. Desideratur illa nota pastoralis qua Beatissimus Papa Ioannes, feliciter regnans, tam ardenter cupit omnia effata Concilii II Vaticani esse imbuta.

2. Propter duas doctrinas contentas in hoc schemate, ita ut portent totum aedificium huius constitutionis.

Prima doctrina est de duobus fontibus revelationis, de quo iam egregie locutus est em.mus Liénart. Pauca addere mihi liceat. Hic modus loquendi de duobus fontibus revelationis non est antiquus. Alienus erat a Sanctis Patribus, alienus a scholasticis et etiam a S. Thoma, alienus ab omnibus Conciliis Oecumenicis. Introductus videtur esse saeculo elapso, temporibus historicismi.

Nec profunda est haec locutio de duobus fontibus revelationis. Potest quidem verificari in ordine cognoscendi pro nobis hominibus; sed in ordine essendi unus et unicus est fons, scilicet ipsa revelatio, verbum Dei. Et valde dolendum est, de hac re nihil, fere nihil dici in schemate.

Postremo dissuadetur haec locutio de duobus fontibus revelationis ne in primis lineis, quas edet hoc Sacrosanctum Concilium, fratres separati offendantur, quia sublineatur doctrina controversa inter catholicos et non catholicos, quae hodie non idem momentum habet quod habuit ante quattuor saecula.

Alia doctrina est de inspiratione et de inerrantia Sacrae Scripturae. Doctrina, quae profertur, mihi videtur nimis rigida, nimis coarctans libertatem scientiae, et appropinquans ad doctrinam inspirationis verbalis. In hoc campo mihi videntur esse duae opiniones theologorum, una quae procedit modo deductivo, exiens a definitione Synodi Tridentinae, et per ratiocinationem dicens, omnia, quae inspirata sunt, posse esse sine ullo quidem errore. Alia etiam exiit a definitione Synodi Tridentinae, sed etiam prospicit textum et realitatem textuum prout iacent. Ambo opiniones videntur niti bonis argumentis. Atqui non est mos Conciliorum dirimere dissensiones inter theologos catholicos, ne videatur una schola alteram scholam anathematizare, sed tantum haereses damnare. Ideo necesse sine dubio erit opiniones falsas et periculosissimas damnare per Concilium, sed non plus.

3. Non placet propter nimiam amplitudinem huius schematis et sequentis. Haec duo schemata implent 38 paginas. Commissiones praeparatoriae exaraverunt, ni fallor, circa 70 constitutiones quae implent plus quam 1000 paginas sine adnotationibus. Omnia decreta autem omnium Conciliorum quae fuerunt, adhuc implent, ut apparet ex editione novissima quae apud aedes Herder provenerunt, minus quam 800 paginas. Quomodo potest hoc Concilium tam immense tractare tantam molem materiarum? Ideo mihi necesse videtur ut aliqua minoris momenti schemata omittantur, alia radicitus abbrevientur et inter se coniungantur. Ideo audeo proponere ut duo prima schemata inter se coniun-

gantur et fere ad quartam partem reducantur, ut experimentatum est in illo scripto de quo dixit em.mus card. Ottaviani, ut finis huius Concilii non ad calendas graecas differatur, sed opportuno tempore Concilium ad felicem finem pervenire possit, quod est in votis omnium nostrum et praesertim in votis Beatissimi Patris Ioannis XXIII. Dixi.

Textus scripto traditus:

Schema non placet: 1. Propter linguam qua utitur hoc et adhuc magis secundum schema. Haec non est vox matris et magistrae sed magis iudicis damnantis. Non est vox boni pastoris, qui oves nominatim vocat et oves vocem eius audiunt. Potius est lingua scholaris, sicca, nec laetificans nec vivificans. Desideratur nota pastoralis, qua Summus Pontifex Ioannes XXIII omnia effata Concilii vult esse imbuta.

2. Propter duas doctrinas in schemate contentas, quae portant totum aedificium huius constitutionis.

Prima est doctrina de duobus fontibus revelationis. Haec doctrina vera est in ordine cognoscendi pro nobis hominibus, sed in ordine essendi ipsa revelatio est unicus fons, ex quo duo rivuli, sc. sacra scriptura et traditio prodeunt. De hac ipsa revelatione fere nihil in schemate dicitur. Locutio de duobus fontibus revelationis aliena erat sanctis patribus, scholasticis, imprimis S. Thomae, et etiam Conciliis antecedentibus inclusive Tridentino et Vaticano I; introducta videtur nonnisi historicismo saeculi elapsi. Dissuadetur etiam ex rationibus oecumenicis, ne per hanc novam locutionem offendantur sine necessitate fratres separati.

Secunda est doctrina de inspiratione et inerrantia sacrae scripturae, quae nimis severa esse videtur, nimis coarctans libertatem scientiae theologicae et appropinquans ad doctrinam de inspiratione verbali. Videntur hic adesse duae opiniones theologorum catholicorum, quarum utraque bonis rationibus innititur. Atqui in Conciliis antecedentibus moris nunquam fuit tales dissidias dirimere sed tantum haereses damnare. Certe quae sunt falsa aut periculosissima a Concilio reiici debent.

3. Propter nimiam amplitudinem huius et sequentis schematis. Ambo haec schemata implent circa 38 paginas. Commissiones praeparatoriae exaraverunt, ni fallor, circa 70 schemata, quae implent plus quam 1000 paginas sine adnotationibus. Decreta omnium Conciliorum antecedentium, uti novissima editio ex aedibus Herder probat, minus quam 800 paginas habent.

Omnino impossibile apparet Concilium hanc totam materiam tractare. Quapropter necessarium erit, alia schemata minoris momenti omittere, alia valde abbreviare et inter se coniungere. Iam hic in primis schematibus audeo proponere, ut radicitus abbrevientur et duo primi inter se coniungantur et ita Concilium ad felicem finem perducatur.

3

Em.mus P. D. ERNESTUS card. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

Non est cur dicam quaestionem de qua agitur esse summi, immo, ut opinor, supremi momenti et quasi centrum nostri Concilii Oecumenici.[1] Ante omnia veniam peto ab em.mis et veneratissimis DD. cardd. Liénart et Frings si in aliam *prorsus* [2] discedo sententiam.

Schema nobis propositum mihi universim placet. Praesens schema, ut iam dictum est,[3] praeparatum a commissione theologica, composita ex viris ingenii et doctrina sacra conspicuis, *deinde* [4] perpensum est quadam severa trutina in commissione centrali *a pluribus em.mis cardinalibus et episcopis* [5] ex omni populo et natione. Qua prudentia, nunc tale schema a nobis ante quamcumque disceptationem quasi radicitus reiceretur? Perinde esset ac si tempestas calamitosa magnam domum multo labore constructam *improviso* [6] everteret a fundamentis.

Huc accedit quod, ut em.mus D. card. Cicognani, a publicis Ecclesiae negotiis, initio voluminis ...[7] declarat, *ipsum Summum Pontificem statuere dignatum esse* [8] ut constitutionum et decretorum schemata (quorum primum est de quo agimus) ad Concilii Patres transmitterentur, in eodem Concilio Oecumenico Vaticano II discutienda. Si Summus Pontifex ad nos schema *etiam istud* [9] voluit transmitti ut de eo disseratur, *qua* [10] auctoritate possumus *quasi* [11] disceptationem supprimere?

Porro, si pro hoc schemate aliud *ex toto vel ex parte* [12] substitueretur, nonne de *altero* [13] schemate consulendi essent Patres, postquam isti novum illud schema domi per plures dies *attente* [14] consideraverint? Et si aeque secundum schema, ut facile evenire potest, *deinde* [15] respueretur, tertium sane conficiendum esset, et sic prudens celeritas quae in disceptationibus nostris exoptatur, in tarditatem sine fine converteretur.

Relinquatur, ergo, schema *de fontibus revelationis* omnium Patrum Conciliarium liberae disceptationi. Quod quidem, ut nobis compertum est, non significat schema esse perfectum. *Aliqua, immo plura,*[16] ego ipse puto — *ut* [17] suis locis dicam — in eo emendatione vel saltem perspicuitate indigere. Sed id plane disceptatio intendit, ut per sapientes Patrum Conciliarium animadversiones, schema *ipsum* [18] perficiatur et — si opus sit — compleatur. Ad summum, *ut humiliter opinor,*[19] in de-

cursu disceptationum, *plura*[20] schematis in epitomen redigi poterunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Praesens schema generatim mihi placet: diligenter. [4] deest. [5] per plures em.mos cardinales et episcopos. [6] repente. [7] quo series prima schematum continetur. [8] « Ipse Summus Pontifex statuere dignatus est ». [9] deest. [10] quanam. [11] deest. [12] deest. [13] hoc secundo. [14] deest. [15] deest. [16] plura enim. [17] quemadmodum. [18] deest. [19] deest. [20] aliquae partes.

4

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

1. Schema *de fontibus revelationis,* quamvis debeat meo humili iudicio emendationibus quibusdam perfici, utile, immo necessarium apparet et est, uti iacet, conciliari disceptationi subiiciendum. *Etenim obiecta huius schematis sunt fundamentalia respectu cuiusvis argumenti et respectu ipsius fidei, ita ut sine plena certitudine de quibusdam non possemus ultra progredi.*[1]

2. Materia huius schematis, post Vaticanum Concilium I, circa quasdam fundamentales veritates in discrimen adducta est per haeresim modernistarum. Cum quaedam consequentiae *modernismi aliquando appareant,*[2] etiam post damnationem a S. Pio X factam, omnino conveniens est ut eadem materia, *quae schemate continetur,*[3] saltem forma expositiva et positiva reassumatur et *in Concilio*[4] confirmetur.

3. Plures fideles *et pastores*[5] dolore afficiuntur quia non semper iisdem apparet ut apte ab omnibus servetur dignitas, *valor*[6] et certitudo interpretationis Sacrarum Scripturarum, et inter pastoralia officia, locum habet — forsan princeps — id quo dubia solvuntur et claritas fidei restituitur.

Ita fit ut convenienter Concilium huic legitimae spei correspondeat.

4. Sunt quaedam sive circa Traditionem, sive circa Sacram Scripturam, cuius declaratio desideratur a non paucis scholis catholicis.

Circa ea quae dixi, ...[7] scio mecum consentire plurimos *ad minus episcopos Italiae, quos omnes heri audivi.*[8]

Addo tamen de schemate generatim *aliqua, et dico aliqua, quia alia suo loco dicenda sunt.*[9]

1. *In schemate hoc* [10] non est aequa proportio inter tractationem de Traditione et de Sacra Scriptura, quamvis *certe* [11] concedi debeat huic, *scilicet Scripturae, meliorem* [12] esse partem reservandam.

2. Quandoque *in schemate* [13] non clare apparet quomodo criteria theologica interpretationis Sacrae Scripturae omnino praestent ceteris criteriis interpretativis mere humanis et communibus cuilibet textui profano, cum *e contra* [14] sit evidens et rationale verbum Dei ante omnia interpretari debere medio quod ab ipsa revelatione constitutum sit. Et hoc dico, quamvis aperte profitear magnum et dignum adiumentum *allatum esse in interpretatione* [15] ab ipsa indagine scientifica, communi methodo *disposita.* [16] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Salva omnino reverentia, non adhaereo omnino suggestioni qua proponitur ut differatur vel etiam prorsus substituatur. Etenim: hoc schema Concilio propositum est a Summo Pontifice, cui uni competit obiecta Concilii statuere et proponere; schema autem paratum est tot laboribus a commissione, cuius membra sunt undique collecta. [2] evidenter supersint — non est qui non possit videre. [3] deest. [4] ita. [5] exculti. [6] deest. [7] bene. [8] et fere omnes Italiae episcopos. [9] sumpto haec duo. [10] deest. [11] deest. [12] maiorem. [13] deest. [14] deest. [15] praestitum. [16] producta.

5

EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. QUIROGA Y PALACIOS
Archiepiscopus Compostellanus

Venerabiles Patres,

Schema constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis,* quod Summus Pontifex nobis ad disceptandum transmisit, rationes bonas *habet* [1] ut Patres conciliares, illo innixi, possimus studii nostri ope, atque Deo opitulante, adsequi quod ipse Summus Pontifex, Concilium inaugurans, commendabat, ut scilicet non solum doctrina sacra custodiatur sed etiam « ea ratione pervestigetur et exponatur, quam tempora postulant nostra ».

Etenim, schema hoc in unum colligit, praeter ea capita doctrinae quae iam in decretis superiorum Conciliorum asserta sunt, explicationes etiam et aptationes recentius a Magisterio ordinario Ecclesiae inductas, praesertim vero quae ex hac cathedra Petri tam sollerter ac opportune emanarunt.

Ordine certo et articulatim schema multas quaestiones proponit quae nunc primum in Concilio Oecumenico disceptantur, et modum et viam in Tridentino et Vaticano I inchoatam prosequendo, progressum vere

notandum repraesentat quoad propositionem doctrinae per solemne Ecclesiae Magisterium. Oportet *etiam* [2] ut aliqua sanctio apponatur conclusionibus legitimis, quae fructus sunt investigationis theologicae nostrae aetatis.

Cum insuper redactio ...[3] claritate atque concisione polleat, schema optimum fundamentum praebet, ut super illud opus fecundum Patrum Conciliarium exstruatur.

Multum equidem exspectari potest a collaboratione fraterna tot pastorum, quorum in corde, et veritas et caritas insident. Ea, quae experti sumus in schemate de sacra Liturgia tractando, spem nostram augere possunt. Fieri igitur non potest ut publicus et apertus dialogus, in hac aula conciliari, omnia non praebeat quae ad constitutionem perficiendam ac stabiliendam consentanea videantur.

Quae sint opportune addenda vel corrigenda, efficacius apparebunt cum quibuslibet propositionibus singillatim et suo ordine incumbamus.

Multi profecto exordium generale schematis desiderabunt, quo intentio pastoralis Concilii indicetur, ut desideriis et necessitatibus spiritualibus hominum nostri temporis constitutiones aptentur.

Sedulo curandum est, ne Concilium verbis suis, praeter intentionem, praeiudicet quaestiones quae adhuc inter theologos legitime disputantur, ut accidere potest v. gr. circa quosdam aspectus Traditionis. Communiter autem ita nobis loquendum erit ut cautiones, quas necessario periculis et imprudentiis opponere tenebimur, ne motum biblicum et theologicum ab ipsa Ecclesia *factum* [4] praepediant, nec impedimento sint, quominus fructus certi Magisterii ordinarii atque exegesis recentioris plene recipiantur.

Quandoque fortasse expressio doctrinae curanda erit, ut faciliori comprehensioni fratrum separatorum faveamus, eos respectus complementarios veritatis urgendo, qui utrisque sunt communes.

Aliquis forte optaret ut certae quaestiones uberius exponerentur, v. gr. Traditionis natura quoad progressum dogmatum et Magisterium.

Optanda forsitan esset nitidior distinctio inter factum dogmaticum inspirationis et eius explicationes; sicut etiam accuratior determinatio principii exegetici ad intentionem auctoris sacri detegendam et inerrantiam Scripturae tuendam. Fortasse historicitas Evangeliorum arctius coniungi possit cum peculiari indole praedicationis apostolicae, ex qua orta sunt Evangelia.

Et alia id genus, quae inutile esset recensere, cum multo melius et efficacius in hac aula conciliari certe resonabunt.

Omnia haec et alia quae forte proponentur ad perfectionem constitutionis melius, maximo ordine et brevitate, in exsecutionem ducen-

tur, si ut initio diximus, schemate ipso duce, prout nobis propositum est, progrediamur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] praebet. [2] enim. [3] sua. [4] fautum.

6

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Post maturam considerationem, votum audeam formulare, ut tota praesens constitutio *de fontibus revelationis* recognoscatur. Schema sperabatur in quo positive indicaretur via ad renovationem biblicam fructuosius peragendam. Schema habemus quod, etiamsi quosdam bonos articulos continet, mentem suscitat quae Ecclesiam nullo modo adiuvaret. In materia tanti momenti, Concilium meo iudicio suam solemnem auctoritatem praebere nequit tali schemati.

Rationes voti mei sequentibus animadversionibus plenius ostendam:

1. Mihi videtur realiter imprudens decidere seu loqui cum tanta certitudine de quaestionibus quae adhuc non maturae sunt, sed potius libere et fructuose disputantur inter peritos.

Quod fit particulariter in textu ubi agitur de relationibus inter Scripturam et Traditionem...[1]

2. Valde nocet Ecclesiae tractare cum diffidentia de Scriptura deque investigationibus in ea factis a peritis catholicis. Nocet Ecclesiae, quia illas necessarias investigationes impedit vel differt, dum theologia illa biblica renovatione tam indiget, ut, principaliorem suam fontem magis reperiendo, renovetur. Praeterea, periculum habetur ne iniuste et indiscriminatim diffidentia fovetur inter exegetas in Ecclesia.

3. Contrarium est spiritui positivae renovationis a Summo Pontifice pro praesenti Concilio desiderato, fundare constitutionem super errorum timorem. Etenim si perspicue et summo cum studio legitur schema, apparet quod mentalitas, quae totum textum ducit, est « serpentium », ut aiunt, errorum pavor. Sane praecavendum est ab erroribus. Attamen, errores Ecclesiam obcaecare non debent. Nihil enim malos influxus tam fovet quam positio negativa quae catholicos passivos reddit eorumque actionem fructuosam refrenat et debilitat. Ecclesia de omnibus rebus loqui potest, cum serenitate, sine aggressivitate, cum fiducia, cum optimismo, quin particulam etiam minimam veritatis perdat. E con-

trario talis modus perspicuus et positivus loquendi catholicos adiuvat, non-catholicos attrahit, doctrinamque Ecclesiae audibilem omnibus hominibus reddit.

4. Quarta ratio voti mei est quod non convenit, unam solam scholam theologicam substitui variatae menti theologicae Ecclesiae. Etenim, meo iudicio, in aperto est quod sententia quae in constitutione exprimitur est illa unius tantum modi cogitandi in Ecclesia.

Propono, ergo, ut recognoscatur textus constitutionis a theologis et exegetis diversarum opinionum, qui bene sciant ambo: et valores iam certe acquisitos neque deperdendos et etiam acquisitiones contemporaneas in studiis Sacrae Scripturae. Illi omnes de illis diversis valoribus ne tractent in formulis conflictum gerentibus, sed ad exponendas omnes divitias Ecclesiae. Et semper in mente habeant ...[2] desideria fratrum christianorum separatorum ...[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et in illa ubi agitur de veritate factorum Evangelii. [2] opiniones et. [3] Ad hanc refectionem adiuvandam sequentes animadversiones particulares propono.

7

Em.mus P. D. FRANCISCUS card. KOENIG
Archiepiscopus Vindobonensis

Em.me Praeses, Patres venerandi,

Schema propositum magno et arduo labore confectum est. Quod grato animo agnoscendum est. Eminet scholastica claritate et sagacitate. Fulcitur multis testimoniis Magisterii ordinarii, sed ex ultimis decenniis tantum depromptis. Exhibet doctrinam solidam...[1]

Sed, meo *humili*[2] iudicio, contra *schema*[3] dicendum est ...[4] varias continere doctrinas, quae non sunt — vel nondum sunt — a Concilio solemniter definiendae. Haec valent imprimis:

1. De habitudine inter Scripturam et Traditionem. Nam in schemate propugnatur sententia, de qua usque ad nostrum tempus inter theologos, revera peritos, adhuc disputatur et de qua ex Traditione consensus unanimis non habetur.

2. Omnibus notum est, qualia problemata pro exegesi solida et indubitanter catholica hodie solvenda sunt circa inerrantiam et veracitatem Scripturae. Etiam in hac re schema plus *videtur dicere*[5] quam quod a Concilio suprema auctoritate definiendum est. Negliguntur enim quaestiones de possibilitate multiplicium generum litterariorum etiam in

scriptis indolis vere historicae. Decideretur insuper a Concilio — secundum schema — quaestio de inerrantia circa « obiter dicta », quam quaestionem omnes positive solvendam esse censent. Sed non est necesse talia (i. e. circa « obiter dicta » in Scriptura) conciliariter definienda et de fide catholica imponenda. Insuper transgreditur schema, quoad qualificationem, doctrinam Encyclicarum a Leone XIII usque ad Pium XII. Ut hoc fieri possit, seria discussio fieri *deberet*.[6] Insuper peritis in re exegetica schema videtur *parum progressum continere*,[7] si comparatur cum lucida doctrina Pii XII in Encyclica *Divino afflante Spiritu*, ex qua catholica exegesis novum lumen et novum animum excepit. Ad fidei tutelam sufficere videtur ut in hac materia principia sancte tuenda statuantur et reliqua committantur ulterioribus indagationibus exegeseos sub vigilantia Magisterii Ecclesiae. Videtur enim in his omnibus iam sat provisum esse ab Encyclicis Pontificum huius saeculi. Insuper Commissio biblica, cuius labor omnibus cordi esse debet, adiutorium suum praestabit.

3. Videtur schema deficere in eo, quod nullibi clare ...[8] affert quam qualificationem theologicam tribuere vult singulis suis assertis. Sed nullatenus omnia quae in schemate proponuntur, ut fidei dogmata censenda sunt, verbi gratia de origine Evangelii S. Ioannis: quae hic dicuntur certe omnes libenter admittimus, sed non videtur haec spectare ad materiam definiendam a Concilio.

Quibus omnibus perpensis, *meo iudicio*,[9] ad schema dicendum videtur: nondum placet.

In textu scripto tradito: [1] sicut in scholis audivimus. [2] submisso. [3] deest. [4] schema. [5] dicit. [6] debet. [7] regressus potius quam progressus. [8] neque in genere neque in singulis. [9] deest.

8

EM.MUS P. D. BERNARDUS CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

Legens et studens hoc schema constitutionis *de fontibus revelationis*, non potui non cogitare ea quae Summus Pontifex, feliciter regnans, praeclare et sapientissime dixit in sua allocutione inaugurali habita die 11 mensis octobris...[1]

Dixit nempe Summus Pontifex « neque opus nostrum... eo spectat

ut de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur, atque adeo fusius repetantur ea quae Patres ac theologi veteres et recentiores tradiderunt et quae a vobis non ignorari sed in mentibus vestris inhaerere merito putamus ».

In nostro autem schemate fusius repetuntur quae de fontibus revelationis, de Sacra Scriptura, de Traditione, de Magisterio ecclesiastico in omnibus manualibus theologicis inveniuntur, quin vix aliquid novi ex studiis recentioribus addatur.

Nonne hic locus est memorem esse verborum, quae idem Pontifex Summus in allocutione laudata ad locum citatum adiungit, nempe: « ad huiusmodi tantum disceptationes habendas, non opus erat ut Concilium Oecumenicum indiceretur »?

Finis huius Concilii a Summo Pontifice in eadem allocutione sequentibus verbis describitur, ...[2] « ut doctrina (catholica) certa et immutabilis, cui fidele obsequium est praestandum, ea ratione pervestigetur et exponatur, quam tempora postulant nostra. Est enim aliud, ipsum depositum fidei, seu veritates quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus quo eaedem enuntiantur, eodem tamen sensu, eademque sententia ».

Dicent forse quidam, sicut fecit hodie rev.mus lector relationis, *dicent forse quidam*[3] quod saltem in cap. IV, quod de Sacra Scriptura tractat, conditiones temporis nostri respiciuntur in quantum errores hodierni qui revera sat graves in campo biblico indicari possunt, ibi agitantur.

Quidquid sit de hoc cap. IV, quod mea humili opinione clarius et minus superficialiter et maiore cum discrimine exarandum esset, de eo fusius loquendum erit si de particularibus agatur.

Sed in genere in hoc schemate desiderantur quae studia theologica ulterioris temporis ad clariorem et praecisiorem intellectum utiliter attulerunt, verbi gratia de ipso conceptu revelationis divinae, de relatione inter Sacram Scripturam et Magisterium ecclesiasticum, de ipsa terminologia quae de duobus fontibus revelationis loquitur, quae terminologia in ipso Concilio Tridentino desideratur, ubi potius sermo est de duobus modis transmissionis unius veritatis salutaris, nempe ipsius Evangelii.

Haec omnia eo magis dolenda sunt, quia omnia haec maximi momenti sunt, ubi unitas omnium christianorum respicitur, de qua Summus Pontifex in eadem allocutione multa perpulcherrima dixit.

Certo, qui hoc schema confecerunt, nondum cognoverunt omnia desideria quae Summus Pontifex in allocutione iam saepius laudata fuse et clarius et sapientissime exposuit.

Nunc autem, cognoscens ipsum animum Summi Pontificis, optarem

enixe ...[4] ut Concilio Vaticano II schema brevius, emendatum, aut — si possibile est — novum schema proponatur, in quo omnium desideriorum Summi Pontificis et exigentiarum Ecclesiae hodiernae optime ratio habeatur.

Et addere liceat — em.mus Ruffini, olim meus condiscipulus in Assyriologia, habeat me excusatum — sed addere liceat quod, ut videtur, nos discutientes an schema hoc recipiatur, an non, praecise facimus quod Summus Pontifex voluerit quando schemata haec nobis sine quadam restrictione indicata discutienda proposuit, ita ut non deficiamus reverentia debita versus Summum Pontificem.[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] huius anni. [2] nempe. [3] deest. [4] — si possibile est —. [5] deest.

9

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Fratres,

Occasione transitus a priore ad secundum schema, liceat mihi quasdam propositiones facere quoad modum celeriorem et efficaciorem procedendi in disceptationibus.

Schema de quo agitur mihi non placet propter rationes iam allatas a cardinalibus schemati oppositis.

Et schemata sequentia huius commissionis adhuc minus placent. Sed etiam si quoad eorum substantiam — dato non concesso — nihil esset opponendum, schemata commissionis theologicae mihi videntur ...[1] deficere per defectum brevitatis.

Ut omnibus notum est, permulti Patres — ne dicam omnes — inquieti sunt de nimia prolungatione laborum, de deficienti modo progrediendi, vel melius, non progrediendi. Iure merito timent ne Concilium Vaticanum II fiat Concilium Tridentinum II. Itaque antequam progrediamur ad analysim schematis secundi, instituamus examen conscientiae et, *puto,*[2] revisionem methodi.

Post experientiam prioris schematis, liceat mihi proponere quaedam principia practica in evolutione laborum.

Prima propositio sit haec: post disceptationes de schemate in genere statim et semper fiat votatio de acceptabilitate schematis ut sic. Ratio:

1) ne tempus perdatur in disceptationibus de particularibus ubi nec ipsa substantia rerum placet;

2) quia accidere potest ...[3] quod non sufficit emendare schema sed revera de novo est conficiendum. De cetero idem advenit, *ut dictum est,*[4] initio Concilii Vaticani I;

3) multi loquuntur in Concilio, sed Concilium qua tale ad silentium reducitur nimis protractum. Omnes aspirant ut votationes fiant ita ut sine nimia mora opinio maioritatis quoad essentiam rerum appareat.

Secunda propositio: Peractis disceptationibus oralibus de schemate in genere, Patres tradant in scriptis, tantum *in scriptis,*[5] emendationes quae respiciunt particularia. Ratio: valor emendationis eadem remanet, et labor quam maxime *acceleraretur.*[6] Est unica methodus ut vitentur repetitiones, siquidem Patres nesciunt quid alii ante ipsos dicent, et non est semper facile stante pede mutare textum.

Commissio statim conficiat indicem emendationum propositarum iuxta numeros, indicando breviter rationes in favorem emendationis, indicando etiam nomen vel nomina Patrum qui emendationem propugnant.

Deinde commissio patefaciat suam opinionem de unaquaque emendatione. Si commissio acceptat emendationem, non est cur auctor emendationis adhuc loqueretur.

Si non accipit, sit ei *plena*[7] libertas loquendi ad emendationem suam defendendam.

Hoc modo unusquisque Pater clare iudicare potest et simul votationem facere de emendationibus. Si vero votum fit post hebdomadas, *ne dicam post menses,*[8] nemo potest rememorari rationes pro vel contra. Necesse est ut quisque Pater possit mentem suam aperire omnibus Patribus, sed non est de necessitate salutis ut hoc fiat oraliter, immo melius fit in scriptis, quia facilius diiudicatur textus scriptus quam sermo.

Tertia propositio: Commissiones statim sine mora, etiam antequam emendationes Patrum receperint, laborem suum aggrediantur, studendo specialiter et ante omnia modo abbreviandi schema suum proprium et statuendi principia maiora, themata fundamentalia, eliminando minora quae indolem conciliarem minime prae se ferunt. Ne arbores impediant videre silvam! Sic verbi gratia, perplura schemata *postea tradenda*[9] simpliciter ad commissionem pro reformatione Codicis, *meo iudicio,*[10] essent remittenda.

Quarta propositio: Commissiones post-conciliares statim erigantur post peractam votationem schematum illius commissionis, ita ut possit nova commissio statim ad particularia descendere et invigilare in modum quo conclusiones in praxim deducantur. Vidimus enim quaedam

vota Concilii Vaticani I adhuc exspectare realizationem practicam. Non sufficit conficere textus; volumus ut in praxim — *nonne?* [11] — deducantur.

Tandem: Ultimae propositiones per modum appendicis *et minoris momenti.*[12] Publicatio nominum in ephemeridibus potest esse quoddam incitamentum ad loquendum potius quam ad scribendum. Forsan melius esset nomina non publicare, vel alia solutio esset omnia publicare nomina non tantum Patrum, qui mentem oraliter aperuerunt, sed etiam eorum qui hoc in scriptis fecerunt.

Tandem: momenta *nostra* [13] pretiosa sunt. Forsan, omittendo titulaturam in initio sermonis et dicendo simpliciter « Venerabiles Fratres » loco « Em.mi ac exc.mi ac rev.mi Domini »... haberetur simul abbreviatio temporis et simplificatio magis evangelica, siquidem nihil in Evangelio ostendit Petrum, Iacobum et Ioannem sibi invicem hoc titulo insigniri. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] graviter. [2] deest. [3] — et in casu verificatur —. [4] deest. [5] deest. [6] acceleratur. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest.

10

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Em.me Praeses, venerabiles Fratres et Patres,

...[1] Secundum meum iudicium, *humile iudicium,*[2] schema *de fontibus revelationis* reiiciendum est *et alterum proponatur,*[3] et propter sequentes rationes.

1. Evidenti utilitate caret. Nihil novi, nihil accommodationis continet, quod sive doctrinam sive vitam christianam reddat maioris significationis vel efficaciae pro homine contemporaneo; solummodo denuo praesentat — aliquoties minus clare quam ea — doctrinam Conciliorum Tridentini et I Vaticani. Repetitio huiusmodi nuda, mihi videtur, neque necessaria est neque utilis.

2. Quod est maioris momenti: in schemate abundat ambiguitas. Fortasse indirecte, et tamen aperte, schema tangit problemata actualia tum theologica tum scripturistica. Ita ordinantur propositiones ut videantur solutiones praeferre; in re tamen nihil dicitur clarum et determinatum...[4]

Deinde, et hoc mihi videtur maximi momenti, totum schema obscuratur pessimismo et spiritu negativo. Nihil explicitum dicens, vide-

tur afficere dubio et indebita suspicione magnam partem recentioris exegeseos neotestamentariae...[5]

Venerabiles Patres! [6] Studentes, christifideles, et etiam periti debite volunt et exspectant ex hoc Concilio sustentationem et praesertim illuminationem positivam. Nobis sit adiuvare et dirigere, non reprimere et dissuadere. Si Concilium habet solutiones problematibus actualibus, eas exhibeat quam clarissime, quam distinctissime. Si solutiones desunt, etiam hoc factum dicat Concilium — aut taceat. Si errores exsistunt, eos demonstret et etiam condemnet Concilium. Attamen abstineat Concilium a dictis quae utilitate careant, unitatem periclitent, et suspiciones ingerant. Talia non possunt nisi timorem et taedium erga Scripturas et theologiam ingignere in christifidelibus potius quam amorem et reverentiam...[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Animadversiones quas vestrae considerationi nunc propono, etsi ad huius schematis totalitatem referunt, necesse est illustrentur per citationem singularum partium. Hae citationes ergo ne intelligantur secundum modum enumerationis completae, sed tantum secundum modum illustrationis partialis. [2] deest. [3] in toto. [4] In hoc contextu consideremus paragraphum quartam. Prima lectione videtur dicere revelationem contineri partim in scriptura partim in traditione non scripta; sed hoc « dicere » impossibile est demonstrare. Si schema vult hanc solutionem praebere problemati valde implicato, quare non utitur verbis et terminis claris, terminis diuturno usu theologico iam sancitis? Si solutionem praebere non vult, tunc possumus dicere « ad quid omnia haec verba »? Aliud exemplum eiusdem invenitur in par. 19. In partibus prioribus loquitur schema de hagiographis et de scriptoribus sacris. In hac paragrapho designat Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem « auctores » librorum Evangelii. Quid vult dicere « auctores »? [5] Par. 21 et 22, e. g. facile praebebunt occasionem accusationibus et recriminationibus quarum iam satis habuimus his annis. Par. 28 notas exhibet admonitionis cuius necessitatem dubitat etiam admirator. [6] deest. [7] Eminentissimi ac Reverendissimi Fratres, nolo dicere utrum debeat esse schema *de fontibus revelationis* an non. Quidquid erit responsum huic quaestioni, non possum approbare vel accipere hoc schema propositum.

11

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres,

Locuturus de schemate in genere, non possum non laudare studium et diligentiam cum qua commissio theologica praeparatoria illud praeparavit et composuit. Eo magis doleo me de eo, ea forma qua nunc prostat, dicere debere *non placet*. En rationes.

Schema, uti stat, non respondet scopo a Summo Pontifice Concilio ipsi proposito. Ipsum Concilium, in nuntio ad universos homines dato, ipsa haec Sacrosancta Synodus finem, quem sibi proponit, his verbis expressit: « Integram ac puram Dei veritatem huius aetatis hominibus sic proferre studebimus, ut eam ipsi intelligant eique libenter assentiant. Pastores cum simus — en ratio pastoralis — pastores cum simus, eorum omnium (omnium, non tantum aliquorum theologorum, etiam fratrum separatorum, etiam omnium aliorum hominum), eorum omnium indigentiae satisfieri cupimus, qui Deum quaerunt, si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum ».

Hoc est programma quod ipsum nostrum Sacrosanctum Concilium sibi proposuit, et in hac luce, ni fallor, debemus examinare schemata quae nobis proponuntur. Qua in re, ceteroquin, Concilium nihil aliud fecit nisi suum fecit programma, identidem, non tantum in sermone inaugurali, identidem a Summo Pontifice enuntiatum et sic determinatum: Scopus Concilii non est « de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptare, atque adeo ne fusius repetantur ea, quae Patres et Theologi veteres et recentiores tradiderunt »; sed « in praesenti oportet ut universa doctrina catholica his temporibus nostris ab omnibus accipiatur novo studio, mentibus serenis atque pacatis », atque adeo — pergit — « ut eadem doctrina amplius et altius cognoscatur eaque plenius animae imbuantur atque formentur ». Iterum scopus pastoralis. Ac demum dicit: ut doctrina « ea ratione pervestigetur, exponatur quam tempora postulant nostra », « scilicet eae inducendae erunt — sunt verba Summi Pontificis — rationes res exponendi, quae cum Magisterio, cuius indoles praesertim pastoralis est, magis congruant ».

His positis, mihi videtur humiliter dicendum schema omnino carere indole pastorali. Verum quidem est, ut antea dictum est, omnem doctrinam esse fundamentum doctrinae pastoralis et praxis pastoralis, sed fundamentum non est ipsa res, est fundamentum. Secus omnis tractatus theologicus, omne manuale scripturisticum, posset dici sine ambiguitate tractatus pastoralis, quod certe non obtinet.

Ergo schema non habet prae oculis homines hodiernos, animas a Christo Ecclesiae hodie, hodie commissas, sed potius scholas theologicas. Immo, interdum — postea fortasse dicam aliqua de hac re — unum solum theologum, qui fortasse erronee aliquid dixit. Quaestiones, et modum concipiendi et loquendi, non ita exprimit ut hodie homines vere intelligant. Non agitur de eo ut attenuemus aliquid, ut verba ambigua adhibeamus; etiam lingua moderna latina clare loqui potest quin adhibeantur termini scholastici, qui hodie fortasse non iam intelliguntur.

Nihil, ne verbum quidem dicitur, in hac prima parte, de facto reve-

lationis, antequam fiat sermo de fontibus revelationis. Sed ni fallor, mundus hodierus, atheismo tanto repletus, maxime opus habet ut revelationis factum eiusque momentum hodie proponatur.

Hoc aliquo modo fit in cap. IV, sed etiam ibi modo valde schematico. Vix quidquam in nostro schemate dicitur de momento fundamentali revelationis et Sacrae Scripturae in specie pro Ecclesia, pro vita fidelium, pro omnibus hominibus huius temporis. Haec, si dicuntur, non sunt praedicationes, non sunt sermones, sed sunt expositio doctrinae catholicae de momento ipsius revelationis. Hinc fit ut perplura dicantur quae iam communiter in Ecclesia admittuntur, et valde fuse explicentur, v. g., ut iam notatum est, de auctoribus evangeliorum de quibus certe in Concilio non est discutiendum, de versione latina vulgata de qua nos omnes iam diu edocti sumus et nec possumus dicere illa quae in respectivo articulo dicuntur.

Deinde plura tractantur quae nonnisi scholarum theologicarum interesse habent, nec a Concilio definiri possunt, praesertim in doctrina de natura inspirationis quae explicatio hic data in omni bono tractatu theologico de inspiratione haberi potest.

Deinde de habitudine inspirationis personalis ad communitatem loquitur schema; schema condemnat aliquam doctrinam collectivae inspirationis; hanc doctrinam unus vel duo auctores tentando, proposuerunt. Sed haec non est quaestio. Quaestio hodie est ea, quomodo ipsa communitas influxerit in scripta quae in ipsa exstiterunt; non quomodo ipsa inspiraverit auctorem, sed quomodo ipse in illis conditionibus positivis scripserit. Et sic sunt — de his postea et singulatim fortasse loquendum est — multa quae hic in schemate in genere dicuntur, sed non applicantur ad quaestiones quae *hodie* in exegesi adsunt.

Denique vix opus est dicere quaestionem unionis, quaestionem oecumenicam in hoc schemate nullatenus omnino considerari. Non sufficit proponere simpliciter doctrinam catholicam. Oportet eam proponere eo modo ut nostri fratres non-catholici eam intelligere possint et eius fundamenta perspiciant. Si loquimur de Sacra Scriptura, non sufficit repetere ea quae iam dicta sunt, sed ea quae hodie respiciunt difficultates quas fratres nostri non-catholici habent. Et de hac re in schemate fere nihil habetur.

Denique schema multum loquitur, praesertim in tractatu de Novo Testamento, de exegetis. Una tantum vice habetur vox aliqua quae potest explicari in laudem laboris quem exegesis moderna fecit. Sed ille labor, ut Pius XII sanctae memoriae in Enc. *Divino afflante Spiritu* dixit, ille labor, qui ultimis quinquaginta annis factus est, confitentibus etiam noncatholicis auctoribus, immensus est. Sed schema loquitur ex quadam

suspicione, ex quodam timore errorum, etc., quin problemata omnino profunde tangat.

Propterea, ut concludam: ni fallor, schema, si non volumus substituere aliud schema, profunde, omnino profunde retractandum erit. Ita profunde ut sit brevius, ut sit magis clarum, minus ambiguum, ut sit magis pastorale, et sit magis oecumenicum. Si hoc fit, tunc utique schema potest esse magnum beneficium pro mundo moderno; sed, prout nunc habetur, — proh dolor! — humili mea sententia, debeo dicere: hodie, ut hodie est, non praestat illud commodum. Dixi.

Textus scripto traditus:

Locuturus de schemate in genere non possum non laudare studium et diligentiam, cum qua commissio theologica illud praeparavit et composuit. Eo magis doleo me de eo, qua forma nunc prostat, dicere debere: *Non placet*. En rationes:

1. Schema, uti stat, *non respondet scopo Concilii*. In Nuntio enim ad universos homines dato ipsa haec Sacrosancta Synodus finem quem sibi proponit his verbis expressit: « Integram ac puram Dei veritatem huius aetatis hominibus sic proferre studebimus, ut eam ipsi intellegant eique libenter assentiant. Pastores cum simus, eorum omnium indigentiae satisfieri cupimus, qui Deum quaerunt, si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum » (*Act*. 17, 27) (*L'Oss. Rom*., 22-23 oct. 1962, pag. 1). Qua in re Concilium suum fecit programma identidem a Summo Pontifice enuntiatum et in sermone Concilio inaugurando habito sic determinatum: Scopus Concilii non est ut « de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur, atque adeo fusius repetantur ea, quae Patres ac theologi veteres et recentiores tradiderunt », sed « in praesenti oportet ut *universa doctrina christiana* ... his temporibus nostris ab omnibus accipiatur novo studio, mentibus serenis atque pacatis »... atque adeo « ut eadem doctrina amplius et altius cognoscatur *eaque plenius animae imbuantur atque formentur* »...; ac demum, ut doctrina « ea ratione pervestigetur et exponatur *quam tempora postulant nostra* »... « scilicet eae inducendae erunt rationes res exponendi, quae cum Magisterio, cuius indoles praesertim *pastoralis* est, magis congruant » (*L'Oss. Rom.,* 12 oct. 1962, pag. 2).

2. His positis *dicendum videtur de schemate*.

a) Schema caret illo charactere pastorali, id est non habet prae oculis homines hodiernos, animas a Christo Ecclesiae hodie commissas, sed potius scholas theologiae — immo interdum unum aliumve auctorem — earumque quaestiones et modum res concipiendi et loquendi. Sic v. g. ne verbum quidem dicitur de *facto* revelationis, antequam sermo fiat de eiusdem fontibus (et genuina explicatio ipsius conceptus « revelationis » traditur demum in cap. IV schematis sequentis); vix quidquam dicitur de momento fundamentali revelationis et S. Scripturae in specie pro Ecclesia, pro vita fidelium et pro omnibus hominibus.

b) Hinc fit ut perplura quae iam communiter in Ecclesia admittuntur, valde diffuse explicantur, ut v. g. de habitudine S. Scripturam inter et traditionem, de auctoribus Evangeliorum, de versione latina Vulgata; praeterea perplura tractantur, quae nonnisi scholarum theologiae intersunt nec a Concilio definiri debent, uti v. g. longa explicatio naturae inspirationis, quae explicatio in omni tractatu theologico aeque bene, si non melius proponitur; de habitudine inspirationis per-

sonalis ad communitatem, de qua re nullum est dubium inter theologos. Ex hoc modo agendi consequitur, etiam problemata *essentialia* et *maximi momenti* submergi in multitudine rerum, et non posse efficaciter tractari. Quaenam sint talia problemata dicam postea.

c) Dicto modo procedendi efficitur etiam ut schema nimis diffusum evaserit. Hoc solum schema, quod est unum e minoribus a Commissione theologica propositis et cuius momentum certo cum momento decreti Concilii Tridentini de iustificatione nullo modo comparari potest, illo decreto una decima parte longius est (si sola positiva expositio respicitur et canones de iustificatione separatim considerantur).

d) Hic magis per transennam noto etiam minime placere frequentes expressiones « damnatorias », quae insuper etiam per sermonem programmaticum inauguralem Summi Pontificis excluduntur.

Propono proinde ut schema a commissione funditus retractetur secundum principia supra exposita, ita ut scopo Concilii vere respondeat.

Puncta quae e schemate nostro retinenda sunt, respective alia quae addenda essent, sunt fere haec: ad humani generis condiciones meliores reddendas ante omnia oportet, ut homines doctrinam a Deo per Christum revelatam et in eius Ecclesia conservatam et propositam accipiant. Sicut enim perturbationes quas genus humanum hodie patitur, ultimatim ex repudiatione Christi eiusque doctrinae processerunt, ita nonnisi per eiusdem doctrinae acceptationem res sanari potest. Ideo Concilium hominibus hanc revelationem, et vias eam cognoscendi proponit. Ecclesia quidem non negat capacitatem naturalem hominis Deum cognoscendi, at eam per peccatum obnubilatam esse asseverat, ita ut revelatio supernaturalis homini moraliter necessaria evadat. Insuper revelatio maximum Dei beneficium est eo quod cognitionem naturalem hominis longe superat. Sequitur expositio quid sit revelatio; quaenam sit duplex forma eam cognoscendi et transmittendi, scilicet praedicatio oralis Ecclesiae et Verbum Dei scriptum; addantur maxime essentialia de natura magisterii oralis et traditionis de natura Librorum Sacrorum, scilicet de eorumdem inspiratione et inerrantia, de unitate utriusque Testamenti, de Vetere Testamento (eius excellentia, habitudine ad Novum Testamentum quod praeparat et quo essentialiter imperfectius est), de indole historica narrationum Evangeliorum, de Ecclesiae habitudine ad S. Scripturam: relate ad interpretationem, ad scientiam biblicam, ad usum theologicum et pastoralem.

Haec *fere* sunt puncta valde breviter tractanda, reducendo tractationem ad maxime fundamentalia, ad ea fere quae *omnes homines* de re scire oportet. Dico: « *fere* », ad innuendum, me non intendisse dare enumerationem completam nec excludere alia puncta quae forte item ad scopum intentum pertinere visa fuerint.

Schematis *longitudo* non deberet maior esse quam quattuor vel ad summum quinque paginae formae schematis actualis, quae est circiter media pars dicti decreti Concilii Tridentini de iustificatione. Haec longitudo momento quod hoc schema in Concilio inter tam multa occupat, omnino correspondere videtur. Schema aliquod in quo res modo notatae exponuntur, Secretariae Generali, si opportunam videbitur, libenter tradam.

Praeses Card. TISSERANT: Exc.mus secretarius Concilii aliquid vult dicere... Habebat aliquid dicendum de schedulis.

Secretarius generalis: Tempus exhibitionis schedarum elapsum est!

12

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérables Pères,

Qu'il me soit permis d'exprimer, au sujet du schéma de constitution dogmatique *de fontibus revelationis,* un avis global, dicté surtout par des considérations pastorales et œcuméniques.

Dans un concile œcuménique, le critère selon lequel on choisit les sujets à soumettre aux délibération des Pères n'est pas celui de leur importance objective, mais de leur corrélation avec la vie de l'Eglise. Aussi bien, le Saint-Père a-t-il plus d'une fois souligné, et jusque dans son discours d'ouverture du Concile, qu'il souhaitait voir toutes les questions traitées sous l'angle pastoral. Or, je le demande, quel intérêt actuel et pastoral y a-t-il pour le Concile à traiter de la question des sources de la Révélation sous l'angle restreint, négatif et polémique auquel on nous la propose? Je m'explique:

1. On peut se demander d'abord dans quelle mesure ce schéma *de fontibus revelationis* répond vraiment aux désirs et vœux des évêques et universités catholiques. Le doute vient spontanément à l'esprit que ce texte aurait été établi plutôt pour dirimer des questions entre écoles théologiques. Il me semble que le concile œcuménique doit rester étranger à ces querelles *d'école. Il me semble que le concile œcuménique doit rester étranger à ces querelles d'écoles.*[1]

2. Quant au point précis de la doctrine de l'Eglise sur les sources de la Révélation, aucun danger ne menace vraiment l'Eglise. Nul besoin, donc, de procéder à de nouvelles définitions de foi ou à des déclarations dogmatiques qui risqueraient de raidir les positions traditionnelles ou d'arrêter le développement harmonieux du dogme. En effet, certaines notions, comme celles qui concernent les rapports entre l'Ecriture et la Tradition, ou l'interprétation de certains passages des livres de l'Ancien et du Nouveau Testament, font l'objet, depuis quelque années, de recherches et de discussions approfondies entre spécialistes tant des sciences profanes positives que des sciences sacrées. Avons-nous aujourd'hui tous les éléments nécessaires qui nous permettent de trancher, définitivement, les débats en cours? Ces débats, à notre avis, ne sont pas encore parvenus à un point suffisant de maturation pour que l'on puisse imposer des solutions définitives.

3. Certaines parties du schéma répètent, il est vrai, l'enseignement

traditionnel de l'Eglise sur des points certains. Mais cet enseignement certain est présenté sous une forme plutôt négative de condamnations et de polémiques. Or, ce n'est pas là répondre au désir du Pape *et*[2] à l'expectative du peuple fidèle qui attend de nous un exposé serein, positif et riche de l'histoire de notre salut, pour alimenter la vie chrétienne.

4. Sur le plan œcuménique, on doit regretter que le schéma ne s'efforce pas de préparer les voies à un dialogue ultérieur avec les autres chrétiens, mais au contraire de répéter les formules dépassées de la « Contre-Réforme » et de l'« Anti-Modernisme ».

Pour toutes ces raisons, et sans vouloir entrer dans les détails, je propose que le Concile renonce purement et simplement à l'examen et à l'adoption de ce schéma. L'enseignement de l'Eglise sur ce point doit être exposé d'une manière positive et pastorale, et le champ doit rester ouvert aux recherches des spécialistes, parmi lesquels se trouvent des savants catholiques et des théologiens de grand renom, auxquels il est normal que l'Eglise fasse confiance.

Vénérables Frères. La plus grande partie de cette première session du Concile s'est écoulée sans que les questions les plus vitales pour l'Eglise aient été abordées, en particulier celle de la constitution divine de l'Eglise.

Le Premier Concile œcuménique du Vatican nous avait donné une vision partielle de l'Eglise, s'étant contenté de définir les prérogatives de son chef visible. Mais dans cette perspective, le corps de l'Eglise, c'est-à-dire la hiérarchie, le clergé et les fidèles, semblent se réduire aux proportions d'un nain démuni de ses puissances vitales. Il convient donc que les justes proportions soient rétablies entre la tête et le corps. Alors bien des vérités se dégageront et rendront plus acceptables pour les autres chrétiens les notions de primauté et d'infaillibilité qui, à la lumière de cette vision complète de l'Eglise, retrouveront leur sens authentique. Aussi, qu'il me soit permis de réitérer ici ma demande pour que soient soumis le plus tôt possible à ce vénérable Concile les schémas *de Ecclesia* et *de sacra Hierarchia.* Après cette étude, qui doit être, à notre avis, la pièce maîtresse du Concile — car d'elle dépendent d'une manière ou d'une autre toutes les autres questions disciplinaires —, il me semble qu'il faudrait procéder à l'étude des questions pastorales et des questions sociales qui sont à l'ordre du jour, pour les intégrer dans le mouvement bienfaisant de l'Eglise. Tout le monde attend cela de nous. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] ou.

Praeses: Loquatur exc.mus secretarius generalis Concilii.

Secretarius generalis: Communico omnibus Patribus schema *de Ecclesia* distributum iri vel exeunte hac hebdomada, vel proxima ineunte.

Nunc communico, de mandato praesidentiae, exitum suffragationis peractae:

Praesentes votantes	2.215
Maioritas duarum tertiarum partium est . . .	1.476
Suffragium tulerunt *Placet*	2.162
Suffragium tulerunt *Non placet*	46
Vota nulla	7

Dixi.

13

EXC.MUS P. D. GABRIEL MANEK
Archiepiscopus Endehenus

Venerabiles Patres Conciliares,

Prae oculis habens finem a Summo Pontifice huic Concilio propositum, et huic fini comparans contentum et formam schematis huius, precationibus, studiis ac discussionibus nostris nunc subiecti, haec cum modestia sed simul cum claritate observandum esse videntur nomine episcoporum Indonesiae:

Primum: Schema hoc ita displicere dicendum est, ut nisi funditus emendetur, aptum non esse considero, ut tractetur in Concilio Sancto nostro, sicut ex motivis pastoralibus quae modo exponet exc.mus D. praeses Conferentiae episcoporum Indonesiae. Nunc autem praemittere volumus motiva theologica quae sequuntur:

a) *in genere*:

1. Plura in hoc schemate habentur quae sunt superflua et quae minus apta sunt ut a Concilio Oecumenico decernantur. Vix enim transcendunt modum quo haec materia in quocumque libro manuali tractari solet.

2. Reprobat vel reprobare insinuat sententias nonnullas, ceteroquin minus exacte redditas, quae proponuntur ab auctoribus catholicis bonae famae. Iamvero Concilium, sequens exemplum Patrum Concilii Tridentini et Vaticani I, abstineat a catholicis condemnandis, nisi revera constet eorum doctrinam fidei adversari, vel grave periculum creare. Si autem tali condemnatione opus est, doctrina damnanda fideliter reddatur, et vera condemnationis ratio exacte indicetur.

3. Decretum hoc, ut iacet, nova obstacula creabit in colloquio cum christianis a nobis separatis, cum nulla habeatur ratio veritatis elementorum quae apud eos forte inveniuntur.

b) *in specie*:

Schema hoc, praeter doctrinam elementarem, tria continet quae, relate ad doctrinam priorum Conciliorum et apud omnes admissam, nova sunt, scilicet:

1. Sancit sententiam quae Scripturam et Traditionem considerat tamquam duos fontes revelationis, quorum singuli partem tantum veritatum revelatarum continent. Iamvero Concilium Tridentinum unum tantum fontem agnoscit, nempe Evangelium Iesu Christi, ...[1] qui ad nos pervenit tamquam « verbum Dei scriptum et traditum »...[2] Hos Patres sequamur, neve reprobemus sententias, quae his Conciliis bene consonant.

2. Circa inspirationem Scripturae sancit aliquam sententiam scholasticam, quae ad summum est theologice certa, ideoque nobis non est canonizanda.

3. Tertia quaestio est de valore historico Scripturae, praesertim Evangeliorum. Haec quaestio revera maximi et urgentis pro fide momenti est, quia facta et verba Christi sunt totius fidei fundamentum. Sed quae in schemate de ea re dicuntur, sunt superficialia et ambigua. Schema ...[3] « illos damnat errores, quibus denegatur vel extenuatur, quovis modo et quavis causa, germana veritas historica et obiectiva factorum vitae Domini nostri Iesu Christi ». Quaestio autem praecise est, quaenam sit *germana* veritas historica et obiectiva. Dum autem ii condemnantur, qui *quovis modo et quavis causa* historicitatem extenuant, arma praebentur integralistis qui omnem criticam inquisitionem accusant. Si, exempli gratia, quaero cur narratio ultimae cenae differat apud Marcum et apud Lucam, et si ex differentia concludo alterutrum non intendisse narrare nudum factum eo praecise modo quo fiebat, imperitis videbor extenuare veritatem harum narrationum historicam.

4. Praeter haec tria, alium schematis defectum animadverto. Saltem septies in textu premitur, Scripturam legendam esse duce Magisterio ecclesiastico...[4] Iamvero verba saepius iterata obstupescunt. E contra, nihil explicite dicitur de relatione inversa, qua Magisterium credens se subicit Scripturae ac Traditioni, quae pro ipso etiam Magisterio sunt verbum Dei. Sicut monet enim Augustinus: « Verbi Dei... inanis est forinsecus praedicator, qui non est intus auditor... Vos enim estis auditores verbi, nos praedicatores. Intus autem ubi nemo videt, omnes auditores sumus »...[5]

Secundum: Quapropter schema funditus emendandum est. In qua emendatione passim ratio habeatur scopi pastoralis, sicut praeses Conferentiae nostrae exponet. Nova autem redactio complectatur haec:

1. Iteretur definitio Concilii Vaticani I de Scriptura et Traditione...[6]

2. Agatur de habitudine inter Scripturam et Magisterium, et statuatur: *a*) quod Scriptura, cum sit conscripta Spiritu Sancto auctore in Ecclesia, plene intelligi nequit nisi in Ecclesia ab eodem Spiritu illuminata; *b*) ita ut Ecclesiae Magisterio suprema competat auctoritas in Scriptura authentice interpretanda; *c*) quod autem simul, cum actus Ecclesiae docentis sit actus fidei divinae, Scriptura etiam relate ad Ecclesiam docentem se habet tamquam verbum Dei cui credatur; *d*) ita ut Ecclesia docere non possit, quin submisse et credenter verbum Dei scriptum et traditum audiat.

3. De historicitate praesertim Evangeliorum agatur, ita ut: *a*) laudetur studium eorum, qui semper profundius scrutantur quaenam fuerit intentio discipulorum, qui Evangelia scribebant, ope etiam inquisitionis in rationem qua singuli libri sunt compositi; *b*) hortentur tamen ad cautelam, ne hoc conamine fides historiae ruat. Memores nempe sint quod evangelistae, licet quadam libertate — in unoquoque casu statuenda — usi sint in narrandis et componendis factis evangelicis, revera tamen intentionem habuerint annuntiandi quae « coepit Iesus facere et docere »...[7]

Haec nomine omnium episcoporum nationis Indonesiae, quorum subscriptiones subiunguntur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (Conc. Trid., Denz. 783). [2] (cf. Conc. Vat. I, Denz. 1792). [3] (n. 21, pag. 17, lin. 22 ss.). [4] (n. 6, pag. 11; n. 13, pag. 13, lin. 33; n. 17, pag. 16, lin. 13; n. 26, pag. 20, lin. 4; n. 27, pag. 20, linn. 19, 27, 30; n. 28, pag. 20, lin. 37, pag. 21, lin. 15). [5] Augustinus, *Sermo* 179, 1 et 7; PL 38, 966, 970). [6] (Denz. 1787 vel potius 1792). [7] (*Act.* 1, 1).

[*Subsignati*] N. Schneiders, arch. de Makassar; A. Djajasepoetra, arch. Djakartanus; J. Soudant, coad. Palembang; Iac. Romeijn, ep. Samarindaensis; P. Arntz, ep. Bandungensis; W. Demarteau, ep. Bandjarmasin; Paul Sani, ep. Denpasar; A. Hermelink, ep. Tandjung-Karang; Tarcisius van Valenberg, ep. tit. Combensis; W. Sillekens, ep. Ketapangensis; H. van der Burgt, arch. Pontianakensis; A. Soegijapranata, arch. de Semarang; N. Geise, ep. Bogor; W. Schoemaker, ep. Purwokerto; R. Staverman, vic. ap. Hollandiae; A. Thijssen, ep. Larantuka; Th. v. d. Tillaert, ep. Atambua; L. v. Kessel, ep. Sintang; Wilhelm van Bekkum, ep. Ruteng.

14

EXC.MUS P. D. ALBERTUS SOEGIJAPRANATA
Archiepiscopus Semarangensis

Venerabiles Patres Conciliares, et fratres Observatores in Christo carissimi,

Relate ad schemata constitutionum dogmatica, omni qua par est modestia, has observationes vobis Patribus proponere velim nomine episcoporum Indonesiae.

In examinando illa schemata in genere, quaerendum puto, utrum quae ibi proponuntur revera apta sint, ut a Magisterio Ecclesiae fidelibus tenenda decernantur, ita ut reapse obtineatur scopus pastoralis Concilii, iuxta mentem Summi Pontificis feliciter regnantis.

Scopus autem huius Concilii, ni fallor, hic est:

1. Conservare et promovere fidem apud fideles huius saeculi, qui ubique terrarum dispersi inter se differunt natione, cultura, consuetudinibus, modo cogitandi et sentiendi, vitae conditionibus, sed qui eiusdem fidei, spei et caritatis vinculo uniuntur. Inter eos quoque requirendi sunt apostoli laici, huic aetati prorsus necessarii.

2. Renovare vitam et confortare testimonium fidelium in mundo hodierno viventium, una cum proximis, qui alias aliasque religiones et ideologias profitentur, sed constituere intendunt internationalem quamdam unitatem socialem et oeconomicam; qui tot tantisque vitae modernae problematibus et anxietatibus coagitantur, quorum solutionem permulti vix aut ne vix quidem inveniunt.

3. Adaptare modum proponendi doctrinam christianam ad exigentias huius *saeculi* [1] quae est aetas progressus scientifici, at etiam aetas atheismi et materialismi, aetas areligiositatis et decadentiae moralis, aetas in qua viget spiritus anthropocentricus, qui vitam hominum personalem, familiarem et socialem profanare conatur. Saepissime *qua de re* [2] publice sermo fit de iuribus hominis, rarissime tantum de eius obligationibus. Est tamen etiam aetas in qua multi, minime progressu technico-scientifico contenti, ad veram personalitatis suae perfectionem tendunt, atque ita intimo cordis ipsum Deum quaerunt.

Quamobrem Evangelium Christi ita eis annuntietur oportet, ut solutionem afferre pateat huic problemati quo laborant.

Propterea, enixe commendamus ut schemata dogmatica diligenter examinentur, et funditus emendentur, ita ut revera et efficaciter consequantur scopum huius Concilii pastoralem.

Proinde illae tantum veritates dogmaticae in decretis tractentur quae magni omnino sunt momenti, in praesentis vitae conditionibus, omissis iis, de quibus inter theologos adhuc disputatur; adeo ut quae in nostra religione sunt principaliora, fidelibus revera appareant ut principaliora, reliquis anteponenda.

Insuper illae veritates exprimantur nervose ac succose, modo positivo, claro et concreto, necessitatibus pastoralibus actualibus accommodato.

In schematibus dogmaticis proponuntur quidem quaedam de revelatione, de cognitione Dei, de homine, eiusque relatione cum Deo, cum proximo, cum universo; de Christo Redemptore et de Ecclesia, de ordine morali.

Sed sincere et diligenter quaerendum est, utrum quae ibi proponuntur et modus quo proponuntur, revera conducant ad scopum huius Concilii pastoralem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] temporis. [2] deest.

[*Subsignati etiam*] N. Geise, ep. Bogor; Iac. Romeijn, ep. Samarindaensis; A. Hermelink, ep. Tandjungkarang; N. Schneiders, arch. de Makassar; Tarcisio van Valenberg, ep. tit. Combensis; Ant. A. O. Carm. ep. de Malang; A. van den Hurk, arch. Medanensis; Grimm, ep. Tsinceuvensis; I. Soudant, coad. Palembang; G. Manek, arch. Endehensis; H. van der Burgt, arch. Pontianakensis; A. Djajasepoetra, arch. Djakartanus; J. Klooster, ep. de Surabaja; G. W. Sillekens, ep. Ketapangensis; Gulielmus van Bekkum, ep. Ruteng; A. Thijssen, ep. Larantuka; L. v. Kessel, ep. Sintang; P. Arntz, ep. Bandungensis; Th. v. d. Tillaert, ep. Atambua; Paul Sani, ep. Denpasar; N. v. d. Westen, ep. Pangkalpinang; N. Verhoeven, ep. Manadoensis; J. Grent, ep. Amboina; W. Schoemaker, ep. Purwokerto.

15

EXC.MUS P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZALEZ
Archiepiscopus Caesaraugustanus

Venerabiles Patres, Observatores dilectissimi,

Quamplurimi episcopi, mecum subsignati, adhaerent desideriis et votis eorum omnium qui hucusque locuti sunt, ut scilicet dialogus, quem nunc incipimus, quam prosperrime et feliciter ad exitum perducatur. Ut vero quae omnes pari affectu cupimus, fieri possint, liceat mihi quaedam, animo sereno, proloqui.

1. Hodie aggredimur colloquium de Sacris Litteris et de Traditione. Sed qua ratione et qua via disceptaturi sumus? Sequentesne ea quae in

schemate commissio nobis obtulit, an sequentes ea quae a quibusdam forsitan offerantur?

Nemo est qui non videat hic agi de re, de qua his nostris diebus disputatum est aestu quodam et nimia animorum affectione, immo passione interdum, ut dicimus, coetus et scholae. Schema ipsum, a commissione propositum, ita potissimum nonnulli incusant tamquam certam scholam repraesentet, sicut alias scholas repraesentarent dicendum alia schemata quae privatim inter Patres conciliares circumcurrunt.

Ergo nos omnes valide et considerate incubuimus in quaestionem quam hisce diebus tractaturi sumus. Itaque in votis habet Hispaniarum episcopatus, ut colloquium conciliare sequatur schema a commissione oblatum. Sunt certe in eo quaedam quae vel structura, vel stylo, vel doctrina in melius reformari possunt, quae proinde omnia ansam praebent ut, amice colloquendo, perficiantur.

2. Schema commissionis reiciendum praedicaretur, quia gravibus eisque generalibus defectibus inquinetur. Quibus alia addantur vitia concreta et particularia cuiusdam momenti.

Licet vera essent omnia haec, non ideo liceret respuere integrum schema, in quo multa alia insunt quae prodesse possunt, tam in generalioribus quam in concretioribus. Temperare vinum oppositionis bonum est. Non enim omnia quae obici videntur vera sunt.

Circa generaliores defectus, qui schemati opponi videntur, nonnulla animadvertere liceat:

a) Si diceretur schema spiritu partium confectum fuisse, statim asserendum esset quomodo elucubratum atque approbatum fuit a diversarum tendentiarum membris, ex diversis quoque academiis selectis. Et etiamsi in singularibus quibusdam, iisque gravibus, non omnino respondet menti uniuscuiusque membri commissionis adprobantis, nihilominus hoc potest suffragiis quodammodo *emendari.*[1]

b) Dicet forsitan quis schema non habere stylum et modum conciliarem, et frequenter magis sapere scholam quam conventum synodalem. Sit sane; sed quoad partem. Nam dictio technica theologica non potest non sermonem conciliarem efformare; ut videri est admodum in Synodo Tridentina. Huic denique loquendi modo temperamentum addi posset, quin schema ex integro reiciatur.

c) Absunt insuper in schemate stylus et cura pastoralis? Neque hoc omnino verum est. Schema non intendit concionare, quod facilius est. In secessu spirituali et in sermone uti possunt faciliori modo verbis non ita castigatis. Schema proponitur ut, eo ipso, perspicuo modo doceatur. Schematibus doctrinalibus, sicut schemate de quo est sermo, veritas *exprimitur.*[2] Nunc vero, qui veritatem exprimere intendit, pasto-

ralem curam exercet. Veritas enim, teste Domino, liberabit nos. Suntne pastorales, fidei propositio, fidei expositio, fidei defensio? Ubinam finiretur sine clara et praecisa propositione veritatis? Clara veritas, non vero propositiones vagae, ad salutem perducunt. Primus pastoralis labor est semper praedicatio veritatis.

At non tantum manifestatur pastoralis stylus schematis in propositione veritatis, claris et non indeterminatis verbis. Ad pastoralem insuper directe spectant quae de lectione sacrarum Scripturarum dicuntur in nn. 26-27, et quae de relationibus inter exegesim et theologiam, in nn. 28 et 29.

Stylus insuper pastoralis nostri schematis sine dubio perficiendus erit additione prooemii adaequati quod desideratur et sine dubio suo tempore proponetur.

d) Tandem, schema de quo quis dubitare potest an spiritum habeat oecumenicum vel non, vero spiritu oecumenico redolet. Unio in caritate fundatur et caritate perficitur. Et homines per caritatem facilius uniuntur in veritate. Schema vero conatur veritatem catholicam cum claritate exprimere. Quod intendit, digne et dilucide declarat. Ambiguitate ludere, et *lenocinio* [3] sermonis fratres separatos allicere, grave periculum absque dubio erit. Si quo tempore, ad quod perveniendum erit — et utinam cito perveniatur — sermo in ambiguitate prolato dilucidandus fuerit: vel in sensu catholico fieret, a fratre separato non admisso, et haberemus ipsius attractionem dolo factam; vel fieret in sensu acatholico, et haberetur fidei catholicae naufragium. Oecumenismus ergo in schemate, formula divi Pauli intelligitur: « caritas in veritate ».

Veniam nunc denique ad quosdam defectus particulares alicuius momenti.

Et imprimis propositio secundum quam Traditio continet veritates revelatas nullo modo in Scriptura contentas. Qua doctrina, si definiatur, damnaretur sententia, quae, aequa libertate, inter catholicos docetur; et hoc verum est. Unde oporteret ut propositio ista emendatione mandaretur.

Secundo, agitur tantum de alia deficientia in exegeseos disciplina. Schema, ex pontificiis locutionibus, ea potissimum adducit quae strictioribus favent; omissa mentione de his quae, cum sint quoque pontificia, ampliorem viam protendunt. Si haec vera sunt, corrigenda venient; et documenta utriusque generis proponentur.

Dicam compendio: pro nobis, Hispaniarum episcopis, schema commissionis validum praebet fundamentum colloquendi. Ope vero amicabilis colloquii, nonnulla in eo et corrigenda et perficienda sunt. Nobis hoc longe melius videtur quam quod alia schemata recipiamus, quae

necessario festinanter et sine debita maturatione pararentur, simul ac sub pressione unius alteriusve tendentiae *et circumstantiarum.*[4] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] elucidari. [2] persequitur. [3] blandimentis. [4] deest.

[*Subsignati etiam*] Fernandus card. Quiroga, arch. Compostellanus; Ioseph M. card. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis; Beniamin card. de Arriba y Castro, arch. de Tarragona; Ludovicus, arch. Sion, vicarius castrensis; Leopoldus, patriarcha Ind. Occid., ep. Matritensis; José, arzobispo de Valladolid; Vincentius Enrique y Tarancón, ep. Celsonensis; Rafael, arch. Granad.; Luciano, arzobispo de Burgos; Aurelius, ep. Illerdensis; Gregorius Modrego, arch. Barcinonensis; Franciscus Barbado, ep. Salmanticensis; Tomás, obpo de Cadiz-Ceuta; Innocentius, ep. Conchensis; Emmanuel, ep. Dertosensis; Eduardus Martinez, ep. Zamorensis; Daniel Llorente y Federico, ep. Segobiensis; Alfonsus Ródenas, ep. Almeriensis; Iosephus Souto, ep. Palentinus; Raymundus Sanahuja, ep. Carthaginensis (in Hisp.); Petrus, ep. Huelvensis; Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis; Sanctus, ep. Abulensis; Raymundus Iglesias Navarri, ep. Urgellensis; Rafael Alvarez Lara, ep. Guadicensis; Ioannes Petrus Zarranz, ep. Placentin. in Hisp.; Abilius del Campo, ep. Calaguritanus; Emmanuel Fernandez-Conde, ob. de Córdoba; Felix, ep. Giennensis; Iosephus Pont, ep. Segobriensis-Castellionensis; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis; Marcellus, ep. Asturicensis; Angelus, ep. Auriensis in Hispania; Saturninus, ep. Oxomensis-Sorianus; Paulus, ep. Oriolensis-Lucentinus; Laurentius, ep. Seguntinus-Guadalajarensis; Aloysius Almarcha, ep. Legionensis; Dorotheus, ep. Castabalensis; Manuel, obispo de Coria-Cáceres; Fr. Matias Solá, obispo tit. de Colofon; Federico Melendro S. J., Arz. de Anking (China); Jaime Font, obispo de San Sebastian; Angel, obispo de Málaga; Iosephus Bascuñana, ep. Civitatensis; José, obispo de Tuy-Vigo; Angelus Riesco, ep. Limisensis; Ioannes Ricote, ep. Miletopolitanus; Angelus Hidalgo Ibañez, ep. Jacensis.

Praeses card. TISSERANT: Forse id non est necessarium dicere: motio, de qua suffragia collecta sunt, approbata est. Nunc reponatur Evangelium.

[*Intervallum*].

Secretarius generalis: Crastina celebrabitur Sacrum Consistorium, ad quod omnes Patres humanissime invitantur. Consistorium incipiet hora nona cum dimidio. Distribuetur Patribus folium ad suffragium ferendum de canonizatione Beatorum. Omnes Patres suffragium ferent signando: *Placet,* vel *Non placet.* Dixi.

CONGREGATIO GENERALIS XX

16 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XX

16 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Praeest hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Achilles Liénart, ep. Insulensis.

Audiant omnes! Durante hac congregatione generali distribuentur Patribus primae emendationes circa constitutionem *de sacra Liturgia*. Respiciunt prooemium. Suffragatio circa quattuor puncta huius prooemii fiet crastina die.

Circa principia generalia constitutionis *de fontibus revelationis* loqui postulaverunt hac die:

Em.mi ac rev.mi DD. cardd.: Eugenius Tisserant, decanus; Emmanuel Gonçalves Cerejeira, patr. Lisbonensis in Lusitania; Iacobus de Barros Câmara, arch. Fluminis Ianuarii in Brasilia; Iacobus McIntyre, arch. S. Mariae Angelorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Rufinus Santos, arch. Manilensis in Insulis Philippinis; Radulfus Silva, arch. S. Iacobi in Chile; Michaël Browne; exc.mi DD. Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Alfredus Bengsch, arch.-ep. Berolinensis in Germania; Arturus Tabera, ep. Albacetensis in Hispania; Ioseph Reuss, ep. Moguntinus in Germania; Ioseph Gargitter, ep. Brixiensis in Italia; Simon Hoa Hien, ep. Dalatensis in Vietnam; Ioseph Battaglia, ep. Faventinus in Italia; Aemilius Guerry, arch. Cameracensis in Gallia; Iesus Clemens Alba, ep. Tehuantepecensis in Mexico; Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.; Paulus Schmitt, ep. Metensis in Gallia; Paulus Butorac, ep. Ragusinus in Iugoslavia; Franciscus Simons, ep. Indorensis in India; Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio; Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia; Ioannes Zoa, arch. Yaundensis in Cameroun; Mauritius Pourchet, ep. S. Flori in Gallia; Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis in Hispania; Aegidius Barthe, ep. Foroiuliensis in Gallia; Petrus Martin, vic. ap. Novae Caledoniae; Aloisius Henriquez, aux. Caracensis in Venetiola; David de Sousa, ep. Funchalensis in Lusitania; Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Conradus Mingo, arch. Montis Regalis in Italia; Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia; Vincentius En-

rique Tarancón, ep. Celsonensis in Hispania; Alaphridus Ancel, ep. tit. Myrinensis in Gallia.

Praeses: Venerabiles Fratres et Patres, nemo est in coetu nostro qui non sentit quanti maximi momenti est disceptatio *de fonte revelationis* et de schematibus doctrinalibus. Ideo convenit ut omnium sententias audiamus, etsi diversas. Fraterno animo et in mente meditemur coram Domino.

1

EM.MUS P. D. EUGENIUS CARD. TISSERANT

Venerabiles Patres, Observatores dilecti,

Patres conciliares quidam observaverunt tenorem polemicum schematis, quod suspicionem adiungit ad exegetas huius temporis, id est, eos qui scripserunt post publicationem litterarum encyclicarum *Divino afflante Spiritu* et epistolae ad card. Caelestinum Suhard, diei 16 mensis ianuarii, anni 1948.

Liceat mihi, qui praeses Pontificiae Commissionis pro Studiis Biblicis eram, quaedam vobis dicere de origine amborum documentorum. Ea voluit ipse Pontifex, qui difficilem exegetarum catholicorum positionem bene noscebat e commentariis periodicis. Multa enim ex eis legerat cum Nuntius Apostolicus in Germania esset. Elegit ergo duos optimos exegetas, qui etiam solida theologica doctrina pollebant, et constanter eorum laborem observavit.

Epistolae ad card. Suhard origo fuit epistola ad Pontificem directe missa a professore, a Sanctitate Sua bene noto. Poterat Pius XII non respondere, vel respondere per epistolam reservatam. Sed voluit ut omnibus exegetis principia darentur de interpretatione primorum undecim capitum libri Geneseos.

Per ultimos annos exegesis catholica magnos progressus fecit. Rogo vos, Patres, ne cassum faciatis laborem Pontificis felicissimae recordationis Pii XII, adprobando schema nobis praesentatum sicuti est. Dixi.

2

EM.MUS P. D. EMMANUEL CARD. GONÇALVES CEREJEIRA
Patriarcha Lisbonensis

Em.me Praeses, venerabiles Fratres,

Sentio pauca verba in genere, de schemate proposito, meum esse dicere.

Multa, optima et opportuna, iam dicta sunt, tum quoad necessitatem affirmationis clarae, praecisae, gravis de doctrina catholica; tum quoad convenientiam huius declarationis congruendae menti pastorali et oecumenicae huius Concilii, atque opportunitati. Meo humili iudicio, declarationes quoad convenientiam ab schema *post tot tantosque labores ab insignibus theologis peractos non abhorrent.*[1] Exigunt, certe, eius recognitionem, ita ut melius ad fines Concilii aptetur. Etenim mihi liceat, ut nescius loquor, affirmare omnem actionem seu effectum pastoralem, necnon omnem conatum ac expectationem oecumenicam in alio fundamento solidari non posse nisi in fundamento veritatis. Offenderemus (ad fratres nostros observatores, hic citatos, humiliter animum intendimus), offenderemus quos sincere viam salutis quaerunt (« Ego sum via », dixit Divinus Magister) si cogitamus pactum super ambiguis verbis iniri posse ...[2] minuentes veritatis integritatem. Et nosmetipsos falleremus, si putaremus finem pastoralem consequi sine professione integrae veritatis divinae. Sine ea, unio non esset, sed confusio. Si Iesum Christum non praedicamus, nihil amplius ad praedicandum habemus. Oblivisci non debemus mundum magno discrimine doctrinae et moralitatis vergi.

En ratio qua cogito possibile esse conciliare desideria iam hic prolata, accipientibus nobis schema propositum tamquam basim disceptationis, ut in fine, repetens recentissima verba Beatissimi Patris, resultet: « Quaedam institutio, quoddam incitamentum, quaedam exaltatio Christi in semetipso, in eius gratia ac in eius actione ».

Amplius debeo meam dolorosam observationem patefacere. Quomodo potest praevie cognosci, necnon in ephemeridibus publicari argumentum nostrarum disceptationum a personis et organis extra-conciliaribus?

Necesse non est insistere in periculo immutandi in processum divulgationis quod animo tranquillo peragi deberet, in studio, in meditatione, ac ...[3] in oratione.

In fine *peto, humiliter dico, peto,*[4] ut omnibus, quocumque titulo

laboribus Concilii adstrictis, Patribus, peritis, theologis, obligatio sigilli servandi recordetur...[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] non abhorrent, post tot tantosque labores ab insignibus theologis peractos. [2] occultantes vel. [3] maxime. [4] rogationem em.mi card. Suenens repeto, ut nomina Patrum in Concilio loquentium non publicentur. Et addo. [5] et ita in pace animique serenitate laborare possimus.

3

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Venerabiles Patres,

Schema constitutionis dogmaticae et de ordine morali eorumdemque consequentiis est tam magni momenti, quod nemo non videat omnino non posse perlustrari, nisi animo cauto, attento, et meticuloso.

Accuratius considerare debemus gravitatem rei tanti *ponderis,*[1] quia demum ab ea pendet salus animarum pretiosissimi sanguinis Domini nostri Iesu Christi effusione redemptarum. Nescio utrum facultas nobis tribuatur reiiciendi simpliciter schema, nisi prius examinetur et discutiatur. Sed etiam si hoc nobis fas est, quisnam potest affirmare aliud schema perfectius esse?

Si unum examinare debemus, *et revera debemus,*[2] cur non illud quod officialiter nobis traditum est? Simpliciter illi valedicere, facile est, sed non conveniens dignitati tam honorabilis coetus episcoporum.

Si propositio mea ad tuendum schema placeat necne, hoc videndum erit, suffragium a plenario exquirendo.

Ius est em.mi praesidis, ne inaniter procedamus, proponere ut unusquisque palam se manifestet circa rem tanti *ponderis.*[3]

In omni casu, persuasus sum de necessitate amplectendi omnia quae nudiustertius nobis egregie proposuit em.mus card. Suenens, ne tempus inutiliter teramus.

Parcite mihi, si alicui displicent ea quae dixi, *sed dixi*[4]!

In textu scripto tradito: [1] momenti. [2] deest. [3] momenti. [4] deest.
Animadversiones additae:

... Ne multa a meipso proferam, verba S. Pauli ad Galatas meminisse praefero: « Licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit » (*Gal.* 1, 8). Evidenter nemini diploma dare volo, nec valeo, haereseos. Certe nullus Patrum Conciliarium erit qui aliquomodo doc-

trinam fidei vel morum immutare vellet. De hoc revera non dubito, neque de bona intentione. De hoc non fit quaestio. Sed de modo agendi in Concilio. Si in re liturgica tot tempus consumpsimus (quod fortasse dolendum est), quomodo circa res ad fidem et mores pertinentes, pro sua magnitudine et consequentiis ad necessarios labores tempus non impendamus? Cur praecise hic, quando de fontibus revelationis agere debemus, celeriter curramus? Nonne hic praesertim sunt fundamenta quae offerre valemus fratribus nostris separatis, qui tam digne et religiose in hac aula se gerunt? Numquid poterunt illi iudicium formare circa doctrinam catholicam, quin audiant discussiones sicut audierunt de liturgia? Numquid in tractandam S. Scripturam, forse rationibus secundariis inniti, leviter procedendum erit?

Immo nescio utrum facultas nobis tribuatur simpliciter reiciendi schema, nisi prius illud examinemus, vid. schema officiale, a viris peritis et conspicuis confectum.

Illa simpliciter valedicere, nonne fortasse in dedecore commissionibus theologicae simul ac centrali verteretur?

Insuper, quando episcopi consecrati sumus, iusiurandum dedimus ne malum diceremus bonum, neque falsum verum. Sed etiam hac in aula conciliari, initio laborum nostrorum, immediate postquam Ss. Pater noster amantissimus Ioannes XXIII professionem fidei protulit, omnes nos, iisdem verbis, praeterquam ea de obedientia Romano Pontifici, eandem professionem fidei edidimus, etiam quoad sacrarum Scripturarum interpretationem secundum sensum SS. Patrum et quoad servandam integram doctrinam Ecclesiae. Quomodo omnia haec adimplebimus, quin schema profundius examinemus et discutiamus?

Nunc aliter procedendo, cum ad dioeceses nostras redeamus, ovile nostrum salutare poterimus his verbis Apostoli: pro animabus vestris impendar et superimpendar?

Demum, quia propositio mea non est de abrogando schemate, sed e contra de illo tuendo, ius erit em.mi praesidis, ni fallor, suffragium petere a plenario, et eidem praebere occasionem se manifestandi.

Quare humillime rogare audeam, salvo meliore iudicio, votum a congregatione generali exquirere.

Parcite mihi quae amore Ecclesiae et animarum dixi.

Episcopi brasiliani, qui numerosi fuerunt heri (die 16 nov. 62) sessione in Villa Domus Mariae nuncupata, me rogaverunt *unanimiter* ut nomine eorum haec secretariatui generali praesentarem:

1. Quamprimo suffragium petere a Patribus in congregatione generali coadunatis, utrum velint examinare schema officiale de S. Theologia necne. Et quidem immediate. Ratio est: progredi debemus in laboribus Concilii quin semper audire debeamus opiniones particulares, iam notas et repetitas.

2. Adoptandum est quod ab em.mo card. Suenens die 14 huius mensis propositum est quoad methodum procedendi in Concilio hoc.

4

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. McINTYRE
Archiepiscopus Angelorum in California

Em.mi, exc.mi, venerabiles Patres,

Schema nobis propositum, etiam si emendandum sit, compendiosam et claram confirmationem, in sua substantia, offert doctrinae catholicae, quae nostris hisce diebus maxime opportuna, immo necessaria, videtur.

Aetate nostra theoriae ac investigationes, quae scientifica methodo fundatae praesumuntur, in seminariis et scholis catholicis libere et facile docentur, atque populo christiano scriptis et praedicatione traduntur, quae tamen ab Ecclesiae Magisterio adhuc approbatae non sunt, et nimiam animorum confusionem et dubitationes ingenerant. Tum clerus tum fideles nostri ab hoc sollemnissimo Ecclesiae conventu directiones et clarificationes expectant.

Nimis dictum est de pastorali huius Concilii. Sed exigentia pastoralis praecipua in hoc revera consistit, ut clare et indubitanter doctrina catholica fidelibus nostris et maxime iuventuti praebeatur. Si quae profundius ac pressius examinanda et expendenda sunt, hoc nunc fiat, *etiam dico hoc nunc fiat.*[1] Ad hoc, enim, Concilium convocatum est.

Schema nobis propositum multa continet quae hodie confirmatione et clarificatione indigent, sicut quae respiciunt relationem inter Traditionem et Sacram Scripturam, inspirationem et historicitatem Bibliorum Sacrorum, auctores librorum Novi Testamenti. Contributionem peritorum Sacrae Theologiae, Sacrae Scripturae, historiae ecclesiasticae, archeologiae, et rerum etiam scientificarum, nobis parvipendere non licet. Sed aliqui periti, qui hodie contendunt novam nobis quandam theologiam offerre, a doctrinis, quaeso, facile ne discedant quas Patres et doctores Ecclesiae, necnon Romani Pontifices per 20 fere saecula nobis tradiderunt et populus catholicus acceptas habuit. Nos Concilii Patres, quibus oves pascendi a Domino Iesu Christo cum Petro et sub Petro munus commissum est, responsabilitatem nostram agnoscamus, et inter varias et aliquando oppositas peritorum interpretationes, quae haud raro vestem Ecclesiae inconsutilem iterum scindere conantur, viam veritatis et salutis clero et populo christiano tute et indubitanter ostendamus.

Erga fratres vero christianos, qui nobis in plena fidei vel oboedientiae unitate coniuncti non sunt, magna semper caritate agamus, sed etiam obiectivam et genuinam doctrinam quam Ecclesia catholica semper tenuit, sine incertitudine, sine ambiguitate exhibeamus, scientes illos inter

se in multis non convenire, nec illos omnia nova accipere quae a quibusdam modernis theologis catholicis docentur.

Ecclesiae aedificium, quod nobis a Patribus nostris, tum spiritualibus tum temporalibus, traditum est, elevare et perficere studeamus, quin destruamus vel infirmemus quae adhuc solida et ad problemata huius temporis solvenda semper apta manent.

Liceat illud Divi Pauli revocare quando legit ad Hebraeos: « Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci ». ...[2] Necnon verba quae apud S. Vincentium Lerinensem leguntur: « Magnopere curandum est ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est enim proprieque catholicum ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Hebr.* 13, 9).

5

Em.mus P. D. ANTONIUS card. CAGGIANO
Archiepiscopus Bonaërensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres Conciliares,

De schemate constitutionis dogmaticae proposito *de fontibus revelationis,* ab aliquibus patribus dictum est simpliciter quod *non placet.* Cum agatur vero de re magni ponderis et momenti, liceat mihi modeste mentem aperire ut, Deo adiuvante, aliquam lucem, quantum in me est, hisce disceptationibus conferam.

Gravitas huius propositionis *non placet* in eo est quod, si ita a Patribus Conciliaribus iudicaretur, tunc uti consequentia hoc schema integre ab alio substitui deberet.

Rationes tamen expositae non videntur sufficientes pro substitutione hac, cum agatur de re nimis gravi.

Et in primis, schema *de fontibus revelationis* a nobis ipsis, aliquo modo, apparatum fuisse notare vellem. Nam in ipsius redactione, commissio theologica ab episcopis ex diversis totius mundi regionibus integrata — quae quidem non sine interventu sub-commissionis episcoporum et peritorum ex variis nationibus delectorum — adlaboravit.

Textus constitutionis denuo revisus est in genere et etiam in minimis a commissione centrali, in qua em.mi cardinales, archiepiscopi, episcopi, et rev.mi patres generales Ordinum religiosorum certe animadversiones et correctiones proposuerunt, quae, iubente Summo Pontifice, ad commissionem theologicam missae sunt ut de ipsis responderet.

Hac revisione peracta, commissio em.morum Patrum *de emendationibus,* rebus examinatis, textum denuo Concilio proponendum statuit.

Uti videtur, simpliciter reiicere constitutionem sic accurate a tantis pluribusque ex totius orbis terrarum cardinalibus, episcopis, theologis praeparatam immensae responsabilitatis est, cum ius omnibus sit non simpliciter adprobare sed adprobare « iuxta modum » modificationes necessarias et opportunas introducendo.

Sed ad rem quod pertinet, ad rationes expositas considerandas liceat mihi accedere.

Si bene intellexi, difficultas admittendi textum schematis huius constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* in eo est, quod in ipsa agatur explicite et formaliter de *duplici fonte revelationis,* quod sine necessitate fortasse disceptationibus de rebus disputatis locum daret.

Sed necessarium puto clare dicendum, inter catholicos certissime hanc quaestionem *de duplici fonte revelationis* non esse quaestionem disputatam.

Meminisse sufficiat: Concilium Tridentinum in sessione IV statuit fundamentum ulterioris inquisitionis in veritates disputatas tunc temporis, duos fontes, libros scilicet sacros et traditiones non scriptas. Veritatem nempe christianam « contineri in libris scriptis *et sine scripto* » — *sunt verba Concilii* [1] — « et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt ».

« Haec est traditio dogmatica, cuius origo est Christus, cuius primi praecones sunt apostoli, cuius organum perpetuum est Ecclesia eiusque magisterium ».

Igitur quaestio disputata est, non inter catholicos, sed inter christianos. Et hoc bene sciunt dilecti nostri fratres separati. Ipsi amant et quaerunt veritatem quam venerant sicut nos. Aestimo proinde, toto corde, benevolentiam ipsis palam manifestatam sicut testimonium nostrae caritatis. Tamen, fortasse medium huius expressionis non tam consentaneum et appropriatum apparet.

Revera, nos ipsi, qui commissioni centrali adfuimus, cum de hoc schemate ageretur, nunquam de disputatione cum fratribus nostris separatis renovanda cogitavimus, sed tantum de doctrina catholica integre proponenda et tenenda, sicuti Sanctissimus Dominus noster Ioannes Papa XXIII postea, in sua allocutione ad Patres Conciliares, in solemni inauguratione istius Concilii, sancivit; nempe: « Quod Concilii Oecumenici maxime interest, hoc est, ut sacrum christianae doctrinae depositum efficaciore ratione custodiatur atque proponatur ». « Verumtamen in praesenti oportet ut universa doctrina christiana » — *sunt eius ver-*

ba [2] — « nulla parte inde detracta, his temporibus nostris ab omnibus accipiatur novo studio, mentibus serenis atque pacatis, tradita accurata illa ratione verba concipiendi et in forma redigendi, quae ex actis Concilii Tridentini et Vaticani I praesertim elucet; oportet ut, quemadmodum cuncti sinceri rei christianae, catholicae, apostolicae fautores vehementer exoptant, eadem doctrina amplius et altius cognoscatur eaque plenius animi imbuantur atque formentur; oportet ut haec doctrina certa et immutabilis, cui fidele obsequium est praestandum, ea ratione pervestigetur et exponatur, quam tempora postulant nostra. Est enim aliud ipsum depositum fidei, seu veritates, quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus, quo eadem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia. Huic quippe modo plurimum tribuendum erit et patienter, si opus fuerit, in se elaborandum; scilicet eae inducendae erunt rationes res exponendi, quae cum magisterio, cuius indoles praesertim pastoralis est, magis congruant ».

De revelatione igitur in hoc schemate loquendum erat sensu a Domino nostro Ioanne Papa XXIII tam clarividenter tradito, pervestigando et exponendo doctrinam integram et immutabilem Ecclesiae « ea ratione quam tempora postulant nostra ».

Et hoc quidem intenderunt omnes qui fortiter et intelligenter adlaborarunt in conficiendo schemate de quo agimus.

Vellem igitur sincere exprimere doctrinae catholicae expositionem ita pervestigatam et nostris temporibus adaptatam dilectis fratribus separatis *minime* aversionis occasionem dare, sed potius vehementis desiderii ipsam profundius investigandi.

Omittere ea quae ad fidei depositum certe pertinent, opportunitatis causa, nihil proficeret; sed « oportet — uti Sanctissimus Dominus noster Ioannes Papa XXIII docuit — ut quemadmodum cuncti sinceri rei " christianae "... fautores vehementer exoptant, eadem doctrina amplius et altius cognoscatur eaque plenius animi imbuantur atque formentur ».

Certe, si non perfecte, tamen hoc evidenter saltem fundamentaliter in constitutione dogmatica *de fontibus revelationis* obtentum est, ita ut locum praebeat emendationibus necessariis et opportunis. Et ideo opinio mea modesta est: *placet iuxta modum.*

Observationes em.morum Patrum cardinalium relate ad sensum pastoralem quo constitutio caret, mihi videntur iustae, immo necessariae, post explicitam declarationem Summi Pontificis relate ad modum quo doctrina immutabilis Ecclesiae exponenda est.

« Huic quippe modo — ait Ioannes Papa XXIII — plurimum tribuendum erit et patienter, si opus fuerit, in eo adlaborandum; scilicet

eae inducendae erunt rationes res exponendi, quae cum magisterio, cuius indoles praesertim pastoralis est, magis congruant ».

Ecce hic, hisce sapientissimis verbis, via nobis aperta a suprema auctoritate Ecclesiae; ecce hic exhortatio cordis Summi Pastoris. Et revera, verbum Dei intrinsece et essentialiter destinatur ad supernaturalem vitam individualem et socialem suscitandam, fovendam, et defendendam: scilicet, verbum Dei est eminenter pastorale.

Liceat mihi antequam hisce verbis finem imponam, humiliter dicere relate ad sensum pastoralem nostrarum activitatum apostolicarum necessitatem modificandi nostram *ipsam* [3] mentalitatem, id est *necessitatem* [4] paenitentiam agendi.

Urget necessitas finem imponendi praedicationi superficiali, sensu pastorali destitutae.

Radix profunda huius gravissimae deficientiae, fortasse praecipue in ipsa docendi ratione et formatione futurorum sacerdotum invenitur.

Theologia generaliter docetur tamquam materia profana cum sit sacra, tamquam speculativa cum sit doctrina vitae, ita ut praevaleat formatio scientifica intellectualis et non transformatio et elevatio creaturae humanae ad filii Dei dignitatem per adoptionem.

Illustratur intelligentia, sed relinquitur cor vacuum.

Fortasse haec sit ratio verborum certe non amabilium erga nostram theologiam scholasticam quae nuper hic nos omnes audivimus.

Certe tamen, hisce disceptationibus, Sanctus Spiritus benignissime nos omnes illustrat et certe in cordibus nostris ignem suae caritatis accendit, ut non solum in schematibus, sed etiam in nostrarum dioecesium operibus intentum pastoralem efficaciter nos ipsi infundamus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest.

6

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. LEFÈBVRE
Archiepiscopus Bituricensis

Venerabiles Patres,

Brevissimis verbis, et per modum summarii hic exponere vellem quod antea coram vobis, et quidem prolixiori modo, declarare intendebam.

Scopus enim meus erat explicite demonstrare quomodo schemata *de fide et moribus* minime respondeant propositis quae a Summo Pontifice in sua oratione coram ineunte Concilio clarissime exprimuntur.

Si enim textus schematum cum verbis ipsius Pontificis comparantur, tunc patet, *ut arbitror,*[1] quod sequentibus laborant defectibus:

1. Doctrinam saepe modo tantum negativo exponunt, ariditatem sapiunt, et formam nimis scholasticam praeseferunt.

2. Plures insufficientes apparent, quia doctrinam puram, integram, rectam, non exhibent modo illo positivo, quo mediante, animi facilius inclinantur ad praebendam adhaesionem, quia sic pulchritudinem veritatis christianae melius perspiciunt.

3. Non apparet sufficienter in illis textibus, tamquam principium movens et dirigens, illaque occupatio pastoralis quae in mente Sancti Patris tanti est momenti.

Ex his omnibus, mihi concludendum videtur, quod illa schemata, salvo plene merito illorum a quibus exarata sunt, substantiali et fundamentali revisioni subiici debent, et ita compleri ut conformia fiant menti et propositis a Sancto Patre determinatis.

Sed cum iam plurimi de hac quaestione in eodem sensu — et quidem optime — tractaverunt, nihil aliud afferam praeter has indicationes. Ceteras autem observationes meas cum secretario generali communicabo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Animadversiones additae:

Si de quattuor primis schematibus *de fide et moribus* recte iudicare volumus, oportet illa examinare in lumine verborum quae hic pronuntiavit Summus Pontifex in solemni inauguratione huius Concilii Vaticani II. Peritissimus navis nauta, portum indicabat et viam ostendebat.

Placeat vobis denuo audire Sancti Patris aliqua verba de hoc subiecto quibus fusius loquendo, maximum momentum tribuisse videtur. « In primis necesse est ne Ecclesia oculos a sacrae veritatis patrimonio a maioribus accepto unquam avertat; at simul necesse est ut praesentia quoque aspiciat tempora, quae novas induxerunt rerum conditiones, novasque vivendi formas, atque nova catholico apostolatui patefecerunt itinera... ». « Concilium Oecumenicum primum et vicesimum... integram, non imminutam, non detortam tradere vult doctrinam catholicam ».

Attamen, addit Sanctus Pater, « opus nostrum non quasi ad finem primarium, eo spectat, ut de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur, atque adeo fusius repetantur ea, quae Patres ac theologi veteres et recentiores tradiderunt... Etenim ad huiusmodi tantum disputationes habendas non opus erat ut Concilium Oecumenicum indiceretur ».

Summusque Pontifex adhuc distinctius loquitur: « Oportet ut haec doctrina certa et immutabilis... ea ratione pervestigetur et exponatur, quam tempora postulant nostra. Est enim aliud ipsum depositum fidei... aliud modus quo eaedem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia. Huic quippe modum plurimum tribuendum erit, et patienter, si opus fuerit, in eo elaborandum: scilicet eae inducendae erunt rationes res exponendi, quae cum magisterio, cuius indoles praesertim pastoralis est, magis congruunt ».

Haec sufficiant.

Ex his verbis Summi Pontificis, duo mihi patere videntur ei qui ad directionem significatam se conformare desiderat. Duplici sollicitudini semper attentus, assiduam curam habebit et de integra puritate doctrinae et de mediis aptioribus ad illustrandos hoc lumine mentes hominum huius temporis. Tunc, hi vitam suam gerere et problemata huiusce aetatis melius solvere in hac claritate poterunt. Sic sollicitudo doctrinalis et sollicitudo pastoralis arcte connectuntur. Insuper, veritas et caritas, intime inter se unitae, mirabiliter sibi invicem deserviunt.

His dictis, si haec schemata intuemur sub solo aspectu puritatis doctrinae, sufficientia inveniri possint. Remaneret tamen eorum formam quasi negativam et cautiones plus aequo contra diversos errores deplorare. Talis modus exponendi non videtur esse plene congruens cum mente Sancti Patris quando dicit: « Ad praesens tempus quod attinet, Christi Sponsae placet misericordiae medicinam adhibere, potiusquam severitatis arma suscipere; magis quam damnando, suae doctrinae uberius explicando putat hodiernis necessitatibus esse consulendum ».

In tempore in quo argumentum ex auctoritate potentiam amisit apud multos, nonne est necessarium, enim, ponere meliorem spem in ipsa potentia veritatis et niti reddere hanc veritatem effulgentem oculis omnium in sua plena et alliciente pulchritudine?

Aliunde, si consideramus schemata sub respectu convenientiae pastoralis, cum dolore videmus illa male respondere orientationi maxime definitae a Sancto Patre.

Sane, omnia non sunt sine qualitate in textibus qui nobis submittuntur et aestimamus nisum theologicum illorum qui ista redigerunt, sed totum opus decipiens remanet.

Liceat mihi uti hac imagine: multi lapides sunt solidi et valorem habent; sed oporteret alios addere et ordinare omnino differenter totum aedificium.

Si quis, igitur, dixerit: schemata modo quo praesentantur cohaerentne operi a Summo Pontifice in oratione sua definito? Responsio, ut arbitror, non potest esse nisi negativa.

Quapropter votum meum hoc est: Recognoscatur ordo elementorum quae in his schematibus proponuntur et elementa nova adiiciantur, ita ut totum constituatur quo depositum fidei, simul in integritate sua et in enuntiatione sua, fini apostolico a Summo Pontifice melius congruat.

7

EM.MUS P. D. RUFINUS I. CARD. SANTOS
Archiepiscopus Manilensis

Venerabiles Patres,

Minimo omnium absit mihi sensum praebere veluti ad disputationem aggredi sed solummodo desiderio vehementi ductus, pauca vellem dicere de fontibus revelationis coram Domino et in caritate Christi.[1]

Schema propositum licet nobis libere perpendere, et emendare si quae in eo emendanda videantur, sive ab eo detrahendo, sive addendo,

sive alio quam doctrina exponitur modo illam proponendo. An autem emendationes schemati inserendae sint, *hoc* [2] ex disceptatione patebit. Neque enim omnia, quae obiiciuntur, valide contra schemata dicuntur.

Apte namque exponit schema revelationis fontes, scilicet Scripturam Sacram et Traditionem. Hi sunt fontes ex quibus cognitio fluit in Ecclesia veritatum quas Deus manifestavit. « Multifariam olim locutus est Patribus et Prophetis; novissime locutus est nobis in Filio »... [3]

Contra praesens schema arguitur quod illud non sit pastorale, quod nimis scholare sit et solemne, quod non sit satis respondens hodiernis conditionibus, scilicet non satis « *aggiornatum* » [4] (ut verbum ex derivata lingua in linguam matrem inseramus); quod denique assertiones doctrinales contineat quibus quaestiones deciduntur circa quas adhuc auctores in adversas abeunt opiniones.

1. Praecipuum munus Concilii Oecumenici est munus doctrinale, i. e. proponendi, sub ductu Spiritus Sancti, doctrinam revelatam, quam fideles credere fide divina tenentur, quam illis pastores in Ecclesia praebere et explicare debent... [5]

Si licet a grammatica incipere, *veniam peto,* [6] « pastoralis » est vox significans adiectivam qualitatem; unde sermo esse potest de activitate pastorali, de methodo pastorali, de indole pastorali ex. gr. in sacra Liturgia, quatenus nempe ea omnia et alia referuntur ad pascendum gregem, quod quidem est munus Pastorum in Ecclesia. Pascitur autem grex doctrina, quae proinde est cibus, non adiectiva qualitas sed substantia.

Quapropter nequit dici constitutiones dogmaticas nunquam esse pastorales, *esse potius pastum, cibum* [7] quo pastores gregem Christi pascere debent. Pastorum igitur est illum pastum, illum cibum condire pro diversa conditione gregis, ita ut illo unusquisque nutriatur prout eget aut prout capax est cibum salubriter accipiendi. Alii enim lacte, alii esca sunt nutriendi.

Ex quo consequitur ut Concilium prae omnibus insistere debet ut doctrina, quae proponitur, sit certa, integra, sana, incorrupta, ut ea salubriter pasci grex possit.

Ceteroquin, omnes enim cum animarum pastores simus, Litteras Pastorales utique conficimus easque tradimus ovibus nostris. Sed nonne in tantis locorum et rerum adiunctis tam diversis, diversas et quidem diverso modo easdem conficimus? Ex quo sequitur prorsus non convenire nec prudens esse huic Sacrosancto Concilio decernere ut quasi uno calamo, unum quid pastorale, praecise propter diversitatem circumstantiarum habentium in diversis regionibus vel nationibus. Sed potius principia tantum doctrinalia solemniter enuntiare ex quibus unusquisque nostrum pro sua quaque regione vel ditione dare convenientem sensum

seu characterem pastoralem nostris ovibus, ut ita dicam, pastum uberrimum praebere.[8]

2. Ex qua consideratione aliud consequitur, ut nempe ad hoc ut securius obtineri possit quod doctrina Magisterii solemnis totius Ecclesiae sit certa, integra, sana, incorrupta, ea exprimi debet accuratius formulis, quarum sensus in diversa flecti non possit quin vis verbis inferatur vel orationi. Unde accipi nequit contentio *nimis scholaris et solemnis*[9] cum magis id in eo considerandum sit: schola enim altissima, ipso duce Spiritu Sancto, altissimas veritates omnes docere intendit, quae in aeternum manent, quae ulteriorem explicationem recipere possunt, correctionem non possunt.

3. Exinde...[10] nimis improprie sermonem fieri de aptatione schematis dogmatici hodiernis conditionibus, seu de « hodiernatione »...[11] Pro temporum et locorum diversis circumstantiis diversas Ecclesia potest normas disciplinares statuere, sunt enim media ad finem, et ratio idoneitatis mediorum ad *finis consecutionem*[12] mutabilis est, fine manente immutabili. Potest ideo Ecclesia ritus et caerimonias, quas ipsa constituit, aliter ordinare ut diversae pro temporum et locorum diversitate indoli fidelium diversoque eorum progressui aptius respondeant. Potest ipsam methodum aliter ordinare explicandi doctrinam ut facilius *fidelibus*[13] assequibilis reddatur. Sed doctrina ipsa, quae dogmatica est, aptatione nulla indiget vel temporum vel locorum rationi diversae. Illa enim ipsa manet heri, hodie, et in saecula. Ulterius explicari poterit doctrina dogmatica iuxta conclusiones certas quas scientia theologica adinvenerit, sed reformationi locus dari nequit...[14]

4. Denique obicitur quod praesens schema assertiones contineat quibus quaestiones praeiudicantur quae adhuc opinabiles sunt, vel saltem diversimode a theologis explicantur et solvuntur. Id non video cur sit causa quare schema reici debeat. Si enim eiusmodi argumentatio valida esset, numquam Ecclesia aliquam doctrinam dogmatice definisset; semper enim fuerunt opiniones contrariae. Et hoc potissimum est munus Concilii Oecumenici: veram doctrinam fidei et morum proclamare. Nunc vero, an in casu iure illae quaestiones sint praeiudicatae vel non, Patrum erit disceptare et decernere: schema enim est propositio doctrinae, illius definitio a Concilio fieri debet...[15] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Quidquid autem Deus locutus est continetur solummodo, et inde Ecclesiae scit, vel in Sacra Scriptura vel in Traditione. [4] « hodiernatum ». [5] Sane, omnes nos, cum animarum Pastores simus, Litteras Pastorales utique conficimus, easque tradimus ovibus nostris; sed nonne inter tot locorum et rerum adiuncta tam diversa easdem diverso modo

conficimus? Ex quo sequitur prorsus non convenire, nec prudens esse, ab hoc Sacrosancto Concilio decerni unum quid pastorale indiscriminatim quibuscumque, quasi uno calamo scriptum, porrigendum; sed potius, principia tantum doctrinalia sollemniter enuntiare, ex quibus unusquisque nostrum, prout in sua cuiusque regione vel ditione adiuncta requirant, convenientem pastoralem operam exercentes, ovibus suis pastum uberrimum praebeant. Nam. [6] de quo Patrum veniam rogo. [7] sunt enim potius pastus, cibus. [8] Sed Pastorum est, in usu magisterii ordinarii, pro sua quisque sollertia et pro gregis necessitate incorruptam doctrinam a Concilio traditam apte proponere ut fideles eam capere possint eaque nutriantur. [9] quod schema sit nimis scholare et solemne. [10] sequitur. [11] si venia sit verbo. [12] finem consequendum. [13] doctrina captui fidelium. [14] Quare omnino absque iure praesens schema accusatur quod non sit satis hodiernis condicionibus respondens, cum Concilii sit sollemni magisterio dogmaticam veritatem affirmare, pastorum vero doctrinam hanc certam modo magis apto, pro diversa condicione sui gregis, proponere et explicare, ut spiritualis vita fidelium ea doctrina nutriatur, fiatque actuosa, in exteriores nempe actiones fluens quae sint illius doctrinae praeceptis conformes. Non est Concilii descendere ad particularia quae sub actualibus condicionibus italos respiciant, vel afros vel sinenses vel americanos vel alios quoscumque. Aliae enim et aliae sunt circumstantiae in diversis locis. Feliciter datum est mihi experiri in regione Philippinarum praxim, quae adhuc nostra aetate a nonnullis familiis servatur, ut omnes de familia summo mane insimul preces matutinas recitent, orationem mentalem habeant, post quam in ecclesiam vadunt ut Missae sacrificio intersint; quibus sanctum est insuper vespere insimul serotinas preces dicere. Haec sane praxis, quam zelus antiquorum missionariorum invexit, causa non minima est quod fides servata fuerit, non obstante paucitate sacerdotum, non obstante quoque nostri temporis profunda immutatione in ordine civili, sociali et oeconomico. Sed non ideo haec aliis locis applicanda censemus. Singulorum pastorum est prudenter excogitare et in usum deducere quae media aptiora iudicent ut gregem ad uberiora spiritualia pascua ducant. [15] Procedamus ergo ad deliberandum super propositum schema, quod, post ingentem laborem plurimorum ex toto orbe peritissimorum virorum, qui per duos annos impigra opera in id intenderunt, ratione habita propositionum ex universa Ecclesia ad S. Sedem missarum, praeparatum est; quodque de mandato Summi Pontificis, qui solus potest materias deliberandas in Concilio designare, praesenti Oecumenicae Synodo disceptandum proponitur.

8

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. URBANI
Patriarcha Venetiarum

Venerabiles Fratres,

Schema propositum mihi placet, quamvis nonnullis indigeat emendationibus et adiunctis ut amplius et melius hodiernis necessitatibus pastoralibus et oecumenicis respondeat.

Ut scitis, quaestiones in schemate tractatae, iam in foliis, *in ephemeridibus,*[1] in libellis, in libris, in conventibus pervulgantur, sed non semper illa animi serenitate, illa scientiarum peritia, illa luciditate theologica, illa prudenti discretione, quas veritas et caritas exigunt.

Etiam in scholis seminariorum rumor de recentissimis biblicis quaestionibus fere ubique pervenit, non sine aliquo spirituali detrimento.

Unde sacerdotes et fideles, in primis magistri et alumni expectant, ut de his a nostro Concilio aperte, praecise, perlucide certa doctrina catholica dicatur. Quae in ipso schemate continentur, mihi videntur valde utilia et bene respondere tali expectationi, etsi aliquando modo nimis scholastico expressa. *Si casus ferat,*[2] emendetur modus, remaneat substantia.

Alia etiam, meo humili iudicio, et emendanda et adiungenda opportune videntur; ex. gr.: principiis fundamentalibus praecise expressis, omittantur...[3] variae opiniones quae adhuc libere et legitime in scholis disputantur. Humanis et benignis verbis exegetae bonae notae laudentur ob rectos nisus ad progressum biblicae scientiae ac simul *paterne* [4] moneantur de periculis ipsis rebus pertractandis insitis. ...[5] Eluceat in schemate, pastoralis et constans sollicitudo de animabus christianae veritati lucrandis, et speciali modo exponantur ea, in quibus etiam non catholici *fratres* [6] consentiunt.

Prae oculis habitis difficultatibus in quibus saepe saepius ipsi catholici exegetae versantur, mentio fiat in schemate sive de profectu, quem ipsi suis laboribus hucusque Ecclesiae attulerunt, sive de paterna fiducia, qua ipsa sacra hierarchia eorum studia, investigationes et disputationes advigilat et adiuvat.

Demum clariori modo doctrina de Traditione exponatur et simul de officio quod ipsae Sacrae Scripturae magisterium Ecclesiae praebet dum eam canonice integram custodit, auctoritate apostolica interpretatur et omnibus hominibus pro salute aeterna proponit.

Aliae emendationes suo loco dicentur.

Accedit et ratio practica. Examinetur schema et ex Patrum disceptationibus praebeantur alia valida argumenta commissioni theologicae ad textum definitivum constitutionis aptius exarandum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] in schemate. [4] deest. [5] Magis. [6] deest.

9

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Venerabiles Fratres,

Loquor nomine nonnullorum episcoporum Americae Latinae et praesertim reipublicae Chilensis. Generice agam de schemate constitutionis dogmaticae circa revelationem.

1. Nostra imprimis interest indolem pastoralem istius magnae Synodi meminisse, simulque eius peculiarem characterem oecumenicum. Omnia schemata constitutionum et decretorum istius Concilii accuratius conscribenda essent stylo quodam pastorali et oecumenico ita ut veritatem positive proponerent atque unitatem maxime foverent.

Nunc, autem, ex discussionibus iam peractis, sufficienter patet schema istud carere illis conditionibus, quia ex una parte scholam redolet et ex altera uni tantum ex catholicorum sententiis favet. Et sic omnes dolentes conspicimus illud non solum promovere unionem fratrum acatholicorum, sed insuper dissensus non parvipendendos introducere inter ipsos fratres catholicos, sive hic, sive in universitatibus et in seminaristarum formatione. Nobis videtur praeterea inter causas defectuum schematis adnumerandam unam quae, ni fallimur, sapit professionalem deformationem ut hodie dicitur.

Nam in schemate percipitur mens potius iudicis quam pastoris. Iudicis enim est, et quidem laudabiliter, quaerere errores et errantes, ad veritatem strenue defendendam potius quam egregie proclamandam. Pastoris, e contra, est doctrinam ut bonum hominibus nuntium seu evangelium salutis proponere, et, uti Papa Ioannes in oratione inaugurali pulchre dixit, « misericordiae medicinam adhibere potius quam severitatis arma suscipere et magis quam damnare Ecclesiae doctrinae vim uberius explicare ». Ceterum, ipsa Tridentina Synodus iam monuerat: « saepe plus agit benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas ».

2. Mens pastoralis et oecumenica prae oculis certe habere debet et errores et pericula fidei, sed ad illa vitanda utitur praeprimis ipso veritatis splendore.

Veritas nos liberabit. Apta veritatis propositio vim maximam habet non solum ad errores arcendos (quod munus negativum tantummodo est) sed praesertim ad animos alliciendos et ad regnum Dei eiusque iustitiam positive quaerendam et amandam.

Pastores docent ut patres. Veritatem faciunt in caritate. Eorum bonum nuntium non est simpliciter definitio stricte orthodoxa et alicui errori opposita, sed veritas vitalis ex caritate Dei orta et ad amorem Dei ducens. Evangelica veritas, a Patre per Filium in Spiritu proclamata, facit efficaciter ut « occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionem Filii Dei in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi », ut ait Apostolus. Fides ipsa ex auditu est. Auribus ergo proponenda est clare, perspicue, amabiliter ipsa vox Patris, quia nemo potest venire ad Christum « nisi Pater traxerit eum ».

Induatur ergo schema istud vestem paternam ac pastoralem, in eo scilicet proponatur doctrina forma positiva et caritatem redolente, hominibus nostrae aetatis magis aptata, ita ut veritas revelata ex sua ipsius maxima vi et corda alliciat et errores arceat.

3. Denique, schema istud quaestiones aliquas continet quae, nostro iudicio, hodiernae aetati sunt valde convenientes ac proinde nullo modo omittendae, uti, exempli gratia, quae ad Sacram Scripturam, praesertim ad eius inerrantiam et historicitatem referuntur. Ad hoc congrue faciendum, nobis necessarium videtur statuendam esse specialem peritorum commissionem.

Cum autem, experientia teste, non una sit de hac re theologorum mens, et cum in dubiis semper libertas clare servanda est, nobis consentaneum ac logicum videtur quod talis commissio ex aequo componatur cum peritis non tantum unius, sed utriusque sententiae. Munus commissionis erit schema breviter refundere ad normam praedictarum adnotationum, mutua distinctarum sententiarum reverentia ac libertate bene servata, secundum constantem Conciliorum praxim.

Nos, qui populorum pastores sumus in ista tam difficili aetate, revera non possumus tempus in scholarum disputationibus consumere. Dixi.

10

Em.mus P. D. MICHAËL card. BROWNE

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

Licentiam loquendi petii ut modesto meo servitio contribuere possem ad positiones in congregatione feriae IV assumptas pro posse concordandas, *quae positiones etiam hodie apparent.*[1]

Schema *de fontibus revelationis* mihi placuit et adhuc, saltem quoad suam substantiam, placet. Hoc a priori non est mirandum. Elaboratum enim fuit a viris illustribus et valde doctis.

Obiectiones contra schema, in quantum intellexi, sunt praecipue *eae* [2]

quae sequuntur: 1. Nimis insistit in doctrina de duobus fontibus revelationis; 2. Haec ...[3] doctrina non est antiquorum theologorum neque, ut videtur, ipsius S. Thomae; 3. Non iuvat ad promovendum opus oecumenicum seu unionis fratrum separatorum cum Ecclesia; 4. Non est pastorale; 5. Est nimis scholasticum; 6. Est pessimisticum; 7. Est magis negativum quam positivum; 8. Repetit plura iam ab omnibus cognita; 9. Est nimis rigidum quoad doctrinam de inspiratione, cum videatur docere inspirationem verbalem; 10. Posset causare suspicionem de exegetis; 11. Nihil habet aptum ad remedium ponendum contra atheismum.

Longum esset de singulis praedictis agere, et tempus non habetur ad hoc faciendum in brevi interventu. Enumeravi undecim capita obiectionum contra schema. Quoad octo ulteriora, si Sacrum Concilium ita de singulis desiderat, puto schema posse, pro quanto sit necessarium, *emendari seu corrigi.*[4]

Quoad tria puncta priora, vellem nunc pauca dicere. *De Concilio Tridentino et Vaticano non loquar, quia iam em.mi Patres de hoc locuti sunt, maxime em.mus card. Caggiano. Sed noto de isto puncto magisterium ordinarium fere hodiernum Ecclesiae.*[5] Leo XIII in Encyclicis Litteris *Providentissimus Deus,* paulo post initium, ait: « Quae supernaturalis revelatio secundum universalis Ecclesiae fidem continetur tum in sine scripto traditionibus, tum etiam in libris scriptis, qui appellantur sacri et canonici, eo quod Spiritu Sancto inspirante Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt ».

S. Pius X in iuramento anti-modernistico ait « ... Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam sincere recipio ».

Pius XII in Encyclicis Litteris *Humani generis* ait: « ... Verum est theologis semper redeundum esse ad divinae revelationis fontes; eorum enim est (*scilicet theologorum*)[6] indicare qua ratione ea quae a vivo magisterio docentur, in sacris litteris et in divina traditione " sive explicite sive implicite inveniantur "...[7] Accedit quod uterque doctrinae fons tot tantosque continet thesauros veritatis, ut numquam reapse exhauriatur ».

Quoad antiquiores theologos et ipsum Angelicum Doctorem verum *quidem* [8] est eos non instituisse tractatum de Locis Theologicis, et ita non tam enucleate locutos fuisse de duplici fonte divinae revelationis. Haec necessitas *explicita* [9] orta est post magnam scissionem saeculi XVI.

Sed possum citare quaedam ex S. Thoma, quantum ad eius mentem. In IV Sent., loquendo de forma Eucharistiae, ait: [10] « ... ex traditione Domini habetur quae per Apostolos ad Ecclesiam pervenit »...[11] In Summa Theol., p. III, qu. 25, a. 3, ad 4, ait: « ... Apostoli familiari instinctu

Spiritus Sancti quaedam Ecclesiis tradiderunt servanda quae non reliquerunt in scriptis... et inter huiusmodi traditiones est imaginum Christi adoratio... ».

Ita, ibidem, in qu. 64, art. 2, in corpore [12] « ... ea... quae sunt de necessitate sacramenti ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus et homo. Et licet non sunt omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione sicut Apostolus dicit *ad Cor. etc.*[13] ». In qu. 83, *loco hic notato,*[14] ait: « ... Multa sunt a Domino facta vel dicta quae Evangelistae non scripserunt, inter quae fuit hoc quod Dominus in coena oculos levavit in caelum; quod tamen Ecclesia ex traditione Apostolorum habuit ».

Et insuper [15] in textu citato in calce *nostri schematis, ex Commento in ep. ad Thess. II, ubi habetur:* [16] « Unde patet quod multa in Ecclesia non scripta, sunt ab Apostolis docta et ideo servanda ».

Quoad punctum de oecumenismo, puto dilectos nostros fratres separatos nihil ex hoc schemate timendum habere. Difficultas praecipua eorum, ut aestimo, potius respicit doctrinam nostram de Ecclesia et de eius capite in terris. Imo dicerem solutionem illius difficultatis, pro quanto nunc pendet a nobis, potius pendere a nostra caritate in agendo cum ipsis, in solvendo eorum dubia, in convincendo eos Ecclesiam sponsam Christi et matrem omnium nostrum, nihil antiquius habere quam eos amplecti et in sinu suo tenere, ut eos nobiscum in vitam aeternam perducat.

Haec quoque est vox, ut ipsi bene sciunt, Capitis Ecclesiae, Christi Redemptoris in terris Vicarii. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] ea. [3] ipsa. [4] corrigi seu modificari. [5] Punctum magis grave quod tangebatur in disceptatione fuit illud de sacra traditione ut altera fonte divinae revelationis. Ne nimis longe de hoc agam, humillime notare vellem Concilium Vaticanum I se referendo ad doctrinam Concilii Tridentini, sic se exprimere (cap. II, constit. dogm. *Dei Filius* de fide catholica): « Haec porro supernaturalis revelatio, *secundum universalis Ecclesiae fidem* a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae istius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut (ab) ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt ». Magisterium ordinarium Ecclesiae eodem sensu loquitur. Ita. [6] deest. [7] (Pius IX, *Inter gravissimas,* die 28 oct. 1870). [8] deest. [9] deest. [10] Sed quoad S. Thomam cito loca quaedam ex quibus eius mens in hac quaestione innotescit. In IV *Sent.,* dist. VIII, qu. II, art. II, qu. I, ad 1, loquendo de quibusdam verbis in forma Eucharistiae ait. [11] secundum illud 1 *Cor.* 11, 23: Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis ». [12] In III parte, qu. 64, art. 2 c. [13] (1 *Cor.* 11, 34): « Cetera cum venero disponam ». [14] art. 4, ad 2. [15] Item. [16] Cap. I ubi Angelicus loquens de 2 *Thess.* 2, 15, ait.

11

EXC.MUS P. D. ARMANDUS FARES
Archiepiscopus Catacensis - episcopus Squillacensis

Venerabiles Patres,

Duo mihi videntur declaranda circa schema constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis,* a commissione theologica paratum, a commissione centrali probatum, et a nobis discutiendum, iuxta ea quae ex mandato Sanctissimi nobis significavit em.mus card. Hamletus Ioannes Cicognani, a publicis Ecclesiae negotiis, in transmissione facta voluminis, quod continet seriem primam schematum constitutionum et decretorum.

1. Primum quidem de materia quae est obiectum huius constitutionis:

a) In Concilio Tridentino, in sess. IV, recepti fuerunt libri sacri et traditiones Apostolorum « pari pietatis affectu et reverentia ». Iterum, recensito Canone Sacrarum Scripturarum, principium exegeseos catholicae in mentes omnium revocatum est « ad coercenda petulantia ingenia » ita ut nemo Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, *sunt verba Concilii:*[1] « contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat »...[2]

b) Post tria saecula, in Concilio Vaticano I, diversis diversa sentientibus, iterum de eadem materia tractatio facta est; et Patres, « innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia Catholica sancte custoditum et genuine expositum » acceperunt...,[3] doctrinam tradiderunt de fontibus revelationis et de interpretatione Sacrae Scripturae in constitutione *Dei Filius,* in cap. II...,[4] canone etiam adiecto...[5]

c) Ingravescente rationalismo, praesertim in re biblica, sive ante sive etiam post ipsum Concilium Vaticanum I, cum multi, etiam inter ipsos catholicos, vel in periculum fidei amittendae versati vel reapse ipsam fidem amiserint, Summi Pontifices, ratione habita etiam progressus qui magni facti sunt in scientiis linguisticis, historicis, archeologicis et ceteris quibus auxilium impensum est exegesi biblicae, suo magisterio intervenerunt variis temporibus et occasionibus sive ad coercendam audaciam novatorum, sive ad errores removendos, sive ad bona studia tuenda, sive ad regulas catholicae exegeseos confirmandas et in mentem omnium revocandas. Hinc *Providentissimus Deus* Leonis Papae XIII...,[6]

Spiritus Paraclitus Benedicti XV...,[7] *Divino Afflante Spiritu* Pii XII...,[8] et *Humani generis* ...[9] eiusdem Pii XII. Sed ne e mente nostra excidant quae tanto vigore et amore erga veritatem et erga ipsos errantes edixerit et statuerit S. Pius X, qui Modernistarum errores in re biblica sive in Decreto *Lamentabili* ...[10] sive in Encyclicis *Pascendi* damnavit.

Si tanta de hac re Summi Pontifices protulerunt, hodie Sacrosanctum Concilium Vaticanum II nonne oportet ut magisterio suo extraordinario, sicut factum est in Concilio Tridentino et Vaticano I, edicat *primo*[11] quid ab omnibus retinendum sit hisce in quaestionibus quae ipsum fundamentum fidei catholicae attingunt; *secundo,*[12] quomodo his studiis incumbendum sit ad fidem tuendam, declarandam, defendendam; *tertio,*[13] quibus auxiliis omnes christifideles ex fonte Sacrae Scripturae sub ductu auctoritativo Ecclesiae illam vim salutiferam attingere possunt qua vita fidei alitur et unusquisque solidatur in spe, fiducia et amore Domini?

Non solum conveniens, sed meo quidem iudicio, necessarium est ut in hoc Concilio materia proposita tractetur, et quidem sine ambiguitate et sine timore, ne alii videlicet offendantur vel a fide catholica removeantur: Deus est veritas, quae illucet in cordibus nostris per lumen Christi quod ab Ecclesia custoditur, defenditur, et omnibus ostenditur hominibus bonae voluntatis.

2. De schemate ad discussionem Patrum Concilii parato, sequentia dicenda mihi sunt. Schema, uti est, cum sit bene paratum et ad discussionem conciliarem aptum, sit reapse basis huius discussionis. Possunt quidem partes quaedam, verbi gratia, prologus, addi; quaedam emendari in dicendi modo, quae nimis synthetica cum sint, possent postea minus rectae interpretationi subesse; etiam quaedam addi vel ampliari, verbi gratia, de Traditione; quaedam alia etiam modo aptiore — sed semper qui conveniat dignitati documenti conciliaris — ad pastoralem usum Sacrae Scripturae dici. Normas etiam per principia altiora iterum inculcari studiosis viris de re biblica, ad quos gratum animum Pastorum Ecclesiae exprimere iure possumus; haec et alia adiicere possumus: sed basis discussionis sit semper schema paratum a tot doctissimis viris et nobis propositum a Romano Pontifice. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (D. B. 786). [3] et. [4] (D. B. 1787 et 1788). [5] (D. B. 1809). [6] (1894). [7] (1920). [8] (1943). [9] (1950). [10] (D. B. 2008-2019). [11] deest. [12] deest. [13] deest.

12

Exc.mus P. D. ALFREDUS BENGSCH

Archiepiscopus-episcopus Berolinensis

Venerabiles Patres,

Schema propositum *certissime accurate prudenterque elaboratum est. Audivi etiam admonitiones severas hodie in hac aula. Attamen,*[1] meo humili iudicio, non placet. Et, ut timeo, ne multis quidem emendationibus essentialiter emendari potest, quia intentio simul ac modus loquendi desideriis iustis satisfacere non potest. Hac pro sententia in disceptatione generali tres saltem principales rationes liceat mihi proponere.

1. Schema propositum contradicit, ut puto, saltem ex parte, menti Sanctissimi Patris qui ...[2] in hac sacra aula solemniter declaravit, non esse huius Concilii damnationes proferre, sed medicinam misericordiae *afferre.*[3] Ter autem in schemate aperte damnationes enuntiantur et praeterea nonnullae reprobationes indirectae aut, ut ita dicam, censurae inveniuntur.

De modo loquendi plurima iam dicta sunt.[4] Schema utitur lingua ...[5] ita ut fideles in eo non verba matris et magistrae, sed magistrae tantum severae *inveniunt.*[6]

Quoad indolem pastoralem, *hoc saltem*: *adversarii depugnantur permultis fidelibus omnino ignoti,*[7] erroresque damnantur qui in disceptationibus tantum theologorum ...[8] inveniri possunt, si etiam ibi — quod nondum constat — forma in schemate reprobata docentur.

2. *Quoad modum theologicum* in hoc schemate assumptum pauca saltem dicam, singularia simul ac profundiora doctis atque prudentioribus Patribus relinquens.

Repetuntur in schemate definitiones quae in Concilio Tridentino necnon Vaticano I brevius enuntiatae sunt, et, ut puto, cautius, quia ibi non clausae sunt portae, quae hic clauduntur, ita ut nihil fere labori et disceptationi theologorum relinqui videatur. Quae disceptatio tamen non simpliciter periculum aestimandum est, sed verum ministerium veritatis, sub vigilantia *certo,*[9] non autem diffidentia, Magisterii Ecclesiae.

3. *Cetera transeam et venio ad tertiam rationem quae* [10] sumitur ex conditione Ecclesiae in Germania orientali, ubi munere meo ut episcopus Berolinensis fungor. Attamen non agitur de proprietatibus alicuius provinciae, sed de ipsa vita christiana et de probatione fidei sub oppressione materialismi athei, tum theoretici tum practici. Periculum autem

huius materialismi fere omnibus, ut mihi videtur, fidelibus hodie imminet, etsi diversis modis. Attamen in nostris regionibus illud periculum apertius manifestatur. Fideles sub regimine materialismi viventes ex decretis Concilii exspectant auxilium, confortationem et consolationem. Constitutio de revelatione praeclaram praebet occasionem fidelibus et insuper omnibus hominibus bonae voluntatis annuntiare quantas divitias Deus revelans *nobis* [11] per Christum et per suum Evangelium etiam pro hac vita dedit. Fideles verba exspectant ex quibus divinus thesaurus clare et pulchre eluceat et quibus animus trahitur et allicitur.

Praeterea in conditionibus istis quaestio necessarie oritur, quomodo amor Redemptoris eos quoque homines, eas innumerabiles generationes duxit, qui ante Abraham vixerunt. Quaestio non temerarie inquisita...[12]

Alia insuper quaestione fideles corde premuntur, nempe quare tot homines quibuscum quotidie conveniunt, Verbum Dei non audiant.

De quibus omnibus quaestionibus fere nihil invenio in schemate.

Fideles nostri cum fratribus separatis uniti resistentiam contra materialismum atheum valde desiderant, ne novae difficultates insurgant quae unioni in fide et caritate nocent. Quae unio non est indifferentismus sicut interdum dicitur. Periculum indifferentismi vix timendum est ubi confessio fidei difficilis et interdum periculosa est.

Schema autem, ut mihi videtur, non paucas affert difficultates respectu fratrum separatorum, saltem per modum docendi. Septies, ut unum exemplum addam, de magisterio Ecclesiae in schemate tractatur cum, *ut puto,*[13] nemo *nostrorum* [14] fidelium de magisterio false aut irreverenter sentiat. *Praeterea* [15] fideles nostri fere quotidie illuduntur et oppugnantur ab iis qui fidem ...[16] ut aliquid primitivum, seu museale, non scientificum, *regressivum* [17] considerant.

Magna ergo gratitudine legunt auctores catholicos qui quaestiones hodiernas in lingua hodierna tractant et ita adiuvant ad fidei defensionem. Si autem illa argumenta nova *tam* [18] celeriter quasi novae formae cuiusdam modernismi discriminantur, quae diffidentia partim et ex paginis schematis eloquitur, mentes fidelium perturbantur et onus vix portabile eis imponitur. Depugnati ab inimicis *fidei* [19] etiam a matre Ecclesia se suspicioni subiectos esse sentirent. Attamen certo amant Ecclesiam sicut domum paternam, amant successorem S. Petri, ut testificari possum et debeo.

Faveant ergo, humiliter rogo, omnes Patres, qui vivunt fortasse in regionibus ubi fides sine istis periculis integra *et intacta* [20] traditione floret, faveant, *dico,*[21] esse memores fidelium, quorum fides probatur et qui certissime filii fideles sunt Ecclesiae — *et sunt permulti.*[22]

Certo non est praedicandum in Concilio, attamen Evangelium Dei,

id est bonum nuntium hominibus annuntiare — omni qua par est perspicuitate doctrinali — est Concilii et praesertim, ut puto, huius Concilii.

Concludere mihi liceat uno tantum verbo ex corde meo — *parcite mihi, Patres venerabiles:*[23] non possum redire ad meos fideles, quorum nonnulli, etiam iuvenes, sunt veri confessores, apportans lapidem pro pane. Ideo cum omni reverentia et sincera caritate erga viros integros et bene meritos, qui formaverunt hoc schema, ex conscientia mea dicere debeo: non placet.

In textu scripto tradito: [1] etsi accurate, sedulo, prudenterque elaboratum. [2] die 11 octobris. [3] deest. [4] Insuper Pontifex Maximus Patres Conciliares in eodem sermone admonuit, ut eo loquendi modo utantur, quo homines in mundo hodierno veritates christianas intelligere et accipere possunt. [5] doctrinali atque professorali. [6] invenirent. [7] denique dicendum esse puto, ut vera pericula fidei, quae hodie imminent, non perspicue cognoscantur; sed quaestiones scholarum, nisi fortasse dicendum deberet: Quaestiones unius tantum scholae tractantur; adversarii permultis fidelibus omnino ignoti depugnantur. [8] aut in libris specialibus. [9] deest. [10] Ideoque inevitabilis fere suspicio oritur, uni tantum scholae theologicae hoc in schemate satisfieri. Doctrina de inspiratione S. Scripturae, et de modo Evangelistarum, ut duo saltem exempla nominem, in nostro schemate eo modo describitur, ut non solum dogma, quod sine dubio ab omnibus tenendum est, sed etiam interpretatio, id est una ex pluribus, definiri videatur, dum e contra constat, plures adhuc easque legitimas interpretationes theologicas in Ecclesia et in variis scholis fuisse. Quid illo verbo « tenet Ecclesia » significare vult schema nostrum, si tractatur de auctore quarti Evangelii? Insuper, meo humili iudicio, non recte servatur et traditio, quod, ut alia exempla transeam, per titulum schematis aperte cognoscitur, usque adhuc non de « fontibus revelationis » sed « de revelatione » in documentis ecclesiasticis tractatur. - III. Tertia ratio. [11] deest. [12] est, sed ex scientiis de rebus naturalibus iure proponitur. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] et religionem. [17] regressum. [18] deest. [19] religionis. [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] deest.

13

Exc.mus P. D. ARTURUS TABERA ARAOZ
Episcopus Albasitensis

Em.me Praeses, venerabiles Fratres,

De gravissimo et delicatissimo schemate constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* nunc iam primum disserendo, mihi liceat quaedam iam dictis addere quae modo generali in ipso attendenda videntur...[1]

Schema propositum fundamentum mihi videtur solidum discussio-

nis. *Etsi* [2] enim difficultatibus et defectibus non careat, non ita tamen sunt insanabiles ut vera salutis spes *non appareat* [3] et sepeliendum sine spe resurrectionis...[4]

Mirum certe esset hoc schema, tanto labore et studio elaboratum, nunc, quasi ex inopinato, ab alio schemate, praepropere forsitan inducto, suffectum iri.

Schema propositum, etsi certo emendandum, perficiendum ac perpoliendum et in aliquibus etiam *partibus,*[5] brevitatis et utilitatis causa, refundendum, attamen, tenore suo dogmatico et catholico alia schemata certo superat quae inter Patres his diebus circumferuntur.

Quasdam praeterea habet proprias et eximias qualitates quae minimi non sunt facienda:

Eius scilicet perspicuitatem in capitulorum divisione et doctrinae processu nemo est qui non videat.

Doctrina olim semper accepta ita proponitur ut non nova, sed noviter appareat.

Methodo sufficienter utitur historico-expositiva qua nihil carius nostratibus huius temporis auctoribus catholicis *est, et idem fere* [6] dicendum de nostrorum etiam fratrum separatorum theologis, qui in deliciis habent ita exponere doctrinam ut ex historia revelationis potius dignoscatur quam ex speculationibus *mere rationalibus, etsi* [7] minime ipsis spernendis.

Etiam, quod magni pretii in re est, schema in omnibus suis fere lineis ad Concilia, ad Magisterium Ecclesiae vivum, praesertim ad Pontifices huius nostrae aetatis, qui mente aperta et vigilanti docuerunt, et a quibus ne uno quidem gressu recedendum, oculos versos et attentos continuo habet.

Denique, stylus et modus decurrendi nec tam ineleganter (ut aliqui dicunt) nec tam scholastice (ut alii affirmant) decurrit a prima usque ad ultimam lineam.

Ea *vero* [8] quae circumferuntur, sumpta ex eius supposita indole non adeo pastorali, et praesertim non adeo oecumenica (ut fertur) mihi, humiliter dico, minime convincunt. Nihil dicam de indole pastorali, qua, natura eius dogmatica inspecta, non caret schema: *multum enim iam est dictum* [9] in uno et altero sensu. *Minima* [10] tamen animadversio circa eius indolem oecumenicam mihi liceat.

Fratres nostri separati id certe a nobis exigere videntur ut nihil in materia fidei, quam quod necessarium est, imponatur...[11] At ea quae aestimantur necessaria, ipsi imprimis fratres nostri separati exigunt a nobis ut neque omnino praetermittamus, neque verbis non sinceris obtegamus. Ipsi enim exigunt a nobis ut testes, verbo Dei fideles, absque

ulla vacillatione nec simulatione, nosmetipsos exhibeamus. Divus Paulus caritatem nobis inculcat facere...,[12] sed « in veritate »; quod idem aliis verbis recise et vehementer *quidem* [13] ipse exprimebat Lutherus: « Maledicta sit caritas quae servatur cum iactura doctrinae fidei »...[14]

Unde, ut iam finem imponam, *etsi* [15] non inficiar schema propositum moderatum iri observationibus ...[16] Patrum, liceat me in memoriam revocare criteria quae, in emendando et castigando schemate proposito, prae oculis habenda sunt, et quae, aut fallor, nobis omnibus indicta sunt.

1. Ut Concilio non proponantur quae adhuc utili, immo necessaria controversia theologorum Catholicorum agitantur.

2. Ut doctrina ...[17] Concilio proponenda intra eos limites contineatur, extra quos *iam* [18] error, non doctrina Catholica, versatur.

3. Ut haec tandem doctrina vere Catholica harmonice, suaviter, sobrie quidem sed sincere proponatur omnium amore...[19] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ubinam nempe — statim dico — est cardo quaestionis quae ipso in limine discussionis proponitur? Aut multum fallor, aut tota in hoc vertitur quaestio: utrum schemati proposito standum annon. Nunc autem, his bene perpensis rationibus quae extremas in utraque solutiones admittere videntur, mihi tandem persuasum fuit eam exstare viam mediam, quam unam, et necessitas suadet et prudentia maxime commendat. [2] Licet. [3] ei non sit. [4] videatur. [5] capitibus. [6] (quod idem. [7] deest. [8] deest. [9] multa enim iam sunt dicta. [10] Aliqua. [11] (*Act.* 15,28). [12] (*Eph.* 4, 15). [13] deest. [14] (*Comm. in Gal.* 5, 9). [15] quamvis. [16] et animadversionibus. [17] a. [18] deest. [19] catholicorum nempe et fratrum separatorum. Parcite mihi, venerabiles Patres, haec dicenda putavi, non ut animos non in pace compositos componam, quod vobis fuisset iniuria et in me audacia; neque ut pactum non sincerum inire velitis. Hoc enim longe sit a nobis in hac re nostra gravissima conciliari, in qua « non in fermento veteri ... sed in azymis sinceritatis et veritatis » epulari iubemur (1 *Cor.* 5, 8), sed tantummodo ut non leviter, neque immature ab hoc schemate discedamus, ne forte Caribdim vitare cupientes, in Scylam cadamus, et ut anguem forse latentem in herba cautissime vitemus.

14

Exc.mus P. D. IOSEPH M. REUSS

Episcopus tit. Sinopensis, aux. Moguntinus

Venerabiles Patres,

Liceat mihi ante propositionem meam errorem corrigere. Non sum episcopus Moguntinus, sed solummodo auxiliaris episcopi Moguntini. Et nunc ad rem.[1]

Pro sententia, quod schema propositum « non placet », iam multa gravissima, persuasiva, immo, ut arbitror, evidentissima argumenta allata sunt. Insuper autem in hac ipsa disceptatione generali schematis propositi iam nunc apparet, quibus difficultatibus discussio quaestionum theologicarum in Concilio laborat et laborabit. Attamen, certo certius diligens et accurata discussio quaestionum theologicarum absolute necessaria est. Nunc autem, plurimi Patres conciliares compluribus annis per plures menses Romae degere, etsi velint, non possunt.

Rebus sic stantibus forse periculum non negari potest, ne aliquando instante fine Concilii tractatio rerum gravium et supremarum nimis festinetur vel immo omittatur. Ideoque liceat in hac disceptatione generali votum proponere, ut Concilium decernat vel a Summo Pontifice petat, ut ante alia schemata tractanda, loco huius schematis constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* locutio sit de verbo Dei revelato, deinde de Ecclesia, de episcopis, de unitate Ecclesiae. Huiusmodi schemata a commissionibus Pontificiis iam praeparata sunt. Profunda et Oecumenici Concilii digna tractatio horum schematum Ecclesiam iuvaret munere suo in hodiernis adiunctis fungi.

Si autem, Concilium foveret his quaestionibus solvendis, quae recapitulationi mundi serviunt ideoque maximi momenti sunt, tunc, etsi tempus pro aliis tractandis deficeret, nos omnes profundiorem solutionem reliquarum quaestionum fiducialiter temporibus futuris concedere possemus; nam etiam pro his temporibus Dominus noster Iesus Christus Ecclesiae suae assistentiam Spiritus Sancti promisit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

15

EXC.MUS P. D. IOSEPH GARGITTER
Episcopus Brixinensis

Venerabiles Patres,

Ad schema propositum, liceat mihi breviter animadvertere quae sequuntur:

1. Propono ut praesens schema *de fontibus revelationis* cum schemate secundo *de deposito fidei pure custodiendo* uniatur et in unum solum schema valde abbreviatum exaretur. Plura enim argumenta, quae in his duobus schematibus inveniuntur, omitti possunt propter rationes iam pluries ab aliis Patribus altera die allatas, quae nunc non re-

peto. Paucae tantum pro schemate seligantur quaestiones maioris omnino momenti, praesertim quae cum philosophia recentiore et cum progressu in scientiis connexae sunt et mentes hominum nostrae aetatis maxime movent et quarum tractatio theologica et pastoralis a Concilio iure expectatur.

2. Novum schema sit indolis vere pastoralis. Ad hunc finem obtinendum modo positivo exponatur doctrina, et usus valde modicus fiat monitorum et condemnationum. Necesse utique est, ut Concilium veritatem clare enuntiet et errores compescat, sed hoc fiat modo paterno et caritate *pleno,*[1] ut lectores schematis animo grato ex nostris verbis vocem et amorem Boni Pastoris audire possint. Ut episcopi, non sumus functionarii veritatis et disciplinae, sed patres et pastores *et*[2] fratres nostrorum sacerdotum et fidelium.

3. In schemate *de fontibus revelationis,* n. 28, verba et monita fiunt ad exegetas catholicos. Peropportunum mihi videtur, ut novo schemati exarando inserantur quaedam pastorales animadversiones circa momentum investigationis scientificae, exegeticae et theologicae, circa grave munus theologorum catholicorum.

Theologi catholici servitium necessarium et pretiosissimum praestant Magisterio Ecclesiae in eius proprio munere adimplendo, nempe ut thesauri in deposito fidei absconditi pandantur, ut annuntiatio veritatis revelatae progrediatur totamque vitam fidelium magis in dies illuminet. Simul ab ipsis solvenda sunt multa problemata, quae ex progressu scientiarum profanarum, praesertim naturalium et historicarum, semper nova surgunt. Labor theologorum catholicorum, praesertim exegetarum, non caret gravibus difficultatibus et periculis, ut aberrationes vitentur et veritas integre elucescat.

Magisterii Ecclesiastici est invigilare in labores theologorum eosque contra pericula munire indicando vias inquisitionis pervias. Et viri scientiis sacris dediti fideles se et oboedientes exhibeant oportet erga Magisterium Ecclesiae, scientes fructum studiorum dependere essentialiter a spiritu fidei, humilitatis, orationis.

Altera ex parte theologi catholici, imprimis exegetae, merentur sinceram et benevolam considerationem difficultatum, quae ipsis in labore obveniunt. Magisterii Ecclesiastici interest non solum ut veritas tuta sit, sed etiam ut illa libertas investigationis tueatur, quae ad genuinum laborem scientificum necessaria est. Per nimiam enim restrictionem theologis in labore scientifico impositam, non solum errores comprimerentur, sed etiam progressus scientiae theologicae et expansio veritatis damna capere possent. Itaque attendendum est ne impossibilis reddatur vera discussio scientifica theologorum catholicorum inter se et cum viris doctis

acatholicis et ne aestimatio laboris scientifici theologorum *catholicorum*[3] apud catholicos et acatholicos diminuatur.

Rogo ergo Patres conciliares, ut in schemate dogmatico non solum statuatur officium Magisterii Ecclesiae in tutanda veritate et in vigilantia in labore theologorum, *sed*[4] simul explicite agnoscatur momentum investigationis scientificae et congrua libertas ad hunc laborem perficiendum; denique ut positive exprimatur gratitudo Magisterii Ecclesiae erga cultores scientiarum sacrarum et illis animus addatur, ut suum laborem alacriter et cum gaudio in bonum Ecclesiae prosequantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] perfuso. [2] deest. [3] deest. [4] at ut.

16

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Em.me Praeses et venerandi Patres,

Mihi liceat aliquam propositionem facere de declaratione praeliminari omnibus constitutionibus, praesertim de fide, praemittenda.[1]

Nuntius praeliminaris Sacrae Synodi Vaticanae II, « ad omnes homines ac nationes » directus, ab omnibus laeto et grato animo acceptus est. Nam in illo nuntio locuti sumus de illis obiectis quibus omnes homines anhelant, nempe de salute, amore ac pace et quidem, ut ita dicam, plana loquela ad quam omnes, etiam indocti, accedere potuerunt, ita ut, mutatis mutandis, idem affirmari posset pro hominibus hodierni temporis, quod acciderat multitudini hierosolymitanae die Pentecostes: « Facta autem hac voce, convenit multitudo...; et mirabantur dicentes, nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus »...[2]

Concilium Vaticanum II, sub auctoritate et directione Summi Pontificis Ioannis XXIII, feliciter regnantis, sibi ut finem proposuit praesentandi mundo fatiscenti ipsum Salvatorem, pastorem, medicum, fratrem Dominum nostrum Iesum Christum cum sua doctrina genuina, integra, *universa,*[3] tamen sub lingua nativa, simplici, clara, omnibus accessibili, etiam pauperibus et parvulis, ut fecit *ipse*[4] Dominus noster pauperibus evangelizando. Quod, *ut mihi videtur,*[5] desideratur in *schematibus de fontibus revelationis.*[6] Sed quid in ore Christi frequentius, immo fusius ac clarius invenimus sub forma quidem concreta, *nisi*[7] de Deo Patre suo et nostro, de Filio magistro et fratre, de proximo diligendo tamquam fratre? « Vos autem nolite vocari rabbi: unus est enim magister,

Christus,[8] omnes autem vos fratres estis; et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester qui in caelis est »...[9]

Porro,[10] ubinam melius inveniantur relationes paternitatis, filiationis, fraternitatis quam in ipsa familia? Revera Christus totam doctrinam *suam*[11] de Ecclesia ...[12] aedificanda posuit in divina Familia Sanctissimae Trinitatis, ad quam omnes homines vocare dignatus est ut tandem aliquando omnes filii in Filio, haeredes Dei et cohaeredes Christi efficeremur...,[13] inchoative in terris per gratiam et definitive in caelis per visionem...[14]

Praeses: Exc.me Pater, agitur *de fontibus revelationis!*

Orator: *... et cum de fontibus revelationis iam multa dicta sunt, nollem aliud adiicere.*[15] Gratias!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Act.* 2, 4 s.). [3] completa. [4] deest. [5] deest. [6] schemate proposito. [7] quam. [8] deest. [9] (*Mt.* 23, 8-9). [10] deest. [11] deest. [12] sua. [13] (*Rom.* 8, 17). [14] « In domo Patris mei mansiones multae sunt (*Io.* 14, 2). [15] 1. Huius divinae Familiae caput et origo sine origine est Pater qui « in principio » ab aeterno suum unigenitum et primogenitum genuit, cui totam suam vitam seu naturam divinam tradidit: « Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso » (*Io.* 5, 26), « quem diligit » (ib. 20) et a quo diligitur in Spiritu veritatis et amoris (*Io.* 14, 31): en mysterium SS. Trinitatis.

2. In sua bonitate infinita, Deus voluit homines a se creatos, suae Familiae cooptare per adoptionem filiorum: « Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam aeternam » (*Io.* 3, 16). Filius per Mariam caro factus et habitans in nobis, praeter suam doctrinam de Regno Dei, dedit et suam carnem « quae pro vobis datur » et suum sanguinem qui « pro vobis effundetur in remissionem peccatorum », in cibum et potum quibus fimur sui concorporei et consanguinei: en Mysteria Incarnationis et Redemptionis. Quodsi cum Christo Filio naturali Patris concorporei et consanguinei efficimur, merito transformamur in eius fratres et proinde filii Dei Patris nominamur et sumus. En mysterium elevationis et adoptionis divinae.

3. Cum homo et anima et corpore constituitur animaque attingitur mediante corpore, sic Christus in sua condescensione, voluit nobis relinquere suam carnem et sanguinem cum suis effectibus salutaribus sub velamine sacramentorum quae sunt quasi ubera stillantia lac et mel in os filiorum, quae tamen non cuique privatim, sed una cum doctrina salutis, tradita sunt Ecclesiae ab ipso fundatae supra firmam Petram, tanquam Matri omnes filios nutrienti et Magistrae pueros docenti. En mysteria Ecclesiae et Sacramentorum.

4. Omnes filii eiusdem familiae sunt inter se fratres, cuiuscumque dignitatis, conditionis et aetatis sint, ideoque debent sese invicem diligere, adiuvare, defendere, idem sapere cum matre quae eis monstrat Patrem cum Fratre primogenito in Spiritu amoris et unionis Familiae: en fundamentum totius moralis christianae.

Audiamus nunc Doctorem gentium eandem linguam de hac magna Dei Fa-

milia proferentem. « Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur... ut det vobis corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem... in caritate radicati et fundati » (*Eph.* 3, 15): en prospectus luminosus, energice captivans Divinae Familiae ad cuius consortium omnes vocantur. « Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem ut per mortem destrueret... diabolum (*Hebr.* 2, 14); Semen Abrahae apprehendens, « non confunditur fratres eos vocare » (*ib.* 11, 16). Ut autem exstingueret omnem discordiae fomitem, Christus per Ecclesiam evangelizavit « pacem vobis qui longe fuistis et iis qui prope, quoniam per Ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem. Ergo iam non estis advenae sed estis cives sanctorum et domestici Dei » (*Eph.* 2, 17).

Nonne quotidie Ecclesia vult ut nos signemus signo Crucis, in quo invocamus SS. Trinitatem oramusque Christum ut in nobis renovet fructum crucis qua cum Ipso uniti et identificati, efficiamur filii Patris in Filio.

En loquela quae facile penetrat mentem omnium et ad cor vadit, omnes enim facile percipiunt quid sit familia et quinam sint sensus et officia filiorum erga parentes.

Optandum ergo mihi videtur ut per modum introductionis ad constitutiones et decreta, declaretur: Ecclesiam Dei esse magnam familiam divinam in quam Deus Pater in sua bonitate infinita, per Dominum Iesum Christum Filium suum, in communi Spiritu amoris, dignatus est omnes homines vocare ut omnes filii sui per adoptionem efficiantur et invicem ut fratres sese agnoscant et diligant.

Animadversiones additae:

Cum finis et officium Concilii sint praedicatio Evangelii Christi iuxta praeceptum Domini: « Euntes docete omnes gentes... baptizantes..., docete eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20), nobis attendendum est ad genuinitatem, integritatem, puritatem doctrinae et ad capacitatem audientium, in expositione Verbi Dei quia legatione Dei fungimur.

Ut autem consulatur et indoli pastorali et claritati expositionis doctrinae, auderem proponere:

1. Ut schemata proposita serventur ad discussionem, ea tamen conditione ut quaestiones disputatae in partes segregentur (relinquantur variis commissionibus Curiae Romanae), doctrina certa proponatur, nam in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas; alius tamen ordo rerum tractandarum iuxta mentem hodierni temporis, maioris claritatis causa eligatur; tandem stylus exprimendi simpliciore gressu, apparatu scolastico liberatus, adoptetur.

2. Ut circa fidem et revelationem, doctrina Conciliorum Tridentini et Vaticani I resumatur.

3. Ut ante omnem constitutionem et decretum, praemittatur clara et concisa expositio praecipuorum fidei articulorum qui sunt fundamentum totius aedificii dogmatis et moralis christianae eruntque summa religionis pro fidelibus, lumen pro iis qui foris sunt, et programma pro iis qui sese praeparant ad baptismum recipiendum.

Mihi liceat proponere sequentem ordinem rerum tractandarum:

1. Visio compendiosa sed organica articulorum fidei fundamentalium, iuxta verbum Christi: « Haec est vita aeterna ut cognoscant te solum Deum et quem misisti Iesum Christum ».

2. Haec vita aeterna cognoscitur per verbum Dei seu nuntium salutis ad om-

nes homines, annuntiatum prius a patriarchis et prophetis, dein a Christo Domino et Apostolis (Multifariam multisque modis...): Vetus et Novum Testamentum.

3. Omne verbum potest esse in scriptis vel orale. Verbum Dei datum est in scriptis (Sacra Scriptura) et oraliter (Traditio). Christus enim praecepit: « Euntes docete » et non sedentes scribite.

4. Qualitates verbi Dei. *a*) Veritas et inerrantia; *b*) divino-humanum: divinum quia ipse Deus inspiravit et auctor principalis; humanum quia est opus liberum hagiographi, cum suis notis particularibus psychologicis, historicis, ...

5. Interpretatio verbi Dei. Verbum Dei ad omnes homines diriguntur ad salutem. Non omnes sunt capaces interpretandi verbum Dei. Sunt multa loca difficiliora. Ecclesia est organum officiale et authenticum ad hanc interpretationem.

In hac interpretatione, attendendum est ad notas particulares auctoris humani, ad conditiones litterarias, historicas et geographicas. Multa exstant in Oriente tanquam reliquiae traditionum antiquarum quae sunt magnae utilitati ad bene intelligenda loca difficilia S. Scripturae.

Traditiones orales. « Sunt autem et alia multa quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt, libri » (*Io.* 21, 25). Docete omnes gentes. « Ille (Spiritus S.) docebit vos omnia » (*Io.* 14, 26). Traditio conservat S. Scripturam, revelatam doctrinam intactam tradit, explicat, complet. Haec invenitur in scriptis Patrum, in Magisterio ordinario Ecclesiae et in documentis pontificiis.

Verbi Dei studium. Omnis loquens vult audiri verbaque sua in executionem conduci. Deus dignatus est nobis magnam epistolam per varia saecula scriptam, mittere ad nos docendos de sua voluntate et nostris officiis ad salutem; debemus eam non solum legere sed et meditari quotidie ut sciamus quid agendum. Sacerdotes cuius officium est alios docere verbum Dei, esse versatos in verbo Dei oportet ac nil negligere ad illud propagandum.

Has praedictas observationes humiliter propono, et non peto ius ad loquendum, nisi em.mus Dominus praeses aliter iudicaverit.

17

Exc.mus P. D. IOSEPH BATTAGLIA
Episcopus Faventinus

Venerabiles Patres,

Nolo celare vos admirationem et tristitiam quibus affectus sum, cum audivi argumenta quibus impugnabatur schema nobis propositum *de fontibus revelationis.* Quae argumenta, et hoc dictum sit maxima cum reverentia, meo humili iudicio, mihi *videntur* [1] fallacia et inania.

Praetermissa omni observatione de nullo respectu habito, tum commissioni, quae schema per tot temporis praeparavit, tum Pontifici, qui evidenter voluit ut illud nobis proponeretur discutiendum, tum omnibus Patribus qui per menses illud examinaverunt, venio, stylo telegraphico, ad argumenta quibus reiciendum putatur. Revera:

1. Impugnatur schema quia non loqueretur de verbo Dei, sed de Sacra Scriptura et Traditione. Sed nos semper credidimus hucusque in Sacra Scriptura et Traditione contineri verbum Dei, et Traditionem et Sacram Scripturam idem esse ac verbum Dei.

2. Impugnatur schema quia uteretur novis vocabulis, *ut « Traditio », « Revelatio », « Fons » et alia, quae, uti iam audistis, adhibita sunt in Conciliis praecedentibus* [2] ut in Tridentino et in Vaticano. Et vocabulum « Traditio » antiquum est ut epistolae S. Pauli.

3. Impugnatur schema, et fit recursus ad verba Summi Pontificis, quia in eo deest afflatus pastoralis, sed *Summus Pontifex commendat etiam* [3] ut veritas Catholicae Ecclesiae solemniter affirmetur, ita ut elucescat omnibus, etiam fratribus separatis, quodam novo splendore. Et si ex documentis Summi Pontificis de Concilio excerpere vellem locos qui huc referuntur, possem vobis loqui usque ad vesperum. Admittitur quidem veritatem esse fundamentum pastoralis; quid amplius desideratur? Huic fundamento veritatis innixi pastores scientiam pastoralem *et artem pastoralem aedificabunt et* [4] exercebunt, quae scientia non erat tractanda in hoc schemate, cum iam tractetur in aliis schematibus et, ut vidimus, etiam in sacra Liturgia.

4. Impugnatur schema quia non esset satis oecumenicum: sed veritas ipsa *sua natura* [5] est oecumenica, et nihil magis oecumenicum veritate, et certo fratres separati non alliciuntur minuendo veritatem. Quod, *diminutio veritatis,*[6] ne honestum quidem esset.

5. Impugnatur schema quia esset scholasticum; sed quaero: quia eaedem veritates etiam in scholis docentur et in manualibus inveniuntur, fidelibus totius orbis erant tacendae, contra mentem Pontificis?

6. *Affirmatum est etiam schema fidei mutatum esse in Concilio Vaticano I.*[7] Utique, sed in eodem sensu et eadem sententia, ut efficacius declararentur eaedem veritates *dogmaticae.*[8]

7. Impugnatur schema quia *videtur* [9] condemnare certas opiniones, quas non *nomino.*[10] Sed non est officium Concilii Oecumenici et sollicitudinis Pastorum monere fideles ut caveant errores et pericula in fide?

Peto veniam, ob meum ausum, quo neminem offendere volui, sed considerans adversarios huius schematis, si parva componere magnis licet, mihi videor *esse* [11] ut Daniel in fovea leonum, sed confido me ereptum iri ex eorum ore data eorumdem humanitate, si venio ad hanc conclusionem:

Schema propositum mihi placet, ob claritatem expositionis, ob proprietatem verborum, ob rigorem logicum quo partes connectuntur. Addatur prooemium quo oeconomia totius schematis et eius maximum mo-

mentum explicentur. Emendetur et perficiatur in locis ubi credatur emendandum et perficiendum, sed expedite discutiatur nec teramus ulterius tempus tam pretiosum vanis disceptationibus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] visa sunt. [2] alia vocabula adhibentur in Conciliis. [3] memoranda sunt etiam alia verba S. Pontificis qui enixe commendat. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] Impugnatur schema affirmando, etiam in Concilio Vaticano I schema fidei mutatum esse. [8] fidei. [9] videretur. [10] afferam. [11] deest.

18

EXC.MUS P. D. AEMILIUS GUERRY
Archiepiscopus Cameracensis

Venerabiles Patres,

Quae sequuntur de consensu omnium episcoporum Galliae proponuntur. Tollenda omnino est quaedam aequivocatio graviter et unitati et fecunditati Concilii periculosa. Ex eo enim quod multi episcopi postulent veritates doctrinales alio modo praesentari ad homines huius temporis, sub forma magis positiva, vivida, evangelica, adaptata, posset quis intelligere eos paratos esse ad sacrificandam doctrinam in favorem necessitatis pastoralis. Quae aequivocatio Patres in duas partes divideret: alios quidem doctrinae studentes, alios necessitates pastorales doctrinae anteponentes.

Quod concedere nequimus ex duplici ratione:

1. Quia unitas ipsa Concilii bonum aliquod eminens est, ab omnibus quaerendum in veritate et caritate Iesu Christi.

2. Quia hanc oppositionem inter ambo officia nostra respuimus: etenim inter necessitates doctrinales et necessitates pastorales nulla potest haberi oppositio. Doctrinae est in omne opus pastorale resplendere « ut vitam habeant et abundantius habeant ».

Primum officium pastorale nostrum in hoc est: doctrinam integralem et puram populum nostrum doceamus, ita tamen possit audire verbum Dei, intelligere, accipere in fide et tandem in universum vitae suae spatium in actum deducere.

Aequivocatio forsan ab hoc vocabulo pendet, nempe « adaptare », quod insinuare videretur nos nuntium redemptionis novitatibus et tendentiis quibusdam hodiernis accommodare velle; velarentur, v. g. doctrinales exigentiae, reticerentur principia quaedam nimis hominibus huius

temporis ingrata. Huiusmodi sensus crimen esset adversum officia nostra episcoporum, fidei doctorum.

Ad aliud quid omnino diversum tendimus, et hoc duplici modo intelligendum est:

1. Adaptanda est, non ipsa doctrina, sed praesentatio ipsius doctrinae: etenim ipsa doctrina, nonnisi cum tota virtute sua veritatis Evangelii ad illuminationem vitae tradenda est, sed praesentatio ipsa doctrinae, ad hoc ut omnes integram veritatem suam facere queant. Quid vero requirit, ex nostra parte, tale praesentationis studium? Officium nostrum est, sub lumine fidei viventis, nostram propriam mentem ad veritatem adaptare Scripturae Sanctae, Theologiae, Patribus, documentis Magisterii studentes, meditationi et orationi instantes...,[1] ut veritas nobis familiaris evadat et a nobis praesentari valeat, non solum mentibus hominum temporis nostri aperta, sed etiam lucens, ardens, vivida, attrahens, revelans immensam caritatem Dei qui vult omnes homines salvos fieri, trahendo ipsos ad Filium suum in Ecclesia, tanquam filios in Filio, et inter se fratres. Sub hoc aspectu, in schemate theologico deficit haec synthesis omnino necessaria: aliquod prooemium quod « mirabilia Dei » exponat in oeconomia salvifica mundi.

2. Praesentatio doctrinae adaptanda est novis conditionibus et formis vitae in mundo moderno, sicut recenter postulavit Summus Pontifex, triplici causa:

a) Si fit respectus ad populum nostrum credentem, non tantum errores hodierni in ipsum influunt, sed « civilisatio » nova, technica ipsum profunde signat. Quod non tantum condemnare vel denuntiare sufficit! Infidelitas enim esset, nos, doctores et pastores, non docere populum nostrum et iuvare ad salutem assequendam in ipsa sua vita hodierna, in ipso hodierno ordine rerum. Quod fieri non potest sine arduo mentis et inquisitionis doctrinalis labore! Quam facilius esset formulas manualium mere repetere!

b) Quoad illos autem, ad quos nondum pervenit felix nuntium Evangelii, episcopus, utpote « missionarius », apostolus per antonomasiam, horum curam assumere debet. Caritas erga Christum et erga hos ipsos urget nos ut modo persuasivo et intelligibili ad *hos*[2] verbum salutis afferamus. Ad hoc autem exigitur profundior doctrinae cognitio et catechesis conveniens iis qui sunt in via ad Christum.

c) De obiecto ipso doctrinae haec dicatur: Ecclesiae est « omnia instaurare in Christo »: quidquid igitur vere humanum est, — quidquid inter res mundi valorem exhibet, in dominio artis et scientiae et « culturae » ut dicitur, et artium technicorum, — quidquid ad vitam hominum confert quocumque modo, scilicet amor et relationes inter

coniuges et familiae, et labor, universa problemata socialia, relationes inter nationes et pax in mundo. Christus venit « non ut damnaret mundum, sed ut salvaretur mundus per ipsum ». Doctrinae igitur nequaquam studeret qui, a beneficiis Incarnationis et Redemptionis quidquid excludere vellet.

Conclusio nostra est circa generaliora primi schematis: ordinatio pastoralis, nedum excludat doctrinam vel minuat, novum et immensum spatium aperit, simul ac eam ad inquisitiones ulteriores provocat, ita ut, per opus connexum omnium qui veritatem et *homines* [3] diligunt, verbum Dei ad omnes homines, in omnibus conditionibus, annuntiari possit et totam vitam personarum, familiae, societatis illuminet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ita. [2] eos. [3] animas.

19

EXC.MUS P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Venerabiles Patres Conciliares,

Gaudeamus de intacta libertate loquendi in hac aula conciliari; sed intacta servetur etiam caritas fraterna ideoque fraternus modus disceptandi...[1]

Quoad substantiam doctrinalem, puto nos omnes convenire, sed potius circa methodum proponendi res fundamentales valde discrepamus. Praecipua quaestio in praesenti est illa de *methodo;* an nempe retinenda sit methodus scholastica, *quae de cetero valde mitigatur in schemate proposito*: *repeto, an nempe retinenda sit methodus scholastica,*[2] hucusque ab Ecclesia adprobata et natura sua securior, sed mentalitati hodiernae minus grata (quia mens modernorum est potius historicistica et inhians experientiae et emotioni religiosae), aut seligenda sit methodus, quam vocare solent positivo-historicam, quae postremis annis progressa est in connexione cum cultura biblico-liturgico-patristica, quaeque praevalere videtur ubi contentio viget theseon theologicarum cum protestantibus.

Problema magnum ac urgens est invenire synthesim altiorem, qua integrari possint istae duae tendentiae catholicorum...[3] Tentamina, humiliter quaeso, fiant ad id consequendum.

Quod etiam defensores prioris tendentiae laborent anxietate doctri-

nali et pastorali, facile intelligitur, quia altera sententia, ex natura sua, si non *cautissime* [4] procedatur, sensim sine sensu et non obstante rectissimo fine fautorum eius, adaperire potest angiportus subiectivismo *periculoso,*[5] eo vel magis quod societas hodierna caret philosophia et caret visione mundi (Weltanschauung), qua ipsamet valeat interpretari praesentes realitates quin cadat in pessimismum et in angorem « existentialisticum ».

Sed interim, *venerabiles Patres,*[6] susceptam discussionem continuemus circa schema iam propositum, et concrete: aliqui ex vobis putant non esse *tam* [7] loquendum de duplici fonte revelationis? Bene. Redeamus ad textum Concilii Tridentini, quem suggero praeponendum, prooemii instar, in pag. 9 ...[8] Scio illum placere etiam quibusdam fratribus separatis.

De cetero nemo in dubium vocat fontem *primarium* [9] et unicum revelationis esse Deum seu Verbum Dei Unigenitum, quod cum sit in sinu Patris, ipse nobis enarravit...[10]

Et voluissem nunc statim illico subiicere verba praeclara, classica, ut ita dicam, Concilii Tridentini, et analysi eundem textum subiicere ut possem deinde coram omnibus concludere, dicere [11] praediligentibus theologiam sic dictam « vitalem »...[12]: quid hoc textu, theologice loquendo, magis vitale? *Sed omittam textum, qui iam pluries citatus fuit, praesertim ab em.mo, ni fallor, card. Caggiano. Liceat itaque pauca alia addere.*[13]

1. Neminem latet vocem « paradosis », sensu theologico agnito a Concilio Tridentino et prius a S. Thoma, inveniri apud notum textum paulinum: « Tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram »...[14] Prius quam esset vox scholastica fuerat vox biblica, et alius prostat textus, generatim neglectus, ex epistola Iudae desumptus: « Necesse habui scribere vobis, fratres, deprecans supercertari semel traditae » — *notate*: « *semel traditae* [15] (hapax paradotheise) sanctis fidei »...[16]

2. Adnotare liceat *quoque* [17] mihi, Patres venerabiles, quod plura ex oppositis, *feria quarta,*[18] contra schema sunt faciliora dictu quam factu. Utcumque disceptatione fraterna et Sancti Spiritus gratia opitulante, poterimus, *ac tali « disceptatione » dico, poterimus* [19] clariorem, praesentem textum vel profundiorem vel breviorem reddere; etsi nequeam abstinere me a sincera admiratione, eo quod plures tractatus, *et* [20] valde delicatam, ...[21] explosivam materiam biblicam, Patres commissionis praeparatoriae *per bene* [22] in epitomem cogere valuerint.

Ulterius: si hic auditur vox Ecclesiae Magistrae, potiusquam vox Ecclesiae Matris id liquet ex natura subiecti.

Sicut parentes ex iure naturae sunt magistri filiorum, ita Ecclesia ex iure divino, et quidem iure divino primordiali, est magistra filiorum suorum (*iam vero* [23] nemo negaverit et hunc esse aspectum pastoralem, immo eminenter pastoralem).

De cetero audiemus satis superque vocem Ecclesiae Matris in schematibus *quae cognosco* [24] de cura animarum et, ut confido, in schemate de Ecclesia, *quod nondum cognosco.*[25]

Adhuc [26] si sapit pessimismum schema praesens, reddere poterimus iucundiorem, *salva dignitate styli conciliaris,*[27] postquam disceptatio fraterna ostenderit ubi lateat anguis pessimismi.

3. *Denique,*[28] recte desideratur ut si errores reprobantur, clariore modo id fiat, ad auferendas ambiguitates et ad diffidentiae quodlibet germen dissipandum. Fortasse hoc desiderium praecipue respicit cap. IV, n. 22.

Iamvero, si ambiguitas *datur,*[29] non versutiae humanae id attribuendum est, sed prudentiae caritatis Christi, nempe ...[30] ne iterum suscitentur controversiae damnosae. Quisnam, v. gr., non audivit his ultimis temporibus verba Christi relata ab Evangeliis quasi ex toto referre potius mentem (creatricem utique) communitatis *inconsciae,*[31] iuxta placita illius methodi hermeneuticae quae « Formgeschichte » nuncupatur, et cui nimis indulgent (proh dolor) etiam plures exegetae catholici?

Mihi suasum habeo non agi in casu de opinionibus, sed de principiis et criteriis quibus pessumdatur sensus inspirationis biblicae et ...[32] enervatur, tandem aliquando, tota auctoritas historica Evangeliorum.

Iamvero boni pastoris munus est etiam illud tuendi gregem ab erroribus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Certo dissensus acriores exarserunt aliis in Conciliis; at quidquid contigerit tempore praeterito, hodie omnia progrediuntur; progrediantur ergo etiam patientia et fiducia reciproca. Ut plures asseruerunt, omnes tendimus ad idem: ad incrementum et ad defensionem fidei, ad sanctificationem nostram (ut fiamur forma gregis ex animo, magis magisque) et ad salutem nostrarum ovium, sedulo attentis mutatis condicionibus, exigentiis, necessitatibus pastoralibus nostri aevi. [2] deest. [3] (quae deteguntur etiam in Concilio). [4] caute. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] et sublato n. 4 in pag. 10. [9] primariorem. [10] Etenim Evangelium promissum ante per Prophetas et in Scripturis sanctis, Dominus Noster Iesus Christus proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae, omni creaturae praedicari iussit (cf. *Mt.* 28, 29; *Mc.* 16, 15); perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt; orthodoxorum Patrum exempla secuta (haec S. Synodus) omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas tum ad fidem tum ad

mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu et reverentia suscepit ac veneratur (Conc. Trid. Decr. de Canonicis Scripturis, sess. IV, E. B. n. 57). [11] deest. [12] peto. [13] Denique liceat mihi pauca addere. [14] (2 *Thess.* 2, 15). [15] deest. [16] (*Iud.* 3). [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] deest. [21] et. [22] deest. [23] deest. [24] deest. [25] deest. [26] deest. [27] deest. [28] deest. [29] detur. [30] (ut puto). [31] primaevae. [32] penitus.

20

EXC.MUS P. D. IESUS CLEMENS ALBA PALACIOS
Episcopus Tehuantepecensis

Venerabiles Patres Conciliares, carissimi Fratres Observatores,

Tractabo de primo schemate, id est *de fontibus revelationis,* cum relatione ad secundum schema, *de fidei deposito pure custodiendo.* In utroque partim recoluntur ac denuo promulgantur fere verbatim decreta priorum Conciliorum; partim proponuntur discutiendae quaestiones nondum mature perpensae, quin appareat necessitas definitivi et solemnis iudicii; in schemate de deposito fidei pure custodiendo tractatur etiam directe et per se de quaestionibus philosophicis. Propter diversas rationes, praesertim pastorales, proposita fuit reiectio utriusque schematis et exhibitio novi schematis.

Praeses card. LIÉNART: Exc.me Pater, *de deposito fidei pure custodiendo* non agitur, sed *de fontibus revelationis.*

Orator: *Agam de fontibus revelationis.*[1]

In schemate *de fontibus revelationis,* primo, introducitur quaestio quae *inter bonos theologos* [2] potius est de nomine *et terminologia*: *nempe veri theologi admittunt tam Scripturam quam Traditionem. Unicus primarius fons est Deus. Unice agitur de hoc*: *utrum utendum sit nova terminologia quae procedit ex saeculo praeterito et multis videtur non felix.*[3]

Latius repetuntur doctrinae iam definitae [4] in Tridentino et in Vaticano relate ad Scripturam.

Non sufficienter tractatur de Traditione eiusque vita in Ecclesia, neque de mutua relatione inter Scripturam, Magisterium vivum et respondentem sensum supernaturalem fidelium, neque accurate proponuntur Traditionis criteria. *Et hoc est maximi momenti. Saepius dicitur ille textus Vincentii Lerinensis*: « *Quod semper, quod ubique, quod ab omnibus* », *et non semper verificantur conditiones. Et quando aliqua sententia vi-*

detur aliquatenus nova, immediate opponitur hoc illis qui vocantur « novatoribus »; quando vero iam accuratius hoc inspicitur, non est verum.[5]

Quarto, quoad interpretationem Sacrae Scripturae, post sapientissimas normas a Summo Pontifice Pio XII promulgatas, adduntur expressiones quae coarctare videntur legitimam libertatem studii Sacrae Scripturae, praesertim quoad Novum Testamentum, et decidere definitive *quaestiones quae legitime agitantur*[6] inter optimos interpretes diversarum tendentiarum. *Et habuimus opportunitatem videndi quod saepe agitur de exaggerationibus et, parcite verbo, de veris calumniis.*[7]

Quoad has difficillimas quaestiones biblicas candide fatebor: multi ex nobis studuimus Sacris Litteris ante splendidam encyclicam *Divino Afflante Spiritu*; postea vero, propter arduos labores apostolicos, neque tempus neque sufficiens opportunitas nobis fuit accuratim attendendi ad progressum scientiae biblicae ut prudenter possimus iudicium maturum proferre hac de re. *Accusantur multi auctores quos nondum legimus vel vix incepimus legere.*[8] Nonne periculum magnum est pro Ecclesia si praecludatur accessus ad vias sapientiae et doctiores alienentur ab ipsa Ecclesia si ipsis responsiones demus omnino coactas ad solutionem difficultatum quae etiam in Novo Testamento inveniuntur? Nonne melius erit breviter recolere sapientissimas normas Pii XII sanctae memoriae et doctos impellere ad has vias prosequendas, debitis quidem cautelis, sed abstinendo a praecisionibus quarum momentum quam plurimi ex nobis non satis percipere possumus?

A doctissimis et piissimis viris, veritati catholicae et Sanctae Sedi valde addictis, feria quarta *et hodie*[9] audivimus non debere sanctam libertatem doctorum vere catholicorum coarctari. Quamvis negare vel dissimulare nequeam pericula, videtur omnino sufficiens quod ipsis praevideatur per interventionem magisterii ordinarii, praesertim Summi Pontificis, cum auxilio Pontificiae Commissionis Biblicae, in perfecta concordia cum Sancto Officio.

Maximi vero momenti videtur ut Concilium praecipiat praeparationem instructionis magis particularis de studio et expositione scholari et populari Sacrae Scripturae in qua securum adiutorium pastorale *invenire possimus*[10] pro seminariis, pro scholis elementaribus, pro praedicatione et catechesi biblica. Ipsi laici attendunt ad periculum fidei, praesertim adolescentium, quod provenit ex Sacrae Scripturae expositione quae communiter vulgo fit, et saepius contradicit certis cognitionibus scientiae naturalis et historicae. (*Absonum esset adhuc disputare utrum cetus quod deglutivit Ionam esset vere cetus vel aliquis piscis*[11]). Talis instructio efformari posset sub ductu Commissionis Pontificiae Biblicae

a Pontificio Instituto Biblico cum adiutorio aliarum scholarum catholicarum quae studiis biblicis incumbunt...[12]

Ideo haec mihi proponenda videntur:

1. Schemata *de fontibus revelationis* ac *de fidei deposito pure custodiendo* ita recognoscantur ut brevientur et indoli pastorali huius Concilii aptentur *etiam* [13] ante disceptationem particularem.

2. Omnino excludantur hae quaestiones, quae legitime inter doctos catholicos studiosos Sacrae Scripturae agitantur.

3. Concilium praecipiat confectionem *adaequatam* [14] instructionis quoad studium et propositionem pastoralem doctrinae Sacrae Scripturae, quae instructio promulgetur a Commissione Biblica et praeparetur a Pontificio Instituto Biblico...[15] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quoad reiectionem schematum priorum de doctrina fidei haec mihi observanda videntur: nullam irreverentiam sapit erga Summum Pontificem reiectio schematum vel petitio revisionis praeviae ita ut funditus recognoscantur, ut reducantur quaestiones et reformentur a limine, ante discussionem particularem, propositio argumentorum, tendentia schematum simulque modus proponendi. Exemplum habemus in primo Concilio Oecumenico Vaticano in quo primum schema, propositum Patribus ab ipsis non fuit acceptum, cum admiratione sed sine offensione venerabilis Pii IX; postea proposita fuere alia schemata — sexdecim — ait historicus investigator. Ex hoc procedendi modo optima processit constitutio. Ideo nullus timor reverentialis debet nos praepedire in deliberatione; unice debemus attendere ad gloriam Dei et omnium hominum salutem; sub hoc lumine debemus perpendere utilitatem schematis ad finem obtinendum, absque praeiudicio, absque anxietate. [2] deest. [3] scil. de duplici fonte revelationis, quae videtur aequivoca eiusque resolutio posset esse damnosa, ex terminologia quam historici theologiae asserunt non esse valde antiquam nec feliciter inventam. Discussio theologica de hac terminologia pacifice transcurrit inter probatos auctores. [4] Late repetitur doctrina iam definita. [5] deest. [6] quaestionem quae legitime agitatur. [7] deest. [8] deest. [9] transacta. [10] inveniremus. [11] deest. [12] Etiam catechismus efformetur de doctrina christiana nostris temporibus proponenda. [13] deest. [14] adaequatae. [15] 4. Si ineptum appareat schema, postulentur schemata ab aliquibus Patribus elaborata et a commissione de fide examinentur.

[*Subsignatus etiam*] Sergius Méndez Arceo, addens: « Melius aliud schema ».

Animadversiones additae:

Quum in constitutione dogmatica agatur de proponenda infallibiliter doctrina revelata, non vero de disciplina quae a competenti auctoritate mutari potest quando opportunum videatur, tum meipsum, tum alios patres conciliares anxium reddit defectus claritatis in relatione qua propositum est schema *de fontibus revelationis* discutiendum, admittendum vel reiciendum, ad normam art. 33 Ordinis Concilii, prius in genere, postea in specie, seu quoad particularia.

Credo non esse denuo definienda a nobis, ut dogmata fidei, quae a prioribus Conciliis iam fuere definita, v. g., doctrinam revelatam contineri in S. Scriptura et sine scripto traditionibus quae ab ipso Christo vel a Spiritu Sancto Apostolis tradi-

tae ad nos usque quasi per manus transmissae sunt, nec alia dogmata iam indubie proposita. Sed quando agitur de doctrinis quarum propositio explicita non habetur, saltem clare et explicite, in sollemni et infallibili Ecclesiae magisterio, usque adhuc forsitan mens schematum de fide est ut huiusmodi clara et explicita propositio habeat vim definitionis infallibilis proponentis novum fidei dogma?

Aliis verbis, proponitur definienda, non quidem existentia traditionis continentis revelationem, quae etiam habetur in Scriptura, sed Scripturam et Traditionem esse et vocari debere duos fontes revelationis, forte adaequate distinctos?

Similiter, estne a nobis definienda authentia litteraria quatuor Evangeliorum, ita ut non solum constet de eorum canonicitate, quae est de fide, sed etiam de facto conscriptionis ab iis auctoribus quibus communis sententia ipsa tribuit? Forte damnari debet ut haeretica sententia quae quovis modo et quadam de causa germanam veritatem historicam et obiectivam factorum vitae D. N. Iesu Christi denegat vel extenuat, prout ab Evangeliis narrantur?

Similiter interrogari posset de secundi schematis quibusdam enuntiationibus quae ultra iam definita procedunt.

21

Rev.mus P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congregationis Anglicae O.S.B.

Venerabiles Patres Conciliares, et mei Patres in fide, quoniam non sum episcopus, sed discipulus episcoporum; sed sum quoque secundum quid exegeta, fui exegeta et habeo proprium interesse in re biblica. Et anxietatem praebet mihi tenor schematis typis impressi, cum specto futuras possibilitates in re biblica; sed habeo alias rationes quare, pro conscientia mea, meo humillimo iudicio, assentio eis qui dixerunt schema sibi non placere. Assentio eis qui negaverunt schema correspondere intentionibus pro Concilio Sanctissimi Pontificis nostri feliciter regnantis. Quantum intelligo, Pater noster communis et ipsum Concilium vult aliquid spei et boni nuntii ad mundum dare; non est intentio huius Concilii (quando non sunt haereses periculosae in sinu Ecclesiae vigentes) non est intentio huius Concilii, controversiam ut ita dicam, domesticam inter catholicos publici iuris facere; nec disciplinam domesticam exercere coram universis hominibus adversus aliquos catholicos doctos, quorum et nomina et studia ab omnibus, praeter perpaucos, ignorantur.

Assentio etiam eis qui dicunt quod quaestio de Traditione et Sancta Scriptura et de relationibus inter has non bene tractata sit in hoc schemate. Nemo negat doctrinam Tridentinam et Vaticanam, nemo negat doctrinam ordinarii Magisterii; sed pro multis e nobis haec pro tempore videntur sufficere, quia quaestio tacta in schemate est quaestio etiam nunc disputata inter scholas catholicas, optimae notae, et non est adhuc

matura, meo humili iudicio et complurimorum aliorum iudicio, ad decidendum in Concilio.

Similiter, schema tractat de inspiratione et inerrantia; si schema solum vult dicere quod Concilia Tridentinum et Vaticanum, et quod ordinarium Magisterium Ecclesiae vult dicere: repetat ergo verba Concilii Tridentini, Concilii Vaticani et ordinarii Magisterii, e. g. ex *Divino Afflante Spiritu.*

Sed schema ulterius progreditur, et invadit campum ubi adhuc vigent quaestiones disputatae inter catholicos, et meo quidem iudicio, valde periculosum est si quaestiones tales, velut transitorie, decidamus in Oecumenico Concilio. Iamvero, dixerunt aliqui — et praetereo, non recito plura argumenta sed submittam secretario generali — sed dixerunt complures hodie, quod quamvis schema corrigendum sit, tamen apte serviat quasi fundamentum disceptationis nostrae. Fuit iam bonum fundamentum disceptationis per duos iam dies, sed schema non laborat solum aliquibus superficialibus spinis quae possint evelli, sed ipsum schema in sua ratione, plurimorum nostrorum iudicio, non est apte et convenienter fundatum; et, Patres venerabiles, est omnino gravissimi momenti ut in hoc primo schemate doctrinali, Concilium nostrum inveniat aliquam quasi unanimitatem in praesentanda doctrina Ecclesiae. Plurimi sunt, ut videtur, qui non poterunt dicere *Placet* schemati ut stat, etiamsi aliqua in eo corrigantur. Nonne omnino necessarium est, ut parvus coetus, qui possit repraesentare eos qui vellent probare schema et eos qui non possent probare schema, coire et considerare si ex hoc schemate una via possit inveniri pro omnibus nobis. Si autem non possit inveniri, tunc pro certo, deberet aliud schema praeparari; quia debemus hanc quasi unanimitatem omnibus rationibus procurare in hac prima quaestione doctrinali Concilii. Dixi.

Textus scripto traditus:

Si fas sit, velim proponere vobis ut non immoremur in discussione singulorum capitulorum et paragraphorum huius schematis; sed, postquam in genere consideraverimus scopum et tenorem eius, consentiamus ut alterum schema praeparetur quod posset inscribi *de fonte unico doctrinae Catholicae Ecclesiae.*

Quaero etenim utrum schema iam typis impressum satis correspondeat intentionibus pro Concilio Pontificis nostri, et intentionibus quas ipsum Concilium debet habere. Communis Pater noster, f. r., voluit, ni fallor, ut Concilium daret verbum aliquod spei et boni nuntii ad mundum; non est intentio Eius neque est nostra intentio controversiam ut ita dicam domesticam inter catholicos publici iuris facere; nec disciplinam domesticam, rem ordinarium magisterium apprime spectantem, coram universis hominibus exercere adversus aliquos viros doctos quorum et nomina et studia ab omnibus praeter perpaucos peritos plane ignorantur et silentur.

Est, verbi gratia, quaestio disputata inter catholicos optimae notae utrum depositum fidei contineatur *partim* in S. Scriptura, *partim* in traditione sine scripto, an totum depositum aliquo saltem implicito modo contineatur in ipsa Scriptura. Haec quaestio non potest determinari ex definitionibus summi magisterii *iam factis,* cum magisterium solum dicat depositum contineri *et* in Scriptura *et* in traditione sine scripto. Controversia adhuc vivida est. Num nos in eo sumus ut secure possimus diiudicare hanc rem, maxime cum rationes alterutrim allatae non appareant in schemate? Et quid hoc ad necessitates mundi quibus respondere vult Concilium, vult Papa noster Ioannes? Sed schema videtur velle intervenire in hac controversia, et in sensu permultis theologis parum placente. Hodierna « colluctatio nostra » non est adversus novatores sextodecimi saeculi sed adversus eos qui omnino negant revelationem amoris salvifici Dei in Iesu Christo D. N. factam.

Similiter, schema tractat de inspiratione et inerrantia S. Scripturae verbis quae procedunt ultra ea quae iam definita sunt, et quidem verbis quae possent intelligi in sensu quasi alicuius « Docetismi » scripturistici; dum quod indigent homines audire ex nobis est quod Scriptura est verbum Dei ab hominibus lingua humana conscriptum, verbum inspiratum et verax. Quidquid amplius diceremus in hac re iam non esset « ad aedificationem » populorum sed forsan « ad destructionem » peritorum catholicorum. Et fieret scandalum intelligentiorum laicorum qui erunt omnis aetatis mundi iam illucescentis.

Praeterea, scientia litteraria et historica, qualis hodie ad S. Scripturas applicatur — et legitime applicatur, cum hae Scripturae sunt documenta historiae humanae quamvis etiam sint libri inspirati a Deo — hac scientia in hac applicatione est omnino recens et, ut ita dicam, in incunabulis. Relationes inter hanc scientiam et theologiam scholasticam debent studiose et pedetemptim elaborari, quod non potest facere hoc Concilium; non praemature decidi, maxime in sensu qui redderet talem scientiam perdifficilem, ne dicam impossibilem, pro peritis catholicis. Est autem scientia valde necessaria non solum in apologetica sed pro vita spirituali nostra.

Iamvero, schema, in aliquibus partibus, videtur mihi reddere mentem antimodernisticam. Sed modernistae inter catholicos vix hodie inveniuntur; et si inter acatholicos existunt, hi non obaudient voci Concilii Vaticani. Quod errores fiunt in tali scientifica indagatione non nego, errores facti etiam ab exegetis catholicis qui sunt plerumque homines profundae fidelitatis et catholicae integritatis et laude nostra dignissimi. Nam materia huius scientiae et modus investigandi sunt tales ut errores quasi fataliter gignuntur in via ad veritatem. Sed quousque quaestiones non sunt maturae, huiusmodi errores multo melius ab aliis exegetis corriguntur et per ipsum progressum scientiae quam per frequentem magisterii interventum. Exaggerationes autem et audaciae si quae sunt, melius corriguntur per ordinariam disciplinam et per ordinarium ecclesiae magisterium quam per extraordinarium magisterium quale est Concilium Oecumenicum. Haec fuit prudens norma Commissionis Biblicae recentioribus annis, quae, mea sententia, sustinenda et prosequenda esset et non impedienda.

Et si S. Officium timet ne suae vires non satis sint ad corrigendas audacias, liceat nobis reliquis respondere quod nos omnem fiduciam habemus in severitate eius, et solum timemus ne nimis severum sit.

Quippe catholici exegetae et in re biblica periti iamiam prosequuntur « dialogum » cum exegetis acatholicis, et vere eximiam operam navant pro fide et traditione catholica. Si vero acatholicis, in praesentibus circumstantiis in quibus multae

quaestiones in hac materia non maturae sunt, ansam praebebimus ut putent catholicos peritos rem non rationibus intrinsece scientificis, sed unice per dictamen magisterii solemnis decidere, auctoritas nostrorum peritorum in hac tota materia labefactabitur. Scio equidem ex propria experientia conclusiones catholici in re biblica de facto negligi posse ab acatholicis, praecise quia supponitur nos sub tali dictamine iacere. Ergo opportunum non est ut tales quaestiones inter ipsos catholicos disputatae a magisterio conciliari dirimantur, nisi in casu evidentis necessitatis ad salvandam fidem. Non probatur hodie talem casum adesse.

Nunc vellem, Patres venerabiles, proponere scopum et naturam schematis alicuius quod laetis animis possimus publici iuris facere — nam quamvis disceptationes nostrae sub secreto maneant, tamen conclusiones nostrae publici iuris fient et ab *omnibus,* non solum a theologis, examinabuntur:

Tale schema debet, meo humili iudicio, esse *breve;* multo brevius quam schema iam typis impressum. Debet esse non negativum et condemnatorium, saltem prima intentione, sed *positivum,* non negans sed potius affirmans. Non debet immorari in quaestionibus legitime inter catholicos disputatis seu in nostris domesticis controversiis; sed debet omnes suas vires exercere ut *proclamet toti orbi terrarum,* qui est auditorium nostrum et intente exspectat quid Concilium dicturum sit — proclamare nempe unicum fontem nuntii Ecclesiae, nuntii boni, unicum fontem praedicationis et doctrinae ecclesiasticae, esse illum qui et annuntiat et annuntiatur: scilicet, Iesum Christum, Verbum Dei carnem factum, natum ex Maria Virgine, docentem, morientem pro omnibus hominibus, resurgentem, ascendentem, in caelo iam regnantem et inde Spiritum suum amoris super homines per Ecclesiam effundentem. Debet clare insistere omnia dogmata catholica et consectaria dogmatum in hunc unum fontem qui est Iesus Verbum Dei, ultimo reduci. Si placeret, possetis addere generosam laudem exegetarum catholicorum una cum materna monitione ut suam operam in lumine fidei prosequantur non sine profunda docilitate respectu magisterii et dulcis disciplinae ipsius Matris Ecclesiae.

CONGREGATIO GENERALIS XXI
17 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXI
17 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii*:

Praeest hodiernae congregationi generali em.mus et rev.mus D. card. Normannus Gilroy, arch. Sydneyensis.

Prosequitur disceptatio de principiis generalibus schematis constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis,* in qua loqui postulaverunt: em.mi DD. cardd. Carolus de la Torre, arch. Quitensis in Aequatore; Ioseph Garibi, arch. Guadalajarensis in Mexico; Iulius Döpfner, arch. Monacensis in Germania; Aloysius Concha, arch. Bogotensis in Columbia; Antonius Bacci; exc.mi Domini: Paulus Schmitt, ep. Metensis in Gallia; Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide; Paulus Butorac, ep. Ragusinus in Iugoslavia; Franciscus Simons, ep. Indorensis in India; Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio; Angelus Temiño, ep. Auriensis in Hispania; Ioannes Zoa, arch. Yaundensis in Cameroun; Mauritius Pourchet, ep. S. Flori in Gallia; Georgius Hakim, ep. Ptolemaidensis Melchitarum; Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis in Hispania; Aegidius Barthe, ep. Foroiuliensis in Gallia; Iulius Rosales, arch. Caebuanus in Insulis Philippinis; Petrus Martin, vicarius apostolicus Novae Caledoniae; Aloisius Henriquez, ep. auxiliaris Caracensis in Venezuela; Ioseph Griffiths, ep. auxiliaris Neo-Eboracensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; David de Sousa, ep. Funchalensis in Lusitania; Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis in Italia; Aurelius del Pino, ep. Illerdensis in Hispania; Conradus Mingo, arch. Montis Regalis in Italia; Vincentius Enrique y Tarancón, ep. Celsonensis in Hispania; Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali; Alaphridus Silva, arch. Ss. Conceptionis in Chile; Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia; Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis in Gallia; Paulus Seitz, ep. Kontumensis in Vietnam; Georgius Cabana, arch. Sherbrookensis in Canada; Bernardinus Echeverria, ep. Ambatensis in Aequatore; Fidelis García, ep. tit. Sululitanus in Hispania; Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia; Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Gerardus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus in Brasilia.

Antequam disceptatio incipiat, legitur textus emendationum propositarum, super quibus durante congregatione fiet suffragatio...

Relationem faciet em.mus ac rev.mus D. card. Lercaro et exc.mus D. Martin.

Post relationes factas, praeses congregationis generalis indicabit qua ratione suffragia ferenda sint. Dixi.

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

EMENDATIONES

A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA PROPOSITAE

Textus in Schemate propositus

PROOEMIUM

Sacrosanctum Concilium, cum sibi proponat vitam christianam inter fideles in dies augere; institutiones ecclesiasticas, prout mutationibus obnoxiae sunt, nostrae aetatis necessitatibus melius aptare; quidquid ad unionem fratrum separatorum in Ecclesia quoquo modo conferre potest, fovere; et quidquid ad omnes in sinum Ecclesiae vocandos concurrit, roborare; suum esse ducit peculiari ratione etiam de instauranda atque fovenda Liturgia curare.

Liturgia enim, per quam, maxime in suo centro,[1] divinae scilicet Eucharistiae Sacrificio, opus Redemptionis exercetur,[2] summe confert ut fideles vivant et aliis manifestent mysterium Christi et genuinam verae Ecclesiae naturam: cuius proprium est esse simul humanam et divinam, visibilem et invisibilem, Ecclesiam actionis et contemplationis, in mundo praesentem et tamen peregrinam; et ita quidem ut in ea quod humanum est ordinetur ad divinum eique subordinetur, quod visibile ad invisibile, quod actionis ad contemplationem, et quod praesens ad futuram civitatem quam inquirimus.[3] Unde, dum Liturgia Ecclesiam cotidie

Textus a Commissione emendatus *

PROOEMIUM

1. Sacrosanctum Concilium, cum sibi proponat vitam christianam inter fideles in dies augere; *eas* institutiones *quae* mutationibus obnoxiae sunt, *ad* nostrae aetatis *necessitates* melius *accommodare*; quicquid ad unionem *omnium in Christum credentium* conferre potest, fovere; et quicquid ad omnes in sinum Ecclesiae vocandos *conducit,* roborare; suum esse *arbitratur* peculiari ratione etiam *instaurandam* atque *fovendam Liturgiam* curare.

2. Liturgia enim, per quam, maxime in *divino* Eucharistiae Sacrificio, « opus *nostrae* Redemptionis exercetur »[1] summe *eo* confert ut fideles *vivendo exprimant* et aliis manifestent mysterium Christi et genuinam verae Ecclesiae naturam, cuius proprium est esse *humanam simul ac* divinam, visibilem *invisibilibus praeditam, actione ferventem et contemplationi vacantem*, in mundo praesentem et tamen peregrinam; et ita quidem ut in ea quod humanum est ordinetur ad divinum eique subordinetur, quod visibile ad invisibile, quod actionis ad contemplationem, et quod praesens ad futuram civitatem quam inquirimus.[2] Unde *cum* Liturgia *eos qui intus*

* *Litteris « cursivis » indicantur quae in priori Schemate non habentur.*

interne aedificat « in templum sanctum in Domino..., in habitaculum Dei in Spiritu » (Eph. 2, 21-22), usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi,[4] miro modo simul vires eius ad praedicandum Christum roborat, eamque iis qui sunt extra ostendit uti signum levatum in nationibus,[5] sub quo filii Dei dispersi congregentur in unum [6] quousque unum ovile fiat et unus pastor.[7]

Quare Sacrosanctum Concilium, dum declarat se in praesenti Constitutione nihil velle dogmatice definire, de fovenda tamen atque instauranda Liturgia quae sequuntur principia censet in mentem revocanda et practicas normas statuendas esse.

Et licet inter haec principia et normas multa habeantur quae etiam ad alios ritus, orientales et occidentales, applicari debeant aut possint, tamen ea quae sequuntur solum ritum romanum spectare intellegenda sunt, nisi agatur de iis quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant.

Traditioni denique fideliter obsequens, Sacrosanctum Concilium declarat, Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime vigentes aequo iure atque honore habere, in futuro servari et omnimode foveri velle, atque optat ut, ubi hoc opus sit, caute ex integro ad mentem sanae traditionis recognoscantur et novo vigore, pro hodiernis adiunctis et necessitatibus, donentur.

NOTAE

[1] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *AAS* 39 (1947) p. 547.
[2] Secreta dominicae IX post Pentecosten.
[3] Cf. Hebr. 13, 14.
[4] Cf. Eph. 4, 13.
[5] Cf. Is. 11, 12.
[6] Cf. Io. 11, 52.
[7] Cf. Io. 10, 16.

sunt cotidie aedificet in templum sanctum in Domino, in habitaculum Dei in Spiritu,[3] usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi,[4] miro modo simul vires *eorum* ad praedicandum Christum roborat, *et sic Ecclesiam* iis qui sunt *foris* ostendit ut signum levatum *in nationes,*[5] sub quo filii Dei dispersi congregentur in unum [6] quousque unum ovile fiat et unus pastor.[7]

3. Quare Sacrosanctum Concilium, de fovenda atque instauranda Liturgia quae sequuntur principia censet in mentem revocanda et practicas normas statuendas esse.

Inter haec principia et normas *nonnulla* habentur quae *tum ad ritum romanum tum* ad *omnes* alios ritus applicari *possunt ac debent, licet normae practicae* quae sequuntur solum ritum romanum spectare *intelligendae sint,* nisi agatur de iis quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant.

4. Traditioni denique fideliter obsequens, Sacrosanctum Concilium declarat Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime *agnitos* aequo iure atque honore habere, *eosque in posterum* servari et omnimode foveri velle, atque optat ut, ubi opus sit, caute ex integro ad mentem sanae traditionis recognoscantur et novo vigore, pro hodiernis adiunctis et necessitatibus, donentur.

NOTAE

[1] Secreta dominicae IX post Pentecosten.
[2] Cf. Hebr. 13, 14.
[3] Cf. Eph. 2, 21-22.
[4] Cf. Eph. 4, 13 .
[5] Cf. Is. 11, 12.
[6] Cf. Io. 11, 52.
[7] Cf. Io. 10, 16.

2 – RELATIO EM.MI P. D. IACOBI CARD. LERCARO PRAESIDIS COMMISSIONIS DE SACRA LITURGIA

De schemate globatim sumpto.

Venerabiles Patres,

Commissio de sacra Liturgia ordinandas, coordinandas et expendendas curavit animadversiones omnes quae in congregationibus generalibus a Patribus conciliaribus propositae fuerant.

A. Quas inter animadversiones, petitio quoque quorumdam Patrum aderat, ut nempe prae manibus Patres omnes habere possent, « declarationes » quae licet ad textum schematis minime pertineant, ad eius tamen meliorem intellegentiam utiles videntur...[1] Quam petitionem commissio, unanimiter favorabilis, praesidentiae consilio subiciendam curavit.

B. Notam in pag. 155, de qua quidam locuti sunt Patres...[2], commissio, et pro loco quem nota obtinet, nempe ante ipsum prooemium, et pro ipsius indole exegetica, ad textum schematis non pertinere censuit.

C. Ex ceteris animadversionibus generalibus, aliae sunt quae indolem textus generalem respiciunt, aliae vero quae res, de quibus pluries in schemate agitur, aliae locutiones item pluries adhibitas, aliae denique sunt quae aliquid in textu desiderant.

1. Inter eas animadversiones, quae indolem schematis generalem respiciunt, plures sunt quae illud laudibus ornant et adprobandum, salvo de particularibus iudicio, censent. Ex 36 Patribus, qui generaliter de schemate sunt locuti, plurimi positivum et saepe laudativum iudicium tulerunt...[3] Hi Patres rationes etiam suae adprobationis adducunt: nempe, fidelem inhaesionem schematis instaurationi liturgicae iam a S. Pio X inchoatae, ...[4]; moderationem qua, mediam viam servando, sanae traditioni inhaeret quin neglegat postulata actionis pastoralis ad vitam christianam nostro tempore alendam...[5]; efficacitatem pastoralem...[6], solidum fundamentum doctrinale...[7], et quod desiderata episcoporum adimpleat...[8]

2. Sunt et animadversiones generales, quae notam ferunt, saltem partim, minus favorabilem:

a) prolixitatem vel verbositatem textus lamentantes, quasi procedentis ad modum tractatus theologici seu liturgici...[9]; eiusque indolem potius poeticam et asceticam...[10] documento conciliari minus consonam...[11]

Cum tamen alii non defuerint Patres qui eumdem textum laudibus

ornaverunt...[12] etiam propter eius sobrietatem eiusque linguam spiritu Sacrae Scripturae et Sanctorum Patrum imbutam, in exemplum ceteris schematibus proponendam...[13]

Commissio textum schematis non esse ex integro renovandum censuit, immo servandum, nonnullis adhibitis emendationibus a Patribus expetitis, de quibus singillatim suffragatio suo tempore instituetur.

b) Non defuerunt inter Patres qui sermonem theologicum saepe vagum quandoque inexactum *cum impraecisionibus* [14] esse autumarunt...[15]; vel quadam levitate laborare, etiam cum gravia tangit argumenta...[16]; textus Sacrae Scripturae revisendos ut genuino sensui biblico respondeant...[17]

Cum tamen alii Patres commendent pondus ipsius materiae...[18], sanam doctrinam...[19], solidum fundamentum theologicum...[20], commissio de sacra Liturgia prudenter cooptaverat in numero peritorum suorum theologos qui totam rem doctrinalem et scripturisticam diligentissime expenderunt.

3. De animadversionibus, de rebus vel locutionibus quae pluries in schemate veniunt, exempli gratia, de materiis quae afficiunt competentiam aliarum commissionum, vel de vocabulo « occidentalis » aut de vocibus « missiones, instauratio, recognosci », vel de quaestione cui organo post-conciliari huius constitutionis executio sit committenda: quia ad singulares quaestiones haec omnia pertinent, suis locis dicetur et iudicio Patrum quam primum omnia subiicientur.

4. De iis autem, quae desiderantur in schemate, hae sunt animadversiones.

a) Aliquis Pater putat quaedam principia doctrinalia inserenda esse verbatim in textum ex litteris encyclicis *Mediator Dei*...[21] Commissio vero censuit principia illa in textu revera inveniri, prout ceterum alii Patres sentiunt...[22] Norma enim constans fuit in documento conciliari verbatim citare solummodo Sacram Scripturam, Sanctos Patres et Concilia, numquam vero cetera documenta ecclesiastica.

b) Quaesitum est etiam...[23] ut mentio fiat de Spiritu Sancto. Commissio libenter accedit ad suggestionem, et de Spiritu Sancto suo loco dicetur. Itemque de doctrina sacerdotii fidelium...[24], quod argumentum tamen locum habet *tantum* [25] in constitutione de Ecclesia in capite de laicis.

c) De Beata Maria Virgine, autem, cuius nomen deesse in schemate unus Pater lamentatur...[26], revera in prooemio cap. 5 congrue schema bis loquitur.

d) Pariter conquesti sunt tres Patres...[27] de reliquiis Sanctorum silentium esse in schemate. Commissio suggestioni libenter adhaeret, ut

et de reliquiis, prout et de Sanctorum imaginibus, in constitutione dicatur, eo magis quia in schemate a commissione praeparatoria digesto de reliquiis iam rite agebatur.

e) De revisenda autem ratione procedendi in causis beatificationis et canonizationis Sanctorum, aliquis Pater...[28] conquestus est constitutionem nostram silere. Commissio liturgica autem rem censuit esse tanti momenti ac ponderis ut ambitum schematis manifeste excedat. Voto nihilominus Patris illius accedens, vehementer optat ut ratio illa procedendi recognoscatur.

Venerabiles Patres! Facile vobis puto consentire nobiscum commissionem adlaborasse diligenter et amanter ut mentem vestram, quam in disceptationibus de schemate constitutionis *de sacra Liturgia* aperueratis in hac aula, penitus cognoscendo, sapientibus iudiicis et generosis vestris desideriis obviam veniret. Hoc egit commissio de re liturgica, persuasum habens constitutionem hanc nostram tot tantisque ditatam doctrinae et experientiae vestrum omnium suggestionibus, maximo adiumento ac validissimo instrumento futuram esse laboribus et sollicitudinibus pastorum. Haec enim est, ex ipsius Sancti Patris nostri Ioannis XXIII mente aperte declarata, Sacrosanctae huius Synodi anima et inspiratio: « sollicitudine Ecclesiarum », quam pastores omnes cotidianam suam sentiunt instantiam, vim, et efficacitatem *confectus*.[29] Hoc pastorali proposito mota, commissio de re liturgica sibi proposuerat quaerere a vobis, utrum schema constitutionis *de sacra Liturgia* globatim sumptum, salvis singulis emendationibus suis locis faciendis, et Patrum suffragio sufficiendis, placeat vel non placeat. Hoc autem per suffragationem habitam die 14 huius mensis abunde iam superatum esse omnes Patres probe noverunt.

In textu scripto tradito: [1] (card. Frings, Döpfner). [2] (ET. Le Cordier; AR. Marquez Toriz). [3] (card. Frings, Lercaro, Montini, Döpfner, Silva, Tatsuo; ET. Hervás; card. Rugambwa; AR. Hurley; card. Ritter; ER. Volk, Méndez Arceo; card. Léger, Gracias; AR. Šeper, ER. Bekker, Devoto, Battaglia, Spülbeck, McGrath...). [4] (card. Frings, Léger). [5] (card. Frings, Montini. Döpfner, Ritter, ER. Méndez Arceo). [6] card. Lercaro. Döpfner, Montini, Tatsuo Doi, Rugambwa pro ep. Africae, Madagascar et insularum; AR. Hurley; ER. Volk, Méndez Arceo; card. Léger, Gracias; AR. Šeper; ER. Bekkers nomine Conferentiae Neerlandiae; ER. Devoto, Kemerer). [7] (ET. Hervás; AR. Hurley, Šeper; ER. Bekkers, Devoto...). [8] (card. Döpfner, Silva, Rugambwa, AR. Hurley; card. Ritter, Gracias...). [9] (AT. Vagnozzi; ET. Martinez, AR. Fares; AT. Parente; ER. Benedetti...). [10] (AT. Vagnozzi). [11] (AT. Vagnozzi). [12] (ET. Hervás; card. Ritter, Gracias). [13] (card. Frings, Döpfner; AR. Hurley). [14] deest. [15] (AT. Vagnozzi; cf. et ET. McGrath [impraecisiones]). [16] (AT. Parente). [17] (AR. Fares). [18] (card. Frings). [19] (card. Döpfner). [20] (AR. Šeper; ER. Bekkers...).

[21] (AT. Vagnozzi). [22] (card. Silva...). [23] (card. Silva). [24] (card. Silva). [25] amplum. [26] (ER. Battaglia). [27] (ET. Garcia Martinez; AT. Dante; ET. Van Lierde). [28] (AT. Dante). [29] conferre.

3 – RELATIO EXC.MI P. D. IOSEPH MARTIN
Episcopi Nicoletani

Venerabiles Fratres,

Commissio de sacra Liturgia omnes animadversiones a Patribus conciliaribus de prooemio factas attente et accurate expendit. Nunc vestrae suffragationi proponuntur emendationes, aliae quae spectant solummodo latinitatem, aliae ad mentem meliorandam introductae vel ad ambiguitatem tollendam. Liceat de istis breviter rationem reddere.

Unus Pater petiit ut prooemium secundum singulas paragraphos numeretur, sicut iam factum est in aliis capitibus. Commissio hoc faciendum esse censuit et invenietis paragraphos numeratas.

In numero 1.

Ad lin. 3, loco « institutiones ecclesiasticas, prout mutationibus obnoxiae sunt », dicitur: « eas institutiones quae mutationibus obnoxiae sunt ... melius accommodare ». Sic clarius apparet Liturgiam non poni inter institutiones quae elementa divina immutabilia non continent. Hic revera non agitur de rebus divinis, sed de elementis humanis, iuxta verba Litterarum Encyclicarum *Mediator Dei*: « Sacra Liturgia ut humanis, ita divinis constat elementis; haec autem ... nullo modo ab hominibus mutari possunt; illa vero ... varias commutationes habere possunt ».

2. Ad lin. 5, loco « ad unionem fratrum separatorum in Ecclesia quoquo modo conferre potest, fovere », proponitur: « ad unionem omnium in Christum credentium conferre potest, fovere ». Commissio tres diversas locutiones expendit, scilicet: unio in Ecclesia, unio in Ecclesiam, et unio cum Ecclesia. Multae difficultates inventae sunt in disceptatione, tum quoad latinitatem tum quoad sensum, et nobis visum est melius alium textum adhiberi. Cum hic non tractatur de Ecclesia, ad evitandas inutiles discussiones proponitur aliud quod satis indicat unum ex finibus intentis in instauranda Liturgia, scilicet desiderium nostrum de fovenda unitate.

3. Ad lin. 7. Quoad vocabulum « instaurandum » vel etiam « instauratio » ab uno Patre impugnatum, commissio censet hoc verbum servandum esse. Legitur enim in titulis editionum liturgicarum, in documentis et in decretis Sacrae Rituum Congregationis. Habetur ex. gr.: Ordo Sabbati Sancti, quando vigilia paschalis instaurata peragitur, cui

praemittitur decretum Sacrae Rituum Congregationis de solemni vigilia paschali instauranda. Notetur munus Concilio Oecumenico Vaticano II in hac materia, a Sanctissimo Patre Ioanne XXIII concreditum, his ipsis verbis exprimi: « In sententiam devenimus, altiora principia, generalem instaurationem respicientia, in proximo Concilio Oecumenico Patribus esse proponenda ».

In numero 2.

Nihil dicendum est de emendationibus factis tantum quoad latinitatem, ut sunt: « in divino Eucharistiae Sacramento ... vivendo exprimant ... humanam simul ac divinam ... actione ferventem et contemplationi vacantem ».

Haec autem notanda sunt:

1. Lin. 12: « opus nostrae Redemptionis exercetur ». Ut solvantur difficultates a duobus Patribus motae, videtur sufficere ut verba ista collectae dominicae IX post Pentecosten citata, claudantur in parenthesis notis et ponatur in textu referentia. Sic apparet hic de redemptione subiectiva tractari.

2. Lin. 17: loco « Ecclesiam visibilem et invisibilem », dicitur: « Ecclesiam visibilem invisibilibus praeditam », ut nullo modo insinuetur Ecclesiam habere naturam visibilem et invisibilem, et tollatur defectus praecisionis improbatus.

3. Lin. 25: auferuntur parenthesis notae et ponitur « confer » ad citationem S. Pauli, quia non exclusive de Liturgia loquitur Apostolus.

4. Secunda pagina, lin. 4, dicitur: « et sic Ecclesiam iis qui sunt foris ostendit ut signum levatum in nationes ». Hoc ponitur claritatis causa, ut recte ostendatur Ecclesiam ipsam, non autem Liturgiam, esse signum levatum in nationes, ut petivit unus Pater.

In numero 3.

1. Lin. 10: omittuntur omnia haec verba: « dum declarat se in praesenti constitutione nihil velle dogmatice definire ». Res satis evidens est ex natura documenti et secundum methodum generalem praesentis Concilii. Quando vero intenditur proponere vel excludere doctrinam aliquam modo magis solemni, tunc hoc patere debet ex contextu. Ideoque in praesenti superflua est haec declaratio.

2. Lin. 16: dicitur « tum ad ritum romanum », et ita vitatur vox « occidentalem ». Censet commissio haec verba « ritum romanum » lato sensu sumenda esse, id est pro omnibus ritibus qui affinitatem habent cum ritu Ecclesiae Romanae.

In hoc numero, mutationibus textui factis quoad stylum, expressius indicatur principia generalia spectare totam Ecclesiam Catholicam

et non solum ritum romanum, dum normae practicae solum ritum romanum spectant nisi agatur de iis quae ex ipsa natura rei alios quoque ritus afficiant.

In numero 4.

Lin. 24: loco « ritus legitime vigentes », proponitur: « ritus legitime agnitos », ut pateat non solum ritus nunc in usu honorari sed forsan alios ritus in futuro agnoscendos.

Venerabiles Patres, omnes hae emendationes quae vobis hodie proponuntur, sapienter perpensae sunt a subcommissione de theologia et a subcommissione iuridica, quae votum dederunt affirmativum. Sic commissio de Liturgia diligenter adlaboravit, ut textus sic emendatus in re tanti ponderis nulla laboret levitate et genuino sensui biblico et sanae doctrinae respondeat.

Secretarius generalis:

Audita relatione, statuit em.mus praeses suffragationem faciendam esse distincte super quattuor puncta quibus constat prooemium constitutionis. Igitur distribuentur Patribus una post aliam, schedae suffragationis. Postquam suffragatio super primum punctum facta est, assignatores locorum schedam tollent et aliam distribuent, in qua scribitur votum seu suffragium puncti secundi. Postquam suffragatio super punctum secundum facta est, tollitur scheda et tertia datur, et sic deinceps, ordinatim.

Rogantur Patres ne durante suffragatione e suis locis discedant.

Suffragatio fiet per *placet* et *non placet*. Signum faciendum est tantummodo stylo magnetico; et crux vel aliud signum, quod fit, ne praetergrediatur limites loculi, ubi scriptum est *placet* et *non placet*. Gratias omnibus.

4 – PATRUM ORATIONES

De fontibus revelationis (prosequuntur)

1

Em.mus P. D. CAROLUS card. DE LA TORRE
Archiepiscopus Quitensis

Venerabiles Patres,

Potissimae et gravissimae rationes, propter quas nullatenus consentiendum est, ut schema *de fontibus revelationis*, a praeclaris et eminentissimis viris commissionum exaratum et ab ipso Romano Pontifice

Sacro Concilio traditum, quoquo modo deseratur, iam ab aliquibus Patribus Concilii clare, *praeclare* [1] et eloquenter prolatae sunt.

Si ergo nihil novi illis addendum est, non est cur loquatur.

Cur igitur loquar? Rumor circumfertur Americam Latinam adhaesisse sententiae propugnanti substitutionem praedicti schematis cum alio. Et hoc, saltem quod ad Aequatorem pertinet non est verum.

Nostra sententia est *Placet iuxta modum*. Modus vero est, quod commissio ad quam *pertinet,* [2] ratione habita de variis observationibus ab aliquibus Patribus schemati factis, illas in schemate inserant novamque redactionem Sacro Concilio tradant, ut Patres suam sententiam super illud definitive proferant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] praecise. [2] pertineat.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. GARIBI Y RIVERA
Archiepiscopus Guadalajarensis

Em.mi Patres, exc.mi Domini,

Ecclesia recepit a Christo Domino depositum fidei quod servare debet docendo veritatem, refellendo errores et ad vitam christianam servandam exhortando.

Concilia Oecumenica sic faciebant: relinquendo cetera, in Concilio Tridentino primum decretum sic incipit: « Ad laudem et gloriam Sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, ad incrementum et exaltationem fidei et religionis christianae ». In sessionibus saepe, ut scimus, damnat errores saeculi XVI, et postea in capitibus *de reformatione* normas pastorales sapientissimas dictat.

Concilium Primum Vaticanum etiam cum expositione veritatum reiciendo errores, sed propter suspensionem materias pastorales non tractavit.

Opportunum videtur, quod Concilium Vaticanum II etiam ab expositione doctrinae catholicae incipiat et quod reiciat errores huius saeculi.

Summus Pontifex Pius XII de aliquibus erroribus loquitur. Revera ipse Pontifex libertatem ad id quod in studiis biblicis, ratione habita structurae antiquarum linguarum, sensus litterarii, aliorumque mediorum hodiernae exegeseos ad interpretationem sacrorum librorum stu-

diosis dedit. Ipse autem Pontifex in Encyclica *Divino afflante Spiritu* aliquam limitationem imponit; dicit: « Sacrarum autem litterarum exegetae — ipse ait — memores de verbo divinitus inspirato heic agi, cuius custodia et interpretatio ab ipso Deo Ecclesiae commissa est, non minus diligenter rationem habeant explanationum et declarationum magisterii Ecclesiae, item explicationis a Sanctis Patribus datae, atque etiam " analogiae fidei ", ut Leo XIII in Encyclicis Litteris *Providentissimus Deus* sapientissime animadvertit »...[1]

Talem dispositionem pontificiam aliqui non servarunt, prout ipse Summus Pontifex declarat in sua Encyclica *Humani Generis*: « Ut autem ad novas — ait —, quas supra attigimus, opinationes redeamus, plura etiam a nonnullis proponuntur vel mentibus instillantur in detrimentum divinae auctoritatis Sacrae Scripturae. Etenim sensum definitionis Concilii Vaticani de Deo Sacrae Scripturae auctore audacter quidam pervertunt; atque sententiam, iam pluries reprobatam, renovant, secundum quam Sacrarum Litterarum immunitas errorum ad ea solummodo, quae de Deo ac rebus moralibus et religiosis traduntur, pertineat. Immo perperam loquuntur de sensu humano Sacrorum Librorum sub quo sensus eorum divinus lateat, quem solum infallibilem declarant »...[2]

Schema nobis propositum cum expositione veritatum fidei incipit et excessus interpretationis reiicit: alioquin in periculo historicitatem factorum vitae Domini nostri Iesu Christi ac multorum verborum eiusdem Salvatoris cum disaedificatione fidelium et contra apostolicam traditionem ponerent.

Dicitur fortasse quod multae expositiones, de quibus agimus, sunt opiniones theologorum, de quibus Concilium non debet tractare, relinquendo discussiones scholis. Sed de hoc agitur: ad Concilium declarare vel videre pertinet utrum merae sunt opiniones an non. Ante alia Concilia vel ante definitiones ab Ecclesia factas multi etiam veluti simplices opiniones theologorum putabant, quod postea Ecclesia veluti contentum in revelatione declaravit.

Si obicitur, quod schema non est pastorale, debemus videre quid intelligatur per haec verba. Primum officium pastoris est suis ovibus bonos pastos praebere, hoc est rectam doctrinam docere. Poterat forsitan putare aliquis, quod Concilium Tridentinum pastorale non fuisse ex eo quod in primis sessionibus de veritatibus dogmaticis agebat, sed postea in capitibus *de reformatione* sapientissimam doctrinam pastoralem tradidit.

Concilium Vaticanum II multas veritates imprimis docere potest, et in ceteris sessionibus pastoralia tradere.

Aliquae modificationes, additiones, etc., sunt faciendae; bene ani-

madversiones Patres facere possunt. Sed schema cum tali praeparatione factum placet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (Ench. Bibl., 551). [2] (Denz. Bibl. 612).

3

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DOEPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Venerabiles Patres,

Proponere mihi liceat animadversiones quasdam, quibus modificentur paululum atque pacifice compleantur ea quae ab em.mo relatore *et etiam aliis Patribus* [1] de schemate constitutionis *de fontibus revelationis,* praesertim de eius praeparatione, disserta sunt.

Relatio ab em.mo praeside commissionis theologicae *conciliaris* [2] data speciem prae se ferebat, ac si schema praeiacens in phasibus praeparatoriis tranquille et cum omnium plausu elaboratum et emendatum fuisset, nullius maioris momenti difficultatibus obviantibus. Quapropter iure exspectandum et proponendum esse censuit relator, ut schema strenuo duorum annorum labore, *quod utique verissimum est,*[3] exaratum a Patribus Conciliaribus acciperetur.

E contra, in disceptatione conciliari *hucusque facta a diversis Patribus, praeeuntibus* [4] cardinalibus Liénart, Frings, Léger, Alfrink, *Silva Henriquez,*[5] Bea, et aliis Patribus, dubia gravissima de schemate prolata sunt. Quibus dubiis me ipsum laborare fateor, et schema propositum reiiciendum atque ex integro recognoscendum duco.

Adnotare tamen velim quaedam, quae mihi *alicuius* [6] momenti esse videntur ad diiudicandam methodum, qua hoc schema hucusque tractatum fuerit et consequenter in posterum tractandum sit.

Quoad laborem commissionis theologicae praeparatoriae, iam in commissione centrali audivimus schema a theologis diversarum nationum et scholarum exaratum esse. Sed iam tunc temporis iterum atque iterum impressio oriebatur, in commissione theologica praeparatoria influxum unilateralem nimis praevaluisse. Posset etiam sic dici: cura de puritate fidei et de periculo errorum, quae ceteroquin est legitima et etiam nobis in Concilio *adunatis* [7] obligatoria, illa cura magis attendebatur quam problemata, difficultates, tentationes, quibus theologi, pastores, *sacrorum* [8] alumni, fideles, qui vere amant Ecclesiam, hodiernis temporibus vexantur *et qui omnes adiutorium a Concilio exspectant. In illis tempo-*

ribus [9] propositum a secretariatu ad unionem christianorum fovendam factum non admittebatur, ut in commissione mixta vel communi cooperatione dubia hac de re discuterentur. Diversis membris commissionis centralis praecise ob hanc anxietatem postulandum esse videbatur, ut novis theologis, praesertim exegetis optimae notae accersendis, schema in commissione theologica praeparatoria retractetur.

In commissione nempe centrali a pluribus membris difficultates ac dubia plane similia proponebantur ac his diebus audivimus. Sed in redactione finali paucissima tantum mutata sunt. Hoc non est mirandum, quia in commissione centrali non distincte de singulis emendationibus faciendis suffragia instituebantur. Ceteroquin vota aliquando sat vaga proferebantur. Unde amplum spatium commissioni *praeparatoriae* [10] respectivae relinquebatur quomodo iudicaret de emendationibus propositis.

His de causis, quivis res hucusque observans facile praevidere potuit in *Concilio ipso* [11] iterum disceptationes acres orituras esse. Nunc autem necesse est, ut libere et aperte loquentes omnes rationes crisi subiciamus, quae pro re vel contra rem afferuntur, et decisionem conciliarem quaeramus, quibus omnes libenter consentire possimus.

Hanc disceptationem minime timeamus — ceteroquin in quaerenda veritate spectaculum unionis et caritatis in Spiritu Domini praestantes — neque ut irreverentia erga *Summum Pontificem* [12] censenda est talis discussio. Nam in Ordine ab ipso Summo Pontifice dato legimus (art. 33 § 1), quemvis Patrem de unoquoque schemate admittendo vel emendando vel etiam *reiciendo* verba facere posse. Ex quo constat: ex laboribus praeparatoriis nullum oritur praeiudicium, et omnino intactum remanet *nobis munus* [13] diiudicandi quid fiat de unoquoque *et etiam de hoc* [14] schemate...[15] Post disceptationem in genere *autem* [16] fiat suffragium, utrum schema ut totum accipiatur an non. Quo suffragio peracto, videbimus quomodo ulterius procedendum sit. Si revera praesens forma schematis maioritati competenti Patrum placuerit, uti subiectum ulterioris laboris adhibeatur; si non, novum schema elaboretur. Et hoc, secundum meum humile iudicium, praeferendum esse videtur, quia a puncto diversis tendentiis *et curis* [17] magis appropinquante exordium sumeretur.

Et in quo labore faciendo, a praeside commissionis de doctrina fidei et morum enixe et instanter petimus, ut, iudicium membrorum adhibens ex peritis a Summo Pontifice nominatis, *etiam* [18] illos designet qui in problematibus, ex quibus difficultates illae ortae sunt, speciali modo sunt versati, ita ut in commissione nostra revera theologi diversarum scholarum cooperentur. Adhibeantur, praeter optima in schemate *no-*

stro[19] dicta, uti patet, animadversiones a Patribus factae nec non specimina schematis ab aliquibus iam modo oblata, quae certe non iam pro schematibus definitivis et undequaque perfectis haberi *possunt,*[20] attamen ut conamina utilia et fructifera. Accurata ratio habeatur etiam propositionum a secretariatu pro unione christianorum factarum.

Obiciet quis, ita laborem Concilii nimis protractum iri. Sed respondeo: ratione hac non excusamur ab eo, quod constitutio conciliaris diligentissime perpetrari debet, *cum sit res tanti momenti, ut ex disceptatione patet.*[21] Si forsan novum schema praeparandum sit, interea convenienter sequens schema tractari poterit in congregationibus generalibus, quin tempus perdatur. Quamvis optimum successum horum laborum commissionis in *nostra materia*[22] speramus, tamen dicerem: potius supprimatur aliquod schema antequam immature absolvatur a Concilio.

Quae *dixi,*[23] consilio capto et explicito consensu episcoporum Austriae et Germaniae atque plurium *aliorum*[24] Patrum linguae germanicae *adunatorum protuli.*[25] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] ab em.mis dominis. [5] deest. [6] magni. [7] deest. [8] deest. [9] e. gr. [10] deest. [11] congregatione generali. [12] schema nobis a Summo Pontifice propositum. [13] munus ipsis Patribus in Concilio competens. [14] deest. [15] Hoc idem fiat etiam in casu nostro. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] praeiacente. [20] debent. [21] deest. [22] materia tanti momenti. [23] protuli. [24] deest. [25] coadunatorum dixi.

4

EM.MUS P. D. ALOISIUS CARD. CONCHA

Archiepiscopus Bogotensis

Venerabiles Patres,

Candide fateor, me mirum esse de impugnationibus factis adversus schema *de fontibus revelationis,* prout *nobis est propositum a Summo Pontifice*[1] Ioanne XXIII. Attente siquidem schema examinaveram *atque*[2] varia argumenta contra schema audivi. *Sed tamen*[3] meam opinionem mutare non potui...[4]

Tractatio imprimis de Traditione et Scriptura mihi videtur *accurate, exacte, atque opportune confecta.*[5] Opportunum dico, nam, cum omnes cupiamus, ut fratres separati demum nobiscum uniantur, nihil aptius, meo sensu, ad eum finem attingendum reperiri potest quam si doctrina catholica circa Traditionem et Scripturam Sacram dilucide proponatur prout, ut opinor, in schemate factum est.

Verum quidem est, doctrinam de Traditione et Scriptura iam expositam fuisse in Conciliis, praesertim Tridentino et Vaticano, et de ea pluries Summos Pontifices locutos fuisse. Verum item est eam in manualibus theologiae dogmaticae inveniri. Sed eam doctrinam, attento peculiari statu conventus humani, exponere decebat stylo perspicuo et logico, quod sine dubio, meo saltem iudicio, in schemate evenit.

Arguitur quidem schema stylo scholastico exaratum fuisse; quod verum est, si de substantia rei agatur. Sed hoc potius in laudem schematis cederet; nam scholastica, si ab ea detrahantur locutiones antiquatae, quae ab hodiernis hominibus vix intelligerentur, et exutis ideis, quae scholasticae cuidam non verae sed fatiscenti propriae erant, unum ex praecipuis orthodoxiae fulcrum in Ecclesia consideranda est.

Dictum est, schema non satis nexum inter Traditionem et Scripturam ostendere. Mihi vero, rem attente consideranti, laudanda contra videtur ratio, qua schema nexum inter utrumque divinae revelationis fontem ostendit.

Ne ultra modum sententiam meam protraham et taediosus evadam, dicam mihi miram videri assertionem iuxta quam schema silet de facto revelationis, cum de illo fuse et *dilucide* [6] in schemate sermo sit.

Meam conclusionem, tandem, proponam: schema, prout iacet in volumine nobis tradito a secretaria Concilii Vaticani II, disceptationi committendum est: primum, quia si quid in eo corrigendum *est,* [7] nihil obstat, quominus correctiones decursu disceptationum fiant, quemadmodum iam pro schemate de sacra Liturgia factum est; deinde, quia cum schema auctoritate Summi Pontificis considerationi Concilii transmissum sit, eius reiectio ad minus de defectu comitatis erga Vicarium Christi esset arguenda.

In textu scripto tradito: [1] propositum est discutiendum a Concilio Vaticano II, probante Ss.mo Domino nostro Papa. [2] illudque clarum, praecisum et exactum inveneram. Neque postquam. [3] deest. [4] quamvis quae schemati obiiciuntur attente consideraverim. [5] accurata, exacta atque opportuna. [6] distincte. [7] apparet.

5

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Venerandi Patres Conciliares,

Brevissime loquor. Schema theologicum, quod nobis a Summo Pontifice per em.mum card. a publicis Ecclesiae negotiis traditum est, ut ex eiusdem verbis patet epistulae eiusdem em.mi card. in ipso exordio

huius voluminis, datum est nobis « ad excutiendum » non ad repellendum vel ad respuendum. Valde igitur inopportunum est, ne dicam indecorum, illud repellere, vel respuere.

Ceterum, hoc schema compositum est a commissione theologica ad hoc efficiendum nominata a Summo Pontifice; ac deinde a commissione centrali, pariter a Summo Pontifice nominata, approbatum est. Quae quidem commissiones compositae sunt ex cardinalibus, archiepiscopis, episcopis ac theologis primi ordinis ac doctrina fulgentibus. Cur igitur illud respuamus in universum?

Si quid est quod excidendum, amputandum, resecandum sit, illud excidamus, amputemus, resecemus. Si quid est quod corrigendum sit, corrigamus. Si quid est quod ad meliorem formam redigendum sit, redigamus. Sed, venerabiles Patres, parcite mihi, valde inopportunum est, ne dicam illicitum, ut iam dixi, illud in universum repellere ac respuere. Iam nimium perdidimus tempus; ac tempus terere detrimentosum est, praesertim sacris pastoribus. Vos exspectant dioeceses vestrae, quae magis quam multis verbis, operibus indigent, hoc est pastorali opera vestra.

Quamobrem coram Deo, non coram hominibus, rem considerans, proponere audeo — iterum parcite mihi, venerandi Patres — ut quamprimum Concilii suffragationi haec propositio demandetur: Placetne vobis ...[1] devenire ad singula capita huius schematis theologici discutienda?

Haec habui quae prudentiae ac sapientiae vestrae proponerem.

In textu scripto tradito: [1] sine mora.

6

Exc.mus P. D. PAULUS SCHMITT
Episcopus Metensis

Venerabiles Patres et Fratres,

In hac generali disceptatione saepius refertur ad Concilium Tridentinum et Vaticanum I. Sed quid definitum est in quarta sessione Tridentini? Evangelium est fons unicus revelationis. Patres Tridentini nempe dixerunt: « Ut sublatis erroribus puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur, ... Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore promulgavit, deinde per suos Apostolos tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari iussit ».

Hic unicus fons traditur et per Scripturas et per traditiones aposto-

licas. Patres Tridentini voluntarie abstinuerunt dicere: « partim » in Scriptura, « partim » in traditionibus. Immo non locuti sunt de Traditione, sed de traditionibus.

Quid de Vaticano I? Vaticanum I contra errores subiectivismi, rationalismi et relativismi providentialiter definivit aspectum obiectivum, naturam dogmaticam veritatis christianae. Optime declaravit fidem supernaturalem implicare symbolum veritatum revelatarum, quarum magisterium custos infallibilis est. Nostris temporibus ista definita maximae actualitatis vigent. Attamen, estne necessarium eadem iterum proclamare in eodem sensu et fere iisdem terminis?

Necessarium mihi videtur alios aspectus revelationis et fidei illustrare. Progressus theologiae biblicae, traditionis patristicae, necnon catechesis ad hoc nos provocant. Necessitas vero actionis pastoralis et missionariae urgentissime hoc postulant. Praeter declarationes potius defensivas Vaticani I in constitutione *Dei Filius,* Vaticanum II debet proclamare conceptionem genuinam, ampliorem ac fundamentaliorem Evangelii. Haec enim conceptio est valde traditionalis.

Tres propositiones humiliter firmiterque propono, quae in schematis restauratione, iudicio meo, ut principia conductoria et inspirantia poni debent.

Prima propositio: Tota revelatio consistit in persona Christi, qui est ipse revelatio Dei.

Tota intentio Dei ab aeternitate ut finem Christum habuit, sicut dicit Petrus in sua prima epistola...: [1] « Redempti estis pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, praecogniti quidem ante mundi constitutionem ».

Sic omnes revelationes Veteris Testamenti ducunt ad Christum et in eo fulgescunt. Patriarchae et Prophetae antiquae dispositionis sunt figurae Christi. Iesus Christus est ipse locutio Dei ad homines, est ipse revelatio Dei. Iesus non est tantum propheta maximus, nec legatus altissimus, qui nobis transmittit, per modum magisterii, veritates supernaturales. Tota humanitas Christi, tota vita Christi, et praecipue mors et resurrectio Christi sunt divina revelatio. Etenim in humanitate Christi manifestantur ultimae intentiones Dei in creatione, in homine, in historia; et totum simul manifestatur mysterium intimae Dei vitae.

In persona Christi fit epiphania Dei in historia, i. e. revelatio quid Deus sit pro homine et quid homo sit coram Deo, secundum illud Pauli: « Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei »... [2]

Revelatio divina in Christo tam perfecta est quod Ecclesia, a Pentecoste usque ad finem temporum, non cessat scrutare investigabiles divitias mysterii Verbi Incarnati. Iam Deus nihil aliud dicendum habet

pro salute mundi nisi Christum ipsum, qui est mysterium summum, ultimum, iam eschatologicum. Sermones Iesu Christi et Apostolorum separari non possunt a persona et vita Christi; sunt commentaria prophetica mysteriorum vitae, mortis, resurrectionis et ascensionis eius. Non sunt tantum causae occasionales veritatum revelatarum, sed sunt ipsamet obiectum revelatum.

Secunda propositio: Revelatio christiana est Evangelium.

Revera revelatio est « locutio Dei, primae veritatis, ad homines per modum magisterii ». Sed ista definitio, unilateraliter intellecta, non est sine periculo. Reductio christianismi ad, ut dicam, ideologiam religiosam saepius hodiernis temporibus causa est siccitatis fidei inter baptizatos, immo et incredulitatis aliquorum.

E contra, revelatio christiana est Evangelium, id est oeconomia salutis. Locutio Dei substantialiter est actio benevolens Dei, quae efficit praesentiam divinam, confert gratiam, introducit in viam salutis, creationem novam dedicat, convocat homines ad adoptionem divinam. Valde periculosum est disiungere, ex una parte, facta salutaria Christi, ex altera parte, verba Christi et sermones Apostolorum.

Deus misericors revelationis suae nos gratificavit non primo ut responderet quaestionibus intelligentiae nostrae, sed ut homines salvi fierent. Doctrina evangelica necessario dimanat ex ipso mysterio Christi, sed numquam est doctrina sine Evangelio salutis. Veritas christiana non est mere intellectualis, sed introducit in cognitionem et realitatem mysterii vitae supernaturalis.

Tertia propositio: Hoc Evangelium salutis maxime respondet necessitatibus hodierni apostolatus.

Maximi momenti est manifestare christianam fidem esse conversionem et iustificationem, ad mentem Conciliorum Arausicani II et Tridentini, et amplius secundum illud Marci...:[3] « Venit Iesus in Galilaeam praedicans Evangelium Dei et dicens: Quoniam impletum est tempus et appropinquavit regnum Dei: poenitemini et credite Evangelio ».

Nonnulli baptizati habent in memoria veritates doctrinales fidei, sed Christum non invenerunt. Christus ipse solus est qui movet ad fidem. Ad Christum se convertendo, fidelis confitetur Iesum esse adventum Dei et regni, Dominum et iudicem vivorum et mortuorum.

Haec conversio cordis non est sine adhaesione intellectus veritatum revelatarum, sed est aliquid amplius: fidelis fit testis Iesu Christi.

Actio missionaria Ecclesiae erga infideles debet Christum proponere et esse vera evangelizatio. Per evangelizationem...[4]

Praeses card. GILROY: Rev.me et ill.me Domine, tempus finitum est!

In textu scripto tradito: [1] (1 *Petr.* 1, 19-20). [2] (*Tit.* 3, 4). [3] (*Mc.* 1, 15). [4] Ecclesia convocat infideles ad recognoscendum Deum, per Iesum Christum, orientationem totius humanae historiae dirigere ut vocationi suae divinae respondeat. His dictis, votum emitto quod schemata dogmatica recognoscantur et renoventur in lumine harum propositionum: quod facilius erit, si nova schemata dogmatica conficientur.

7

EM.MUS P. D. ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Venerabiles Patres Conciliares,

Quoniam a clarissimo em.mo card. Döpfner quaedam dicta sunt quae mihi videntur, non ex mala voluntate sed ex insufficientia informationum, vera non esse, ne Patres remaneant sub influxu quarumdam assertionum, quae non sustinentur, debeo quaedam animadvertere.

Primo quidem: non est verum me dixisse in relatione, quam legit rev.mus Garofalo meo nomine, omnia pacifice profecisse. Nam in ipsa relatione agitur de rebus obscuris disputabilibus, quae tandem aliquando fuerunt adductae ad commissionem generalem, quae erant iam discussae a subcommissione de re biblica. Et ego saepe recursum feci votationibus, suffragiis congregationis generalis commissionis theologicae. Igitur disputationes habitae sunt, et suffragio solutae sunt. Si quaedam quae dicta erant a minoritate non fuerunt approbata, hoc est de communi modo procedendi in conventibus, etiam in nostro plenario conventu ii qui sunt in minoritate succumbunt. Igitur non est mirum.

Non est verum quod ipsa constitutio redolet mentem unius scholae. Membra commissionis biblicae erant ex diversis universitatibus; internationalis erat. Membra, in quibus erat etiam praeses Instituti Biblici, Vogt, constabat membris laureatis vel licentiatis in Instituto Biblico, vel etiam Cerfaux, qui erat in Universitate Lovaniensi. Igitur non est una schola, quae dedit suam mentem.

Tertio. Quod attinet ad commissionem centralem, sexaginta circiter Patres testes sunt quomodo processit discussio; et nunc dicitur: processit modo summario! No!, omnes locuti sunt. Omnes, qui voluerunt, locuti sunt, et observationes fecerunt. Commissio de emendationibus obiectiones misit commissioni theologicae. Commissio theologica respondit observationibus. Quaedam receptae sunt, et igitur schema istius constitutionis fuit emendatum. In quibusdam non fuit: remansit sicut erat, quia non sunt receptae illae emendationes quae a quibusdam propositae fuerunt tantummodo, aut ab uno Patre, et aliis non consentientibus. Et igitur naturale est quod non potuimus de omnibus rationem habere.

Quod attinet ad novam propositionem factam quando iam labores sunt in fine istius constitutionis, quando iam maioritas..., fortassis cuidam non placet quod iam maioritas se expendit pro approbatione in forma generali cum emendationibus utique istius constitutionis; nunc fit propositio, ut respuatur. Hoc mihi videtur contrarium canoni 222, § 2. Videtur contrarium etiam ipsi dignitati istius consessus. Dixi.

Praeses: Aliquis Pater conciliares mihi tamquam praesidi scripsit: « Enixe rogo em.mum praesidem congregationis ut attentionem Patrum dirigat ad canonem 33, sectionem primam. Est quod sequitur: " Quivis pater verba facere potest de unoquoque proposito schemate vel admittendo vel reiciendo ". Attentio dirigatur ad verbum *reiciendo* ».

8

Exc.mus P. D. PETRUS PARENTE

Archiepiscopus tit. Ptolemaidensis in Thebaide

Venerabiles Patres,

Benigne velitis suscipere etiam vocem meam, quae non est vox assessoris S. Officii, sed est [1] vox humilis arch. Ptolemaidis in deserto Thebaidis, necnon veteris cuiusdam operarii sacrae theologiae.

Intento animo abhinc duos dies, *et etiam hodie,*[2] secutus sum oratores fervide dimicantes pro et contra schema propositum de revelationis fontibus. Quod quidem mirum non est, saltem iis qui Conciliorum historiam *bene* [3] norunt. At rationes hinc inde prolatas mihi consideranti videtur dissensio plus aequo exardescere ob aequivocationem circa discussionis obiectum: alii enim de substantia schematis, alii de eius forma decertant, alii denique de utraque. Hac via nunquam finis erit loquendi!

Opportunum censeo distinguere schematis substantiam, quae essentialis est, ab eius forma, quae est accidentalis. Imprimis et super omnia de substantia rerum disputandum *esset,*[4] nempe de principiis quae in schemate proponuntur, ut consensus attingatur in re tanti momenti.

Iamvero principia in schemate exposita sanam doctrinam exprimunt, de qua Patres Conciliares facile convenire possunt, praesertim si illa principia concise in terminis essentialibus proferantur.

Ausim proponere ut Patres invitentur ad suam sententiam ferendam de praecipuis enuntiationibus ex schemate excerptis ac distributis in folio scripto; *ex. gr., punctum primum*: *notio revelationis; et postea*: *ubi sit revelatio, de distinctione duorum fontium revelationis, etc.* (*Brevitatis*

causa non exponam puncta particularia quae essent excerpenda ex ipso schemate).[5] De his punctis singillatim suffragatio fieri poterit; et, si exitus positivus fuerit, iam substantia schematis propositi, *de fontibus revelationis,* adprobata evadet; ac deinde schema ipsum ad formam gratiorem, *uti optatur,*[6] etiam sub aspectu pastorali, redactum, suffragationi definitivae exhibebitur.

Haec methodus etiam pro reliquis capitibus constitutionis dogmaticae adoptari potest, ut magis ordinatim et expedite procedatur sine *ulteriori*[7] mora.

At quidquid visum fuerit de hac mea humili propositione, transeo nunc ad crisi subiciendam unam ex tot obiectionibus, quae contra schematis doctrinam immerito prolatae sunt. Agitur de re praecipua huius schematis.

Assertum est a pluribus in hac aula Concilium Tridentinum et Vaticanum I non duplicitatem sed unitatem fontis divinae revelationis docere, quod quidem cum doctrina Patrum ac theologorum antiquorum, ipsius S. Thomae, cohaereret, *dicunt.*[8] Quam ob rem Concilium Vaticanum II duplicitatem illam asserere non deberet, eo vel magis quod res ingrata fratribus separatis evaderet.

Respondeo dicendum:

1. Cuique, absque praeiudiciis, legenti Concilium Tridentinum in sessione IV, ...[9] obvius occurrit sensus de unitate Evangelii quod Christus Apostolis praedicandum concredidit — *ut nunc audistis*[10] — et quod usque ad nos pervenit duabus viis, scilicet « libris scriptis et sine scripto traditionibus ». *Non lego integrum textum, sed attentionem vestram excito circa hoc quod invenitur in textu. Ter Patres loquuntur distincte de Sacra Scriptura et de Traditione:*[11]

— « Veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus »...[12]

— *Secundo:*[13] « Omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas ... oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, ... pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur ».

— *Et tertio,*[14] per modum canonis: « Si quis autem libros ipsos integros ... pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit: anathema sit ».

Unicus igitur fons Evangelium, *certum est,*[15] seu revelatio Christi, *ipsius Christi Verbi Incarnati,*[16] qui in duos *tamen*[17] rivos dispescitur distinctos, quibus idem honor, idem fidei obsequium.

Non satis igitur est, *iuxta mentem Concilii Tridentini, non satis est*[18] catholico suscipere libros scriptos tamquam fontem *revelationis divi-*

nae,[19] sed debet pari fide amplecti « sine scripto traditiones ». (*Neque sophisticetur de traditionibus potiusquam de Traditione; iam historici et theologi hoc superarunt; est Traditio et traditiones, sed tamen divina-apostolica*).[20] Concilium non definit quaenam sit habitudo utriusque fontis, sed utriusque veram distinctionem et necessitatem energice affirmat, uti patet.

2. Idem sensus erumpit ex fine Concilii *Tridentini*[21] quod, prout *notum est*[22] ex eius actis et historia, prae oculis damnandam habebat theoriam lutheranam de « solius Scripturae » ad salutem sufficientia, sublata qualibet orali traditione in Ecclesia Catholica vigente. In priori textus redactione distinctio inter Sacram Scripturam et Traditionem pressius exhibebatur verbis « partim et partim » ad significandam differentiam *etiam*[23] quantitativam utriusque fontis; unus Patrum, P. Bonuccio, generalis Servitarum, obiectionem movit, ceteris *omnibus*[24] contradicentibus. Loco verborum « partim-partim » in redactione definitiva suffecta est *particula*[25] « et », quae certo certius duas res distinctas connotat, ideoque sensum non immutat. Quod confirmatur aperte:

a) ex epistola quadam a cardinalibus praesidentibus Concilii ad card. Farnese, ubi legimus: « Revelatio fidei facta a Domino nostro Iesu Christo in Novo Testamento non tota scripta est »;

b) ex epistola Andreae Vega, qui fuit inter praecipuos theologos Concilii *Tridentini, in una epistola*[26] ad Calvinum; haec habet: « Sed ista te fugiunt quia contemnis definita a Patribus in hoc Concilio in sess. IV (*locus noster*[27]) et fidem adeo vis pendere a Scripturis, ut nec illas traditiones (*dicitur « traditiones »*[28]), quae sine scripto a Christi ore vel ab Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt, ad fidei doctrinam spectare credas ». *Est testimonium maximi momenti.*[29]

c) Omnes theologi post Concilium Tridentinum orti, per quattuor saecula, concordes, duplicem fontem revelationis admittunt usque ad hodiernam aetatem. *Omnes erraverunt?*[30]

d) Ipsum Magisterium Ecclesiae ostendit quasdam veritates revelatas in Traditione inveniri, vix, aut ne vix quidem, in Sacra Scriptura: Immaculata Conceptio Beatae Mariae Virginis *et magis*[31] magisque eius Assumptio (*ego fui in commissione*),[32] vi istius criterii dogmatice *definiri potuerunt et*[33] definitae sunt, ut conspicue patet *ex documentis:*[34] ex bulla *Ineffabilis* et ex constitutione *Munificentissimus.*

e) Ante quemlibet librum Novi Testamenti fides Ecclesiae traditione orali alebatur, quam nemo demonstrare potest totam scriptam esse ab Apostolis; quinimmo contrarium probatur, praeter quam aliis argumentis, etiam hoc: si Deus constituisset se suam revelationem tradere

solummodo scriptis, curnam permisit quaedam scripta sacra deperdi, *sicut dicitur de quibusdam epistolis S. Pauli?* [35]

Respondeo II. Assertum est Patres et theologos antiquos tenuisse solius Scripturae sufficientiam; hoc quidem veritatem *aperte* [36] offendit. ...[37] Saeculo II Irenaeus ...[38] potiusquam ad Sacram Scripturam, ad traditiones orales Ecclesiarum, praesertim Romanae, provocat, ut pura veritas fidei inveniatur. Item Tertullianus in *Praescriptione haereticorum*. Quarto saeculo, ...[39] Basilius, in *De Spiritu Sancto,* n. 27: « Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus et praedicationibus, alia quidem habemus e doctrina scripto *tradita,*[40] alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione Apostolorum »...[41]

Praeses card. GILROY: Exc.me Domine, tempus finitum est!

Orator: Displicet quam maxime; si permittas, conclusionem dico paucis verbis.

Praeses: Utique; faveas!

Orator: Gratias ago! Conclusio: Temporis angustia, paucissima prae multis exposui iuxta sanam theologiam, quae neque romana, neque gallica, neque germanica, neque hispanica, neque vetus, neque nova, sed simpliciter theologia catholica est; atque eo fine ista dixi, ut pateat omnibus schema *de fontibus revelationis* non peccare contra veritatem, neque indulgere huic vel illi scholae theologicae, sed cum sana theologia essentialiter cohaerere, innixa traditione viginti saeculorum. Non est schema *nostrum* [42] optimum omnium — quod difficile attingitur — sed dignum est vestra consideratione, ac discussione, ut melius evadat...[43] Dixi. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] Vox mea non est vox Assessoris S. Officii, sed. [2] deest. [3] deest. [4] est. [5] plus minus secundum hunc modum: 1. Notio revelationis synthetice desumpta ex cap. 4 De deposito Fidei (pag. 35-37). 2. Revelatio in utroque Testamento absolvitur, prius per Prophetas, deinde per Christum. 3. Christus Divinum Verbum seu Evangelium Apostolis praedicandum commisit (« Euntes docete ») auctoritative et quidem cum sanctione. 4. Catechesim oralem Apostolorum scripta Novi Testamenti referunt, sed non adimunt; ideoque revelatio Verbi Dei usque ad ultimi Apostoli mortem perdurat. 5. Integra divina revelatio seu totum Evangelium sive in S. Scriptura divinitus inspirata, sive in S. Traditione divino-apostolica, afflante Spiritu Sancto, continetur, ita ut de duobus revelationis fontibus liceat loqui, distinctis quidem, sed intime connexis, ex una radice profluentibus et in unum finem coeuntibus. 6. Uterque fons vivo Ecclesiae Magisterio concreditus est custodiendus, interpretandus, enucleandus ad hominum salutem. Itaque Ecclesia docens et discens tanquam vivens manifestatio ac traditio Christi, Verbi Incarnati, in mundo viget. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] (DB 783). [10] deest. [11] Ecce verba textus: « ... ut sublatis erroribus pu-

ritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur quod ... Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae, omni creaturae praedicari iussit: perspiciensque hanc. [12] quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta. [13] deest. [14] Additur. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] veritatis revelatae. [20] deest. [21] deest. [22] patet. [23] deest. [24] deest. [25] coniunctio. [26] deest. [27] deest. [28] deest. [29] deest. [30] deest. [31] deest. [32] deest. [33] deest. [34] deest. [35] (e. g. epistolas paulinas quasdam). [36] deest. [37] Iam. [38] (*Adv. Haer.* III, 3). [39] perspicue. [40] prodita. [41] *Epiphanius* (*Panarion* 61): « Sed traditione quoque opus est: neque enim ex Scripturis peti possunt omnia; idcirco alia in Scripturis, in traditionibus alia sancti Apostoli reliquerunt ». *Augustinus,* De Baptismo, V, 23: « ... sunt multa quae universa tenet Ecclesia et ob hoc ab Apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur ». Inter theologos scholasticos: *S. Bonaventura,* In III Sent., d. 9, a. 1: « Dicendum quod multa Apostoli tradiderunt, quae tamen non sunt scripta ». *S. Thomas,* S. Th. III, q. 25, a. 3, ad 4: « Apostoli familiari instinctu Spiritus Sancti quaedam Ecclesiae tradiderunt servanda, quae non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiae per successionem fidelium ». Angustia temporis sat multa alia omitto: si quis plura cupiat, adeat Bellarminum, Franzelin et Lennerz, qui de hac re ultimis diebus vitae suae consueto acumine et eruditione disseruit in *Gregorianum* (1959-60-61). 3. Quidam recentiores auctores, oecumenismo addicti, omni ope conati sunt infirmare limpidam lineam doctrinae catholicae, quam supra delibavimus. Inventores rerum, quas nemo vidit nunquam. Unus ex istis (J. R. Geiselmann) textum tridentinum torturae subiicit ut faveat formulae lutheranae de Scriptura sola, quam Patribus Concilii tribuere audet, nescio qua fronte. Alius, qui priori adhaeret, magis honeste agnoscit mentem Patrum Tridentini stare pro duplici fonte Revelationis, sed addit aliam esse mentem Spiritus Sancti, qui particula « et » (loco verborum « partim-partim ») ianuam apertam reliquit futuris oecumenistis ad favendum formulae protestanticae. Ludus igitur Spiritus Sancti, qui in Conc. Vat. I repetitus fuit: an etiam in Vat. II repetetur?... De his optime scripsit nuperrime P. Boyer, qui, quamvis maxime sollicitus de fratribus separatis, non veretur tamen, uti par est, doctrinam catholicam, iuxta genuinum sensum, profiteri ac proponere qua decet integritate ac sinceritate, validis argumentis historicis, exegeticis ac theologicis innixus. [42] deest. [43] Nonnullas emendationes cap. 1 suo tempore proponam sive in hac congregatione sive in commissione doctrinali.

9

EXC.MUS P. D. PAULUS BUTORAC
Episcopus Ragusinus

Em.mi Praesides, Patres venerabiles,

...[1] Ex quinque capitibus *huius schematis de fontibus revelationis,*[2] quattuor Scripturae soli dicantur; unum, et quidem primum, *ambobus,* iterum dico, « ambobus » revelationis fontibus; neque unum quidem peculiare caput Traditioni *soli.*[3] Quod *parum conveniens*[4] videtur. Sic enim fideles et extranei in errorem vel saltem in suspicionem quamdam adduci possunt in sancta Dei Ecclesia Traditioni, uti revelationis fonti, minus attribui momentum quam Scripturae; quod prorsus falsum est. Ne dicatur: conciliaria decreta pro clero conficiuntur. Concilia enim pro omnibus cogi mos est, qui saeculorum decursu invaluit, quasque Dei Ecclesia venas ad omnes vitam adferentes et transferentes consideravit semper. Sicque certo certius praesumi potest huius Oecumenici Concilii decreta fore ut in omnes nationum, quae culturae adhaerent, vertantur linguas. Quod Deus faxit!

Traditio, uti revelationis fons, maximi est facienda. Immo ipsa primus est revelationis fons (non principalis sive praecipuus; hoc esset theologice minus rectum), primus tempore et primus, ut ita dicam, extensive. Absque Traditione enim ne libros quidem sacros sciremus. Ideoque absolute necessarium arbitror huic schemati adiungendum peculiare *de Traditione* caput, ut sic facilius perspiciatur Concilium hoc Oecumenicum hunc revelationis fontem magni facere, saltem non minus quam Scripturam. Credo hoc caput statim post primum adiungi posse et oportere.

Accedit et alia ratio quam ego (atque alii Patres, credo et spero) in maxima habere consideratione conscientia adstringor. Magni enim fit Traditio, uti revelationis fons, etiam penes fratres nostros dissidentes in Oriente. Pontifex augustus, qui hunc mirabilem coëgit coetum, cor et manus, *ut ita dicam,*[5] ad Christianum tendit Orientem animos caritate conciliaturus. Tendamus et nos, fratres, corda manus, ut summa caritate lucidoque intuitu omnia, quae nostri in Concilio sunt muneris, peragamus. Ut fratribus ostendamus permulta esse christianae doctrinae capita, quae cum nostra doctrina prorsus consona sint. Et inter alia hoc quoque caput, Traditionem nempe, revelationis fontem. Et hoc expressis adnotetur verbis in capite Traditioni dicando.

Hic confiteri quoque debemus aliqua christianae doctrinae capita

penes nos in Occidente temporum et hominum iniuria aliquatenus neglecta fuisse. Sic, ex. gr., doctrina de Christi Corpore Mystico. Medio aevo transacto, forsan sub aliquo humanismi influxu, qui mysticismo parum favebat, doctrina haec in Occidente exculta non fuit, dum in Oriente, qui mysticismo favet, ...[6] neglecta non fuit. Novissimis vero decenniis, res in meliora prorsus vertuntur. Penes nos in Iugoslavia, et sic etiam penes alias quoque in Occidente catholicas nationes, huius de Christi Corpore Mystico doctrinae peritissimi reperiuntur viri. Quod de hac re dixi, aliquatenus saltem, sed non eodem modo vel mensura, de Traditione quoque alicubi et ad tempus invaluit.

Si meum propositum Patribus parum placet, liceat mihi alium adferre modum: uti, nempe, primi capitis titulus prorsus obliteretur et loco huius alius admittatur, *de Traditione*. Cuius capitis initio pauca sunt inscribenda de ambobus revelationis fontibus, dein statim ad Traditionem, et quidem solam explanandam, transeundum. Pro omni exopto et exoro casu, ut de illis mentio fiat quae commemoravi prius...[7]

Ad finem, humiliter propono sic:

1. *Hoc schema propositum accipiatur a Concilio Oecumenico, sed ubi oportet emendetur, etiam radicitus si oportet.*

2. *Traditioni locus fiat, qui Traditioni competit.*

3. *Duo capita de Vetere et Novo Testamento coniungantur in unum.*

Alia quaedam particularia tradam exc.mo Domino a secretis. Quaedam retuli Patribus ut, si credunt opportunum, decernere velint.[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Habeo coram schema constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis.* En titulos capitum: *De duplici fonte revelationis; De Scripturae inspiratione, inerrantia et compositione litteraria; De Vetere Testamento; De Novo Testamento; De S. Scriptura in Ecclesia.* Uti conspicitis, Patres. [2] deest. [3] deest. [4] valde inconveniens, immo minus rectum mihi. [5] deest. [6] atque hierarchicum ecclesiasticae structurae principium ad Occidentis modum non admittebat. [7] Dum hoc, quod referre ausus sum, magni ob rem ipsam considero momenti, aliud aliquid minoris prorsus adfero. In cap. 2 ab initio legitur sic: Praeterquam viva Prophetarum et Apostolorum voce, Deus in Scripturis quoque sanctis Veteris ac Novi Testamenti, quae alterum ac praeclarum constituunt supernae revelationis fontem, ... ». Iterum dico « alterum ». Atqui, ubi primus? Traditio, dicetur utique. At, ubi hoc dicitur? Nullibi in toto schemate. Ergo, ut schema clarius evadat et perfectius, propono ut in cap. I sub n. 4 ad finem sic scribatur: « Quare quae divina Traditio, primus Revelationis fons, ratione sui continet... ». Desidero, ne Patres hoc ut criticen sumant, sed ut schematis opus perfectius adstruatur. Opportunum credidi Patribus quaedam referre, ut, quod aptius, decernere velint. [8] deest.

10

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi unum verbum dicere in responsione ad id quae dixit rev.mus et exc.mus arch. Parente.

Nemo in hac aula dubitat veritatem revelatam oriri posse et debere et ex Sacra Scriptura et ex Traditione Ecclesiae. Ideo dixi, in interventu meo habito, in ordine cognoscendi verum esse quod duplices sint fontes revelationis; sed dixi deinde: in ordine essendi, est unicus tantum fons, ipsa revelatio. Et volebam dicere: ex quo duo rivuli emanant, scilicet Sacra Scriptura et Traditio; sed quia, propter debilitatem oculorum meorum legere non possum, et ideo memoraliter omnia dicere debeo, oblitus sum haec verba facere: « ex quo duo rivuli emanant, Sacra Scriptura et Traditio ».

Oro, excusate me quod in hoc capite non tam claritate locutus sim, sed dicere volebam in ordine essendi esse unicum fontem, ipsam revelationem, ex qua emanant duo rivuli, Sacra Scriptura et Traditio. Dixi!

11

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Venerabiles Patres,

Primo loco aliquid proponere velim de inerrantia Sacrae Scripturae, quae est *tanti* [1] momenti in hoc schemate.

Mens plurium Patrum perturbatur novis theoriis exegetarum quibus veritas Sacrae Scripturae destrui videatur. Investigandum est num ad tollenda dubia aliquod principium generale statui possit, quod ab una parte salvet inspirationem et inerrantiam Sacrae Scripturae, ab altera parte salvet, sub magisterio Ecclesiae rationabilem libertatem eorum qui in re difficili et obscura adlaborant ut veritatem Sacrae Scripturae cum factis historicis componant, et in multis iam feliciter composuerunt.

Multum audens, principium generale proponere velim, quod in eo esse videtur ut, quamquam inspiratio ad omnia pertineat quae auctor humanus scripsit, inerrantia tamen ad ea tantum sese extendit quae auctor humanus, reapse et stricte vel modo absoluto, affirmare intendit.

Si inerrantia non restringatur ad ea quae auctor absolute intendit, tunc: aut ponendum est scriptorem omnia, etiam minima, modo absoluto affirmare velle, aut inerrantiam etiam ea comitari quae auctor non stricte vel modo definitivo affirmare vult...[2]

Praeses: Exc.me Domine, locutio non est de inerrantia, sed de fontibus revelationis in genere.

Orator: *Unum adhuc, ex his quae scripsi, addere volo; cetera secretario tradam.*[3]

4. Animadvertendum videtur quod *in hoc schemate et aliis schematibus,*[4] in loquendo de Ecclesia vel eius magisterio, evitemus speciem quamdam vanae gloriae, qua nostris temporibus sat multi ab Ecclesia alienantur. Utique memoria tenendum est auxilium divinum quod, a Christo promissum, Ecclesiae eiusque magisterio et regimini semper adest. Sed etiam meminisse oportet innumeras illas debilitates, ineptitudines, ignorantias, immo et errores et peccata, quae historia Ecclesiae vel in summis locis ecclesiasticis clare attestatur... Ne ergo in honorem hominum arrogare videamur quod potest cedere tantum in gloriam Dei...[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quaestio magni. [2] quorum neutrum asseri posse videtur.

Si inerrantia ita restringatur, tunc non retineri debet suppositio illa minus probabilis secundum quam miraculum continuum, etiam quoad minima, comitetur scriptorem biblicum, quod quomodo cum factis componi potest iam a nullo doctore videtur, — tunc labor auctoris proprius melius salvari videtur, — tunc donum inerrantiae magis appropinquatur dono inerrantiae quod magisterio Ecclesiae a Deo tribuitur.

Puto hoc principium generale valere non tantum in re historica sed etiam in rebus religiosis ita ut singuli textus S. Scripturae generatim tuto interpretari non possunt nisi ratione habita totius depositi fidei et magisterii Ecclesiae quod nobis a Christo datum est ut angelus in via.

Ad illustrandum et explicandum principium generale illud applicare velim ad casum difficiliorem in re historica, in quo auctor biblicus facta vere historica narrare vult, quae ex optimis fontibus haurire potuit, immo quorum ipse erat testis ocularis vel auricularis. Nam si principium valet pro hoc casu, a fortiori valebit pro aliis casibus in re historica.

In genere dicendum esse videtur auctorem humanum non intendere factis talibus ab ipso narratis tribuere valorem vel certitudinem quae maiora sunt iis quam ex natura rei vel fontium habent. Hoc etiam valet, cum auctor loquitur ut testis ocularis vel auricularis. Etenim in his quoque casibus auctor non vult affirmare seipsum vel alios — v. gr. ex deficientia memoriae vel defectu attentionis — omnino errare non posse, ne quidem de minoribus circumstantiis. In traditione catholica nullo modo docetur auctores humanos gavisos esse scientia infusa de factis historicis

vel de iis cognitionem habuisse praeter eam quam ex fontibus hauserunt. Ergo etiam si agitur de factis historicis, scriptores dependebant, et se dependere sciebant, ex fontibus humano modo certis, nec intendebant narrationibus suis tribuere maiorem certitudinem vel exactitudinem quam eae quae iis ex rerum et fontium natura inerant.

Casus analogus habetur in iis encyclicis aliisque documentis pontificalibus in quibus Summus Pontifex non intendit docere magisterio infallibili. Et hoc valet de documentis huius sacrae synodi. De veritate et certitudine eorum quae in his documentis docentur iudicandum est etiam aliis mediis quibus veritates in deposito fidei contentae diiudicantur.

Generali ergo modo dici posse videtur libros S. Scripturae qui facta historica narrant, quoad veritatem historicam iisdem criteriis diiudicandos esse, quibus alii libri historici diiudicantur. Si ergo aliquis error historicus in iis detegitur de eo non aliter iudicandum est acsi error quidam cosmologicus, biologicus, geographicus, etc. invenitur.

In specie, in investiganda mente auctoris etiam ea omnia valent quae iam approbata sunt in encyclica *Divino Afflante Spiritu* de modis narrandi historiam alienis a praxi moderna, sicuti et ea quae exegetae iam applicant quoad genera litteraria, vel etiam alia quae diligenti investigatione adhuc probari possunt.

Difficultas cognoscendi quid auctor biblicus revera et stricte intendit praesertim pro nobis existit qui post tot saecula et in circumstantiis tantopere diversis vivimus. Generatim nulla vel non magna difficultas aderat pro communitate in qua, ex qua et pro qua auctor biblicus scripsit. In quantum ignorantia vel dubium remanent de vera mente vel intentione auctoris biblici, in tantum ignorantia laboramus de veritate in textu S. Scripturae contenta.

Ecclesiae multum interest de labore exegetarum quia agnoscit S. Scripturam iuxta verum eius sensum esse normam veritatis a se profitendae. Exegetae memores sint oportet sese opus suum perficere debere in aedificationem non in destructionem depositi fidei. In diiudicanda veritate historica factorum narratorum exegetae ne nimis ducantur desiderio reiiciendi miracula etiam stricte dicta. Nam quamquam in historia profana narratio miraculi recte maximum dubium ingerit de historica veritate, in historia tamen salutis talis interventus specialis a parte Dei neque incongruus est, neque inexpectatus, nec omnino improbabilis dici potest. Habentur argumenta validissima pro quibus miraculis quae in civitate Lourdes facta esse narrantur. Cur ergo horror miraculi quae adhuc magis congrua esse videntur in fundatione religionis a Verbo incarnato. Si ergo ex aliis criteriis vere constat scriptorem biblicum intentionem habuisse fideliter tradendi facta historica, miracula nonnisi argumentis vere certis et in casibus singulis probandis negari debent. Vitium facilis alicuius rationalismi exegetae catholico minus dignum esse videtur, atque eorum laborem utilissimum sine necessitate in discrimen adducere videtur.

De cetero magisterii Ecclesiae est ultimum iudicium ferre de veritate S. Scripturae cuius iudicio omnes sese humiliter et fideliter submittere debent. Exegetae autem merito rogant ut inter eos qui de se iudicant etiam ii habentur qui sint praediti tali scientia et iuxta normas vere ecclesiasticas iudicare possint. Ita scandalum vitatur quod oritur ex suspicione quasi Ecclesia verum progressum scientiae impedire velit.

[3] Venerabiles Patres, de schemate primo in genere haec quinque breviter animadvertere volo.

1. Hoc schema recte inculcat veritatem doctrinae revelatae, sed inde a paragrapho prima suggerit oeconomiam salutis quasi unice consistere in proponenda et recipienda *doctrina*. Certo, vera doctrina multum valet, sed valorem accipit a re de qua testatur et a cognitione quam de re communicat. Ipsa res ergo, ut v. gr. ipse Deus in se vel ipse Christus Dominus, multum antecellit doctrinae quae de ea enuntiatur. Magna ergo emphasi loquendum est de ipsa *nova realitate* quam in Christo Redemptore accepimus, in qua realitate revelationis momentum reapse consistit. Doctrinis maiorem, immo unicum, valorem tribuere, ipsis rebus posthabitis, ita ut scientia de dono Dei ipsi dono anteponatur, intellectualismum sapit.

De cetero desiderabile videtur ut de revelatione in genere agamus priusquam de eius fonte vel fontibus tractemus. Attamen caput 4 schematis sequentis ubi de revelatione agitur, modo iam multo peiore, vitio dicti intellectualismi laborat. Itaque et hoc caput ita funditus renovandum erit ut revera appareat ecclesiam catholicam annuntiare donum Dei et gaudium universo mundo.

2. Hoc schema primum merito valorem traditionis vivae defendit sed iam in ipso concilio Tridentino patres reiecerunt modum loquendi iuxta quem doctrina revelata partim in traditione partim in S. Scriptura invenitur. In hoc autem schemate similis modus loquendi introducitur, quamquam theoria de duobus fontibus a theologis modernioribus minime approbatur. Nostro tempore extolli debet unitas depositi fidei vel traditionis apostolicae cuius S. Scriptura est monumentum omnino praecellens cui ecclesia universa et unusquisque fidelis sese submittere debet.

3. Schema recte magisterio ecclesiastico tribuit ius supremum iudicandi de vero sensu depositi fidei, sed suggerit magisterium positum esse et extolli super ipsam S. Scripturam et revelationem, nec, proh dolor, sufficienti claritate exprimit ipsum magisterium, ut docere possit, sese submittere debere ipsi huic deposito, immo praecipuum huius magisterii munus in eo esse ut Spiritu Sancto duce populum Dei in fidelitate erga hunc depositum antecedat et conservet.

[4] deest. [5] 5. Sat multi periti opinantur huius schematis intentionem in eo esse ut felix illa libertas iam auferatur vel saltem valde restringatur quam Enc. *Divino Afflante Spiritu* expertis in S. Scriptura et theologia dogmatica generose tribuit. Experti utique monendi sunt ne eorum imprudentia pericula et scandalum pusillorum oriantur, sed eodem tempore laudandum esse videtur conamen eorum qui in re difficili et obscura adlaborant ut S. Scripturae inspirationem et inerrantiam cum factis historicis componant, et in multis iam feliciter composuerunt. Difficultas enim cognoscendi quod auctor biblicus revera et stricte intendit, exsistit pro nobis qui post tot saecula et in circumstantiis tantopere diversis vivimus. Difficultas nulla vel non magna erat pro communitate in qua et pro qua auctor biblicus scripsit. Insuper illud scandalum evitandum est quod oritur si Ecclesia catholica scientiae verae evolutionem impedire apparet. Ex his 5 punctis clarum esse puto hoc schema laborare gravibus vitiis nec sufficienter inspiratum esse spiritu pastoralis sollicitudinis, christianae libertatis et oecumenicae caritatis quo impulsus Summus Pontifex hanc Synodum convocavit. Ideo hoc schema funditus emendatum et novo omnino spiritu imbutum velim.

Animadversiones additae:

De cap. I schematis primi *de duplici fonte revelationis.*

1. In nn. 4 et 5 huius schematis clarius distinguendum esse videtur inter traditionem apostolicam eam quae morte Apostolorum concluditur, et traditionem ecclesiasticam quae apostolica dici potest tantum in quantum depositum apostolicum

conservet, tradat et explicet. Sola (ea) traditio apostolica quae morte Apostolorum concluditur, aequiparari potest ut elementum constitutivum revelationis cum S. Scriptura, immo S. Scriptura ut pars eius haberi debet. Traditio ecclesiastica, quia ad constituendum depositum fidei nihil confert vel addit, non (apto modo quo traditio apostolica) fons dici potest, sed potius est fluvius qui ex traditione apostolica et S. Scriptura emanet. In quantum tamen traditio eccl. est norma proxima fidei nostrae, quoad fidem nostram haec etiam fons dici potest, sensu tamen diverso.

2. In loquendo de magisterio Ecclesiae permagni momenti est ut omnino clare exprimatur modus quo magisterium operatur. Nam ut docere possit, magisterium sese submittere debet ipsi deposito fidei quod in Ecclesia vivit et etiam in S. Scriptura invenitur. Immo praecipuum huius magisterii munus in eo est ut Spiritu Sancto duce populum Dei in fidelitate erga hoc depositum antecedat et conservet.

3. Huius capitis et schematis, immo schematum sequentium, praesertim tamen cap. 2 schem. 2, vitium maximum in eo esse videtur quod revelatio divina practice et continuo cum doctrina (praedicanda et recipienda) exaequatur et confundatur.

Utique vera doctrina multum valet et in multis necessaria est ad cognitionem transferendam, sed alia quaestio est utrum doctrina de aliqua re ipsi rei anteponi vel aequiparari possit. Doctrina valorem accipit a re de qua testatur. Ipse Deus et Iesus Christus infinite superant doctrinas quae de iis enuntiare possent. Sic etiam dicendum est de dono Dei sui ipsius in Christo et de doctrina quae de hoc dono enuntiari potest.

In isto schemate et sequentibus hoc vitium (pessimum) intellectualismi vel conceptualismi passim invenitur et ea modo irremediabili vitiare videtur.

Etiam valor traditionis apostolicae imprimis non in doctrinis existit, sed in realitatibus quae traduntur, puto in vita divina quae per baptismum datur, in sacerdotio quo munus sacerdotale, redemptivum et pastorale Christi inter nos perpetuatur, etc. etc. Quidquid dicatur de quaestione utrum habentur doctrinae quae saltem non fundamentaliter in S. Scriptura inveniuntur; si agitur de istis realitatibus in quibus donum Dei praecipue consistit, dicendum est eas non per S. Scripturam sed per vivam Ecclesiam, quae est Corpus Christi, ad nos transmissas esse et pervenire. Si attendamus ad realitates divinas, haec schemata omnino inacceptabiles esse videntur.

12

Exc.mus P. D. ANDREAS CHARUE
Episcopus Namurcensis

Venerabiles Fratres Conciliares,

Feria quarta, em.mus card. Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, suum *non placet* declaravit. Mea voce, eius sententiae adhaerent omnes ceteri episcopi Belgii, necnon plures alii episcopi e Belgio oriundi aut qui in Africa Centrali providentialem nobiscum consuetudinem habent.

Dolemus quod duo priora schemata non exhibeant de revelatione christiana serenam et constructivam, magis positivam, magis pastoralem, magis biblicam, magis oecumenicam expositionem. Eo magis dolemus

quod praecise recentiora theologorum exegetarumque opera hoc permitterent. Una cum multis Patribus conciliaribus, instanter petimus ut illa schemata ex integro et omnino aliter rescribantur.

Ut optime dictum est in aula, maxime distinguamus oportet inter magisterium ordinarium et magisterium extraordinarium Ecclesiae. Ad primum quod attinet, indubie necessarium est supremam auctoritatem in Ecclesia modum practicum firmare, quo, saeculorum annorumque decursu, puritati fidei et morum invigiletur; ac proinde admitti debet existentia alicuius dicasterii, ad modum Sancti Officii aut, pro re biblica, Commissionis Biblicae. Eis competit, data occasione, fideles ad prudentiam revocare atque exigere ut periculosae sententiae vel hypotheses interim aut etiam definitive relinquantur.

Concilium autem Oecumenicum praecise partes Sancti Officii agere non potest. Attendatur enim ad solemnitatem eius declarationum. Etiamsi non proponantur ut de fide tenendae, tales declarationes conciliares constituunt tamen firmam regulam deinceps docendi. Certo non negamus quasdam condemnationes forsan pronuntiandas esse in nostra Synodo, sed tales condemnationes non sint frequentes, et maxime advigilandum est ut in schematibus, etiam in notis, non vituperentur viri de cetero bene dispositi et qui in scientiis pro Ecclesia desudarunt.

Praesertim caute procedatur in quaestionibus quae, ex una parte, coaetaneos nostros graviter sollicitant, et quae, ex altera parte, nondum satis expediri possunt, uti notanter quando cum theologia implicantur scientiae naturales aut historicae. Commendentur, etiam solemniter, prudentia et serenitas quotiescumque occurrit difficultas ad componendas studiorum sententias vel hypotheses cum revelatione christiana. In specie, reiterentur regulae christianae et catholicae exegeseos. Optime. Sed pro sua parte, sancta Synodus non facile ad concretas applicationes descendat, et intelligamus pessimum fore si videremur negare aliquod problema, cuius existentia, velimus nolimus, indubia esset: ita, de facto, certo certius, quoad originem Evangeliorum, problema debet prudenter investigari, non imprudenter negari.

Ad hoc breviter notare iuvat in systemate « Formgeschichte » duo sedulo distinguenda esse: 1) praesupposita rationalistica alicuius Bultmann vel Dibelius, — et 2) technicam seu methodum philologicam, quae iam in usu erat ante illos auctores, cuiusque prudentem usum Concilium nullo modo damnare posset. Infeliciter, schema haec confundere videtur, et haec est confusio quae, *nisi fallor,*[1] aliquos Patres indebite terret. *Liceat mihi indicare paginas pastorales quas scripsit*[2] exc.mus D. Weber, arch. de Strasbourg: *Orientations actuelles des études exégétiques sur la vie du Christ...*[3]

Attendite, venerabiles Patres, ad conditionem eorum omnium, qui cum fide catholica componere debent scientificum laborem in universitatibus, in omnibus scientiarum circulis. Exemplum Galilaei et alia exempla recentiora sufficiant! Immaturae declarationes alicuius Concilii, propter earum solemnitatem, onerare possent, dicamus in semisaeculum, conditionem scientificorum.

Huc illuc auditur modernismi periculum adhuc existere, vel etiam reviviscere. Esto quod non penitus disparuerit. Puto autem remedium non esse in impedimentis quae exegetis et ceteris praeponerentur, sed valde potius in fovenda scientia apud clerum et apud omnes fideles, una cum fidelitate et oboedientia erga Ecclesiam Dei. Ita, ni fallor, explicatur auctoritas universitatis Lovaniensis in Belgio, ubi, cum incitamento episcoporum necnon Sanctae Sedis, sub ductu illustrium rectorum, professores testimonium dant illius sanae concordiae inter fidelitatem religiosam et strenuum probumque studium scientificum. Non improbabiliter dictum est a Rivière modernismum in Belgio tirones non habuisse propter influxum beneficum Almae Matris Lovaniensis.

Liceat mihi verbum addere. Occasione nostri conventus, saepe revocantur illa viginti Concilia quae, decursu temporis, locum habuerunt, et iuste, ex eorum historia, necessitas eruitur graves errores damnandi. Puto tamen nostram Sanctam Synodum, specialiter ad sic dictum Concilium Hierosolymitanum accedere, et talis collatio instructiva est. Sicut enim tunc Petrus declaravit non imponendas esse gentibus onera iudaica non necessaria, sic successor Petri gloriose regnans, mentes nostras et corda nostra ad fratres nostros separatos vertit, necnon ad omnes gentes quibus Evangelium, nonobstante earum diversitate, praedicari debet. Caveamus ne quid imponamus quod non esset omnino necessarium. Futura Ecclesia, forsan pro pluribus saeculis, in nostra est potestate. Spiritum Sanctum immaturis aut plus quam sit necessarium amaris declarationibus non extinguamus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] meo sensu. [2] cf. [3] *Réflexions pastorales*.

13

EXC.MUS P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ
Episcopus Auriensis

Em.mi Cardinales, beat.mi Patriarchae, exc.mi ac rev.mi Domini,

Ut iam saepe dictum est, Sanctissimus Papa Ioannes XXIII hoc Concilium characterem pastoralem induere desiderat.

Veneratione qua par est, liceat interpretare mentem Augusti Pontificis hoc sensu, nempe: quod Concilium diligenter exquirere debet ideas et doctrinas quae hodie mentes hominum occupant in sua connexione cum negotio salutis, et ea omnia prae oculis habere in suis declarationibus doctrinalibus, ne videatur « in incertum » pugnare, quasi « aer verberans », vel vulnerare ubi mederi oporteret. Minime, ut humiliter opinor, Sanctissimus Pater censendus est Concilium inducere ut declarationes conciliares mentalitate moderna redolescant, modos hodiernos pedisequum sequens, qui mutabiles sunt et fluctuantes. Concilium, futurum etiam remotum prospicit, non tantum praesens, ut ipse Pontifex monet. Character pastoralis in re potius quam in forma est collocandus.

Meminisse iuvat S. Paulum ad Corinthios scribentem his verbis: « Et sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis ». Apostolus monet in suo apostolatu nullo modo indulsisse philosophiae et sapientiae illius temporis, ut animos alliciat. Audacter Evangelium praedicat, etiam veritates quae adeo contrariae erant mentibus audientium ut in areopago atheniensi.

Mos Ecclesiae inveteratus est accurate et clare in Conciliis genuinam doctrinam plene tradere, quam exigunt tempora, diligenter devitans falsas interpretationes.

Sincerissime dicam illam maximam praeoccupationem, quam Patres Conciliares quamplurimi ostendunt et vehementer etiam significant de aspectu pastorali Concilii, valde me et multos aedificare. Tamen, liceat opinari in hac re finem pastoralem aliter efficacius obtineri. Nam textus seu declarationes conciliares a scriptoribus et praedicatoribus leguntur et examinantur, non ita generatim a fidelibus. Iam vero isti, *seu scriptores et praedicatores,*[1] in exponenda doctrina conciliari eo maiorem possunt habere genuinam et legitimam libertatem sine anxietatibus et periculis erroris, quo maiorem possideant securitatem in ea recte *et accurate*[2] intelligenda. Et nullus dubitare potest moderatam formam scholasticam, ut in schemate, quam maxime ad claritatem et praecisionem

conceptuum conferre. Ideo merito in nostris studiis commendari ab Ecclesia.

Concludo, ergo, schema *de fontibus revelationis*, ratione habita tenoris styli vel praesentationis, aptissimum esse et retinendum videtur.

De materia in schemate contenta quaedam dicam.

Plurima sunt iam dicta de emendationibus, reductionibus, etc. Plurimae emendationes certo erunt faciendae; nam Concilium tantum doctrinas certas, non opiniones theologicas docere potest. Cum his qui reductionem huius primi schematis postulant nullo modo consentio; nam de his omnibus Concilium auctoritative et non per transennam loqui debet. E contra, innuere volo valde mirari nihil dici de Traditione vitali, de qua adeo loquuntur moderni scriptores, et de sensu fidelium, qui tanti habitus est in ultimis definitionibus et aliquatenus ad Traditionem pertinet.

Conceptus Traditionis sic, in schemate...[3]

Praeses: Exc.me Domine, faveas loqui tantummodo *de fontibus revelationis* in genere!

Orator: Summatim. Scopus pastoralis Concilii obtinetur efficaciter proponendo accurate doctrinam Ecclesiae, potius quam eam involvendo conceptibus non perfecte delineatis, et modis perituris cum detrimento praecisionis dogmaticae et perennitatis formularum. Clara expositio doctrinae, nedum obstaculum, aptissimum praesuppositum iudicandum est ad dialogum sincerum cum fratribus separatis instaurandum, dummodo vera regnet caritas et ampla existat comprehensio.

Concludimus ergo. Schema *de fontibus revelationis* retinendum videtur, sed emendandum est ut votis omnium respondeat.

Si mihi liceret aliquid tantis viris proponere, dicerem: quia fere omnes conveniunt in schemate plurimos esse defectus, in quantum possibile est, ei in textu emendentur. Per hanc viam enim possibilis est, ut putamus, essentialis concordia. Forte inter multos differentia maior est in verbis quam in re. Desiderium unitatis et caritas Christi ad concordiam nos ducat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] imperfectus et inactualis est praesentatus. Possibiles deviationes minime denuntiantur vel praeveniuntur. Sensus fidei maximi habetur in progressu dogmatis, et in vita spirituali fidelium. Nostris diebus multa de eo affirmantur. Quomodo se habeat ad Traditionem et ad auctoritatem Ecclesiae, oporteret dicere.

14

EXC.MUS P. D. IOANNES ZOA
Archiepiscopus Yaundensis

Venerabiles Patres,

Dicam primo nomine plurimorum episcoporum continentis Africani, Madagascar et Insularum; denique dicam nomine meo.[1]

Plurimi episcopi continentis Africani, Madagascar et Insularum, rationibus pastorali, exegetica et oecumenica permoti, substantialiter consentiunt cum his quae contra schema primum iam dicta sunt ab em.mis Patribus, v. g. ab em.mis Alfrink, Bea, Frings, Liénart, Léger, Suenens, Silva, Lefebvre, *etc.*[2]

Ne discussio sine nova utilitate longior fiat, interventiones suas scripto secretariatui *miserunt.*[3]

Conclusionem vero suam communem publice enunciare *haec est:*[4] schema *de fontibus revelationis* omnino *non placet.* Remittendum est commissioni ut funditus renovetur.

Et nunc nomine proprio. Assentio particulariter his quae heri tam recte dicta sunt a rev.mo P. Butler, scilicet:

1. Lex Conciliorum, in rebus doctrinalibus, est unanimitas, saltem moralis. Debemus ergo conari ad unanimitatem stabiliendam in praesenti quaestione.

2. Positiones non tam divergentes sunt. Etenim omnes *nos admittimus*[5] existentiam et momentum Traditionis non scriptae; omnes *nos tenemus*[6] Scripturam esse testimonium supremum revelationis a Deo factae; omnes *profitemur*[7] doctrinam a Synodis Tridentina et Vaticana I promulgatam. Ergo, quoad obiectum rerum unanimes sumus.

3. Possibile ergo esset ut aliqui periti, utrasque tendentias *hic manifestatas*[8] repraesentantes, elaborent, de mandato commissionis theologicae Concilii, textum qui utrisque tendentiis in hoc coetu expressis satisfaciat: qui textus nobis a commissione theologica denuo praesentari possit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Tisserant, Ritter. [3] mittunt. [4] curae habent: scil. [5] admittunt. [6] tenent. [7] profitentur. [8] deest.

Animadversiones additae:

Plurimi episcopi continentis Africani, Madagascar et insularum celare non possunt nec volunt quantam deceptionem passi sunt in perlegendo primo schemate *de fontibus revelationis.*

Postquam enim Summus Pontifex, in sermone inaugurali huius Synodi tam lucidis verbis mentem Suam de scopo et methodo studiorum et operum nostrorum aperuit, vix intelligere possumus quomodo textus schematis non fuit meliore redactione renovatus priusquam discussioni nostrae committeretur. Nempe:

1. Dixit Pontifex: « opus nostrum non est fusius repetere ea quae Patres ac theologi veteres et recentiores tradiderunt »; e contra in schemate hoc fusissime repetuntur, quae, non dico in operibus Patrum et optimorum theologorum, sed in quocumque libro manuali scholari inveniuntur.

2. Dixit Pontifex: « inducendae sunt rationes res exponendi quae Magisterio cuius indoles praesertim pastoralis est, magis congruunt »; e contra hoc schema omni indole pastorali caret. Et hic defectus nobis quam maxime afficit: fideles nostri non abstractis argumentis more philosophico exaratis, sed potius exemplis, praesertim e Sacra Scriptura depromptis docentur et aedificantur.

3. Dixit Pontifex: « oportet ut doctrina christiana ea ratione pervestigetur et exponatur quam tempora postulant nostra »; e contra in toto hoc schemate doctrina, in quantum adest, exponitur analytice et abstracte, modo intemporali et hominibus temporis nostri accessu difficili et molesto.

Unde concludimus: textus huius schematis genuinae menti Summi Pontificis et expectationi Ecclesiae minime respondet, nec aliqua spes utilitatis adest eum tamquam initium discussionum nostrarum sumi posse.

Obsecramus ergo Vos, venerabiles Patres, ut iacentem textum uti « non placentem » reiciatis et ad commissionem theologicam remittatis; cui munus imponere velitis conficiendi textum breviorem, magisterio pastorali et pervigili curae Summi Pontificis atque expectationi universae Ecclesiae usquequaque congruentem.

15

Exc.mus P. D. MAURITIUS POURCHET

Episcopus S. Flori

Venerabiles et carissimi Fratres,

Pluries in disceptatione hesterna ad gravitatem muneris nostri appellatum est in hoc schemate doctrinali. Plures responsabilitatis nostrae aspectus illustrare vellem.

1. In materia doctrinae, Concilii Oecumenici pars est determinandi quae sunt fidei et etiam veritates quae cum fidei deposito intimum nexum habent et ad custodiam huius depositi necessariae sunt.

Talis definitio est res gravissima: alligat enim fideles, non solum tantum ad vitae externae rationem, sed quantum ad intimam mentem et ipsum intellectum. Ideo serio perpendenda est et non proferri debet nisi quando necessitas exigit vel saltem maxima utilitas, et postquam bases attente verificatae sunt super quas haec veritas innixa est.

Sunt nonnullae conclusiones theologicae, de quibus, saltem in quodam tempore, fere omnes consentiebant, quae videbantur proximae fidei,

quae a magisterio ordinario docebantur, et quas hoc magisterium definire noluit, vel quia huius definitionis inconvenientia utilitates valde superabant, vel quia non videbantur necessarie cum fide connexae, et Ecclesia, hac de re, viam libertati praecludere nolebat.

Si hac prudentia et caritate saepe Romani Pontifices et etiam Concilia usi sunt, a fortiori necessariae sunt quando agitur de opinionibus quae quidem, sive auctoritate aliquorum theologorum sive influxu scholae quae eas profitetur, valde commendantur, sed quae universaliter non admittuntur.

Si multi Patres titulum ipsum cap. I impugnant, ratio est quia hic titulus — *et haec interpretatio hodie ex ore competenti audivimus* — *quia hic titulus* [1] dirimere videtur controversiam de vero sensu decreti Tridentini...[2] in quo agitur de Scriptura et Traditione. De habitudine alterius ad alteram, controversia in ipsa Tridentini disceptatione apparuit, et hanc dirimere sapientissime Concilium renuit. Cur faceremus quod Tridentinum recusavit? Quae est necessitas? Quod est periculum?

Tenendo hanc libertatis positionem, Patres non ideo Traditionem parvipendunt. Nemo est in hoc coetu qui vim et momentum Traditionis enervare intendat. Argumenta quae heri allata sunt contra eorum positionem, argumenta desumpta ex Conciliis et ex Summis Pontificibus, non sunt ad rem, *salva reverentia;*[3] agitur enim non de valore Traditionis sed de habitudine Traditionis ad Scripturam, quantum ad ea quae in iis continentur. Controversia inter theologos adhuc viget, quin ullus vel alter apodictica argumenta afferre valeat. Cur nos inter eos divideremus?

2. *Alter* [4] aspectus responsabilitatis nostrae in hoc schemate hic est: in explananda doctrina de Traditione, theologia post-tridentina, ut mihi et multis videtur, nimium influxum passa est timoris et oppositionis erga reformatores vel potius post-reformatores, quorum formula et, ut ita dicam, vexillum erat saepe: « Sola Scriptura ». Necessarium erat partes et necessitatem Traditionis urgere; sed forsan attenuatum est, vel saltem praeteritum, momentum Scripturae.

Decursu temporum, praelium minus ardens evasit, et, pro catholicis, periculum minus proximum factum est. Ex utraque parte, scilicet ex parte catholicorum et reformatorum, passus non parvi facti sunt ad meliorem respectivarum positionum comprehensionem. Ad aliquem consensum, limitatum certe, sed realem, perventum est in iis quae olim tam acriter disputabantur.

Magnum esset damnum, si via aliis progressibus praecluderetur, et si tantus labor, culpa nostra, cassus fieret.

Mihi forsitan dicetis: in materia doctrinali, argumentum oecume-

nicum infirmissimum. Ad hanc affirmationem non totaliter assentio. Absit a me nescio quis irenismus quem Pius XII felicis memoriae exprobravit, et qui, sub praetextu unionis, veritatem parvipenderet. Hunc irenismum fratres nostri acatholici etiam respuunt. Sed, si veritas certa nunquam sacrificari debet apparenti pacis bono, non sunt ex alia parte multiplicanda sine vera necessitate obstacula huic unitati quam ferventer petimus et ardenter desideramus ut fructum, longinquum certe, sed realem huius Concilii.

3. *Responsabilitas de exegesi et de exegetis. Hoc egregie ab exc.mo D. Charue dictum est, et taceo.*[5]

Fas sit mihi, tamquam imperito, aliqua addere. Haec quae a tribus diebus ex utraque parte audivimus, solum demonstrant *unum*:[6] quod hoc schema non tantum enthusiasmum excitat. Fere omnes ii qui illud admittunt profundas emendationes faciendas esse fatentur.

Si, ut proponunt, textum istum admittimus ut basim disceptationum nostrarum *in speciali,*[7] in quavis paragrapho, in quavis linea, in quovis fere verbo interminabiles discussiones orientur et tempus labetur quin progrediamur, quod omnes praesertim timent.

Assentio ideo ad propositionem ab exc.mo P. Butler factam in hesterna congregatione.[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (Denz. 783). [3] deest. [4] Secundus. [5] 3. Responsabilitas nostra est etiam de exegesi et de exegetibus. In his quae pertinent ad exegesim, ut experientia non tam longinqua constat, cavendum est ab affirmationibus peremptoriis quae forsan, in futuro, crux esse poterunt interpretum nostrorum. Quantum ad exegetas, quaestio non est inconsiderate eorum conclusiones admittere, et vigilantiam nostram in hac re relaxare. Sed rogo ut possint nobis, doctoribus quidem fidei, sed qui omnibus debitores sumus, difficultates suas fiducialiter exponere. Peto ut audiantur, priusquam damnentur. Ironia amara esset si, aliquoties in vita, ut dicunt moralistae, eos affectuose salutaremus, et simul obstacula continua eorum labori poneremus. [6] deest. [7] deest. [8] Assentio ad propositionem RR. Domini Butler; conferentia instituatur ad conciliationem inveniendam. Et si haec impossibilis evadit, tunc alium textum commissio nobis proponat, adhibendo theologos cuiusve scholae. Quid in hoc extraordinarium? Pluries factum est in Concilio Vaticano I et non sine profectu.

16

EXC.MUS P. D. GEORGIUS HAKIM
Episcopus Ptolemaidensis Melchitarum

Em.mes Présidents, Béatitudes, vénérables Frères et chers Observateurs,

Si j'interviens maintenant, ce n'est pas pour répéter ce que de nombreux et éminents prélats ont déjà dit parfaitement sur les schémas doctrinaux; je n'ai qu'à donner humblement mon adhésion explicite aux critiques qu'ils ont formulées et qui les amènent à penser que ces schémas doivent être non seulement amendés, mais refondus, si nous voulons être fidèles aux fins apostoliques de ce Concile.

Je veux seulement faire entendre une voix de l'Orient et de sa tradition patristique, et dire que les schémas doctrinaux actuellement à l'étude sont étrangers à cette tradition vénérable et authentique, dans leur rédaction, dans leur structure, dans leur perspective et dans leur conceptualisation.

Les schémas contiennent certes des richesses et des valeurs de la théologie latine, et nous nous plaisons à rendre un fervent hommage au magnifique « intellectus fidei » que cette théologie a procuré à l'Eglise; mais nous regrettons que, ignorant complètement la catéchèse et la théologie orientale, celles des Cyrille de Jérusalem, des Grégoire de Nazianze et Grégoire de Nysse, des Maxime, des Jean de Damas et de tant d'autres Pères d'Orient, les rédacteurs aient, dans leur projet, apparemment monopolisé la foi universelle au profit de leur théologie particulière, et puissent sembler vouloir ériger en vérité conciliaire exclusive, ce qui est une expression valable, mais locale et partielle, de la Révélation de Dieu...[1]

Dans la théologie orientale — où la liturgie est le lieu efficace de transmission de la foi, où l'initiation se fait à l'intérieur du mystère sacramentel, et non dans une instruction abstraite, sans lien symbolique —, le mystère du Christ est proposé directement comme une « oeconomia », se déroulant dans l'histoire, préparée dans l'Ancienne Alliance, accomplie dans le Christ, réalisée dans le temps de l'Eglise. Les explications théoriques, si légitimes et nécessaires soient-elles, ne sont jamais détachées de la trame scripturaire et du témoignage des Pères.

Ce caractère concret de la Parole de Dieu en manifeste la présence dans le monde. L'Eglise, Corps du Christ, est précisément le lieu authentique et le magistère vivant de sa transmission. Toute disjonction, même

apparente, entre Ecriture et Tradition, comme le fait le projet de « De fontibus » qu'on soumet à ce Concile, sera jugée par beaucoup comme une violence faite à l'unité effective des voies de transmission, qui ne sont jamais séparées en théologie orientale, et que nous ne pouvons concevoir séparées.

Les schémas présentés sont exclusivement un fruit de la scolastique — beau et vrai fruit certes —, mais produit par certains éléments seulement de la Tradition de l'Eglise. Le caractère oecuménique du Concile nous invite à ne pas enfermer la Parole de Dieu dans des catégories particulières et à ne pas éliminer par prétérition, un autre « intellectus fidei ».

Voici des exemples qui illustrent ce que je dis:

La théologie orientale donne son plein relief à la définition de l'homme comme « imago Dei »; ce qui l'amène à concevoir d'une manière autre que celle des Latins la distinction abstraite de la nature et de la grâce, et donc les rapports de Dieu et de l'homme, y compris dans la Révélation.

Autre exemple: la théologie orientale considère le « mystère pascal » dans sa totalité unique, mort et résurrection; tandis que la théologie latine s'appesantit davantage sur l'aspect et la théorie de la satisfaction...[2]

J'énumère rapidement ces exemples pour manifester la catholique présence de la théologie orientale, dont la vérité et l'orthodoxie sont évidemment incontestables.

C'est pourquoi, nourri de cette authentique tradition, je me sens étranger à la rédaction et à la structure des schémas proposés; et je comprends plus fortement encore, m'y ralliant formellement, les critiques qui ont été faites, en perspective évangélique et pastorale. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (De fontibus). [2] (cf. schema II), etc.

17

Exc.mus P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Patres et Fratres venerabiles,

Votum meum praeliminare ad schema de fontibus revelationis non se refert directe et in recto ad permanentiam vel non permanentiam schematis propositi, sed ad alium aspectum quaestionis, valde etiam uti-

lem, meo iudicio necessarium et, credo, hoc loco dicendum, si ita videatur praesidentiae. Secus libentissime verba mea statim interrumpam.[1]

Nostrum Concilium Vaticanum II habet, abs dubio, suum proprium et peculiarem characterem, ab aliis praecedentibus plane distinctum. Nam ex una parte alienum ab eius mente videtur, iustis de causis, novas explicitas et sollemnes definitiones dogmaticas condere; et ex altera, iudicatur non esse Synodi intentionis fulmine anathematis quempiam errantem, si quis existat, punire. Hoc enim videtur alienum mentalitati nostri temporis et paterno et pastorali cordi Sanctissimi Pontificis Ioannis XXIII.

Sed hoc necessitatem gignit cognoscendi valorem theologicum doctrinarum quae a Sancto Concilio, ut ab omnibus admittendae, proponuntur. Hanc *quaestionem*[2] multi Patres clare sentiunt et senserunt ab initio Concilii.

Volumus autem pressiori modo proponere problema, brevissime considerando factum duplex et quaestionem inde exortam.

1. In prooemio schematis *de sacra Liturgia* (pag. 157, lin. 26), aperte dicitur: « Concilium declarat se in praesenti quaestione nihil velle dogmatice definire ». *Quae quidem verba omissa apparent in novissimo schemate emendato.*[3] Similique ratione...[4]

Praeses: Exc.me Domine, non est locutio de fontibus revelationis in genere; faveas...

Orator: Libentissime, em.me Pater, nunc verba mea interrumpam, pro aliquo tempore opportuniore.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] necessitatem. [3] deest. [4] in praefatione schematis *de deposito fidei pure custodiendo* (pag. 25, lin. 30 ad pag. 26, linn. 1-5), Patres « suum esse existimant... nonnullas proferre veritates » de deposito Ecclesiae concredito, nulla facta mentione de qualificatione seu de theologico valore.

2. Percurrentes autem schemata, invenimus veritates vel propositiones inaequalis prorsus valoris, frequenter et indiscriminatim, eodem fere modo proponi. Ita S. Synodus aliquando perhibetur damnans errores (pag. 31, lin. 20, 23); aliquando nonnisi paterne exhortans fideles (pag. 31, lin. 30); tum doctrinam Ecclesiae mera expositione recolens (pag. 62, linn. 30-31), tum obiectum indicens de fide credendum (pag. 62, lin. 6, 16, etc.). En facta.

Quaestio et difficultas. Propositiones universae in schematibus contentae de fide sint dicendae?

Aut e converso, omnia quae simplici expositione proponuntur, etiam postquam a Concilio promulgata fuerint, aestimanda sint obiectum liberae disputationis? Utrimque periculum!

Neque solutio facilis videtur. Demus igitur Concilii voluntatem esse ut dogmaticae definitiones vitentur. Recte quidem.

Tunc restat e duobus unum: proposita doctrina perhibetur a Concilio tamquam *catholica doctrina* vel non.

Si primum (si proponatur velut doctrina catholica) doctrina huiusmodi dicenda est proposita saltem ab universali Ecclesiae Magisterio; secus *oecumenici* Concilii auctoritas evanescit. Cum autem proponatur ut edocta magisterio universali, iam doctrina « de fide » agnoscitur, dicente Concilio Vaticano I: « Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae... ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur » (Denz. 1792).

Si autem dicamus, schematum doctrinam neque dogmaticam esse neque magisterio universali propositam, saltem de illis propositionibus quae aliunde de fide non agnoscantur, manebit discussioni obnoxia doctrina. Neque Ecclesiae necessitatibus satis fit, si dicamus S. Synodum notam iam et traditionalem doctrinam renovare. Nam etiam post illam doctrinam clare et saepius iam declaratam, certum est in agro Domini plures et venenatos errores serpere, quibus non efficaciter obsistitur nisi cum clara determinatione valoris veritatum propositarum.

Proinde qua par est reverentia, sed instanter auderem Sacrosancto Concilio supplicare ut dignetur significare modo claro et inconfuso valorem theologicum doctrinarum quas, ut ab omnibus admittendas, proponere intendit.

18

Exc.mus P. D. IULIUS ROSALES
Episcopus Caebuanus

Venerabiles Patres,

In praeambulo sermonis, iuvat notum facere vobis ea quae mox dicturus sum sententiam et opinionem exprimere maioris partis membrorum Conferentiae episcopalis Insularum Philippinarum, cuius praesidentis munus gero.

Schema propositum *placet.* Quamvis enim non complete — et de hoc facile est invenire rationes — dilucide et ordinatim exponit veritates.

Licet magna earum veritatum pars in communibus libris vel textibus scholasticis inveniantur, tamen peropportunum censeo eas revocare et iterum proponere considerationi Ecclesiae; eo vel magis quod eaedem veritates non amplius, aut modo valde diverso, in recentioribus vel novissimis libris aut opusculis, hodie divulgatis, inveniantur.

Rationes expositae contra schema non videntur sufficientes ad eius *unitatem* [1] infirmandam.

Schema viget pastoralitatis spiritu; pastoralitas eminenter apparet

affirmata in expositione genuinae doctrinae, in qua est fundamentum totius pastoralis nostri ministerii.

Pariter schema est oecumenicum. Fratribus separatis veritas exponenda est integra et perspicue, ita ut conscienter iudicare possint de necessitate unionis. Non possumus disceptare ambiguis positionibus assumptis vel compromissis.

Schema est conforme menti Summi Pontificis. Mens Summi Pontificis est etiam ut doctrina catholica perspicue et integre proferatur, ex qua errores possint discerni et agnosci.

Hanc ob causam Summus Pontifex, pro sua caritate, suasit ne errores nominarentur neque damnarentur explicite: ex accurata et perspicua expositione doctrinae illi manifestari debent, et iuxta regulam expositae doctrinae unusquisque suarum opinionum examen et crisim facere potest. Notum est Summum Pontificem pluribus conventibus commissionis centralis praeparatoriae Concilii interfuisse personaliter et ipsum hoc schema perlegisse, quod nobis proponendum decrevit. Eius mens potius in hoc schemate quaerenda est.

Nobis ideo omni nisu, concordibus animis, viribus et consiliis naviter studendum est ut schema, pro posse, perficiatur, ut veritas nostrae fidei, quemadmodum praeteritis aevis, ita et in nostro tamquam lucerna super modium, nostro labore concordi, lucescat...[2] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] bonitatem. [2] Ut meum in extructionem istius aedificii lapidem adiciam, quae sequuntur propono:

1. Regula statuta in schemate: *a*) quod inerrantia est imprimis diiudicanda ex indole libri; *b*) quod cuique generi litterario sit proportionata et ipsi conveniens repraesentatio veritatis seu gradus historicitatis diversus; *c*) quod modus attingendi veritatem diiudicandus sit ex sensu « quem expressit hagiographus in determinatis adiunctis pro sui temporis condicione; et quod proinde necesse sit attendere ad suetos cogitandi, dicendi narrandique modos », qui tempore hagiographi vigebant, quique tunc in mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant »: *haec regula,* dico, est communis et invenitur in omnibus tractatibus hermeneuticae, clarius etiam exposita in Encyclicis Litteris *Divino afflante Spiritu.* Est regula quae pertinet ad criticam, et *proinde minus recte est sermo de ea in Concilio.* Et si haec regula recolitur, quare non recipiuntur in schemate etiam ceterae regulae? v. gr. de attendenda lingua originali, de comparandis narrationibus biblicis cum litteraturis antiquorum populorum Orientis; et, quod praecipuum est, cur negligitur criterium historicum, quod maximum habetur in critica historica, et de quo loquitur Leo Papa XIII? (Cf. *Enchiridion Biblicum,* n. 119). Etenim documenta historica magis probant quam argumenta desumpta ex critica interna, ad determinandam indolem librorum, et ad aperiendas circumstantias in quibus libri editi sunt.

2. In schematis pag. 14, n. 13, lin. 1, invenitur haec expressio: « veritas enim et fides »... Verbum *fides* aut superfluum dicendum est, nam fides non significat id

quod sequitur in textu « seu id quod auctor reapse significare voluit »; aut ei adiciendum adiectivum *historica,* id est *fides historica,* ut habetur in Encyclica *Divino afflante Spiritu.*

Item, in locis: « *salvis Scripturae S. auctoritate et sanctitate* »... « *auctoritati et sanctitati minime obiiciunt* »: verbum « *auctoritate* » non esse aptum videtur. Nam error opponitur directe « veritati »; *sanctitati,* mendacium. Revera in Encyclica *Divino afflante* legitur: « Dei sanctitati et veritati haudquaquam repugnet ». Ideo, loco « auctoritate » ponatur « veritate » (cf. *Enchiridion Biblicum,* n. 559).

Pariter, ad verba: « ... ad suetos cogitandi modos ... hominum commercio passim adhiberi solebant », addendum putarem verbum *licitos.* Nam ita est in Encyclica *Divino afflante Spiritu,* et suadetur ex ratione: quia potuerunt sese adhibiti modi dicendi, qui nec iis temporibus erant « liciti ».

3. Quoad Evangelia: pag. 17, n. 20, lin. 13.

« Quamvis enim cum historicae compositionis narrationibus, quae apud nostrae aetatis peritos in usu sunt, Evangelia non in omnibus conveniant (nec convenire necesse sit) ».

Haec verba minime probanda censeo. Etenim verba haec dicuntur in Encyclica *Humani generis* de undecim primis capitibus libri Geneseos. Videretur quod historicitas Evangeliorum diiudicanda esset in eodem gradu ac v. gr., primum caput Geneseos quod anthropomorphice describit creationem mundi. Dum perspicuum est quod ait Ioannes (19, 35) et Lucas: se narrasse scilicet prout viderunt aut audierunt ab illis qui viderunt.

Secretarius generalis: Aliquis Pater annulum deperdidit. Accedat, quaeso, ad secretariam generalem.

Nunc, de mandato praesidis, lego exitus suffragationum peractarum.

Suffragatio prima, circa primum punctum prooemii constitutionis *de sacra Liturgia*:

Praesentes votantes	2.206
Maioritas requisita	1.471
Suffragia *Placet*	2.181
Non placet	14
Vota nulla [1]	11

Itaque, primum punctum probatum est.

Secundum punctum:

Praesentes votantes	2.202
Maioritas requisita	1.468
Tulerunt suffragium *Placet*	2.175
Non placet	26
Votum nullum [2]	1

[1] Quorum unum est *placet iuxta modum.*

[2] *Placet iuxta modum.*

Suffragatio circa punctum tertium:

Praesentes votantes		2.203
Maioritas requisita		1.469
Tulerunt suffragium	*Placet*	2.175
	Non placet	21
Vota nulla [1]		7

Itaque, secundum et tertium punctum probata sunt.

Denique, suffragatio circa quartum punctum:

Praesentes votantes		2.204
Maioritas requisita		1.469
Tulerunt suffragium	*Placet*	2.191
	Non placet	10
Suffragia nulla [2]		3

Ergo, etiam quartum punctum a congregatione probatum est. Dixi.

Praeses: Depositio Evangelii.

[*Intervallum*].

Secretarius generalis: Proxima congregatio generalis: feria secunda proxima, hora nona.

---

[1] Quorum tria sunt *placet iuxta modum.*

[2] Quorum unum est *placet iuxta modum.*

CONGREGATIO GENERALIS XXII
19 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXII

19 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis*:

Hodiernae congregationi generali praesidet em.mus ac rev.mus D. card. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis.

Prosequitur disceptatio de principiis generalibus schematis constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis*.

Loqui postulaverunt em.mi DD. cardd.: Beniaminus de Arriba, arch. Tarraconensis in Hispania; Valerianus Gracias, arch. Bombayensis in India; Albertus Meyer, arch. Chicagiensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ioannes Landázuri Ricketts, arch. Limanus in Peruvia; Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis in Tanganyika; exc.mi DD.: Petrus Martin, vicarius apostolicus Novae Caledoniae; Aloisius Henriquez, aux. Caracensis in Venezuela; Iacobus Griffiths, aux. Neo-Eboracensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Aemilius De Smedt, ep. Brugensis in Belgio; David de Sousa, ep. Funchalensis in Lusitania; Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis in Italia; Aurelius del Pino, ep. Illerdensis in Hispania; Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali; Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia; Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis in Gallia; Paulus Seitz, ep. Kontumensis in Vietnam; Georgius Cabana, arch. Sherbrookensis in Canada; Bernardinus Echeverria, ep. Ambatensis in Aequatore; Fidelis Garcia, ep. tit. Sululitanus in Hispania; Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia; Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Antonius Quarracino, ep. S. Dominici Novem Iulii in Argentina; Gerardus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus in Brasilia; Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia; Anicetus Fernandez, superior generalis O. P.; Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia; Eduardus Doody, ep. Armidalensis in Australia; Iulius Barbetta, ep. Pharanitanus in Italia; Ioannes Ferro, arch. Rheginensis in Italia; Abilius del Campo, ep. Calaguritanus in Hispania; Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia.

1

Em.mus P. D. BENIAMINUS card. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Liceat etiam mihi mentem meam breviter aperire circa schema de quo nunc tractatur, *de fontibus* nempe *revelationis*.

Schema mihi placet ut basis disceptationis. Argumenta, ut substituatur, non concludere dicenda sunt, nam qualibet forma schema proponatur, perspectis iam auditis, vividae discussioni obnoxium erit.

Fateor me primo mentis intuitu permotum fuisse verbis quae audivi ab aliquo Patre conciliari; oportere scilicet, ut schema removeatur ne res adeo gravis, doctrina nempe verbi revelati, post vel inter tot discordias imponatur. Sed statim cogitavi de aliis Conciliis: v. gr. de Vaticano I, maxime dum dogma infallibilitatis Romani Pontificis pertractatum fuit.

Igitur, meo humili iudicio, ad discussionem schematis quoad singula procedi debet; inde venient emendationes, etiam tituli, si opportunum visum fuerit. Et hic est sensus, ut reor, art. 33 *Ordinis servandi in Concilio* si *ad mentem* perscrutetur.

Argumenta pro reiectione a limine invalida omnino videntur ut antea dixi. Schematis enim forma nullo modo nimis scholastica dicenda est, in qua doctrina theologica splendida luce apparet, sed e contra opportunissima nostris temporibus in quibus tot errores serpent, qui vel ipsam fidem catholicam in periculum vertunt.

Sufficiat testimonium Summi Pontificis Pii XII, felicis recordationis, qui, postquam in immortali Encyclica *Divino Afflante Spiritu* animum omnium addidit in studio Sacrarum Litterarum septem transactis annis, haec scribenda habuit in gravissima Encyclica *Humani Generis* de novis opinionibus, quibus « plura — ipsius Pontificis sunt verba — a nonnullis proponuntur vel mentibus instillantur in detrimentum divinae auctoritatis Sacrae Scripturae ». Dein addit: « Etenim sensum definitionis Concilii Vaticani de Deo, Sacrae Scripturae auctore, audacter quidam pervertunt... Immo perperam loquuntur de sensu humano Sacrorum Librorum, sub quo sensus eorum divinus lateat, quem solum infallibilem declarant. In Sacra Scriptura interpretanda nullam haberi volunt rationem analogiae fidei ac " traditionis " Ecclesiae, ita ut Sanctorum Patrum et Sacri Magisterii doctrina, quasi ad trutinam Sacrae Scripturae ratione mere humana ab exegetis explicatae, sit revocanda, potius quam eadem Sacra Scriptura exponenda sit ad mentem Ecclesiae, quae a Christo

Domino totius depositi veritatis divinitus revelatae custos et interpres constituta est »...[1] Ait etiam Summus Pontifex: « Novitates iam venenosos peperisse fructus »...[2] Loquitur praeterea de « temerario ausu » quo quidam « limites et cautelas ab Ecclesia statuta, audacter transgrediuntur » ac « peculiari modo » deplorandum ducit « quamdam nimio liberiorem libros historicos Veteris Testamenti interpretandi rationem quae abutitur ipsis documentis magisterii Ecclesiae »...[3]

Meminisse etiam iuvat Monita tum Pontificiae Commissionis de re biblica anni 1955...[4] circa pericula errorum vel imprudentiae, tum S. Officii (diei 20 iunii 1961) circa sententias et opiniones, quae in variis regionibus circumferuntur et quae in discrimen adducunt « germanam veritatem historicam et obiectum Scripturae Sacrae non modo Veteris Testamenti... verum etiam Novi, etiam quoad dicta et facta Christi Iesu ».

Si autem, venerabiles Patres, quilibet pastor in propria dioecesi oves suas a periculis, in re tam gravi ut est norma fidei genuina, avertere tenetur, quid dicendum de omnibus in Concilio solemniter congregatis sub Pastore Summo?

Alia argumenta adducuntur pro schemate absolute reiciendo et ab alio substituendo, v. gr. quia parum pastorale, quia nimis clausum, quia stylo moderno caret, etc. Sed dico: per quot annos stylus hodiernus est duraturus? Veritas autem Domini manet in aeternum. Clare *igitur*[5] et logice exponatur ut sit rationabile obsequium fidei nostrae.

Quoad cetera argumenta simpliciter adhaereo, ne dicta repetam, responsionibus ab aliis Patribus luculenter datis. Unde procedendum censeo ad discussionem schematis prout nobis propositum est, ut opportunis emendationibus perficiatur, ubicumque casus ferat.

Denique liceat mihi, venerabiles Patres, enixe vos omnes rogare ut in prooemio — quod alii etiam merito petivere, agitur enim de schemate quod primum erit Concilii ob momentum suum doctrinale — specialis mentio fiat de praecipuo fructu spectando ab hoc Concilio Oecumenico. Idea familiaris est dilectissimo Pontifici nostro Ioanni XXIII, quoties de Concilio loquitur; verba autem quibus eam modo schematico exponam cor meum premunt ex quo de Concilio celebrando *audivi*.[6]

Breviter igitur mentem meam aperiam circa praecipuum e Concilio exspectandum fructum, ut supra dixi.

Utinam Concilium Vaticanum II sit Concilium unitatis! Hoc vehementer optamus omnes. Pro hoc ferventissime rogamus, ut nempe quantocius fiat unum ovile et unus pastor; ut simus unum, sicut Christus in ultima coena a Patre vehementer postulavit. Utinam ergo sit Concilium unitatis!

Sed ante omnia necesse est ut Concilium Vaticanum II sit « Concilium sanctitatis »: sanctitatis in primis pro unoquoque nostrum; sanctitatis pro nostris sacerdotibus quorum quilibet est « alter Christus », qui est ipsa sanctitas substantialis; sanctitatis pro populo christiano in moribus honestis, in caritate non ficta, in iustitia sociali, quae non stat in solis verbis, utique necessaria quia sunt Evangelium, sed in germanis et christianis relationibus vitae humanae; sanctitatis, denique, pro mundo hodierno tot angustiis oppresso et odiis dilaniato, etiam sub mirabili progressu technico, qui tamen Deum ignorare pertentat.

Concilium igitur sanctitatis. Si hoc non est, nihil erit. Erit tamen, iuvante Deo, faventibus Beatissima Virgine Maria *et* [7] S. Ioseph, Concilii Patronis, et duce S. Paulo, oecumenismi christiani praecone eximio, caelitibusque omnibus qui, et ipsi, valde desiderant sanctitatem nostram, unam enim Christi Ecclesiam nobiscum constituunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (Ench. Bibl. 612). [2] (ib. 614). [3] (ib. 617-618). [4] (Ench. Bibl. 625). [5] ergo. [6] scivi. [7] cum.

2

Em.mus P. D. NORMANNUS THOMAS card. GILROY
Archiepiscopus Sydneyensis

Venerabiles Patres,

Fere pro explorato habemus nullum proferri posse documentum quod omnibus aspirationibus 2000 episcoporum omnino satisfaceret. Hinc nequaquam mirandum est quod multae diversaeque opiniones de quaestionibus in hoc schemate propositis exprimantur. Nihilominus, omnia ab aliis hucusque dicta ad unum hunc finem conspirant, nempe ut ipsa veritas modo quam maxime claro et intelligibili manifestetur. Praeterea, in disceptatione praesenti, animum nostrum insigniter perculit zelus ardens atque eruditio profunda eorum qui locuti sunt.

Praelati ex omnibus orbis partibus oriundi voluntatem manifestarunt efferendi propositiones ad hoc conducentes, ut ii qui divitiis verae fidei iam fruuntur magis confirmentur atque simul, ut ii qui pretioso hoc dono privantur ad illud participandum trahantur.

Iamvero, licet laudabile sit propriam nostram sententiam proferre, tamen episcopi Ecclesiae et doctores populi Dei cum simus, oportet omnino ut tolerantiam habeamus erga alias sententias, quae erroribus vacant. Si igitur non valeamus consentire sententiis in formulis ab aliis

allatis, tunc una cum ipsis amice contendere debemus ad efformandam sententiam quam ipsi nobiscum partiri valeant.

Hoc principio prae oculis habito, mihi videtur rationi maxime consentaneum esse schema propositum acceptare illudque ad formam magis acceptabilem redigere iuxta emendationes a Patribus proferendas.

Profecto enim schema hoc, quoad doctrinam fidei, sanum est. Fere omnis paragraphus auctoritate sive Sacrae Scripturae, sive Concilii antecedentis, sive cuiusdam Patris Ecclesiae, sive Litterarum Encyclicarum roboratur. Praeterea, schema universale est, cum tempus et locum transcendat. Deinde, fere quoad omnia eius capita doctrinae, characterem habet positivum et explicitum. Ubi autem claritas desideratur, clarificetur *adhuc*.[1]

Sedulitate, qua maior fieri non possit, schema hoc praeparatum fuit. Argumenta in eo proposita tracta sunt a consiliis et votis episcoporum, Universitatum, Facultatum theologicarum, aliorumque qui ad vota hac in re proferenda a Summo Pontifice invitabantur. Commissio praeparatoria ex viris in scientia sacra peritissimis, ex omnibus orbis terrarum partibus delectis, constabat. Sodales huius commissionis magna cum industria per multos menses laboraverunt, inter se deliberantes et propositiones quas idoneas habebant perpendentes, formulantes ac modificantes.

Multis diuturnisque conventibus habitis, suffragium de schemate tulerunt et tunc tantum commissioni centrali praeparatoriae illud tradiderunt cum maior pars sodalium textui consenserit. Porro, commissio illa centralis constans ex cardinalibus, patriarchis, episcopis totius orbis, et superioribus maioribus Ordinum Benedictinorum, Franciscanorum, Dominicanorum et Iesuitarum, omnia et singula commata textus propositi perscrutati sunt. Demum, solum post diligentem ac fere infinitam disceptationem, suffragia dederunt, sive placet, sive non placet, sive placet iuxta modum.

Cum igitur schema nobis exhibitum sanum sit quoad doctrinam fidei, cumque fructus sit ardui et diuturni laboris, dignum est quod a nobis sincere consideretur. Quod si prae bona voluntate fecerimus, spes revera adest fore ut, Spiritu veritatis adiuvante et illuminante, opus nobis propositum ad bonam frugem deducamus.

Tandem aliquando, cum schema aut accipere aut reiicere aut penitus emendare iure optimo possimus, si illud nunc accipimus considerandum in genere, nedum detrimentum patiemur, vero magnum lucrum consequemur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] omnino.

3

EM.MUS P. D. VALERIANUS CARD. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

Feria IV praeterita, quando disceptatio de hoc schemate summi momenti vividum suum initium habuit, ego in India degebam, ut omnes norunt, tum factum cum propter qualem causam. Certissime nos ex Indiis Orientalibus speramus quod perveniamus ad conclusionem huius Concilii antequam cadimus in manibus Cinensium. Feria tamen VI et sabbato testis fui certaminis inter duas sententias Patrum Concilii; ac, si disputatio sinatur persequi cum eodem vigore ac vi, timeo ne hoc Concilium diutius duraturum sit quam praesens bellum inter Sines et Indiam expectatur duraturum.

Venimus hic ex dissitis regionibus non praecise ut habeamus cursum studiorum in re theologica et scripturistica et conciliari (quod ceteroquin est semper bonum, etsi non semper necessarium), sed ut recipiamus a Concilio, super hoc schemate, constitutionem brevem sed simul compendiosam, claram sed simul liberam a controversiis, adaptatam mentalitati gentis in mundo hodie viventis; uno verbo, constitutionem quae nos adiuvabit in relationibus nostris cum Protestantibus, cum fratribus separatis, et, *pro nobis in missionibus,*[1] cum ethnicis; constitutionem qua nos, in nostris regionibus, uti possumus in scriptis, sermonibus et disputationibus. Tantum secundum hoc criterium, *mihi videtur,*[2] possumus discernere et iudicare utrum praesens schema debeat saltem substantialiter conservari vel integre reiici.

Veniam petii loquendi, non quia adhuc remanet aliquid novi dicendum — certissime non — sed unice ut proponam modum, spero felicem *et acceptabilem omnibus Patribus,*[3] concludendi hoc certamen inter duas scholas; aliis verbis, mihi videtur, *disputatio erit interminabilis.*[4] Ergo mihi liceat pauca quaedam animadvertere circa quaestionem disputatam.

I. Schema nostrum praeparatum est a commissione theologica, *sicut dixit em.mus card. Gilroy,*[5] composita ex 32 membris et 38 consultoribus magnae famae, ex variis nationibus (exceptis forse *infeliciter* [6] regionibus missionalibus); elaboratum per tres annos, examinatum est a commissione centrali...[7] Tamen hoc schema, ob graves rationes, non paucis Patribus ita displicet ut censeant illud non tantum emendandum sed denuo conficiendum esse. Inde concludendum mihi videtur praesens sche-

ma non suppeditare basim pro ulteriori disputatione; nec ulla spes apparet obtinendi sufficientem consensum Patrum.

Ipsi Patres, qui volunt retinere hoc schema quoad substantiam, concedunt illud indigere multis emendationibus — quae sunt tot ac tantae ut practice efficeretur novum schema. Apprime animadvertit exc.mus D. Parente, quando fecit distinctionem inter id quod est substantiale et ea quae sunt accessoria. Apprime animadvertit em.mus card. Bacci, in sua insuperabili latinitate, quando dixit: « Si sit aliquod corrigendum, corrigatur; si sit aliquod emendandum, emendetur, etc. ». Sed, emendationes, quas urgent fautores scholae contra schema, sunt tam numerosae et radicales, ut, fine finaliter, nihil substantiale remaneret. Esset revera casus non accessorii sequentis principale, sed principalis sequentis eundem exitum infelicem ac accessorium. Esset casus similis domui antiquae egenti integra renovatione quae, ut omnes admittent, fit modo meliori et oeconomico destruendo domum *existentem,*[8] et, loco eius, construendo novam, quam conando renovationem hic alibi et per partes.

Ergo, non dicerem quod hoc schema non placet (*mihi videtur,*[9] expressio *non placet* est *nimis*[10] dura et sicuti sententia iudicialis), sed dicerem quod hoc schema nostris *desideriis* (*plurium*)[11] non satisfacit.

Quare, ne nimium tempus teratur in disputationibus, et ut labor noster melius et facilius ad terminum perducatur, multis videtur novum schema statim conficiendum, cum cooperatione Patrum et theologorum utriusque partis. *Ita factum est in Concilio Vaticano I.*

Haec solutio quibusdam repugnat, qui dicunt reiectionem schematis fore contrariam menti Summi Pontificis, nec non dignitati huius Sacrae Synodi. Verumtamen, *mihi videtur,*[12] hoc commentum nullam habet vim. Etenim Summus Pontifex non ipse approbavit schema, sed iussit id ad Patres Concilii transmitti *ut ab eis discuteretur.* Certe hoc unum vult ut Patres aperte et sincere, secundum suam conscientiam, sententiam dicant. Atque, *ut auditum est altera die,*[13] in art. 33 dicitur: « quivis Pater verba facere potest, vel admittendo, vel reiciendo, vel emendando ». Et credo quod in tota hac disputatione egimus in conformitate cum desideriis Summi Pontificis, quando in aliqua oratione, ni fallor, Summus Pontifex dixit haec verba (*et dico anglice*):[14] « Serenity of mind, brotherly concord, dignity in discussion and wisdom of deliberation ». Et puto nos dilectis Observatoribus optimam provam praebuisse quod in Ecclesia catholica adhaeremus principio: « In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus vero caritas ».

Nec, si reiciatur, dignitas commissionis praeparatoriae laeditur. Praesens enim discrimen opinionum ostendit nullam commissionem, quamvis peritam, habere monopolium sapientiae, sed etiam Patres Concilii

— etsi non necessario « peritos » in theologia vel Sacra Scriptura — posse lumen non parvum afferre ex sua experientia et ductu Spiritus Sancti. *Ni fallor, secundum theologiam nostram, Patres in Concilio recipiunt assistentiam charismaticam, etsi negativam, quam assistentiam membra commissionis theologicae non habebant.*[15]

Ut finem huic meo sermoni imponam, exprimo fervidam spem fore quam primum ut variae partes, quae sunt inter Patres, inter se conveniant, ut conficiant novum schema quod *plenius respondeat scopo huius Concilii* et intentioni Summi Pontificis, et quod ab omnibus Patribus in hac aula adunatis probari possit. Praecipue enim, in re doctrinali, Concilium quam perfectissimam unanimitatem prae se ferat oportet.

Et nunc remanent fides, spes et caritas; et his omnibus praevalet caritas. Similiter possumus dicere usque huc in nostris sessionibus remanent nobis Liturgia et res doctrinales, et inter utramque praevalet *enim* [16] res doctrinalis...[17] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] meo humili iudicio. [3] deest. [4] restet mihi ut fungar exsequiis et sepulturam huius discussionis. [5] deest. [6] deest. [7] composita ex 131 membris et consultoribus. [8] deest. [9] quia. [10] deest. [11] exspectationibus. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] Hoc factum humiliter agnoscitur cum aliquod schema, etsi magna diligentia elaboratum, reiicitur. Quod attinet ad commissionem centralem, non omnibus quidem eius sessionibus interfui, sed tamen distincte recordor in aliqua eius sessione animadversum esse hoc particulare schema ulterius clarificandum esse. II. De indole quam deberet habere, iam multa dicta sunt a Patribus. Cum sit primum ac caput schematum huius Concilii, et scopus Concilii sit renovatio vitae Ecclesiae eiusque influxus in mundum modernum, necnon praeparatio unionis christianorum, hoc schema debet praesentare christianismum ut bonum nuntium, ut invitationem Dei vocantis omnes homines, sine subtilitatibus theologicis, scolasticis et apologeticis, sed (ut verbis Summi Pontificis utar) « ea ratione quam tempora nostra postulant ». Hic velim animadvertere Concilium non posse accommodare nuntium christianum ad omnes homines nisi modo quodam generali, rationem habendo mentalitatis, aspirationum et difficultatum nostrae aetatis. At simul optandum est ut approbet et promoveat varios conatus plenius accommodandi doctrinam christianam mentibus ac traditionibus variorum populorum, qui de facto fiunt a peritis tum in occidente tum in oriente, in India, China, Iaponia, Indonesia, Africa etc. [16] deest. [17] Heri, die dominica, mihi venit delegatus multorum episcoporum ex missionibus, dixitque mihi: « Faveas ut Concilio Oecumenico repraesentes hoc nostrum desiderium: ut tempus servemus, et ut sessiones feliciter progrediantur, haec tota sectio mensi maio deferatur, ita ut sufficiens tempus iis quorum interest detur ad novum schema praesentandum; nullumque suffragium de hoc schemate sumatur nunc, cum hoc ad consequentias haud iucundas ducetur. Interim aliqua sectio sumi potest, quae tales differentias opinionum quales nunc habemus, non suscitabit ». Cum hoc dico, non tantum in nomine meo loquor, sed in nomine multorum, qui super omnia tempus pacemque servare desiderant.

4

EM.MUS P. D. ALBERTUS CARD. MEYER
Archiepiscopus Chicagiensis

Venerabiles Fratres,

Ut iam saepius dictum est,[1] in disceptationibus iam factis de schemate *de fontibus revelationis,* duae sententiae oppositae expressae sunt a Patribus Concilii de re maximi momenti. Iuxta meam sententiam, haec diversitas radicem *suam* [2] habet in hoc quod multi, inter quos ego ipse, credimus methodum exponendi doctrinam in schemate adhibitam non adaequate concordare cum scopo Concilii, qui expressus est tum in allocutione inaugurali Summi Pontificis, tum in nuntio nostro ad omnes homines misso. Haec oppositio sententiarum, ut puto, est causa maximae anxietatis pro multis Patribus. Haec inquietudo maxime in eo consistit quod multum requiritur studium ad rectum iudicium de hac re formandum. Sine dubio, tanquam Patres in Concilio adunati, habemus adiutorium Spiritus Sancti promissum. Attamen, propter hoc, non dispensamur a gravi obligatione caute, prudenter et studiose procedendi. Et hic praecise invenitur fons difficultatis nostrae, nam multi Patres timent se scientiam sufficientem non habere.

Alia animadversio sapientissima, *alio die* [3] facta a rev.mo D. abbate Butler, *et si intellexi recte, etiam iuxta mentem iamiam expressam ab em.mo card. Gracias,*[4] est maximi momenti, nempe: quod manifestare debemus mundo unanimitatem in re tam gravi. De facto quidquid a nobis decernatur de hac re, apparebit mundo tamquam sententia totius Concilii. Sed ut haec apparentia valide fundetur, exigitur a nobis concordia adaequata in sententia...[5] Iamvero in disceptationibus hucusque habitis, clare apparet talem concordiam vix vel nunquam obtineri posse, stante hoc schemate.

Omnibus igitur coram Deo perpensis, debeo votum meum exprimere secundum ea quae ab em.mo ac rev.mo card. Bea dicta sunt. Velim, igitur, sicut ipse, ut novum schema conficiatur, secundum lineas generales ab ipso indicatas: retinendo ex actuali schemate omnia illa puncta quae correspondent scopo huius Concilii, et addendo alia quae nunc desunt. Praeterea in votis est ut conficiatur hoc novum schema, cooperantibus theologis et exegetis variarum nationum et tendentiarum.

Tandem speciali modo in votis est ut Concilium tria faciat:

1. Ut exprimat fiduciam in labore exegetico catholico.
2. Ut commendet exegetis obligationem fideliter sequendi doctri-

nam de Sacra Scriptura interpretanda, quae proposita est a Summis Pontificibus usque ad nunc, et

3. Ut inter eos fiat mentio specialis Pii Papae XII, felicis recordationis, qui agnoscitur ut artifex et promotor renovationis biblicae in hoc nostro saeculo. Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] secundum leges Concilii.

5

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. LANDÁZURI RICKETTS
Archiepiscopus Limanus

Venerabiles Patres,

Concilium Oecumenicum Vaticanum II schema *de fontibus revelationis* examinans, ad unum ex principalioribus finibus suae indictionis protendit, i. e. ad veram doctrinam ostendendam eiusque genuinam interpretationem declarandam. Non absque ergo fundamento asserere possumus doctrinam in schemate propositam, cuius studium aggredimur, suo momento inter principaliores esse numerandam.

Nunc vero, liceat mihi sequentia breviter perpendere:

1. Affirmatur schema esse valde scholasticum, doctrinale. Attamen, illae qualitates vel defectus, si ita vocari possunt, admittunt gradus. Et de *hoc indesinenter potest disceptari.*[1] Aliud est decretum dogmaticum, aliud est expositio veritatis ad populum.

2. Dicitur quod schema negligit indolem pastoralem quam Summus Pontifex universo Concilio inesse voluit. Etiam haec indoles gradus admittit: eo quod Concilium pastoralem indolem habere debet, non ideo necessario in singulis suis sententiis finem directe pastoralem propalare debet. Iam ipsa propositio seu clara expositio doctrinae fidelibus summe prodest, et proinde finem implicat pastoralem.

Haec duo puncta discrepantiae sunt potius accidentalia, quae plus et minus admittunt. De plus et minus vero semper disputari potest iuxta uniuscuiusque criterium. Sed convenit, et non difficile esse videtur, concordem solutionem invenire.

3. Disquisitio de unitate vel duplicitate fontis revelationis magis *substantiam attingit.*[2] Attamen et hic videtur ambas sententias non irremediabiliter inter se discrepare. Quoad substantiam enim idem dicunt: unica est revelatio: verbum Dei, quae nobis aperuit cognitionem Dei rerumque divinarum; haec autem unica revelatio per duo media, per

duos tramites, ad nos, qui non ipsum verbum Dei directe sed post saecula percipimus, pervenit.

Quod iam em.mus card. Frings claro modo hisce diebus expressit: in ordine essendi est unicus fons revelationis, in ordine cognoscendi est duplex fons. Discrepant ideo ambae sententiae in responso ad quaestionem: debetne vox « fons » huic unicae revelationi reservari, an possunt, ut inde a Concilio Tridentino factum est, « fontes » vocari etiam tramites per quas eius cognitio decurrentibus saeculis ad fideles descendit? Etiam in hoc puncto, discussione severa, veritatem facientes in caritate, non videtur excludenda concordia. Quodsi vox « fons » reservaretur ipsi revelationi, posset forsitan ipse titulus schematis mutari et dici simpliciter *de revelatione*.

4. Disceptatur tandem de opportunitate quarumdam sententiarum, quibus a nonnullis dicitur in schemate decerni quod adhuc maturum non est. Certe, nemo dubitat quod Concilium non debet imponere doctrinam quae adhuc irreformabilis non sit seu de qua adhuc in Ecclesia proficua potest esse discussio, dummodo fidei et moribus non sit contraria. Quodsi tales sententiae damnatoriae in schemate inveniuntur, non est ratio ad schema reiiciendum: nam insertae non sunt, opinor, ut simpliciter approbentur, sed ut examini Concilii subiiciantur. Hoc autem faciendum non est in praesens ubi de schemate in genere agitur, sed quando singulae sententiae iudicio Concilii submittentur.

Quibus omnibus perpensis, dico: schema *placet iuxta modum,* id est sumendum est uti basis ulterioris discussionis, clarificationis, emendationis quoad stylum et quoad doctrinam, si opus fuerit.

Ceterum, discrepantiae non videntur esse tantae et adeo frequentes ut in singulis paragraphis et numeris schematis diversitas opinionum ad interminabiles controversias duceret atque sessiones ultra modum protraheret.

Unde mihi videtur, post quattuor dierum disceptationem, omnia argumenta pro et contra schema in genere sufficienter iam esse illustrata, et tempus advenisse ut ulterius progrediamur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] gustibus non est disputandum. [2] ad substantiam descendit.

6

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaensis

Em.mi, exc.mi Patres Conciliares,

In diiudicandis ipsa substantia et ipsis principiis schematis dogmatici *de fontibus revelationis* (et forsan etiam aliorum schematum dogmaticorum), Concilium Vaticanum II iam in discrimine versari videtur discedendi in partes (etsi probabiliter in partes numerice sat inaequales).

Gravius autem videre est oratores utriusque factionis eadem fere, saltem ex parte, argumenta invocantes pro propria thesi corroboranda: ut puta Acta Conciliorum Tridentini et Vaticani I, puta mentem Pontificis, feliciter regnantis, immo etiam ea quae fratres nostri separati a Concilio expectare dicuntur. Ita fit ut in dies augeatur potius quam minuatur mentium confusio. Et, ni fallor, sat multi minus et minus parati erunt votum exprimendi circa hoc primum schema aut discutiendum uti iacet, aut a limine reiciendum.

Interest autem quam maxime ut in hoc dilemmate de materia quae, utpote dogmatica, aleam iaciet pro semper, maioritas votorum plusquam duarum ex tribus partium obtineatur; praeterea ut periculum eliminetur abstentionis multorum a voto. Iamvero, probabilitas magnae maioritatis, non solum optabilis sed necessariae in re tanti momenti, de die in diem minui videtur, et augeri pari passu periculum crescentis abstentionis.

Propterea haec quae sequuntur proponi liceat. Velint em.mi Patres qui Concilio praesunt Summum Pontificem, *humiliter, immo humillime,*[1] rogare ut hoc primum schema dogmaticum *de fontibus revelationis* sessioni aestivae anni proxime venturi examinandum assignare dignetur. Praeterea schema hoc, antequam a toto Concilio discutiatur, novo examini subiiciatur ex parte coetus theologorum, exegetarum et in re oecumenica peritorum, qui ipsi Beatissimo Patri maxime placuerit.

Benigne assentiat, ut pro reliquo tempore praesentis sessionis, Concilium ad examen schematis non dogmatici transeat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Animadversiones additae:
Adnotationes generales.

1. Quodnam est munus Concilii? Utrum compendium theologiae vel catechismum conficere an *normas determinare* ad quas dirigi possit Magisterium ordinarium in officio exponendi doctrinam vel iudicandi de doctrinis a theologis vel exegetis propositis?

2. Etsi Magisterium in schemate saepe adducitur, numquam clare apparet de quibusnam personis agatur. Clare indicari oportet quaenam sint in hac re partes Summi Pontificis, Concilii, Curiae Romanae, Collegii episcoporum universalis vel nationalis, singulorum demum episcoporum.

3. Textus magis timore errorum quam amore veritatis animatur. Veritas vincit luce, non terrore minarum vel timore errorum.

Notanda ad quosdam numeros.

Nn. 3-6. Doctrina exponitur modo nimis negativo. Num unice de oppugnandis protestantibus cogitare oportet? Non satis apparet quasnam partes in Ecclesia habeat Scriptura Sacra, traditio viva, Magisterium. Christus Revelationem Ecclesiae concredidit. Ab Ecclesia et in Ecclesia habemus Sacram Scripturam et traditionem vivam. Ecclesia interpretatur et custodit verbum Dei. In vita Ecclesiae partes Scripturae Sacrae et Traditionis illustrari possunt.

N. 10. Tractatio nimis negativa est. Quamvis recte distinguatur inspiratio personalis hagiographi a vita communitatis, tamen liber sacer non tantum cohaeret cum vita communitatis, sed eam imprimis describit. Deus, qui gratia superna vitam communitatis rexit et gubernavit, hagiographum ad hanc vitam scriptis delineandam movit. Deus direxit progressum vitae religiosae et idearum religiosarum usque ad formam quam hagiographus divino afflante Spiritu expressit.

Nn. 21-23. Tractatio nimis negativa est. N. 22 non est clarus. Quo pertinet lin. 2 pag. 18 « saltem quoad ipsam rem verbis significatam »? Num intelligendum: « etiam quoad ipsam rem verbis significatam »?

Nn. 25-27. Cur tam pauca de textu primigenio et de versionibus ex textu primigenio factis?

In n. 25 auctoritas Vulgatae ad mentem Litterarum Encyclicarum *Divino afflante Spiritu* explicanda est.

In n. 28 munus exegetarum magis positive exponi debet; animus addendus est eorum studiis.

Ad nn. 26-27 (pag. 19-20). Quoquo modo se res habet de schemate nostro (quod episcopatui Africano parum placet), *consilia quaedam pastoralia* proponere velim ad nn. 26 et 27.

Unice ago de sacerdotibus et fidelibus qui longe a Collegiis, Academiis, Athenaeis Europaeis et Americanis in Africa versantur inter infideles. Desunt eis pleraque instrumenta quibus Europaei et Americani ad meliorem Sacrae Scripturae cognitionem adiuvantur. Quid ergo faciendum?

Ad n. 26 haec propono. *Sacerdotes* imprimis talem reformationem liturgiae desiderant ut ex *Breviario et Missali* praecipua S. Scripturae capita haurire possint. Pericopae male dissectae intellectui verbi divini obstant.

In *Conferentiis theologicis,* de quibus in can. 131, et *in examinibus,* de quibus in can. 130, ad normam Instructionis Commissionis Biblicae (*Ench. bibl.* n. 609) maior ratio habeatur Sacrae Scripturae.

Praeterea sacerdotes qui statutis dioecesanis vel regula religiosa ad *quotidianam lectionem piam* tenentur, moneantur, ne derelicto fonte Sacrae Scripturae puro, sibi fodiant in silva librorum recentium cisternas, « cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas » (*Ier.* 2, 13).

Sacerdotes pondere sollicitudinis pastoralis oppressi vix aliam opportunitatem lectionis divinae invenient. Si tamen tempore Missae, Breviarii, lectionis piae plenius uti potuerint, Sacram Scripturam familiarius usque noscent.

Ad n. 27 haec suggero. Cum *fidelium* condicio peior sit, remedium difficilius comparatur. In paucis linguis praeter textum Evangeliorum vel pericoparum liturgicarum versio Sacrae Scripturae extat. Dum exegetae alibi inter se pugnant, apud nos desiderantur sacerdotes qui Sacram Scripturam in linguam fidelium convertant. Necessaria videtur esse *cooperatio cum Protestantibus,* qui abundantius nobis — et saepe egregie — in hac re laboraverunt. Quibusdam forte displicet haec cooperatio, quia Protestantes reiciunt libros deuterocanonicos et textum sine adnotationibus edunt. Num melius est nullum textum habere quam versionem a Protestantibus confectam? Textus ab auctoritate ecclesiastica examinabitur, a catholicis verti possunt libri deuterocanonici et adnotationes addi sub vigili competentis auctoritatis cura. Sic nuper legimus (*African Ecclesiastical Review* 1962, p. 210) de proposito Americano versionis communis Iudaeis, Protestantibus atque Catholicis. Eadem via in Africa sequenda est. Sine textu inutile est loqui de lectione Sacrae Scripturae cum pauci linguam europaeam calleant.

De usu textus vernaculi Sacrae Scripturae haec addere velim:

1. In catechumenatu et in catechesi fidelium textus Sacrae Scripturae sit reipsa anima doctrinae quam tradimus.

2. Maxima cura pro pueris conficiatur Biblia scholaris quae cum catechismo scholari perfecte congruat. Si textum communem cum Protestantibus haberemus, facilior esset usus Bibliae in scholis.

3. Inter fideles cultiores large diffundatur editio completa Sacrae Scripturae necessariis adnotationibus instructa.

7

Exc.mus P. D. PETRUS MARTIN

Episcopus tit. Selinusiensis, vic. ap. Novae Caledoniae

Venerabiles Patres et Fratres,

Apud secretariatum deposui animadversiones de schemate nunc examinato, ut vere agnoscatur labor improbus auctorum eius, sed etiam penitus recognoscatur redactio articulorum eius. Cum a multis ac non minimis oratoribus iam argumenta varia, quibus plene assentio, sint opposita, tum de Traditione, tum de doctrina tridentina et vaticana prima, tum de pastorali cura, nolo patientia vestra abuti. Quare vobis offeram tantum argumentum quod mihi apparet magni momenti, posteaque meas conclusiones proponam.

Gravius vitium huius capituli in eo consistit quod separat doctrinam de Christo et factum Christi, quae separatio patet e redactione duplicis capituli, hic, in cap. I *de duplici fonte revelationis,* et in cap. IV secundi schematis *de revelatione publica et de fide catholica.* Nonne revelationis summa est in Christo Iesu, Verbo scilicet Dei eiusque perfecta expressione, quod caro factum est ut Dei in nos amor plene manifestaretur

non tantum verbis, sed imprimis gestis et morte, quorum testes sunt Apostoli ceterique scriptores Novi Testamenti?

Afficit etiam praedictum vitium quasi totum corpus utriusque schematis dogmatici, in quo Christo non datur locus qui, tam in Scriptura quam in Traditione, ipsi competit.

Proponam igitur ut, saltem, titulus huius capituli commutetur in sequentem: *de Scriptura secundum Traditionem Ecclesiae legenda,* atque ut emendetur in eius textu, praesertim par. 4 et 5, quidquid ostendit aut suggerit Traditionem esse fontem quemdam a Scriptura independentem vel ipsi superadditum.

Sed revera mihi melius videretur, ad breviandum huius Concilii laborem, omittere quidquid absque necessitate iterat assertiones iam a Magisterio sufficienter edictas. Quapropter exopto huic cap. I substitui posse brevem mentionem et confirmationem doctrinae Conciliorum Tridentini et Vaticani I, de Scriptura et Traditione; item capp. II, III, IV substitui posse mentionem et confirmationem Litterarum Encyclicarum *Divino afflante,* e quibus exhauriri possunt regulae sanae interpretationis Scripturae Sacrae, multo melius quam in hoc schemate, et apta quidem auctoritate.

Textus sic contractus, cum par. 5 eiusdem capituli (ipsaque emendata) tunc coniungi posset secundo schemati (item in multis emendato) in unica constitutione, cuius esset titulus: *de revelatione Dei et hominis in Iesu Christo facta.*

Amplius etiam, si unquam possibile esset, optarem hanc constitutionem componere non quidem haec duo schemata hic proposita, sed unicum et novum schema sub praedicto titulo.

Quarum emendationum ope et aliarum similium, Ecclesia catholica per nos missione sua aptius fungeretur, quae est minime omnibus fidelibus quoddam systema theologicum prae ceteris imponere, sed immo cunctis hominibus, modo universis audibili, Christum Deum Revelatorem et Salvatorem aperte nuntiare. Dixi.

Textus scripto traditus:

Venerabiles Patres et Fratres, non possum non laudare laborem grandem auctorum huius schematis. Verumtamen mihi liceat humiliter et audacter proponere aliquas emendationes, quae magni momenti videntur.

Locutio *duplex fons* aut *duo fontes* in titulo capituli primi et in corpore articulorum adhibita non videtur retinenda. Etsi enim in usu est, non tamen est vere traditionalis, eam consulto devitavit concilium Tridentinum, et insuper secum fert nocumenta pastoralia.

Agnosci quidem potest aliqua dualitas fontium, si *fontes* intelligantur moderno sensu, scilicet ut documenta quibus innititur Ecclesiae doctrina. Patet alteram esse

collectionem librorum inspiratorum, alteram esse collectionem scriptorum Patrum, actuum Magisterii, textuum liturgicorum, aliorumque huiusmodi, quibus collectis significatur Traditio; et necessariam esse utramque collectionem librorum ad cognoscendam doctrinam a Deo revelatam. Ceteroquin, sub hoc respectu, loquendum foret de duabus collectionibus fontium potius quam de duobus fontibus.

Primus defectus huius locutionis in eo est quod non consonat usui Patrum Ecclesiae, ut constat ex recentioribus historicis investigationibus; nec etiam usui maiorum Medii Aevi doctorum, praesertim Divi Thomae, qui scripsit in Summa Theologica, II-II, qu. V, art. 3, ad 2: « Omnibus articulis fidei inhaeret fides propter *unum* medium, scilicet propter veritatem primam propositam nobis in Scripturis secundum doctrinam Ecclesiae intelligentis sane »; ubi Traditio nullatenus apparet ut quid a Scriptura separatum, sed ut recta intellectio Scripturae in Ecclesia communicata. Et alii sunt loci Angelici Doctoris, quos, in appendice relatos, non hic citabo, ne patientia vestra abutar.

Secundo, in sua sessione IV, concilium Tridentinum, definiens sacrorum librorum canonem, loquitur tamquam de *uno* fonte de Evangelio « quod promissum ante per prophetas in Scripturis sanctis Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos tamquam font*em* omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari iussit: perspiciensque, hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt... ».

Et si attendatur sive ad differentias inter textum prius Patribus propositum et hunc definitivum, sive ad discussiones illas explicantes, duo menti occurrunt, nempe:

1. *Fons* dicitur hic pro *regula fidei* (aliquid minus immobile habens).

2. Concilium amovit locutionem: « Hanc veritatem *partim* contineri in libris scriptis, *partim* sine scripto traditionibus... », quoniam plures Patres tenebant omnes revelatas veritates ad salutem necessarias aliquo modo inveniri in Scripturis sacris.

Quapropter primum Vaticanum concilium ad litteram iteravit assertionem tridentinam et, pluries tractans de Scriptura et Traditione, nunquam locuta est de *duobus* fontibus. Legenti autem prout sonant verba eiusdem Concilii patet eorum sensum detorqueri in par. 4 praesentis schematis, quae notulis refert ad capitulum secundum constitutionis *Dei Filius*. Hoc enim capitulum intactam sinit quaestionem de uno vel duobus fontibus et in conclusione non agit de Traditione nisi ut authentica interprete Scripturae Sanctae (Denz. 1787-1788).

Ergo mutatus est traditionalis loquendi usus. Num in melius? Valde dubium est.

Quem in finem haec mutatio facta sit, ipsius, quae fecit, commissionis doctrinalis est dicere. Mihi autem liceat indicare damna tum doctrinalia, tum pastoralia quae paveo inde ventura.

Traditio exhibetur ut mere conservativa, quod non est verum, nisi forte paucis in casibus. Quis, verbi gratia, auderet asserere, vel praesertim posset demonstrare doctrinam de Immaculata Beatae Mariae Conceptione explicite traditam esse ab Apostolis et oretenus per octo saecula transmissam, usque ad eius primas scriptas affirmationes, cum tot Ecclesiae Patres, sanctitatem Virginis Matris extollentes, eam numquam docuerint? Sine oblivione aliqua Spiritus Sancti et fidei Ecclesiae sub eius lumine quaerentis intellectum, sane non videretur Traditio apostolica mere conservativa tamquam secundus fons superaddenda testimonio Apostolorum scripto.

Est etiam gravius vitium huius capituli in eo quod separat doctrinam de Christo et factum Christi, quae separatio visu quasi percipitur inter praesentem capitulum et sequentis schematis quartum. Nonne revelationis summa est in Christo Iesu, Verbo scilicet Dei eiusque perfecta expressione, quod caro factum est ut Dei in nos amor plene manifestaretur non tantum verbis, sed imprimis gestis et morte, quorum testes sunt Apostoli ceterique scriptores Novi Testamenti?

Afficit etiam praedictum vitium quasi totum corpus utriusque schematis dogmatici, ubi Christo non datur locus qui, tam in Scriptura quam in Traditione, ipsi competit.

Insuper Summus Pontifex praesenti Concilio finem dedit unitatem christianorum restaurandam. Ad hunc finem omnino vitanda est assertio duplicis fontis et commendanda, iuxta quod dixerunt Sanctus Thomas et Concilium Vaticanum primum, Traditio utpote necessarium adiumentum a Christo datum, quo ex evangelico fonte accipiamus limpidissimam divinam veritatem, intelligentes in Spiritu Sancto idipsum quod idem Spiritus apostolicis scriptoribus inspiravit.

Inter enim protestantes theologos incipit agnosci utilitas Traditionis ad recte intelligendam Scripturam Sanctam. Sic recenter scribebat quidam eorum, Professor in Facultate theologica: « Au cours des siècles, le Christ, qui a donné l'Ecriture comme critère à l'Eglise, explique dans l'Eglise ce que l'Ecriture définit. La Tradition, c'est ce témoignage rendu au Christ scripturaire par le Christ ecclésial ». Nonne melius est tales progressus adiuvare quam vetera obstacula amplificare et aggravare?

Ad practicas conclusiones tandem veniens, proponam *saltem* ut huius capituli titulus commutetur in sequentem: « De Scriptura secundum Traditionem Ecclesiae legenda », et ut emendetur in eius textu, praesertim par. 4 et 5, quidquid ostendit aut suggerit Traditionem quasi fontem a Scriptura independentem vel ipsi superadditum.

Sed melius foret, ad breviandum huius Concilii laborem, omittere quidquid absque necessitate iterat assertiones iam sufficienter a Magisterio edictas. Quapropter opto huic capitulo primo substitui brevem mentionem et confirmationem doctrinae conciliorum Tridentini et Vaticani primi de Scriptura et Traditione; item capp. 2, 3 et 4 substitui mentionem et confirmationem litterarum encyclicarum *Divino Afflante*, quibus regulae sanae interpretationis Scripturae Sacrae multo melius datae sunt quam in hoc schemate, sufficiente cum auctoritate.

Textus sic reductus, cum par. 5 eiusdem capituli (eaque emendata) tunc coniungi deberet secundo schemati (item in multis emendando) in una constitutione cui dandus foret titulus: « De Revelatione Dei et hominis in Iesu Christo facta ».

Amplius etiam, si possibile est, optarem hanc constitutionem fundari non in duobus nunc propositis schematibus, sed in novo schemate ab episcopis Europae centralis proposito sub praedicto titulo.

Harum similiumque emendationum ope, Ecclesia catholica per nos melius missione sua fungeretur, quae non est omnibus fidelibus quoddam systema theologicum prae ceteris imponere, sed palam hominibus, modo omnibus audibili, *Christum* Deum, Revelatorem et Salvatorem nuntiare.

Animadversiones additae:

Appendix ad propositionem de cap. 1 emendando. P. 1. Quoad historiam doctrinarum de Traditione et traditionibus in relatione ad S. Scripturam, cf. Y. Congar, O. P., *La Tradition et les traditions; essai historique* (ed. A. Fayard, Paris 1960).

Quoad textus S. Thomae cf. insuper corpus articuli citati, ac etiam I, q. 1, a. 8, ad 2.

P. 3. Quoad positiones Protestantium. Classicam oppositionem ad traditionem conceptam ut secundum fontem Scripturae superadditum, cf. O. Cullmann, *La Tradition* (ed. Delachaux et Niestle, Neuchâtel, 1953).

Magis apertam, cf. F. J. Leenhardt, « *Sola Scriptura* » *ou Ecriture et Tradition,* in libello periodico « Etudes théologiques et religieuses », 1961, unde sumpta est (p. 41 in « tiré-à-part ») citatio quam dedimus. Hic articulus luculenter ostendit qua via possint ad catholicam de Traditione veritatem accedere protestantes, et propter quam rationem haec via praecludi non debet theoria « duplicis fontis » a Concilio approbata.

8

EXC.MUS P. D. ALOISIUS HENRIQUEZ JIMENEZ
Episcopus tit. Lamdiensis, aux. Caracensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Loquor nomine episcoporum Conferentiae episcopalis de Venezuela, quorum propositio sic sonat:[1] « Ut schema, ut pro nunc stat, non admittatur; sed aliud schema a commissione theologica Concilii, consulta et audita Pontificia Commissione Biblica, redigatur ».

Rationes.

Ut iam dictum est,[2] nihil in eo invenitur pastorale. Nec dicatur: pastorale est, quia in eo veritatem tuetur et exponitur recta doctrina. Veritas etenim modo polemico et condemnatorio tueri potest. *Aliqui Patres qui locuti sunt, invenire videntur haereses ubique inter catholicos atque existimant nonnisi condemnationibus bono Ecclesiae consulere posse; sed*[3] duritia baculi et flagelli pastoris homines non allicit, sed magis a Deo divinaque veritate avertit...[4]

Etiam a schemate spiritus oecumenicus abest.[5] Nec iterum dicatur veritas ipsa esse oecumenica. Certo certius; sed hic non agitur de ipsa veritate, sed *de modo* proponendi veritatem.

3. Variis in locis schema aliquorum theologorum determinatas sententias et opiniones nimis redolet. Opiniones vero et sententiae quae etiam hodie inter theologos magnae, immo et maioris notae, libere disceptantur. Exempli gratia: de genuina mente Concilii Tridentini in constitutione dogmatica *de fide catholica,* circa duplicem fontem revelationis...[6] Concilii non est has quaestiones auctoritative dirimere; sed eas magisterio ordinario relinquendo, tantum fidem universalem Ecclesiae testificari. Testes enim sumus inconcussae Ecclesiae fidei, non propugnatores aliquorum theologorum sententiarum.

4. Item, aliud est firmiter assentire, etiam interno assensu, doctrinis quae a magisterio ordinario Summorum Pontificum, praesertim inde ab ultimo saeculo, docentur; et aliud omnino diversum *est* [7] in Concilio Oecumenico definire. Immaturae esse possunt, ut, tanquam de fide catholica definitae, toti Ecclesiae et mundo universo definitive proponantur. In magisterio ordinario verus progressus in doctrina dari potest; et revera in materia huius schematis, scilicet Sacrae Scripturae et Traditionis, ab ultimis decenniis verus progressus invenitur. Comparare sufficiat Encyclicas Litteras *Providentissimus Deus* Leonis Papae XIII cum *Divino afflante Spiritu* Pii Papae XII; aut etiam recolere decisiones ab initio saeculi usque adhuc a Pontificia Commissione Biblica prolatas. Progressus ipse indicat has doctrinas adhuc ad plenam maturitatem non pervenisse.

5. Multa etiam auctoritative in schemate proponuntur, sed nihil de harum propositionum qualificatione theologica explicatur. An omnes tanquam de fide definita retinere debeantur?

Patres Conciliares! Humiliter petimus ut ad mentem revocetis tot difficultates quae, in exponendis et defendendis rectae fidei veritatibus, theologorum et exegetarum mentes obruunt. Pro nobis laborant, ita ut « doctrina certa et immutabilis, cui fidele obsequium est praestandum, ea ratione pervestigetur et exponatur, quam tempora postulant nostra »... [8] Proinde non eorum humeros aggravemus pondere. Pondus non leve hoc schema constituit, ubi res certe non investigantur et exponuntur ea ratione, quam tempora postulant nostra.

6. Est etiam schema nimis intellectuale. Ibi Traditio ut aliquod intellectuale quod nonnisi magisterio et praedicatione transmittitur. Sed non tantum magisterio, sed a tota vita Ecclesiae traditio exercetur et actuatur: in liturgia, in usu Sacramentorum, praesertim in Eucharistia. Etiam siletur « sensus » Ecclesiae in progressu traditionis.

7. Schema est nimis diffusum, in non paucis obscurum, et, non tantum semel, definitiones Tridentini et Vaticani I repetit.

8. Nec dicatur hoc schema, ut a Summo Pontifice propositum, necessario admitti debere. Quod enim nimis probat, nihil probat. Quia si nec reiicere, nec illud tangere possumus, nec ipsum correctionibus submittere; si intangibile est, nihil interest si totum, vel tantum in parte tangatur.

Certo certius est, ut a canone 222 § 2 statuitur, Summi Pontificis esse « res in Concilio Oecumenico » statuere. Sed aliud est materia et aliud modus materiam proponendi; aliud sunt res et aliud vestes quibus res operiuntur vel velantur. Res non possumus reiicere, sed reverenter accipere; eas tamen modo clariori, simpliciori et digniori vestire pos-

sumus. Schema est vestis, non ipsa res tractanda. Rem ipsam, scl. de revelatione eiusque fonte, servare debemus; schema vel vestitum respuere possumus. Et sine dubio hoc nobis conceditur in art. 33 *Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi,* ut optime notavit em.mus card. Döpfner. Hic enim articulus mentem ipsam Summi Pontificis clarissime nobis indicat.

Nec in dubium vertimus scientiam, laboremque theologorum, qui in praeparando schema adlaboraverunt. Libentissime admittimus; sed inde non sequitur opus ipsorum, ut stat, necessario admittere debeamus. Quaestio nostra unica est: an in schemate fides universalis Ecclesiae ita exponatur, ita tueatur, ita explicetur ut in catholicis omnibus fides firmetur, et etiam non-catholici ad rectam fidem alliciantur. Non vero an in schemate labor et scientia tantorum virorum elucescat.

9. Denique, si schema ut stat, nunc reicimus et ad commissionem theologicam eius materiam remittimus, tempus lucrari possumus et ad alia transire, dum ipsa in novo schemate redigendo adlaborat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quamquam in schemate *de fontibus revelationis* aliqua bene exponantur, attamen, si omnia serio perspiciantur et in trutinam vertantur, existimamus illud, in suo complexu, ut nunc stat, admitti non debere. Sic proponimus: [*Et subscribunt hanc propositionem sequentes:*] J. Humbertus card. Quintero, arch. Caracensis; Alejandro, ob. San Cristobal; Ioseph Ali Lebrun, Valentinus ep.; Antonius J. Ramirez, ep. Maturin; Angelus Perez C., ep. Barcinonensis; Michael Antonius Salas, ep. Calabocensis; Mons. Segundo Garcia, vic. ap. Puerto Ayacucho; fr. Michael Aurrecoechea, ep. tit. Dolichensis, vic. ap. Machiques; Ioannes Ioseph Bernal, arch. Civitatis Bolivarensis; Crispulus Benítez Fonturvel, ep. Barquisimetensis; Felicianus Q. Gonzalez, ep. Maracayensis; Chrysanthus, ep. Cumanensis; Aloisius Henríquez, ep. Lamdiensis; fr. Argimirus Alvarus Garcia, ep. Coropissenus, vic. ap. Tucupitensis; fr. Constantinus Gomez Villa. vic. ap. Caroni; Mons. Dominicus Roa, ep. Maracaibensis; Ioseph Leo Rojas, ep. Truxillensis. [2] 1. Ut iam bene notatum fuit. [3] et. [4] (cf. verba Ioannis XXIII, feliciter regnantis: « Huic quippe modo plurimum tribuendum erit et patienter, si opus fuerit, in eo elaborandum; scil. ea inducendae sunt rationes res exponendi, quae cum Magisterio, cuius indoles praesertim pastoralis est, magis congruant »). [5] 2. Sub impulsu Sancti Spiritus, separatione fratrum in Christo credentium Ecclesia Catholica, tanquam vulnus in corde, patitur. Nihilominus non pauca in schemate statuuntur quae multo difficiliorem viam ad futuram unionem faciunt. Abest enim a schemate spiritus oecumenicus. Aliud est fidem tueri et explicare; aliud omnino murum aeneum inter nos et fratres separatos elevare. [6] ut nunc, post accuratiorem investigationem historicam actarum ipsius Concilii patescit. [7] ipsas. [8] (Ioannes XXIII, in Allocutione initii Concilii).

9

Exc.mus P. D. IACOBUS GRIFFITHS

Episcopus tit. Gazensis, aux. Neo-Eboracensis

Em.me Praeses, venerabiles Fratres,

Post tot oratores elegantiores, doctiores, mihi videtur, debeo initium facere dicens: *Mane nobiscum, Domine, advesperascit!, ne magis cynice dicam*:[1] Domine, tota nocte laboravimus et nihil cepimus, sed in nomine tuo retia relaxabimus!

Tractantes in hac aula conciliari schema, cui titulus *de fontibus revelationis,* unicum, *nonne,*[2] habemus et habuimus finem, ut veritatem detegamus non solum de illius schematis substantia sed etiam et forsan maxime de modo opportuniore illam rem exponendi. Plures Patres iam sapienter et erudite de eodem schemate locuti sunt, non ut opiniones suae mere praevalerent, sed ut inveniretur, si possibile sit, modus magis aptus mundo imprimis catholico, tunc omnibus bonae voluntatis hominibus, summi momenti veritates de revelatione divina exhibendi et docendi.

Adfuerunt, ut bene nunc noscitis, qui putaverunt sincero animo schema ipsum a limine et radicitus esse reiiciendum. Fuerunt e contra etiam alii qui *existimati sunt*[3] schema, quod, uti agnoverunt fere omnes, *etiam magis hostiles,*[4] summa cum diligentia et auditis peritis plurium scholarum et plurium nationum paratum est, retineri debere, si notabiliter sit abbreviatum et ex communi sententia Patrum corrigatur.

Quoad primam propositionem, videtur haud prudens fore ut radicitus respuatur documentum quod perlegimus et perscrutavimus et candide corrigendum in *nonnullis*[5] partibus agnovimus, ut nunc accipiatur, *forsan*[6] aliquod aliud quod nondum examinavimus, immo quod ne plures vidimus quidem.

Ex alia autem parte, cum clerus et permulti fideles in fere toto orbe, iam expectent et sperent hoc Concilium Vaticanum II *de fontibus* — vel etiam, si magis placet, *de fonte — revelationis* necnon de quaestionibus exinde nuperrimis annis exortis, aliquid esse dicturum vel et doctum, humili mea opinione, nobis Patribus de huiusmodi controversiis silere vel tacere non licere.

Auditis iamvero opinionibus non tantum diversis, sed etiam saepe *saepius*[7] radicaliter contradictoriis, quinimmo et censuris et, proh dolor! acribus accusationibus ex utraque parte sane provenientibus, maxime

clerus noster et fideles, praesertim laici aliquatenus exculti, in confusione versati, a nobis, suis pastoribus, scire volunt quid in hoc campo, tuta fide et quidem salva fidelitate erga magisterium Ecclesiae, accipere et tenere valeant. Mihi videtur ergo, nos Patres Conciliares, ut munere nostro pastorali revera fungamur, non posse rem tanti momenti praetermittere, nec ad finem Concilii postponere, nec in tempus indefinitum remittere, fere ad instar Atheniensium Paulo dicentium: « Audiemus te de hoc iterum! ».

Etsi a quibusdam assertum sit rem non esse sat maturam, liquet omnino et neminem latet hanc controversiam esse quid reale et quid actuale in Ecclesia, et sine exaggeratione dici posse, aliquo saltem sensu, scandalum, non tantum apud domesticos fidei, quorum, et sedulo notandum, bonum spirituale et, in rebus sacris, intellectuale nostri praecipue interest, sed etiam apud fratres separatos, qui ad unitatem paterno modo vocati, aspiciunt huiusmodi quoad rem sat fundamentalem in Ecclesia Dei divisionem.

Igitur, sub ductu Spiritus Sancti Paracliti, pro bono populi Dei, rem fiducialiter suscipiamus discutiendam, videntibus peritis revera ex utraque parte *et scholis maxime diversis,*[8] equidem iuxta schema, non necessario integrum et uti in initio propositum, sed emendandum, abbreviandum, expoliendum et, ubi casus feret, etiam *penitus*[9] recognoscendum, et corrigendum. Ni fallor, etiam ii qui schemati adversantur, admittunt...[10] non esse *quid*[11] totaliter malum; immo em.mus card. Meyer nunc dixit nos debere retinere omnia quae bona sunt in praesenti schemate, ut in aliquo novo schemate incorporentur. Quaero, cur non debemus eadem tenere...[12] bona, dum *mittamus illa bona in novo schemate faciendo? Hoc mihi videtur esse distinctionem sat fundamentalem.*[13] Et, in schemate recognoscendo, ita fiat ut unusquisque Pater, si voluerit, plenissima gaudeat libertate suam coram Deo mentem aperiendi, uti iam hucusque in omnibus huius Sanctae Synodi disceptationibus, plaudente, immo mirante mundo, tum catholico, cum acatholico, absque timore *nos fecimus.*[14]

Veritatem *ergo*[15] in caritate indesinenter prosequentes, non impossibile erit ut, divino afflante *illo*[16] Spiritu, ad aliquam formulam acceptabilem perveniamus, seu aliquam inveniamus, uti dicam, viam mediam, ut clero et populo tradatur regula quaedam *etiam,*[17] etsi minima, sed sana et tuta. Hoc autem significat, nonne, nos omnes paratos esse debere ad dandum et *accipiendum,*[18] non sane in essentialibus, sed in minimis et in iis quae dicuntur dubia et libera. Sit regula dictum illud sapiens, *quod iam em.mus card. Indicus citavit,*[19] (pluribus iam auctoribus tributum): « In essentialibus unitas et in dubiis libertas, in omnibus caritas ».

Liceat mihi demum, Patres venerabiles, animadvertere quid de forma redigendi schema nostrum, si denique, *si unquam* [20] concipietur.

Disceptatione enim perdurante, dicebatur praesens schema non manifestare spiritum sat oecumenicum, quo imbui debeant huius Sacrae Synodi acta et declarationes. Candide fatemur, licet nonnisi plausus habeamus pro progressu notabili, in huiusmodi campo oecumenico summi momenti, iam facto et in posterum faciendo, *sed* [21] nos non *invenimus* [22] exemplaria clara illius « styli oecumenici », uti vocatur. Fortasse intenditur constitutiones et decreta esse exaranda maxima cum caritate, ratione habita de animo ingentis multitudinis bonorum acatholicorum per universum orbem dispersorum, qui anxie exspectant solatium animae ab hoc coetu oecumenico? Quod si sic intelligitur, ex imo corde, laetabundi propositum approbamus et commendamus.

Attamen, addere velim nobis etiam incumbere officium loquendi non tantum cum caritate, sed etiam cum claritate et suavitate. Equidem non solum de his quae in communi cum fratribus separatis tenemus, sed etiam de iis quae in communi, proh dolor! adhuc non recipimus. Et facile constat et ipsos fratres separatos desiderare ut ita fiat. Nonne, nisi ita nos, unitatis fautores, faciamus, sincere et veraciter cum fratribus separatis mentem Ecclesiae ardenter exquirentibus, nostra quidem aestimatione summe dignis, iuste et efficaciter non poterimus tractare? Si aliter ageremus, adesset periculum alicuius falsi irenismi, circa quem, quibusdam abhinc mensibus, ...[23] tam opportune et sapienter monitum explicitum tradidit em.mus D. card. Bea.

Et haec omnia non dixi ut a vobis petam constitutiones et decreta durioris indolis. Absit! Postulo tantum ut huius Sacrae Synodi acta et decreta conficiantur, non adhibitis terminis ponderosis et legalibus, sed simpliciter et suaviter, sed etiam clare et candide, ad normam generalem styli conciliaris absque damno ab Ecclesia iam diu usurpati.

Prae oculis ergo constanter teneamus tria haec, scl. caritatem, claritatem et, super omnia, veritatem. Tria enim haec, si agnoscamus, et, quod maius est, si in actum animo intrepido revera deducamus, providentissimus ipse Deus nobis ostendet et aperiet viam lucis et pacis, quam nos omnes, tot Apostolorum successores, hic, sub umbra Petri, hodie exquirimus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Forsan debeo incipere dicens: « Mane nobiscum Domine! iam advesperascit », vel etiam aptius: [2] deest. [3] existimaverunt. [4] deest. [5] quibusdam. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] idem. [11] deest. [12] elementa. [13] retinemus ipsum schema tanquam basim schematis corrigendi. [14] fecerunt. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] acceptandum. [19] deest. [20] deest. [21] deest. [22] invenisse. [23] ni fallor.

10

Exc.mus P. D. AEMILIUS IOSEPH DE SMEDT
Episcopus Brugensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine secretariatus ad christianorum unitatem fovendam.

In *discussione* [1] schematis *de fontibus revelationis,* multi Patres ostenderunt sollicitudinem vere oecumenicam...[2] Attamen, dum alii affirmant schema exigentiis sani oecumenismi respondere, alii illud negant. Ut in hac re melius iudicare *valeatis, forsitan vobis gratum erit* [3] a secretariatu pro unitate audire in quo praecise consistat oecumenicitas...[4]

Problema est hoc: Quid requiritur in *aliqua* [5] doctrina et in stylo alicuius schematis ut revera inservire possit ad meliorem dialogum inter catholicos et non-catholicos obtinendum?

Respondeo: Omnes qui christiano nomine honorantur in hoc *conveniunt* [6] quod Iesum Christum admittunt...[7] Sed, quando agitur *de modo quo* ad Iesum Christum accedimus, tunc incipit discordia...[8] Iam per plurima saecula ab invicem sumus *disiuncti.*[9]

Scimus hanc discordiam nostram esse contra voluntatem Iesu Christi. Quando...[10] cessabit nostra divisio? Per plurima saecula nos catholici *aestimavimus* [11] sufficere expositionem claram, *nitidam, integram* [12] doctrinae nostrae. Non-catholici idem putaverunt. Utraque pars suam doctrinam exposuit in terminologia sua, in optica sua...[13] Sed ea, quae a catholicis dicebantur, male intelligebantur a non-catholicis, et vice versa. Cum hac methodo ...[14], de facto, factus est progressus nullus in reconciliatione; e contra, ex utraque parte, creverunt praeiudicia, suspiciones et rixae...[15]

Nunc autem,[16] ultimis his decenniis, introducta est nova methodus. Haec methodus nova vocatur dialogus oecumenicus. In quo consistit?

Characteristicum huius methodi est quod non tantummodo habetur cura de veritate...[17] sed etiam de modo *quo doctrina exponenda est* [18] ut ab aliis recte *et exacte* [19] intelligi possit. Christiani diversarum denominationum se invicem adiuvant ut *alii ab aliis* [20] clarius et exactius intelligere possint doctrinam cui non adhaerent.

Dialogus oecumenicus non est igitur deliberatio aut tractatio de unione facienda, non est Concilium unionis, non est tentamen conversionis; est, *ex utraque parte,*[21] serena, obiectiva, lucida, *psychologice adaptata* [22] testificatio de propria fide.

Haec methodus nova, nunc in nostro Concilio, *volente Summo Pon-*

tifice,[23] adhiberi potest. Expositiones nostrae conciliares habebunt spiritum oecumenicum...[24] si media vere apta adhibemus ut non-catholici...[25] clarius intelligere possint quomodo *Ecclesia catholica*[26] videat et vivat mysterium Christi.

Sed redigere schemata in stylo oecumenico non est res facilis. Cur non? Excludenda est omnis species indifferentismi. Expositio oecumenica debet fideliter completam et integram doctrinam catholicam de determinata materia illustrare. Etenim, quomodo possunt non-catholici a nobis audire quid doceat catholicismus, si doctrinam exponeremus truncatam, tortam, *confusam*[27]? *Talis dialogus non instituitur ut alii ab aliis decipiantur, sed ut audiant totalem veritatem circa unamquamque doctrinam. Si volumus quod expositio nostra a non-catholicis exacte intelligi possit, multae conditiones sunt adimplendae. Hic, in meis paginis, novem condiciones enumeravi, sed, brevitatis causa, tantummodo quattuor indico:*[28]

1. Perspectum habere *debemus, Fratres,*[29] quid sit hodierna doctrina Orthodoxorum et Protestantium, aliis verbis, bene *cognoscere debemus*[30] eorum fidem, vitam liturgicam, theologiam.

2. Scire *debemus quaenam*[31] opiniones ipsi habeant de nostra doctrina et in quibusnam punctis eam recte vel non recte intelligant.

3. Scire debemus quid secundum non-catholicos sit omissum vel non satis elucidatum in doctrina catholica...[32]

Et 4. Examinandum est utrum dentur in nostro modo loquendi formae vel formulationes quae a non-catholicis difficile intelliguntur. Hic dicendum est quod modus scholasticus, seu methodus quasi scholaris, constituit pro non-catholicis magnam difficultatem...[33] Idem dicendum de abstracto et pure notionali modo loquendi, qui ab Orientalibus non intelligitur. E contra, modus biblicus et patristicus loquendi ex seipso multas vitat et praevenit difficultates, confusiones et praeiudicia...[34]

Ex his omnibus *igitur patet*[35] quod textus non est oecumenicus *ex solo facto*[36] quod veritatem exponit...[37]

Age nunc, Summus Pontifex[38] in secretariatum ad unionem christianorum fovendam adunavit specialistas...[39] qui magnam habent experientiam in oecumenismo. His specialistis Papa munus commisit adiuvandi alias commissiones praeparatorias et praesertim commissionem theologicam *ut redactio schematum fiat in spiritu vere oecumenico.*[40]

Noster secretariatus suum adiutorium obtulit commissioni theologicae, sed commissio, propter rationes de quibus mihi non est iudicandum, noluit. Proposuimus constitutionem subcommissionis mixtae; sed commissio theologica respondit: non, non volumus.

Ita factum est quod commissio theologica sola perfecit opus diffi-

cillimum dandi characterem oecumenicum nostris schematibus. Cum quo successu?

Audivimus *hic* [41] multos Patres iudicantes de oecumenicitate schematis propositi. Alii dixerunt deesse spiritum oecumenicum, et ita *locuti sunt* [42] Patres qui vivunt in medio Protestantium vel in Oriente. *Aliter locuti sunt Patres quorum plerique vivunt in regione catholica. His videtur in schemate non deesse spiritum oecumenicum.* [43] Sit nobis venia, sed humiliter *rogamus,* [44] oramus hos Patres ut velint examinare utrum *sufficienter consideraverint veram naturam novae methodi quae vocatur dialogus oecumenicus eiusque conditiones ac sequelas.* [45]

Concludo: Quidquid sit, nos a Summo Pontifice munus accepimus adlaborandi ut dialogus cum fratribus non-catholicis in hoc Concilio feliciter procedat. Rogamus vos omnes, Fratres venerabiles, ut velitis audire quid de proposito schemate iudicet secretariatus ad christianorum unitatem fovendam. Sententia nostra est: quod schema ... [46] notabiliter deficit in oecumenicitate. Schema, pro dialogo cum non-catholicis, non constituit progressum, sed regressum, non adiumentum, sed impedimentum, immo nocumentum... [47]

Fratres veneratissimi, considerare faveatis nunc tandem aliquando introductam esse novam methodum cuius gratia *fecundus* [48] dialogus institui posset. *Fructus huius methodi iam videri potest in hac aula, in praesentia Observatorum. Hora est providentialis, sed* [49] hora est gravis. Si haec schemata *commissionis theologicae* [50] non alio modo scribuntur, *nos responsabiles erimus de facto* [51] quod Concilium Vaticanum II magnam, immensam spem annihilaverit, spem, dico, eorum omnium qui, praeeunte Papa Ioanne XXIII, *in oratione et ieiunio,* [52] exspectant quod nunc tandem aliquando *gressus serius,* [53] gressus notabilis fiat ad fraternam *unionem* [54] eorum omnium pro quibus Iesus Christus Dominus noster oravit: « Ut omnes unum sint ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] examine. [2] Omnes quotquot sunt sincere et positive cupiunt ut schemata nostra faveant unitati. [3] valeant, forsitan gratum erit Patribus Conciliaribus. [4] alicuius propositionis. Etenim secretariatus noster a Summo Pontifice institutus est ut Patribus sua servitia praestet in examinandis schematibus sub respectu oecumenicitatis. [5] deest. [6] consentiunt. [7] Ea quae ab ipso Domino communicantur, constituunt depositum fidei et sunt salus nostra. Ad hunc unicum fontem accedimus omnes, catholici et non catholici. [8] Sumus fratres ab invicem separati. [9] seiuncti. [10] tandem aliquando. [11] arbitrati sumus. [12] deest. [13] Ex utraque parte aestimabatur methodum hanc esse optimam. [14] clarae veritatis. [15] polemicae contentiones. [16] deest. [17] exponenda. [18] adhibendo. [19] deest. [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] et dialogo oecumenico magnopere favere poterunt. [25] nostro

modo docendi. [26] catholicismus. [27] fictam. [28] Insinuatum est in hac aula quod modus oecumenicus loquendi opponeretur integrali expositioni veritatis. Qui taliter loquitur, videtur non intellexisse quae sit natura dialogi oecumenici. Fratres non catholici non veniunt ad talem dialogum ut a nobis decipiantur. Quam difficile sit schema aliquod stylo oecumenico redigere patet secundo ex sequentibus. Si volumus quod expositio nostra a non catholicis exacte intelligi possit, debemus. [29] deest. [30] novisse. [31] quasnam. [32] (v. g. doctrina de Verbo Dei, de sacerdotio fidelium, de libertate religiosa). Si his omnibus prae oculis habitis, incipimus redactionem textus, rationem habere debemus de sequentibus. *a*) [33] et saepe originem errorum, et praeiudiciorum. [34] *b*) termini adhibiti bene sunt eligendi (verba, imagines, qualificationes), ratione habita de reactione quam producunt in mentem vel sensibilitatem non catholicorum; *c*) iudicia sunt ponderanda, videnda in contextu in quo a non catholicis accipientur; *d*) argumenta (citationes, rationes) argumentatio et ordinatio textus ita sunt praesentanda ut non catholicis persuasionem afferre possint; *e*) omnis sterilis polemica vitanda est; *f*) errores clare sunt repellendi, sed hoc modo ut non offendantur personae quae erronea admittunt. Conclusio. [35] patere potest, Patres venerabiles. [36] eo ipso. [37] Difficillimum et delicatissimum est efficere ut redactio seu expositio sit revera oecumenica. [38] Summus Pontifex motu proprio. [39] episcopos et theologos. [40] deest. [41] deest. [42] deest. [43] Alii autem, qui vivunt in regione catholica, affirmaverunt schema revera habere spiritum oecumenicum. [44] deest. [45] cum sufficienti competentia iudicare possint de oecumenicitate horum textuum. In re tanti momenti ponderandae sunt adamussim non catholicorum actualis doctrina, actuales aspirationes, actuales difficultates. [46] propositum. [47] Et cum character oecumenicus totam materiam pervadere debeat, non videmus quomodo praesens textus sufficienter corrigi valeat. [48] fertilis. [49] deest. [50] deest. [51] nobis tribuendum erit. [52] deest. [53] deest. [54] mutuam comprehensionem.

11

EXC.MUS P. D. DAVID DE SOUSA
Episcopus Funchalensis

Em.me Praeses et venerabiles Patres Conciliares,

Liceat mihi verbum sumere, et quidem meo nomine et nomine *quorumdam saltem episcoporum,*[1] ad sequentia significanda.

Fervidas nostras congratulationes exc.mae commissioni praeparatoriae praesentamus pro felici...[2] schemate *de fontibus revelationis.*

Dispositi sumus ad varia puncta huius schematis acceptanda atque approbanda, una alterave utique cum modificatione *et additione ad schema complendum perficiendumque.*[3]

Profecto, quinque capita schematis super fontes revelationis, videlicet: super duplicem revelationis fontem, Scripturae Sacrae inspirationem, inerrantiam et compositionem litterariam, super Vetus et Novum

Testamentum et super Sacram Scripturam in Ecclesia, veram nobis attulerunt laetitiam. Siquidem, *admirabilis sunt velut summa* [4] doctrinae, hucusque dispersae, Magisterii cum solemnis tum ordinarii Sanctae Matris Ecclesiae super revelationis fontes.

Revera, in *brevissima hac summa,*[5] optimam ac tutam habent tum professores tum alumni tum ipsi fideles omnes velut introductionem in universam Sacram Scripturam, in qua vera apparet Ecclesiae facies, relate ad revelationis fontes.

Huius introductionis auxilio, exegetae et theologi, sacerdotes et fideles, illuminata intelligentia atque inflammato corde, magis magisque degustare poterunt uberrimos Librorum Sacrorum fructus, iuxta illud S. Pauli...: [6] « Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus ».

Quod, procul dubio, sensibile nutrimentum, incrementum et renovationem christianae vitae allaturum erit.

Tandem, ...[7] audemus proponere ut novus articulus, plus minusve sequentis tenoris, addatur 1) inter nn. 24 et 25, cap. V, pag. 19, super Sacrae Scripturae textus primigenios: « Librorum Sacrorum textus primigenii summa gaudent, in universa Ecclesia, auctoritate, nam eis competit locus princeps. Proindeque, eorum studium et usus ubique, quo fieri possit zelo, foveantur ac promoveantur inter clerum, seminaristas ipsosque fideles ».

Ratio est quia auctoritas alia est textuum primigeniorum et alia versionum, licet antiquissimarum meritisque plenarum. Latina Vulgata iure quidem extollitur in schemate. Sed imprimis extollendus est, ex ipsa sua natura, textus primigenius, quod in schemate, proh dolor!, minime factum est.

Novus iste articulus multum iuvabit dialogum cum fratribus separatis, utpote qui bene adlaboraverunt in textuum primigeniorum necnon versionis 70 virorum criticis editionibus praeparandis. In art. vero 25 loquatur tantum de loco qui competit Latinae Vulgatae ceterisque antiquis versionibus, et quidem mitiore ac suaviore sermone.

Item, novus addatur articulus,[8] inter nn. 25 et 26 eiusdem cap. V, pag. 19, *sequentis fere tenoris:* [9] « Nova versio latina praeparetur, iuxta textus primigenios, tum Veteris tum Novi Testamenti ». *Utpote quae optimum erit practicum testimonium maioris accessus ad textus primigenios ex parte ipsius Ecclesiae latinae, quod quidem testimonium fratres separati, certo certius, in debito habebunt pretio.*[10]

Ultimo, melius erit, prout nobis videtur, e textu schematis illa expungere verba, quibus errores reprobantur, v. g. in cap. II, pag. 12, inde

a lin. 24 ad 28: « quapropter iure Ecclesia, etc. », *et in cap. IV, art. 21 et 22, pag. 17, inde a lin. 21 ad 31, atque a lin. 1 ad 5, pag. 18,*[11] iuxta memoranda illa verba amantissimi Pontificis nostri Ioannis XXIII, in allocutione inaugurali huius Concilii, diei 11 octobris currentis anni: « Ad praesens tempus quod attinet, Christi Sponsae placet misericordiae medicinam adhibere, potius quam severitatis arma suscipere; magis quam damnando, suae doctrinae vim uberius explicando putat hodiernis necessitatibus esse consulendum ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] episcoporum Lusitaniae. [2] imo felicissimo. [3] deest. [4] admirabile sunt compendium. [5] brevissimo hoc compendio. [6] (2 *Tim.* 3, 16-17). [7] conclusionis instar. [8] 2). [9] deest. [10] deest. [11] deest.

12

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

Venerabiles Fratres,

Me iuvat aliquid addere ad haec quae tam profunde dicta sunt ab exc.mo D. De Smedt, et etiam considerationes suas et meas ad conclusionem aliquam, si possibile est, deducere.[1]

Natura sua res quae in his schematibus de fide aguntur, usque ad imum conscientiam nostram tangunt. Maximum damnum esset si ipsa sollicitudo, quae nobis communis est, et de regno Dei et de veritate eius, celare posset identitatem profundam intentionis nostrae. Paratus est enim unusquisque nostrum — *possint haec semel pro semper dicta esse in hac aula! —, paratus est unusquisque nostrum,*[2] iuvante gratia Dei, vitam suam ponere tam pro fratribus, iuxta praeceptum et exemplum Domini, quam pro « uno verbo quod procedit de ore Dei »; tam pro minimo inter fratres, quam pro uno « iota » veritatis ex Mysterio Dei, ut quondam fecerunt Patres nostri.

Mandatum Domini est:[3] « Euntes docete omnes gentes »...[4] Veritatem igitur docere iubemur et ad omnes gentes. Sollicitudo autem omnium gentium ipsa est quae excludit omnem concessionem de veritate, quae sola potest salvare animas; sollicitudo autem veritatis ipsa est quae impedit ne possimus abstrahere ab hominibus ad quos verbum veritatis missum est: non liceret nobis nec verbum hoc detinere nec scrutari nisi « ut currat et clarificetur ». Verbum hoc non est nostrum sed Dei, ideo

imprimis cum maxima reverentia et fidelitate tractandum, sed simul ita ut ad suum perveniat finem qui est salus hominum...[5]

I. Liceat igitur mihi *hoc* [6] animadvertere quantum status praesens rerum urgeat nos quoad duplex et inseparabile officium nuper expressum.

1. Certum est ipsam naturam verbi Dei Ecclesiae commissi, et experientiam traditionalem Ecclesiae postulare ut fides quaerat intellectum. Hoc ad ipsum honorem Dei, « veridicum », ad necessitatem hominum, qui de lumine in lumen procedere cupiunt et ad errores saepe ducuntur. Ideo Ecclesia symbola fidei proposuit, ideo conceptus et enuntiata indesinenter ad defensionem et honorem fidei expoliavit.

2. At hodie hoc opus non potest iam Ecclesia perficere nisi adstante universo orbe. Iam, volentes nolentes, non possumus ianuis clausis de verbo Dei agere. Hoc difficultatem affert. Hoc fidelitatem feliciter urget.

In summa indigentia spirituali positi et ad veritatem inscii adspirantes, quae vera pax et iustitia est in veritate, homines *hodie* [7] nos audiunt: loquendum igitur nobis est in hoc Concilio verbum Dei quale ab ipso Christo hominibus traditum est: id est, ut credant et salvi fiant. Audiunt homines: ne audiant disputationes scholasticas — quamvis aliunde necessarias — sed verbum Dei, qua salvi fiant.

Abstrahere in praesentatione doctrinae, ab iis quibus proponendum nobis creditur, esset vera et propria non fidelitas sed infidelitas, hoc esset « veritatem retinere in iniustitia »; nec instantia haec caritatis nos unquam avertere poterit a sollicitudine veritatis, cum homines nonnisi veritate et fide integra salvi fieri possint.

Quod si quis, quocumque modo audiens disceptationes nostras, dicere posset aut cogitare: « isti de me non curant », vel: « haec ad me non pertinent », verbum Apostoli in nos caderet: « Vae nobis, quia non evangelizaverimus ».

His regatur legibus opus nostrum: verba nostra nunquam « ut verbum humanum » appareant, sed, « ut vere sunt, ut verbum Dei »...[8]

II. Quibus dictis, et omissis omnibus quae possint ad hunc vel illum locum schematis nostri afferri...,[9] agnoscamus in hoc schemate non relucere quod hic vindicamus, nec posse quae hic dicuntur, *qualia dicuntur,*[10] sub verbo Apostoli loquentis poni: « Hodie ad vos verbum salutis huius missum est »...[11] Sunt veluti materiae ad constructionem, ...[12] quae Spiritum Domini exspectant ut vivant, et viventi corpori incorporentur.

Enixe igitur pro parte mea *humiliter* [13] rogo:

1. Ut prooemium detur de ipsa revelatione isti schemati quod valeat etiam pro sequentibus.

2. Ut quocumque efficaci modo *integre, si fieri potest,*[14] ad mentem

prooemii recognoscatur ita ut legitimae sollicitudini respondeat a pluribus expressae, ne omittantur quaestiones ad custodiendam fidem pertinentes, ut est veritas historica Evangelii; ita etiam ut sollicitudini aliorum pariter satisfiat, ...[15] quo hoc idem efficiendum ac dicendum sit.

Cum autem videatur opus, pro alia aut alia parte, recognitionem profundam postulare et non tantum aliqualem verborum recognitionem; cum etiam saepe technicas exigat discussiones, et in Concilio diuturnas et forsan asperas et inutiles disceptationes praevidere fas sit, rogare liceat ut ad commissionem res deferatur.

Sed rogare etiam liceat, ad faciliorem et omnibus placentem recognitionem, commissionem de fide et commissionem de unitate ad hoc *opus* [16] convenire, ut collectis viribus et peritis laborent, cum materia partim saltem sit utrique commissioni communis. Sic feliciter in factum transiret unanimitas quae procul dubio in intentione *omnium nostrum* [17] viget. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Nam mandatum Christi urget nos. [4] (*Matth.* 28, 19). [5] De his omnibus quis ex nobis non omnino convenit? [6] circa hoc schema, et hoc a fortiori de subsequente valeret. [7] deest. (1 *Thess.* 2, 13). [9] et obici. [10] deest. [11] (*Act.* 13, 26). [12] (vel potius ossa). [13] deest. [14] profunde. [15] de modo. [16] deest. [17] deest.

Animadversiones additae:

De « praesentatione » doctrinae, qualis a Summo Pontifice inquirenda praescribitur.

Natura problematum, in schematibus de fide, usque ad imum conscientiam Patrum pungit.

Maximum damnum esset si sollicitudo ipsa eorum et de Bono Ecclesiae et de Veritate Dei celare possit identitatem profundam intentionis in quam conveniunt.

Functio « pastoralis » et functio « doctrinalis » in Corpore Christi non possunt ab invicem disiungi. « Ite et docete omnes gentes, servare quaecumque mandavi vobis » (*Matth.* 28, 19): *veritatem igitur — extra quam non est salus —* et « *ad omnes gentes* ».

Quid requirit haec « sollicitudo » omnium? Non est dubitandum hanc sollicitudinem non modo non concessiones admittere sed profundiorem investigationem exigere.

Quid requirit haec « sollicitudo » veritatis? Non est dubitandum hanc eamdem sollicitudinem non posse abstrahere ab hominibus ad quos « Verbum salutis huius missum est » (*Act.* 13, 26).

1. *Requisita doctrinae et veritatis.*

Inquisitio traditionalis fidei.

2. *Conditiones inquisitionis in praesenti statu rerum.*

« Verbum Dei » non potest non tractari « ut tale » a nobis: homines enim undequaque *inquisitioni nostrae assistunt* et « hoc verbo indigent »...

3. *Conclusio.*

Non potest admitti praesentatio qua non audiatur ipsa « vox Dei », quam audientes homines legitime censerent « opus nostrum ad se non pertinere ».

Praesentatio nostra his duabus legibus subdatur:

a) verba nostra non appareant ut « verbum humanum, sed, ut sunt vere, verbum Dei » (1 *Thess.* 2, 13).

b) Verba nostra respondeant exemplo apostolico: « Hodie ad vos verbum salutis huius missum » (cf. *l. c.*).

Proinde *rogo*: ut saltem *prooemium* detur primo schemati; ut *recognoscatur sive integre sive per partes* ad mentem huius prooemii.

13

Exc.mus P. D. IOSEPH D'AVACK
Archiepiscopus Camerinensis

Venerabiles Patres,

Ad aliquantulum contemperandas animadversiones circa characterem pastoralem schematis,[1] audeo proponere additamentum de Magisterio, validum pro praesenti schemate, ad pag. 11, ad lin. 12, validum etiam — ni fallor — si schema omnino reficiendum erit.

En additamentum: « Per Magisterium, docendo, corrigendo, errores damnando, doctrinas nondum satis compertas saltem ad tempus vetando, materna sollicitudine Ecclesia pascit et regit et defendit oves sibi commissas.

« Et hoc Magisterium supreme congruit cum universo divino consilio de creatione et elevatione et redemptione.

« Siquidem Deus, qui *solus bonus,* qui *caritas est, creans cuncta valde bona,* praesertim hominem ad imaginem suam talem condidit qui egeat et valeat vivere in societatibus diversorum graduum ordinatis et hierarchicis: per quas omnia bona diffundantur, muniantur, a generatione in generationem prodantur: ita ut vires singulorum, per actuosam reciprocam bonitatem coniunctae, quasi excedere valeant feliciter et fecunde naturales suos fines.

« Hoc erat in principio, et hoc magis necessarium itemque magis arduum factum est per peccatum — *inoboedientiam* —; et magis felix et fecundum factum est per redemptionem — *oboedientiam.*

« Quae omnia, vero, mirabiliter et supreme Deus statuit quoad vitam aeternam in ordinem ad ultimum finem, in Ecclesia.

« Sicut enim qui ad Sacramenta Ecclesiae accedit, vitam recipit et enutrit et auget, ita qui Ecclesiae Magisterio subest non minuitur, non coarctatur, sed tutatur et augetur. Et respondet provido dono divinae caritatis eoque fruitur.

« Christus ipse nos docuit caritatem — quam qui non exercet *manet in morte*...[2] — in actum duci per oboedientiam erga Ecclesiam: nam " si quis diligit me, sermonem meum servabit "...,[3] quem sermonem Apostolis eorumque successoribus commisit; nam " qui vos audit me audit "...[4] ».

Ratio additamenti patet: ut recolatur Magisterium Ecclesiae esse donum divinae sapientissimae miserentis caritatis, cui subesse, est caritatem habere et exercere, est vivere, est dilatare suos fines naturales, est securitatem attingere ad pleniorem possessionem veritatis.

Ratio igitur, qua proponitur hoc additamentum, est sollicitudo pastoralis, iuxta quam veritatem tradere et defendere est omnino necessarium; sed non sufficit: oportet veritatem ita tradere ut cognita et perspecta, usque ad practica consectaria, animos moveat et deducatur ad vitam. Nam « etiam daemones credunt et contremiscunt » ...;[5] « Iustus ... ex fide vivit »...;[6] « Verba quae ego locutus sum vobis, sunt spiritus et vita »...[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ad contemperandas saltem quasdam ex animadversionibus prolatis praesertim circa characterem plus minusve pastoralem schematis. [2] (1 *Io.* 3, 14). [3] (*Io.* 14, 23). [4] (*Luc.* 10, 16). [5] (*Iac.* 2, 19). [6] (*Hebr.* 10, 38). [7] (*Io.* 6, 64).

Animadversiones additae:

Ad cap. I.

Ad n. 6: De habitudine utriusque fontis ad Magisterium; ad lin. 12 (vel opportunius alibi), addere: « Magisterium, quo Ecclesia Mater pascit et regit, doctrinaliter et disciplinaliter, oves sibi commissas, supreme congruit universo divino consilio.

« Siquidem Deus, qui " solus bonus ", qui " Caritas est ", cuncta valde bona creans, praesertim hominem, ad suam imaginem, ita condidit ut egeat et valeat vivere in societatibus, diversorum ordinum, ordinatis hierarchicis, per quas omnia bona prodantur a generatione in generationem: ita ut vires singulorum, per actuosam reciprocam bonitatem, iungantur, quasi ad excedendos feliciter et fecunde naturales limites cuiusvis creaturae.

« Quae omnia, vero, mirabiliter et supreme Deus statuit quoad vitam aeternam in ordinem ad finem ultimum, in Ecclesia.

« Sicut enim qui ad Sacramenta Ecclesiae accedunt, vitam recipiunt, enutriunt, augent, ita qui Ecclesiae Magisterio subest non minuitur, non coarctatur, sed tutatur et augetur; et respondet provido dono divinae Caritatis eoque fruitur.

« Christus ipse nos docuit Caritatem in actum duci per oboedientiam erga Ecclesiam: nam: " Si quis diligit Me, sermonem meum servabit " (*Io.* 14, 23), quem sermonem Apostolis eorumque successoribus commisit: nam " Qui vos audit, me audit etc. " (*Luc.* 10, 16) ».

Ratio patet: ut vero spiritu pastorali, in soliditate veritatis dogmaticae innixo, ostendatur Magisterium Ecclesiae donum esse divinae sapientissimae et miserentis Caritatis, cui subesse est Caritatem habere et exercere.

14

Exc.mus P. D. AURELIUS DEL PINO GOMEZ
Episcopus Illerdensis

Venerabiles Patres,

Si ipsum respiciamus schema, plurima fulgent in eo quae substantiam et eiusdem stylum commendant et impugnationes contra illud allatas ...[1] reiciunt.

Schema docere nos intendit; iamvero docere ad « pastoralem » pertinet ut clare apparet in Apostolorum missione: « Euntes ergo docete omnes gentes »...;[2] « Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare »...;[3] ipse etiam Christus Dominus misit Spiritum Sanctum ad docendum: « Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis »...[4]

Quis ergo negare audeat Apostolos in exercitio docendi non praecipuos animarum pastores fuisse? Quis autumet Spiritum Sanctum docendo Apostolos non sublimem pastoralem curam exercuisse? Ne obliviscamur pervenire nos posse ad veritatem tantummodo docendo et discendo, eademque via ipsum Deum assequi posse et omnia vitae supernaturalis mysteria. Ne obliviscamur, inquam, visionem beatam, consummatum regnum Dei, teste S. Thoma, essentialiter consistere in cognitione intuitiva infinitae Veritatis, in cognitione scilicet intuitiva Dei, qui nos similes sibi efficit; similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est...[5]

Prae oculis semper habeamus pastorum Ecclesiae praecipuum officium esse ab erroribus oves penitus avertere et ad veritatem evangelicam ducere, ut in veritate permaneant, et ex veritate nutriantur et crescant et veritatem ferventer diligant; siquidem hoc feliciter perficiatur opus: oves vitam agent caelestem et ad beatitudinem aeternam pervenient. Insuper dicendum est in schemate non deesse ea quae pietatem et devotionem directe et efficaciter excitant. Sereno animo legantur quae in cap. V de Sacra Scriptura in Ecclesia (paragraphis de lectione Sacrae Scripturae apud sacerdotes et de lectione Sacrae Scripturae apud fideles) animo sereno haec legantur et supernaturalis delectatio cordis sponte surget.

Etiam si docere pastoris est, ergo schema cum indolis doctrinalis sit, est quoque indolis pastoralis et Supremi Pastoris desideriis congruit. Praeterea, cum ipse Summus Pontifex hoc schema tradiderit, credendum est nihil in aperiendo ipso Concilio adversus ipsum voluisse.

Enuntiata huius schematis, ea qua pollent sobrietate, brevitate, perspicuitate, etiam dignitate, esse — quod ad redactionem attinet — prorsus laudanda; sic enim confusio et dubium omne tollitur, nec ansa ulla datur, liberrimis illis atque falsis interpretationibus quibus abundet necesse est quaelibet artificiosae litteraturae ostentatio. In Conciliis saepe haec invaluit ratio, etiam illis temporibus in quibus litterarum cultus excellebat et definienda erant altissima mysteria. Convertite, quaeso, oculos ad « Credo ». Omnia in eo proprietate eminent, omnia aequa et perspicua sunt, verbum nullum superest. Respicite etiam Summam Divi Thomae, quam in aliquibus Conciliis iuxta Sacras Litteras collocaverunt, nec obliviscamur oportet mirum illum Exercitiorum librum S. Ignatii de Loyola redactum esse stylo semper simplici, vulgari, saepe et incorrecto; quis vero recusare audeat immensam eius pastoralem et apostolicam efficacitatem? Si, ut aliqui dicunt, schema scriptum est sermone arido atque acri, pastores Ecclesiae, dum doctrinam schematis ipsi vel alii docent, curare debent ut dulciore stylo exponatur, servando ferventer integras veritates; et sic omnia inconvenientia vitantur. Animadvertendum est etiam quod schemata Conciliorum generatim non leguntur nisi ab eis qui scientiis ecclesiasticis operam dant, a quibus stylus concisus diffuso praefertur.

Etiamsi omnia huius schematis in libris manualibus inveniantur, inveniuntur quoque in scriptis praeclarissimorum Ecclesiae scriptorum, immo constituunt argumenta singularium Encyclicarum Summorum Pontificum recentiorum temporum; sed ea ipsa Concilium recipiat, atque sollemniora reddat oportet. Doctrina schematis est laudabilis, ut in capitum studio fulgebit.

Nullo modo affirmare licet schema hoc fratres separatos ab Ecclesia catholica alienare, cum fundamentalia sacrosanctae nostrae religionis doceat et proclamet, eaque nobilissima et purissima caritate proclamet, neminem qui recte sentiat ab Ecclesia catholica alienabit. Cum in ipsa sit depositum atque infallibile veritatis magisterium, non potest veritatem ullam vel celare vel negare quin seipsam neget. Est Ecclesiae officium veritatem docere in abnegatione simul et caritate, « veritatem — autem — facientes in caritate, crescamus in illo per omnia qui est caput, Christus »...[6] Pro certo equidem habeo omnes qui in redigendo hoc schemate adlaboraverunt et omnes venerabiles Concilii Patres eodem abnegationis et fraterni amoris sensu abundare erga separatas Ecclesias et erga homines universos, pro quorum animarum salute parati sumus, cooperante divina gratia, non semel, sed millies, si id humana natura patiatur, animas effundere.

Invito ergo impugnatores huius schematis ut id hoc animarum sensu

respiciant: hoc enim lumine et fraterna caritate impulsi, animadvertent sane defectus quibus omne hominum opus inquinari necesse est, sed ipsos concordia corrigere statuant, bono communi prospicientes. Ipsos quoque, sicuti Ecclesias separatas, rogo attente legant schema « Decreti de Ecclesiae unitate " Ut omnes unum sint " », considerantes quam supernaturali suavitate omnia promaneant. Haud sane facile, et forsitan plane absurdum esset, suaviora his verba invenire, in quibus caritas, paternus affectus, christiana aedificatio magis splendeant.

Venerabiles Patres conciliares, humiliter et fraterno ductus amore, postremum hoc addam quod primum in titulo schematis de Ecclesiae unitate: « Ut omnes unum sint ». Haec verba in nostris animis velut thronum habeant; sic profecto circa Summum Pontificem congregati, sincera oboedientia et caritate impulsi, poterimus efficere hoc immensum opus apostolicum et pastorale quod Ecclesia et homines universi a nobis exspectant.

Enixe omnes cogitemus bonitatem et caritatem extra ambitum veritatis aut cum eiusdem damno exsistere non posse.

In textu scripto tradito: [1] penitus. [2] (*Mt.* 28, 19). [3] (1 *Cor.* 1, 17). [4] (*Io.* 14, 26). [5] (1 *Io.* 3, 2). [6] (*Eph.* 4, 15).

Animadversiones additae:

Licentiam loquendi petii ut, modesto meo servitio, contribuere possem ad positiones in congregatione feriae IV assumptas pro posse concordandas.

Schema *de fontibus revelationis* mihi placuit et adhuc, saltem quoad suam substantiam, placet. Hoc a priori non est mirandum. Elaboratum enim fuit a viris illustribus et valde doctis.

Obiectiones contra schema, in quantum intellexi, sunt praecipue ea quae sequuntur:

1. Nimis insistit in doctrina de duabus fontibus revelationis;
2. haec ipsa doctrina non est antiquorum theologorum neque, ut videtur, ipsius S. Thomae;
3. non iuvat ad promovendum opus oecumenicum seu unionis fratrum separatorum cum Ecclesia;
4. non est pastorale;
5. est nimis scholasticum;
6. est pessimisticum;
7. est magis negativum quam positivum;
8. repetit plura iam ab omnibus cognita;
9. est nimis rigidum quoad doctrinam de inspiratione, cum videatur docere inspirationem verbalem;
10. posset causare suspicionem de exegetis;
11. nihil habet aptum ad remedium ponendum contra atheismum.

Longum esset de singulis praedictis agere, et tempus non habetur ad hoc faciendum in brevi interventu. Enumeravi undecim capita obiectionum contra schema.

Quoad octo ulteriora, si Sacrum Concilium ita de singulis desiderat, puto schema, posse pro quanto sit necessarium, corrigi seu modificari.

Quoad tria puncta priora vellem nunc pauca dicere.

Punctum magis grave quod tangebatur in disceptatione fuit illud de sacra traditione ut altera fonte divinae revelationis. Ne nimis longe de hoc agam humillime notare vellem Concilium Vaticanum I se referendo ad doctrinam Concilii Tridentini, sic se exprimere (cap. II, Constit. dogmaticae *Dei Filius* de fide catholica): « Haec porro supernaturalis revelatio, *secundum universalis Ecclesiae fidem* a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur « in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut (ab) ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt ».

Magisterium ordinarium Ecclesiae eodem sensu loquitur. Ita Leo XIII, in Encycl. Litt. *Providentissimus Deus* paulo post initium ait: « Quae supernaturalis revelatio secundum universalis Ecclesiae fidem continetur tum in sine scripto traditionibus tum etiam in libris scriptis qui appellantur sacri et canonici eo quod Spiritu Sancto inspirante Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt ».

Sanctus Pius X in iuramento anti-modernistico ait: « ... Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam sincere recipio ».

Pius XII in Encycl. Litt. *Humani Generis* ait: « ... Verum est Theologis semper redeundum esse ad divinae revelationis fontes: eorum enim est indicare qua ratione ea quae a vivo Magisterio docentur, in sacris Litteris et in divina " traditione " " sive explicite sive implicite inveniantur " (Pius IX, *Inter gravissimas,* die 28 oct. 1870). Accedit quod uterque doctrinae fons tot tantosque continet thesauros veritatis, ut nunquam reapse exhauriatur... ».

Quoad antiquiores theologos et ipsum Angelicum Doctorem verum est eos non instituisse tractatum de *Locis Theologicis,* et ita non tam enucleate locutos fuisse de duplici fonte divinae revelationis. Haec necessitas orta est post magnam scissionem saeculi XVI. Sed quoad S. Thomam cito loca quaedam ex quibus eius mens in hac quaestione innotescit. In IV Sent., dist. VIII, qu. II, art. II qu. 1ª I, ad 1, loquendo de quibusdam verbis in forma Eucharistiae ait: « ... ex traditione Domini habetur quae per Apostolos ad Ecclesiam pervenit secundum illud 1 *Cor.* 11, 23: Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis ». In Summa Theol., III, qu. 25, art. 3, ad 4, ait: « ... Apostoli familiari instinctu Spiritus Sancti quaedam Ecclesiis tradiderunt servanda quae non reliquerunt in scriptis.... et inter huiusmodi traditiones est imaginum Christi adoratio... ». In III Parte, qu. 64, art. 2, c.: « ... ea vero quae sunt de necessitate sacramenti ab ipso Christo instituta sunt qui est Deus et homo. Et licet non sunt omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione sicut Apostolus dicit (1 *Cor.* 11, 34) " Cetera cum venero disponam " ». In qu. 83, art. 4, ad 2, ait: « ... multa sunt a Domino facta vel dicta quae Evangelistae non scripserunt, inter quae fuit hoc quod Dominus in coena oculos levavit in coelum; quod tamen Ecclesia ex traditione apostolorum habuit... ». Item in textu citato in calce cap. I, ubi Angelicus loquens de 2 *Thess.* 2, 15, ait: « Unde patet quod multa in Ecclesia non scripta sunt ab Apostolis docta et ideo servanda ».

Quoad punctum de oecumenismo puto dilectos nostros fratres separatos nihil ex hoc schemate timendum habere. Difficultas praecipua eorum ut aestimo potius

respicit doctrinam nostram de Ecclesia et de eius capite in terris. Imo dicerem solutionem illius difficultatis, pro quanto nunc pendet a nobis, potius pendere a nostra caritate in agendo cum ipsis, in solvendo eorum dubia, in convincendo eos Ecclesiam Sponsam Christi et matrem omnium nostrum nihil antiquius habere quam eos amplecti et in sinu suo tenere, ut eos nobiscum in vitam aeternam perducat. Haec quoque est vox, ut ipsi bene sciunt, Capitis Ecclesiae, Christi Redemptoris in terris Vicarii.

15

Exc.mus P. D. DIONYSIUS HURLEY
Archiepiscopus Durbanianus

Venerabiles Patres, Fratres carissimi,

Praesentem disceptationem summi valoris aestimo cum de re absolute fundamentali agit, de fine nempe totius Concilii. De hoc fine omnes concordes sumus, pro quo Deo gratias agamus. Finis secundum omnes, et ut omnes ex clarissimis verbis Summi Pontificis fel. regn. intelligimus, pastoralis est. De hoc nulla disputatio. Sed — *et maximum sed* [1] — de interpretatione istius vocabuli « pastoralis » summa exstat discordia. Aliqui affirmant Concilium modo pastorali posse agere veritatem mere definiendo, semen Evangelii, ut ita dicam, in horreo definitionum dogmaticarum in tuto collocando.

Alii vero negant definitionem veritatis sufficere ad finem pastoralem attingendum; volunt ut de veritate tali modo fiat sermo, ut ex ipso sermone eluceat veritatem non esse mere custodiendam sed praedicandam, semen Evangelii non mere in horreo definitionum custodiendum sed in mundum spargendum et serendum esse.

En discrimen inter partes: utrum Concilium pastorale esse potest veritatem mere definiendo ut custodiatur, an indoles pastoralis talem modum loquendi requirit ut qui Concilii declarationes audit vel legit, virtutem et suavitatem veritatis experiatur.

Si qui sunt, qui negant Concilium posse ita loqui, propono ut immediate typis mandetur et Patribus distribuatur schema illud pulcherrimum a secretariatu ad christianorum unitatem fovendam exaratum, cui titulus « De verbo Dei ». Schema illud sapit pulchritudinem Sacrae Scripturae et, ut a *pluribus exc.mis Patribus* [2] audivimus, nihil habetur quod corda hominum, sive credentium sive non credentium, plus movet quam sapor ille.

Qui negant saporem illum posse in constitutiones Concilii introduci, ad Concilia priora appellant. Sed nescio utrum in praeterito unquam

factum sit aliud Concilium *specifice et principaliter*[3] pastorale. Credo hoc esse primum.

Ad differentias componendas opinionum de significatione vocabuli « pastoralis », sapienter proposuit rev.mus P. Abbas Christophorus Butler creationem alicuius coetus, ut ita dicam, bipartiti, et in hoc fidelem se ostendit traditioni suae nationis, quae artem res pacifice componendi ad apicem perduxit — quod Sanctus Pontifex Gregorius Magnus, prophetice innuens, eos non tam Anglos quam Angelos vocandos dixit. Coetus bipartitus, *vel etiam tripartitus si necessarius est*,[4] opportune propositus est, et si commissio theologica suam propriam solutionem proponere nequit, certe instituendus est.

Sed illa eadem divisio circa id quod ad indolem pastoralem Concilii pertinet, limites huius disceptationis multo excedit. Certus omnino sum illam divisionem fere omnes disceptationes esse pervasuram. Summi Pontificis benigna dignatione sodalis fui commissionis centralis praeparatoriae, et quantum recordor, animadversio frequentissima de variis schematibus, et praesertim de schematibus fidem et mores respicientibus, erat de eorum indole insufficienter pastorali. Post tot animadversiones miratus sum igitur invenire schemata parum, et valde parum, immutata esse in sensu pastorali. Nunc post disceptationem harum dierum rationem intelligo, quae nempe est quod illi quibus munus erat schemata emendare, vocabulum « pastoralis » non eodem modo intelligebant ac illi qui animadversiones faciebant.

Sumus ergo hic in summo discrimine totius Concilii et quantum video, hanc eandem divisionem in disceptatione 90% schematum experiemur. Quid faciendum? In commissione centrali, uti nunc video, quando de indole non pastorali schematum querebamur, voces eramus clamantium in deserto. Nullus aderat qui ad clamorem nostrum attendebat, qui de defectu laboris praeparatorii curare poterat et debebat. Deerat directio centralis. Deerat persona vel commissio ad finem Concilii pastoralem clare interpretandum, ad labores commissionum peculiarium ad finem statutum dirigendos et coordinandos, ad limites quoque statuendos materiae Concilio proponendae. En defectus fundamentalis totius operis praeparatorii. En peccatum, ut ita dicam, originale huius Concilii.

Patres venerabiles, non possumus 10 vel 20 annos impendere in disceptatione schematum quae 1.000 paginas implent, eandem divisionem in unaquaque pagina experiendo de significatione vocabuli « pastoralis ».

Utilitatem disceptationum his hebdomadibus factarum non nego, in lucem enim posuerunt profundum illud discrimen de interpretatione

finis Concilii. Sed, hoc adepto, non possumus de unaquaque manifestatione peculiari huius discriminis in infinitum disputare. Res dirimenda est aut disceptatione generali et suffragatione in hac aula, aut ope commissionis peculiaris a Summo Pontifice instituendae ad quaestionem inter primam et secundam Concilii sessionem tractandam. Et si talis commissio instituitur, latissimum detur ei mandatum ad curandum de schematum recognitione et abbreviatione necnon de ordinis disceptationis reformatione.

Solum illo vel simili modo redemptione facta a peccato originali operis praeparatorii, ad felicem exitum perduci poterit Concilium. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Exc. D. Stephano Leven, ep. aux. S. Antonii in Texas. [3] deest. [4] deest.

Animadversiones additae:

Oratoribus qui iam nomine episcoporum continentis africani, Madagascar et Insularum locuti sunt, pauca tantum ratione doctrinae subiungere necesse esse videtur.

1. Doctrina schematis primi in pluribus locis confusa est, nec satis certa quae iudicio Synodi praesentari possit.

Et hic speciatim quae de Theologia dicta sunt et de eius habitudine ad S. Scripturam arguendum esse censemus.

Ex una parte enim declaratur theologicas doctrinas universas S. Scripturam et Traditionem tanquam animum habere. Sed quaenam sunt « doctrinae apud Ecclesiam depositae » quae subinde citantur? Suntne prius citae « universae theologicae doctrinae » quarum auctor esset ipse Deus? Et quomodo iustificatur quod legitima interpretatio S. Scripturae diiudicetur a doctrina theologica et non a Magisterio Ecclesiae, a quo universa Theologia dependet et a quo legitimam interpretationem S. Scriptura recipit?

2. Nullibi in schemate exponitur quomodo Ecclesia, per quam thesaurus S. Scripturae hominibus traditus est, ipsa se habeat ad S. Scripturam, in qua invenitur expositio Spiritu Sancto inspirante conscripta nuntii Christi, et non apparet quomodo S. Scriptura pro ipso Magisterio Ecclesiae sit regula fidei et doctrinae.

3. Relatio auctoris inspirati cum Ecclesia proponitur acsi hagiographus quasi extraneus esset et communitati oppositus a Deo inspiratus fuerit ad scribendum et quasi gesta et vita communitatis civilis et religiosae in qua auctor vivebat, tantum ab extrinseco ad intelligendum originem et contentum libri sacri contribuere possint. Dum e contrario et praesertim auctores librorum Novi Testamenti, cum fide et vita Ecclesiae sui temporis intime coniuncti erant.

4. Item per diversos numeros loquitur schema de inerrantia S. Scripturae quin ubilibet indubitanter inculcetur quid sub terminis « errore » et « inerrantia » intelligendum sit.

5. Tales imperfectiones in textu schematis vix contribuere possunt doctrinae catholicae uberius explicandae, sicut desiderat Summus Pontifex. Sed nec magis contribuent ad unitatem christianorum omnium fovendam, de qua schema nostrum paulum curare videtur; neque in his quae de S. Scriptura dicuntur et in quibus

facile erat fratribus obviam ire; neque de his quae dicuntur de theologia, ubi nequidem possibilis diversitas scholarum theologicarum indicatur, quae tamen in decursu historiae Ecclesiae non paucae fuerunt et tanquam signum diversitatis in unitate fidei fratribus iucunda esse debent et signum tolerantiae.

Ergo non videmus quare schema hoc conservaretur, quod in forma sua quasi continue a mente et sollicitudine Summi Pontificis alienum esse videtur.

Et rogandum censemus ut schema primum, quod fundamentum est totius expositionis doctrinae catholicae pro hominibus temporis nostri a S. Synodo desideratae, funditus renovetur, quia quale hic iacet omnino placere non potest.

16

Exc.mus P. D. IOSEPH RUOTOLO

Episcopus Uxentinus-S. Mariae Leucadensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Iam nonnulli concordiam aliquo modo auspicati sunt; hanc concordiam nunc propono et invoco consiliis practicis, mea humili opinione, sed toto corde fiduciae pleno.

Ex disputatione hucusque habita clarissime patet duas dari inter Patres oppositas sententias: prior sententia vult ut schemata proposita discussioni subiiciantur statim, ut emendentur et approbentur; altera vero tenet duo schemata theologica esse radicitus reicienda et novum schema conficiendum.

Priori sententiae adhaereo. At finis mei interventus non in se est ut rationes iuridicas et theologicas iam ab aliis allatas repetam aut novas, fortasse possibiles, afferam in defensionem prioris sententiae.

Neque id contendo ut singula argumenta alterius sententiae refellam, quod et alii fecerunt. Id tantum volo, ut, ni nimis praesumo, suggeram tamquam possibile, immo et valde desiderandum, honorabile quoddam *compromissum,* quod suffragiorum unanimitatem, aut saltem illam obtineat maioritatem, quae in re tanti momenti, etiam in oculis nostrorum fidelium et fratrum, necessaria videtur.

1. Conficiatur *praefatio vel* [1] prooemium, quod praeponatur omnibus schematibus theologicis, immo toti materiae a Concilio elaborandae.

Prooemium, meo quidem iudicio, deberet esse ampla quaedam, ut ita dicam « panoramica », et serena recapitulatio totius divinae oeconomiae salutis, scilicet sapientissimi et miserentissimi Dei consilii in universa historia humana (creatio, redemptio, Ecclesia, sacramenta, etc.), et sollemnis affirmatio eius multiplicis praesentiae in mundo.

In hoc prooemio posset etiam Concilium, ut aliquis Pater autumavit

ad hortandos atheos saltem practicos ad conversionem, fiduciam affirmare in exercitium rectum rationis humanae, qua omnes populi et maior pars philosophorum credunt in Deum existentem et providentem, in animam spiritualem et immortalem, in felicitatem perfectam in altera vita assequendam bonis operibus huius existentiae.

Huic prooemio, in quo Ecclesia catholica plus Matris quam Magistrae partes agit, profecto congruit character ac stylus ille pastoralis, positivus, oecumenicus, hodiernis auribus magis aptus, quem exigunt asseclae alterius sententiae. In hoc prooemio poterunt quidem et laudes, simul et cautelae proponi pro omnibus qui, in quovis campo, elucidandae Ecclesiae doctrinae insudant.

Hoc prooemium erit conficiendum vel a commissione mixta inter theologicam et pastoralem, vel a commissione paritetica, composita ex Patribus, qui in aula unam vel alteram sententiam defenderunt. Prooemium, ut est evidens, quam primum discussioni conciliari proponetur.

2. Dum prooemii confectioni adlaborabitur, *fiat statim discussio* particularis schematum nobis a Summo Pontifice propositorum. Ita superata dicenda erit difficultas quoad characterem ac stylum schematum.

In subiecta materia, quae eminenter dogmatica est, et quasdam particulares, ne dicam « technicas » quaestiones theologico-biblicas respicit, ne dedecet Ecclesiam partem Magistrae potius quam Matris agentem, loqui concinne, lapidarie, modo quasi frigido, positive simul et negative, quemadmodum, in rebus dogmaticis *dilucidandis* [2] ac definiendis summopere congruere, Conciliorum praeteritorum experientia docet.

Discussio de singulis articulis duorum priorum schematum haec non spernenda commoda mihi videtur habere:

1. In lucem ponet ea plurima, quae omnibus placent, nec placere non possunt, cum sint fere ad verbum desumpta ex Tridentino, ex Vaticano I et ex documentis pontificiis a Leone XIII usque ad Pium XII.

Ne dicat quispiam illa, ob allatam rationem, inutilia esse; nam utiliter a Concilio repetuntur quae a nonnullis theologis ac exegetis in oblivionem aliquomodo amandata sunt, et documentis Magisterii ordinarii Concilium maiorem vim addet non solum per formalem definitionem sed etiam per solemniorem expositionem.

2. In lucem ponet ea, meo quidem iudicio, pauciora puncta, quae sunt pomum discordiae inter oppositas sententias; etenim ex discussione generali audivimus querelas et anxietates, — profecto omnes ex sincera intentione —, quae Patres hinc inde praeoccupant: ex una parte timetur ne extenuatur vis et valor inspirationis, inerrantiae, et veritatis historicae Sacrae Scripturae, praesertim Evangeliorum; ex altera parte

timetur ne aliqua definitio ex parte Concilii totam exegesim mortificet ac iniuste libertatem exegetis in suis laboribus adimat.

De facto, Deo favente, res non ita se habent. Ex particulari discussione circa puncta controversa, Patres audire poterunt rationes pro et contra, et eas perpendere; invenire formulam quae, uti speratur, salva integra veritate doctrinae catholicae, anxietates hinc inde tollat. Quod si hanc formulam invenire non poterunt, Patres, cognita causa et praesertim Spiritu Sancto illuminante, decisionem sument in alterutro sensu, aut rem utpote immaturam definiendam different.

Concludo in meam memoriam revocando expressiones devotionis filialis erga Summum Pontificem Ioannem XXIII feliciter regnantem ex parte omnium, qui locuti sunt de duabus opinionibus diversis.

Hoc mirum et commovens est et tantum in Ecclesia Catholica verificatur, ubi Summus Pontifex est vinculum unitatis cum repraesentet Dominum nostrum Iesum Christum, qui in oratione ultimae Coenae ait: « Pater, ut unum sint, sicut et nos unum sumus ».

Unde vobis dico: « Sit pax Christi in regno Christi ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] diiudicandis.

17

Exc.mus P. D. ALFREDUS ANCEL
Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres,

Aliquid vellem addere eis quae dicta sunt a rev.mo Butler et ab exc.mis Pourchet et Zoa de medio adhibendo ad obtinendam moralem unanimitatem Sacri Concilii.

Audiens enim verba quae, modo generali, de hoc schemate dicta sunt, aliqua premor anxietate. Nescio enim qua via progredi debeamus, neque ullum video *vere* [1] apertum ostium.

Sane non debet exaggerari difficultas, neque momentum dissensionum quae inter nos vigent. Forsan extraneo profundae apparerent; sed certo erraret, qui putaret inter Patres veri nominis oppositiones adesse. Omnes enim nos et in doctrina absolute fideles et in sollicitudine pastorali instantes esse volumus...[2] Attamen non obstante hac profunda unitate, qua unum in Christo efficimur, diversitas vera existit quoad modum doctrinam Christi praesentandi. Inutile est repetere quae de hoc dicta sunt et nostrae memoriae certe praesentia sunt.

Haec diversitas autem tanta est ut difficilior appareat solutio practica. Nam ex una parte cum mente recolimus quae in aula contra hoc schema dicta sunt, impossibile videtur illud, etiam ordinario modo emendatum, duas tertias partes votorum consequi posse.

Ex alia parte, etiamsi a Summo Pontifice permitteretur ut novum schema, ab aliquibus Patribus confectum, sacro Concilio proponeretur nulla esset spes ut duas tertias partes votorum obtineat, quippe quod, tendentias plus minusve particulares manifestans, adversarios plurimos necessario inveniret.

Aliqui, revera, recognitionem schematis cum introductione prooemii et cum sat profundis mutationibus proposuerunt. Sed multi timent ne renovatio textus, si fiat ab iisdem qui primum textum confecerunt, insufficiens evadat.

Omnes hae difficultates magnae videntur, et primo aspectu insuperabiles; sed non debemus timere. Scimus enim Christum esse nobiscum...[3]

Attamen non debemus praesumptuose miraculum expectare, sed omnes eodem veritatis, pacis et unitatis amore repleti, debemus viam Domini quaerere atque solutiones proponere.

Propterea aliquam solutionem propono, non quasi eam sufficientem putans, sed tamquam ab aliis meliorem expectans.

Libenter etiam assensum meum praebeo solutioni ab exc.mo Garrone propositae quae ceteroquin quasi complementum meae solutionis constituit.

Principia huius solutionis:

1. In Concilio, specialiter quando de constitutione dogmatica agitur, non debent esse neque victores neque victi, sed omnino quaerendum est, ut morali unanimitate omnia definiantur.

2. De facto, quasi immensus labor iam a commissione theologica effectus est. Pure illum reicere neque iustum neque opportunum videretur. Unde necesse est ut retineantur ex nostro textu partes quae ab omnibus admitti possunt.

3. Textus efficiatur qui ex elementis quidem textus praesentis saltem partialiter constitueretur, sed ita ut respondeat diversis exigentiis, in primis pastoralibus, quae fortiter in aula manifestatae sunt.

Solutio ipsa: posset peti a Summo Pontifice ut, salvo iure commissionis theologicae, novos peritos ad diversas scholas theologicas pertinentes dignaretur nominare, ita ut textum exarent, qui huic Sacro Concilio denuo submitti posset et a quasi unanimitate Patrum admitti. Unde peto ut de hac propositione mea vel de alia meliore votum fiat, ut via ad solutionem unanimiter et pacifice aperiatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Nonne caritas Christi urget nos, non tantum respectu dioecesium nostrarum, sed etiam totius Ecclesiae, immo omnium hominum in terra degentium? [3] Ad nos etiam spiritum suum misit, ut illuminet nos. Denique tandem, unanimes huc venimus cum Maria Matre Iesu.

18

EXC.MUS P. D. PAULUS SEITZ
Episcopus Kontumensis

Venerabiles Patres,

Ad nos hodie se vertunt omnes universi homines; alii Ecclesiam apertam ac placide accipientem surgere sicut Evangelii viventis signum sperant, alii Ecclesiam illam in defensionis situm se refugientem sicut veteris societatis signum quiete mori exspectant. Ad fide instaurandam vitae eorum unitatem et ipso facto incredulos fratres illuminandos, spectant ad nos christiani ut detur clara et intelligibilis dogmatum formulatio.

Sanctissimus Ioannes XXIII ad Concilium vocavit ut facies Ecclesiae renovetur, ad missionem suam respondeat, sicut etiam ad populorum exspectationem. Ad hoc tendebant dioecesium, universitatum ac Institutorum Biblicorum vota.

Schema autem *de fontibus revelationis* in hoc suo titulo exordium praebet ad opiniones discussas (v. g. de inerrantia, de historicitate); praeterea appendicem pro capite mavult (ita Vulgatam pro inspirato textu mavult); omnia haec enuntiantur formulatione quae coniunctione caret (v. g. Vetus Testamentum et Novum Testamentum inter se non ligantur), necessaria argumentatione indiget (*ita* [1] de inerrantia in re profana), et ambiguitatibus non deficit (...[2] aequaliter habet Sacros Libros et Ecclesiae doctrinam).

Hoc schema opiniones damnat, quaesitorum conatus adversatur, in suspicionem aliquarum personarum inducit et sic laborem futurum frangit.

Fidei unitas non salvabitur dicendo hinc et hinc « duce magisterio », quando nihil dicitur de relatione qua magisterium credens se subiicit Scripturae et Traditioni quae pro ipso etiam magisterio sunt verbum Dei. E contra magisterii auctoritate opiniones particulares non traditionales induere unitati obstat.

Mens qua hoc schema conscribitur aperte revelat defensionis complexum qui Concilio Oecumenico Vaticano II dedecet et contextu historico rationem suam non habet. Ad Concilium spectat Evangelii doctrinam pro diebus nostris aperte et accurate tradere. Hodiernam et futu-

ram Ecclesiam alligare non possumus ad manuale pavidum et opinionibus peculiaribus favens. Non convenit ut Ecclesia magna idearum incrementa ignoret, neque ...[3] ad scientiam sic stet, ut forsan brevi postea se retractet.

Ne dicaris documenti conciliaris genus postulare talem formulationem et applicationem congruentem ad pastores pertinere in eorum regione. Ad prima Concilia appello: inveniantur textus ad vitam christianam renovandam apti. In hoc nostro tempore adsunt exspectationes omnibus hominibus communes, et his congruentem textum doctrinalem Concilium nostrum elaborare convenit. Necesse est in hac re unitatem orthodoxiae tenere.

Videtur mihi impossibile emendare tale schema. Liceat nobis, priusquam in articulos peculiares transeamus, in hac re in suffragium ire. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] v. g. [2] v. g. [3] relate.

CONGREGATIO GENERALIS XXIII

20 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXIII

20 novembris 1962

Exc.mus P. D. Pericle Felici, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis*:

Praesidet hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph Frings, arch. Coloniensis.

Prosequitur disceptatio de principiis generalibus schematis constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis*.

Loqui postulaverunt exc.mi DD.: Georgius Cabana, arch. Sherbrookensis in Canada; Bernardinus Echeverria, ep. Ambatensis in Aequatore; Fidelis Garcia, ep. tit. Sululitanus in Hispania; Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia; Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Antonius Quarracino, ep. S. Dominici Novem Iulii in Argentina; Geraldus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus in Brasilia; Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia; Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia; Anicetus Fernandez, sup. gen. O. P.; Iulius Barbetta, ep. tit. Pharanitanus in Italia; Ioannes Ferro, arch. Rheginensis in Italia; Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia.

1

Exc.mus P. D. GEORGIUS CABANA

Archiepiscopus Sherbrookensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Per triginta annos ministravi in dioecesibus ubi multi fratres separati commorantur. Experientia personali testificari possum illos bona voluntate praeditos velle cognoscere Ecclesiae Catholicae doctrinam clare expressam, quando loquuntur nobiscum de religione. Exspectant veritatem non nebulosam et admirationem habent pro iis qui in certo modo respondent eorum quaestionibus.

Meminisse iuvabit, in Encyclicis Litteris *Humani generis* Summus Pontifex Pius XII f. r. scripsit haec: « Caveant etiam ne limites transgrediantur a nobis statutos ad veritatem fidei ac doctrinae catholicae

tuendam. In quaestiones novas, quas hodierna cultura ac progrediens aetas in medium protulerunt, diligentissimam suam conferant pervestigationem, sed ea, qua par est prudentia et cautela; nec denique putent falso " irenismo " indulgentes ad Ecclesiae sinum dissidentes et errantes feliciter reduci posse, nisi integra veritas in Ecclesia vigens, absque ulla corruptione detractioneque, sincere omnibus tradatur ».

His consideratis affirmare debemus quod in schemate *de fontibus revelationis* exponitur Ecclesiae doctrina secundum normas ab illis Encyclicis Litteris traditas. Meo iudicio schema illud supplet episcopis et sacerdotibus quod requiritur pro eorum ministerio pastorali cum catholicis et acatholicis.

Unde mihi illud placet et non reiciatur. Eheu, eheu!, tempus fugit, venerabiles Fratres. Quapropter humiliter propono ut huius schematis diversa capita quamprimum studenda sint. Quando necessarium erit, emendationes fieri possunt amabiliter, suaviter in caritate Christi. Dixi.

2

Exc.mus P. D. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ
Episcopus Ambatensis

Em.mi ac rev.mi Patres, exc.mi Fratres,

Multa et quidem magni momenti circa quaestionem num schema *de fontibus revelationis* sit vel non reiciendum audivimus. Et tamen usque nunc adhuc perfecta concordia inter Patres conciliares non datur. Liceat aliqua facta considerare quae forsitan ad solutionem adiuvare nos possunt.

1. Nobis omnibus constat istis ultimis annis multae prodiere sententiae et opiniones circa Scripturae Sacrae interpretationem, quae sine dubio id docent quod Sancta Mater Ecclesia numquam docuit; e. gr. non pauci credunt quod textus tam Antiqui quam Novi Testamenti non simpliciter sensu litterali et historico, sed potius sensu *quodam critico et pseudo-scientifico* [1] interpretari debent. Secundum tales opiniones, facta quae usque nunc in Vetere Testamento consideravimus tamquam historica, proprie loquendo, non ut historica sed potius ut litteraria considerari deberent, quamvis divina revelatio non excludatur. Immo etiam in Novo Testamento facta quae usque nunc uti stricte historica considerabamus, iam non amplius ut talia considerari deberent. Omnes scimus multos esse qui, e. gr., Annunciationem ut factum historicum negant, non secus ac historiam Regum Magorum et multa alia huiusmodi. Se-

cundum istas modernas opiniones et sententias, ipsamet personalitas hagiographi disparere deberet ut potius communitas christiana loco hagiographi ponatur, ad quod triplici quasi *gradu progreditur:*[2] nempe: historia facti, commentario communitatis et descriptione hagiographi, ita ut, fine finaliter, non scientia dogmati accommodari debeat sed, e contra, dogma accommodandum sit scientiae.

2. Tales sententiae et opiniones praesertim apud theologos non catholicos vulgantur, qui id acceptare autumant quia cum critica historica et cum modernis investigationibus magis consentaneum credunt. Sed non est dubium quod tales opiniones et sententiae non solum ab acatholicis propugnantur. Multi inter catholicos proni sunt ad tales opiniones acceptandas, ad hoc ducti quidem sanctis, nobilibus et pastoralibus intentionibus. Attamen, quomodocumque catholicorum aptitudo explicetur, sive admittant sive non admittant tales theorias, *verum absolute et evidens est*[3] tales sententias et opiniones, quae revera vera non sunt, periculum praebere contagionis et facile propagari posse.

3. Talibus in adiunctis, ut bene notat monitum S. Officii 21 iunii 1961, tales sententiae et opiniones anxios faciunt et pastores et christifideles. Haec anxietas maior est si consideratur quod tales sententiae et opiniones non solum personas particulares dividunt, sed ipsas institutiones. Omnes scimus quanta et qualia ...[4] etiam nobis praesentibus producantur etiam inter Almae Urbis instituta principaliora, ita ut non absonum a veritate erit si dicamus quod ...[5] unitatem cum fratribus separatis quaerimus, nostram propriam unitatem internam rumpimus. Exemplum classicum *habemus omnes.*[6]

4. Concilium indictum est, et, semel indicto, commissiones a peritis selectis ab ipsomet Summo Pontifice compositae laborare coeperunt. Commissio theologica sicut et aliae commissiones prae oculis habebant necessitates hodiernas pro quibus remedia invenire satagebant. Commissio theologica indubitanter tam memoratos errores quam anxietates ...[7] christifidelium *et*[8] pastorum tam scandala inter diversa instituta prae oculis *habebat,*[9] et ut medicina pro praesentibus malis paretur, schema confecit...[10]

5. Concilio incoepto, omnium ubique terrarum Patrum praesentia, iam non commissionis sed Patrum est munus praesentibus malis remedia parare. Munus igitur nostrum irrenunciabile, gravissimum, est erroribus aditus claudere, anxietates tam pastorum quam christifidelium quietari, definitiones et declarationes non secus ac cetera omnia alia Concilia facere; uno verbo, depositum fidei ante omnia et super omnia integrum servare et custodire. Si mediantibus claris, distinctis, certis definitionibus anxietates de medio non tollimus, erroribus portas non clau-

dimus, et scandala non vitamus, *forsitan* [11] supervacanea nostra praesentia... [12]

6. Quomodo id facere debemus? Attendendo ad Ecclesiae magisterium, attendendo ad Summorum Pontificum doctrinam. Memores *esse debemus* [13] aliam viam sumere non posse nisi eam quam semper tenuit Ecclesia, aliud iter sumere non posse nisi illud quod a Vicariis Christi monstratur. Illa via determinata est iam a Pio XII, sanctae memoriae, quando non multum post temporis a promulgatione sapientissimae *Divino afflante Spiritu,* a circumstantiis *compulsus,*[14] aliam Encyclicam scribere coactus est, nempe *Humani generis,* in qua abusus peractos condemnat et de illa nimis liberiore opinione conqueritur quae veritatem historicam et obiectivam Veteris Testamenti evertere praetendit. Illa via determinata est etiam a Sanctissimo Patre nostro Ioanne, quando in sua laudatoria allocutione, occasione quinquagesimi anniversarii fundationis Instituti Biblici, ab eruditis in studiis biblicis « prudentiam et sobrietatem » exigit, ne ut conclusiones definitivas praesentent ea quae nihil aliud sunt quam hypothesis laboris. Via ista tandem determinata est a Congregatione S. Officii cuius caput supremum ipsemet Summus Pontifex est. In monito iam memorato mensis iunii 1961, ut periculosae signantur illae sententiae et opiniones quae in discrimen adducunt germanam veritatem historicam et obiectivam Scripturae Sacrae, non modo Veteris Testamenti, verum etiam Novi, etiam quoad dicta et facta Christi.

7. Commissio theologica praeparatoria Concilii nihil aliud prae oculis habuit nisi hoc: sententias nempe et opiniones falsas, periculum propagationis erroris, doctrinam quam semper magisterium Ecclesiae docuit et Summi Pontifices confirmaverunt. Et itaque tanto morbo medicinam parantes, aditum erroribus cum prudentia claudentes, doctrinam quam usque nunc Ecclesia tenuit, in schemate praesentavit. Nihil novi in schemate inveniri iam aliqui asseruerunt, et de facto nihil novi in schemate offertur. *Una solum novitas,*[15] una solum actualitas, illic invenitur, relatio nempe et habitudo...[16]

Praeses card. FRINGS: Excusas me, Pater, tempus finitum est.

In textu scripto tradito: [1] scientifico et critico. [2] gressu progrediendo. [3] sive implicite sive explicite illis assentiant, unum est absolute verum et evidens. [4] scandala. [5] dum. [6] in hac propria nostra aula conciliari habemus, in qua circa quaestionem de qua agimus criteria tam diversa sunt, ita ut valde timendum sit ne unitas sensus finaliter inveniatur. [7] tam. [8] quam. [9] habere debuit. [10] Periti theologi qui in commissione adlaboraverunt, id solum

intenderunt, ut malis hodiernis medicina paretur. [11] deest. [12] A primo Concilio Hierosolymitano usque ad ultimum Vaticanum, semper in Ecclesia mos fuit, conscientias ad tranquillitatem inducere per veritatum affirmationem et per principiorum declarationem. Id etiam nos in praesens facere debemus. [13] tamen simus nos etiam. [14] deest. [15] deest. [16] aeternae veritatis ad modernas sententias et opiniones. Et si ita res se habent, nihil aliud nobis suppetit nisi schema, in quantum a commissione praeparatoria praesentatum, immediate examini subiiciamus, et quae sunt approbanda approbemus, et quae reiicienda reiiciamus; istud est nostrum ius, nostrumque munus id est. Pro bono pacis et ad unitatem inter nosipsos fovendam, consentiente sanctissimo Patre nostro Ioanne, observationes, spoliationes, correctiones et vota ad commissionem mixtam tradantur, ut tandem textus definitivus pro nostra approbatione paretur.

3

EXC.MUS P. D. FIDELIS GARCIA MARTINEZ
Episcopus tit. Sululitanus

Em.me Praeses, venerabiles Fratres Conciliares,

Ex his quae audivimus in ...[1] praecedentibus congregationibus generalibus et in hac hodierna, patet inter Patres Conciliares duas ortas esse positiones contrarias circa schema in genere *de fontibus revelationis.* Multis Patribus schema simpliciter non placet, licet explicite fateantur uberem et veram in eo doctrinam theologicam contineri. Aliis vero schema simpliciter placet, licet ipsi quoque non pauca, immo et maioris momenti in eo vel supprimenda vel addenda vel emendanda esse concedant, ita ut haec supprimenda vel addenda vel emendanda, ea ipsa esse videantur, saltem plerumque, quae fundamentum contrariae positioni praebeant, ut suum *non placet* pronuntient.

Diximus « saltem plerumque », quia alia origo discrepantiae datur, quaeque non consistit in suppressione vel additione vel emendatione alicuius propositionis vel paragraphi determinatae, sed in universo tenore vel forma litteraria schematis, quod, iuxta plures Patres, formam scholasticam nimis sapit, potius quam documentum pastorale, quamvis dogmaticum, ad populum christianum, maxime vero ad homines nostri temporis, accommodatum.

Neque deest *his*[2] opinantibus grave fundamentum, nempe auctoritas ipsius Summi Pontificis Ioannis XXIII, qui in ipsa oratione inaugurali huius Sacrosancti Concilii, postquam dixit « neque opus nostrum, quasi ad finem primarium, eo spectat ut de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur, atque adeo fusius repetantur

ea, quae Patres ac theologi veteres et recentiores tradiderunt... Etenim, ad huiusmodi tantum disputationes non opus erat ut Concilium Oecumenicum indiceretur ». Post haec — inquam — verba, haec alia subicit: « Est enim aliud ipsum depositum fidei, seu veritates, quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus, quo eaedem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia. Huic quippe modo plurimum tribuendum erit et patienter, si opus fuerit, in eo elaborandum; scilicet hae inducendae erunt rationes res exponendi, quae cum magisterio, cuius indoles praesertim pastoralis est, magis congruant ». Unde iuxta haec Pontificis verba non sufficit ad hoc magisterium pastorale ut doctrina tradita sit vera, etsi haec veritas fundamentum primum sit omnis authentici magisterii, sed requiritur insuper ut modus tradendi vere pastoralis sit, seu magis aptus ad animos captandos et efficaciter movendos.

Id postremo notandum venit: omnes Patres cuiuslibet positionis in eo convenire ut universam doctrinam hucusque ab Ecclesia definitam vel certe catholicam, indubitanter recipiant et profiteantur. Unde discrepantia tantummodo dari potest vel circa res inter theologos catholicos adhuc libere disputatas, vel circa illum tenorem seu formam litterariam pastoralem aut minus pastoralem.

Nunc vero, suntne hae causae sufficientes iudicandae talium positionum contrariarum, quae huius Sacrosancti Concilii laborem impediant vel impossibilem reddant illam unanimitatem, saltem moralem, qua possit offerre populo christiano complexum doctrinalem, sine ullo veritatis catholicae detrimento, ab omnibus admissum, condicionibus et mentalitati hominis nostri temporis plenius respondentem, et in quo nullae non necessariae difficultates suscitentur aspirationibus oecumenicis, quae tam in corde sunt tum Romano Pontifici tum omnibus qui christiano nomine gloriantur?

Minime, putamus. Unde ad hoc ut longam et difficilem discussionem uniuscuiusque capitis et uniuscuiusque paragraphi schematis, prout iacet, et ratione habita diversarum positionum Patrum, de quibus supra, vitemus, hanc reverenter subicio propositionem: ut commissio efformetur em.morum cardinalium cum exc.mis episcopis et aliis Patribus Conciliaribus, non valde numerosa sed vere repraesentativa diversarum positionum, qui novam redactionem peragant schematis, auditis, si opus fuerit, commissione de fide et moribus et secretariatu pro unione ecclesiarum, ea intentione ut ad maximam, quam possint, perveniant concordiam, eamque redactionem Concilio offerant. Non certe hac ratione omnes evanescent difficultates, sed valde minuentur. Ac interim, dum haec nova redactio perficitur, Sacrosanctum Concilium examini alicuius

schematis iam parati vacare poterit, v. gr. schematis de Ecclesiae unitate, cuius obiectum valde connexum est cum his omnibus schematibus dogmaticis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] duabus. [2] id.

4

Exc.mus P. D. MICHAEL KLEPACZ
Episcopus Lodzensis

Venerabiles Patres,

Independenter a decisione venerabilium Patrum, utrum scilicet hoc an aliud schema prae oculis habendum sit, volo observationes aliquas facere, quae utiles esse possint pro actuali vel aliquo futuro — nescio an meliore — schemate.

Concilium Oecumenicum Vaticanum II scopum habet praesertim pastoralem; innititur tamen fidei veritatibus, sine quibus praxis fundamento careret.

Praeterea Concilium omnibus viribus eo tendere vult ut omnes in Christum credentes, qui scilicet Scripturarum Sacrarum originem divinam omnes agnoscunt, sub uno pastore sese congregent unumque a Christo praedictum ovile denuo constituant.

Ideo profundiore modo proponenda sunt — quod utique a plurimis eximiis theologis et scientiarum biblicarum peritis factum est — tum quaedam fidei veritates adeo magni momenti pro homine moderno, tum etiam principia pro hodierna cura pastorali, quae dogmate innixa ad nostrae aetatis necessitates melius accommodari ideoque lingua hodie vere intellegibili et apta ad convincendum hominem hodiernum uti debet.

Haec omnia melius in prooemio ad fontes revelationis, instar schematis liturgici, modo ampliori tractari possunt. Ibi et methodus agendi cum hodierno mundo amplius suggeri posset.[1] *Deinde*[2] quoad titulum totius schematis eiusque cap. I quaestio ponenda est, utrum Traditioni eiusque privilegiatae in Sacra Scriptura expressioni nomen « fontis revelationis » recte tribuatur, cum « fons » revelationis omnis sit ipse Deus, dum Traditio et Scriptura non sunt nisi fontes *cognitionis nostrae,* de revelatione divina. Quare potius loquendum esset de « revelationis deposito et testimonio » vel quid simile.

In specie vero, relate ad materiam cap. I schematis actualis, prae

oculis habendum esset Sacram Scripturam — maxime Evangelia —, ex una quidem parte in praedicatione orali Ecclesiae aevi apostolici radicari, ex altera vero prioritatem quandam respectu Traditionis post-biblicae habere, cum haec *etiam* ex verbo Dei scripto suam inspirationem haurire et in evolutione sua ad Scripturam sese referre debet, ut in proprio suo progressu ab ipsa vivificetur, necnon ideas in Sacra Pagina contentas evolvat et in lucem edat.

Quamvis cap. I de magisterio Ecclesiae iam mentionem facit, perutile tamen videtur aliquomodo magis efferre, quod Sacra Scriptura legenda est « in Ecclesia » quae, utpote « columna et firmamentum veritatis », ...[3] vivum Traditionis organon constituit et in vera stat continuitate cum verbo Dei ab apostolis praedicato et sub inspiratione divina scriptis mandato.

Non caret etiam momento sublineare in quaestione de inspiratione influxum divinum non solum in mentem auctoris humani exerceri, sed etiam in alias facultates humanas, uti sunt memoria, phantasia, etc. quae praesertim in operibus poeticis maiores partes habent, cum imago poetica non sit mera vestis cuiusdam ideae conceptualis.

Extollenda etiam videtur efficacitas salutaris verbi Dei in Sacra Scriptura expressi, quae efficacitas primarius inspirationis effectus esse videtur magnumque pastorale momentum habet: « vivus est enim sermo Dei et efficax » ...[4], est « insitum verbum, quod potest salvare animas vestras » ...[5] Verbum Dei vim vero suam salvificam exercere valet sive in praedicatione, sive in lectione et meditatione Librorum Sacrorum, sive etiam in eorum auditione per medium radiophonicum. Quae omnia utique sub exegetica Ecclesiae tutela fieri debent, ut errores vitentur, a quibus fratres nostri dispersi sese hodie avertunt.

Quoad efficaciam florentis hodie « motus biblici » notare hic etiam iuvat non solum scientiarum biblicarum peritos sed etiam plures scriptores catholicos perpulchras nobis de Sacrae Scripturae textibus et factis praebere disquisitiones et reflexiones quae in hodierni hominis animam tam felicem et vere salutiferum influxum habent. Ita ex. gr. suavissima de agri floribus caelorumque volucribus parabola necnon narratio de Martha et Maria prae oculis ponuntur hominis hodierni, qui in labore impenso pro vita sustentanda et opibus acquirendis totus immergitur, ita ut tandem — et non raro — nausea, animae depressio, immo pessimismus exinde oriatur. In Sacris vero Evangeliis Christus splendidum nobis ostendit proponitque aequilibrium in corporis et animi requisitis; effert enim momentum in vita hominis respectus sinceri versus omnem valorem vere humanum. Ipse quoque inculcat nobis principium vitale de excessibus vitandis. Proh dolor, egregia quandoquidem opera

litteraria unilateralitatem quandam prae se ferunt, cum aut excessivam indolem dramaticam habent, aut in vulgarem naturalismum cadunt. Quam superius et magis humanum exemplar nobis afferunt verba Christi in Scriptura relata! Perutile esset proinde annuere explicitius ad efficacitatem salutarem verbi Dei in Scriptura, cum verbum illud, ut dicit Apostolus, vere « operatur in vobis qui credidistis »...[6]

Quoad alium inspirationis effectum, scilicet inerrantiam, animadvertere oportet parvas discrepantias, ex. gr. inter quatuor evangelia, quae discrepantiae veracitatem traditionis evangelicae potius extollunt simulque patefaciunt unumquemque evangelistarum primo suam expressisse personalitatem in litteraria Evangelii compositione, et praesertim sibi tamquam finem proprium proposuisse vitam Iesu narrare non ut historiam mere chronisticam, sed ut historiam salutis. Quare commendanda videtur accurata indagatio intentionis auctoris inspirati generisque litterarii ab ipso adhibiti, quo principio posito plures fidelium difficultates facilius solvi possunt atque permagnum emolumentum pastorale habetur. Clarius etiam affirmanda videtur independentia indolis inspiratae alicuius libri sacri a quaestione de identitate auctoris humani, quae quaestio potius litteraria est et non tangit valorem divinum libri.

Quamvis Vetus Testamentum sit etiam fons cognitionis nostrae de revelatione a Deo nobis facta, problema de Novo Testamento maioris est momenti pro aetate nostra, quia illud umbra tantum fuit revelationis divinae in Novo Foedere expressae et praeparatio solum ad Christi missionem.

Hodie vero oppugnatur ab aliquibus veracitas Novi Testamenti. Sed multum hic affert exegesis hodierna, quae veracitatem historicam traditionis evangelicae demonstrat simulque ostendit Evangelia efformata esse « in Ecclesia », ideo a Christo condita, ut custos et praedicatrix sit fidei et veritatis. Ipsi enim Christus promisit « Spiritum veritatis qui docebit vos omnem veritatem » ...[7] et « suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis »...[8] Ideo attendendum est, ne in formulationibus Concilii Evangelia separari viderentur a fide et praedicatione Ecclesiae aevi apostolici.

Tandem addere hic iuvat Ecclesiam latinam maximi facere traditiones Ecclesiarum Orientis, cum nullus dubitet Graecos et Orientales Ecclesiae Patres maximas habuisse partes in progressu Traditionis christianae omnesque concedere debeant textus originales Librorum Sacrorum, lingua graeca, hebraica et aramica exaratos, eorumque antiquissimas versiones ab ipsis apostolis, ut in Septuagintae casu, vel a primaevis Orientis Ecclesiis adhibitas nulli parem valorem habere. Quare fundamento carere videtur...

Praeses: Carissime Frater, tempus finitum est!

Orator: Iam finio! Quare fundamento carere videtur assertio Ecclesiam latinam parvipendere traditiones Orientis christiani, quae reapse nobis omnibus percarae sunt. Dixi!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Quare imprimis. [3] (1 *Tim.* 3, 15). [4] (*Hebr.* 4, 12). [5] (*Iac.* 1, 21). [6] (1 *Thess.* 2, 13). [7] (*Io.* 16, 13). [8] (*Io.* 14, 26).

5

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Venerabiles Patres,

Quoad duas praecipuas quaestiones, quae in disceptationibus hucusque habitis positae sunt quaeque solvendae veniunt, liceat et mihi, rationibus hinc inde allatis attente perpensis, haec quae sequuntur animadvertere.

Ad primam quod attinet nempe utrum schema propositum sit a nobis discutiendum an reiciendum, hoc dicendum censeo. Certo, uti habet *Ordo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi,* art. 33, par. 1: « quivis Pater verba facere potest de unoquoque proposito schemate vel admittendo vel reiciendo vel emendando ». Attamen, praeterquam iter ab ipso *Ordine* statutum sequi necesse est, reiectio schematis, cum haud dubie gravis sit sententia, et prudens propterea ac iusta quam maxime esse debet. Iamvero ut reiectio alicuius schematis sententia prudens ac iusta quam maxime dici posset, supponendum esset, meo iudicio, schema ipsum essentialiter erroneum esse, sicut in iudicialibus — ut exemplum a similibus afferam — libellus respuitur quando caret fumo boni iuris. Sane omnes, etiam illi qui schema propositum reprobaverunt, consentiunt in admittendo idem schema essentialiter erroneum non esse, excipientes tantum in eo contineri veritates iam a Concilio Tridentino et a Concilio Vaticano I definitas atque deesse earumdem veritatum explicitationem et praesentationem ad modernam mentem accommodatas. Ergo non datur in casu locus reiectioni, sed tantum, si opus fuerit, emendationi schematis.

Insuper, ut scitis, diffusum est inter Patres Conciliares schema ex novo exaratum quod proponitur — ut in capite eiusdem legitur — « prout fundamentum disceptationis ». Nunc autem maxima cum reverentia erga eos qui illud schema conscriberunt, si illis hoc liceret et ceteris Patribus

idem aequo iure licere admittendum esset, cum evidenti periculo Concilium praeter modum protrahendi, quin dicam de magna difficultate ex parte Patrum aliquod novum schema mature examinandi, praesertim si de materia summi momenti agitur. Quod ultimum valeret etiam pro schemate a competenti commissione apparato — in casu a commissione theologica, audita commissione biblica, uti propositum est —; praeterea remedium istud difficultates non solveret cum commissiones Spiritus Sancti assistentia non gaudeant, uti hesterna die dictum est.

Videtur igitur schema nobis propositum minime esse reiciendum, sed discutiendum, ita ut nos per nosmetipsos difficultates solvamus.

Ad secundam — id est, quomodo schema, si opus fuerit, emendari possit et debeat — haec mihi videntur adnotanda. Cum variae gravesque motae fuerint exceptiones sive generales sive particulares, amplissima detur Patribus facultas — ut ceterum, inde a Concilii initio factum est — ea omnia proponendi, adiungendi, corrigendi, coarctandi, quae non solum necessaria, sed etiam utilia cuique coram Domino videntur. Id tamen sollemne sit quod progressus veritatis minime consistit in eiusdem mutatione. Per progressum res eadem augetur, — ut verbis utar Vincentii Lerini quae his diebus mihi occurrerunt, in italicam linguam translata, in articulo ephemeridis " L'Osservatore Romano " — *per progressum res eadem augetur,*[1] per mutationem res fit altera. Accrescat igitur veritatis intelligentia, (penetratio quoque ac enucleatio), sed in eodem genere, in eodem sensu, in eadem doctrina. Hic enim est labor noster, hoc opus in Concilio perficiendum sub Spiritus Sancti assistentia. Sub Spiritus Sancti assistentia — insto —, quia profecto omnes nos theologica ac exegetica studia laudibus sincere cumulamus atque nos ipsi, qua par est reverentia, accipimus et prosequimur; attamen Magister noster unus est, Christus, qui apostolis ac nobis, apostolorum successoribus, mandatum committens docendi omnes gentes, Spiritus Sancti assistentiam in fidei deposito servando et administrando nobis promisit usque ad consummationem saeculorum. Doctores igitur colimus, sed in Spiritum Sanctum credimus. Quare theologorum ac exegetarum studia attente a nobis erunt consideranda, sed veritas a Spiritu Sancto nobis erit suggerenda, dummodo tamen, nostris humanis industriis parum fidentes, in meditatione et oratione instantes erimus.

De cetero animadversiones particulares aliis locis relinquens, unum tantum humillime observabo. Quidquid de dispositione materiae, de forma, de proportionibus et de amplitudine tractationis dici velit, hoc sane verum est quod in conscientia tum laicorum tum etiam nostrorum sacerdotum profunda *hodie*[2] agitatur crisis circa novam praesentationem veritatum fidei nostrae. Unde exigentia urget ut veritates clare et sine

ulla aequivocatione omnibus innotescant, sive qui in Ecclesia sive qui extra Ecclesiam sunt. Huic exigentiae plene respondens Concilium Oecumenicum Vaticanum II munus enixe pastorale adimplebit et omnibus ostendet « Ecclesiam Christi lumen gentium ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

Praeses: Audiant omnes! Exc.mus secretarius generalis nunc leget propositum magni momenti, quod consilium praesidentiae cepit.

Secretarius generalis: Post exhaustam disceptationem in universum, circa schema *de fontibus revelationis,* progrediendum esset ad disceptationem de singulis schematis capitibus. Sed, quia adsunt Patres qui id existimant opportunum non esse, consilio praesidentiae visum est omnium Patrum conciliarium suffragium exquirere. Proinde Patrum conciliarium suffragationi subiicitur dubium quod sequitur: « An disceptatio de schemate constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* interrumpenda sit ». Qui stat pro interruptione signet in schedula *Placet.* Qui, e contra, vult continuationem, signet *Non placet.*

Repeto dubium quod est maximi ponderis. Audiant bene omnes. Dubium hoc est: « An disceptatio de schemate constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* interrumpenda sit ». Qui stat pro interruptione signet in schedula *Placet,* qui, e contra, vult continuationem, signet *Non placet.*

Nunc distribuentur schedulae suffragationis. Interea continuabitur disceptatio de principiis generalibus usque ad finem; et repetitur hoc variis linguis.

Praeses: Venerabiles Fratres, huic propositioni, quamvis non in omnibus satisfaciat desideriis nostris, ego personaliter ex toto corde accedo, quia mihi videtur solutio optima, pacifica, Ecclesiae honorifica, itaque undequaque convenientissima. Nunc interpretes dicent variis linguis.

Versio gallica

(Exc.mus P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

Lorsque la discussion sur l'ensemble du schéma *de fontibus revelationis* va être épuisée, il y aurait lieu de passer à la discussion de chaque chapitre. Mais puisqu'il y a des Pères qui estiment inopportune la poursuite de cette discussion, le conseil de la présidence a cru devoir solliciter à ce sujet le suffrage de tous les Pères conciliaires. En conséquence, le doute suivant

(dubium) est soumis au vote des Pères conciliaires: « La discussion du schéma dogmatique *de fontibus revelationis* doit-elle être interrompue? ». Celui qui est favorable à l'interruption doit exprimer son vote par *Placet*; celui qui est opposé à l'interruption, c'est-à-dire celui qui veut que la discussion se poursuive, doit exprimer son vote par *Non placet.*

Je répète. Le doute suivant est soumis au vote des Pères conciliaires: « La discussion du schéma dogmatique *de fontibus revelationis* doit-elle être interrompue? ». Celui qui est favorable à l'interruption doit exprimer son vote par *Placet*; celui qui est opposé à l'interruption, c'est-à-dire celui qui veut que la discussion se poursuive, doit exprimer son vote par *Non placet.*

Versio hispanica

(Exc.mus P. D. Casimirus Morcillo, subsecretarius)

Terminada la discusión del esquema *de fontibus revelationis* en general, debería comenzarse el estudio de cada uno de sus capítulos. Pero como un cierto número de Padres Conciliares no lo estiman conveniente, el consejo de presidencia ha créido oportuno pedir el sufragio de todos los Padres aquí presentes. En consecuencia se pone al voto de los mismos la siguiente cuestión: « Si debe interrumpirse la discusión del esquema de la constitución dogmática *de fontibus revelationis?* ». Quienquiera que desee que se interrumpa la discusión del esquema, señale la casilla del *Placet.* Los que deseen la continuación de las deliberaciones sobre el mismo esquema señalen la casilla del *Non placet.*

Repito la última parte: Quienquiera que desee que se interrumpa la discusión del esquema, es decir que rechaze el esquema, señale la casilla del *Placet.* Los que deseen la continuación de las deliberaciones sobre el mismo esquema señalen la casilla del *Non placet.*

Versio anglica

(Exc.mus P. D. Ioannes Krol, subsecretarius)

May I have your attention, please!

Having completed the discussion in general on the schema of the fonts of Revelation, it is in order to proceed to the discussion of the individual chapters of the schema. However, since some of the Fathers consider it inopportune to proceed with the discussion of the present schema, the Council of Presidency has decided to seek an expression of the desire of the Council Fathers in this matter. Wherefore, the following question is being submitted to your vote. The question is: " Should the discussion on the schema, on the dogmatic Constitution *de fontibus revelationis* be discontinued, terminated? " Those favoring discontinuance, should so signify by marking

their ballot in the *Placet* square. Those opposed to the discontinuance, should so indicate by marking the ballot in the *Non placet* square.

I repeat. The question is: “ Should the discussion of the present schema be discontinued? ” Those favoring discontinuance, mark their ballots in the *Placet* square. Those opposed to the discontinuance, mark their ballots in the *Non placet* square. Thank you.

Versio germanica

(Exc.mus P. D. Villelmus Kempf, subsecretarius)

Da die Debatte über das gesamte Schema *de fontibus revelationis* abgeschlossen ist, müsste sich eigentlich die Erörterung der einzelnen Kapitel des Schemas anschliessen. Jedoch bezüglich der Konzilsväter, welche dies nicht für opportun halten, erscheint dem Präsidium eine Abstimmung aller Konzilsväter für angebracht. Da würde den Konzilsvätern folgendes Dubium anheimgestellt, nähmlich: “ Ob eine weitere Diskussion des Schemas der Dogmatischen Konstitution über *de fontibus revelationis* abgebrochen werden soll? ”. Wer für den Abbruch einer weiteren Erörterung ist, möge auf seinen Stimmzettel *Placet* signieren. Wer dagegen eine weitere Behandlung wünscht, möge *Non placet* signieren.

Versio arabica

(Exc.mus P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

بعد الانتهاء من المناقشة العامة في مشروع مصادر الوحي كان لا بدّ من التعديّ الى المناقشة الخاصة في كل من فصوله واجزاءه • ولكن لمّا كان في المجمع آباء لا يرون في تلك المناقشة الخاصة خيرا موءاتيا رأى مجلس الرئاسة ان يستشير جميع آباء المجمع فيحرص عليهم السوءال التالي : هل يريدون وقف المناقشة في المشروع المقدم لهم عن مصادر الوحي • فمن يرغب في وقف المناقشة فليكتب على ورقة الاقتراع او فليضع اشارة على ورقة الاقتراع على كلمة (Placet) ومن لا يرغب في وقف المناقشة فليضع اشارة على ورقة الاقتراع على كلمة (Non Placet) ؟

Secretarius generalis: Audiant omnes! Repeto latine dubium quod propositum est: « An disceptatio de schemate constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* interrumpenda sit ». Quapropter qui votat *Placet* censet esse disputationem interrumpendam; qui vero suffragium fert *Non placet,* censet disceptationem esse continuandam. Igitur, qui dicit *Placet,* censet esse interrumpendam discussionem, qui dicit *Non placet,* censet esse continuandam. Qui, ob errorem scripsit *Placet* vel *Non placet,* potest petere aliam schedulam ut corrigat.

Praeses card. FRINGS: Em.mus card. Ruffini vult loqui.

Em.mus D. card. ERNESTUS RUFFINI: Aliis verbis « interrumpatur » significat « renovetur », « reficiatur ». Hic est sensus, nempe: si dicitur *Placet,* significat de hoc schemate numquam verbum esse... in futuro, de isto eodem schemate. « Interrumpitur » non est ad tempus, sed significat de renovatione schematis. Non agitur de differenda discussione, circa idem schema, sed agitur de schemate reformando.

Propterea quaeritur an interrumpenda sit disceptatio ut reficiatur schema quia nonnulli putant nos tempus terere si continuatur disceptatio de schemate nobis proposito.

Puto nunc dubitationem esse claram. Propterea qui dicunt *Placet,* volunt dicere non est loquendum amplius de hoc schemate eodem; sed reficiatur secundum criteria iam data a multis. Qui dicunt *Non placet,* volunt continuationem disceptationis de hoc eodem schemate, transeundo ad singula capita ut de iis disceptetur. Interrumpetur nempe donec recognoscatur et renovetur; hoc significat interrumptio, nempe: debet refici schema, debet renovari. Propterea, interrumpitur (secundum eos quibus placet), interrumpitur, propterea, disceptatio de hoc schemate.

[*Intervallum 11 momentorum*].

Secretarius generalis: Audiant omnes! Cum multi Patres postulent ulteriores explicationes, repeto iterum atque iterum: suffragium *Placet* significare interruptionem discussionis totius schematis, interruptionem sine die. E contra votum *Non placet* significat continuationem discussionis. Repeto iterum: qui dat suffragium *Placet,* vult ut interrumpatur discussio totius schematis et etiam quaestionum peculiarium ipsius schematis. Qui vero dat votum *Non placet,* vult ut continuetur disceptatio.

Patres qui forte erraverunt in schedula conficienda, ne eam dilacerent, sed tradant assignatoribus ut novam schedulam recipiant. Dixi, spero, clare!

[*Intervallum 3 momentorum*].

Praeses: Venerabiles Fratres, nunc resumitur disceptatio generalis. Interdum vota tolluntur.

Accedat ad microphonium exc.mus D. Antonius Quarracino, ep. S. Dominici in Argentina. Accedat ad microphonium exc.mus Geraldus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus in Brasilia.

[*Intervallum 1 momenti*].

Loquatur exc.mus Quarracino!

[*Intervallum 1 momenti*].

Videtur quod non adsit. Loquatur proximus, exc.mus Geraldus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus in Brasilia et accedat ad microphonium exc.mus Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia.

6

Exc.mus P. D. GERALDUS DE PROENÇA SIGAUD
Archiepiscopus Adamantinus

Venerabiles Patres,

De schemate constitutionis apostolicae *de duplici fonte* in genere erit mea oratio.

Secundum meum humile iudicium: schema placet, et retinendum est ad emendationes recipiendas quibus perficiatur.

1. Placet quia est valde et clarum et concisum et completum. Facile perficietur tam sub aspectu formulationis quam sub aspectu pastorali.

2. Placet quia actuale et opportunum. De eius actualitate et opportunitate, immo, de eius urgente necessitate erit sermo.

A) Nemo qui vitam et condicionem actualem Ecclesiae Catholicae cognoscit ignorare potest adesse magnam confusionem et serpere gravissimos errores in rebus fundamentalibus...[1]

Hodie enim negantur quaedam fundamentalia in Ecclesia. De hac re tristes experientias habemus *in patria mea* [2] in Brasilia. Fons tamen et causa non est in patria mea, sed in aliquibus partibus Europae. Nos consequentias funestas patimur. Nam multi episcopi alumnos suos in quasdam partes Europae miserunt, iuvenes *quidem* [3] pios, oboedientes, plenos fidei et amoris erga sanctam Ecclesiam eiusque traditiones. Post aliquos annos redierunt ordinati quidem sacerdotes, sed pleni idearum perniciosarum, pleni spiritus socialismi, rationalismi, et modernismi. Haec est causa cur multi optimi episcopi brasilienses alumnos suos in Europam amplius mittere nolunt. Haec res gravissima est.

Quaenam est ratio? *En:*[4] errores gravissimi, quos Pius XII in Encyclica *Humani Generis* denuntiavit et condemnavit, non sunt mortui. Adhuc serpunt, cum maximo vigore venenum suum propagant et Ecclesiam iam *inficierunt.*[5]

Hoc a nobis, Patribus Conciliaribus, ignorari vel negari non licet, quin a munere nostro graviter deficiamus. ...[6] Agitur de quaestione vitae vel interitus Ecclesiae Catholicae, immo ipsius *christianitatis.*[7]

Hac de causa, meo humili iudicio, res esset incredibilis, si congregaretur in alma Urbe Concilium Oecumenicum, et dum Ecclesia Catholica

de his gravissimis rebus agitatur, in quibus res est de eius vita et morte, Concilium neque de tam gravi re occuparetur neque rem consideraret, neque decideret, neque fidelibus et clero verbum clarum, definitum diceret, quasi hae res non existerent, quasi Ecclesia undis et vorticibus non agitaretur.

Certe abhinc duodecim annis hi errores serpebant et Summum Pontificem anxietudine premebant dicentem: « Humani generis in rebus religiosis et moralibus discordia et aberratio a veritate probis omnibus, imprimisque fidelibus sincerisque Ecclesiae filiis, vehementissimi doloris fons et causa semper fuerunt...[8] ».

Sed quod Summum Pontificem maximo afficit dolore, est existentia talium errorum apud catholicos theologos, qui, ut ait Pontifex: « Utique, proh dolor, rerum novarum studiosi, a scholasticae theologiae contemptu, ad negligendum, ac vel etiam ad despiciendum facile transeunt ipsum magisterium Ecclesiae ».

Hi errores adhuc serpunt in Ecclesia; speciali modo serpunt, praeter errores de rebus socialibus et moralibus, errores de Sacra Scriptura et Traditione, seu de duplici fonte revelationis.

Re vera, in campo biblico, agitur, apud multos catholicos, de practica negatione valoris historici fere totius Sacrae Scripturae.

Negatur valor historicus totius Pentateuchi, qui, ita dicunt, nullo modo, Moysen habet auctorem. Creatio hominis, peccatum in paradiso, electio Abrahae, diluvium, ad fabulas et legendas reducuntur. Historia populi hebraici in deserto, patriarcharum, Moysi, iudicum, considerantur merae epopeae, in genere quod dicitur « chansons de gestes » et comparari debent aliis gestis, v. g. « Nibelungenlied », « Chansons de Roland », vel « Cid, el campeador ». David est figura eiusdem generis fere sicut Siegfried...[9] Historiae Iudith, Esther, Ruth, Tobiae, cum risu commiserationis, ad genus novellarum piarum et phantasticarum reducuntur, nulla ratione habita magisterii Ecclesiae, Sanctorum Patrum et Traditionis. Historia Ionae prophetae gestu magno ad fabulas mandatur. In prophetis iam nihil historici invenitur.

In hoc immenso naufragio forsitan salvantur, ut historica, chronica Salomonis et Nehemiae.

Si de Novo Testamento agatur, etiam nihil fere historicum remanet. Capita S. Lucae de visione Zachariae, de Annuntiatione, Visitatione, Nativitate Christi pia et phantastica carmina dicuntur. Angelus Gabriel nunquam physice praesens fuit in domo Mariae in urbe Nazareth. Hae piae narrationes sunt. Ea, quae S. Matthaeus narrat de conceptione Christi et de Magis, meliorem sortem non merentur. Magi ex Oriente nunquam Bethlehem venerunt neque Puerum invenerunt cum

Maria, Matre eius. Scena illa pro fide catholica omnino fundamentalis confessionis S. Petri in partibus Caesareae Philippi totis in punctis creata est ad primatum Petri explicandum. Resurrectio Christi ad modum apotheoseos hellenisticae consideranda dicitur.

Haec non a doctoribus acatholicis tantum docentur. Haec nostris monialibus in conferentiis et congressibus praedicantur. Haec seminaristis nostris ut veram exegesim traduntur. Haec in periodicis catholicis fidelibus praesentantur. Haec in ipsa hac alma Urbe nobis episcopis affirmantur, tanquam ultimae segetes verae hermeneuticae.

Haec est realitas quam ignorare fas non est. Haec demonstrant urgentem necessitatem alicuius acti magisterialis Concilii qui finem ponat tam ingenti et nefastae confusioni doctrinae et animarum.

B) Non tantum actuale, *tamen* [10] opportunum et necessarium est schema, sed etiam desideratum.

Schema hoc res tractat quorum solutio ardenter petitur a multis optimis exegetis catholicis...[11] *Ipsi materiam quasi* [12] explosivam prae manibus habent. Sed Ecclesia eos ab hac misera condicione liberare potest. Numerus enim rerum periculosarum in Sacra Scriptura non est magnus, et nos episcopi, non exegetae, sed nos episcopi, tanquam apostoli simul et doctores, una cum Romano Pontifice, tanquam testes fidei, custodes et praecones vivae Traditionis has res decidere possumus et debemus.

Si Concilium historicitatem aliquorum capitum Veteris et Novi Testamenti librorum authentice declaraverit, exegeta pius et fidelis alleviatus respirabit, et novo animo. Ait enim Summus Pontifex Pius XII f. m. in Litteris Encyclicis *Divino afflante Spiritu*: « Multa igitur remanent, eaque gravissima, in quibus edisserendis et explanandis catholicorum interpretum acumen ac ingenium libere exerceri potest et debet ».

C) Tales res cum magno damno fidei agitatas decidere Concilii est.

Per se res disciplinares, liturgicae, iuridicae, pastorales, *per se ad Concilium Oecumenicum non pertinent.*[13] Potest quidem Romanus Pontifex Concilium Oecumenicum convocare ad res tales tractandas *et fecit.*[14] Sed Concilium ad has res per se non est necessarium. Et in his tractandis non adest illa formalissima nota quae Concilium Oecumenicum fulgore intensissimo ornat, nempe infallibilitatis collectivae. Ratio nempe quasi interna et formalissima Concilii, quae hanc institutionem toto caelo distinctam facit a congressibus et synodis est infallibilitas.

Infallibilitas tamen solummodo habetur quando Concilium decernit et decidit de quaestionibus doctrinalibus de fide et moribus. Nunc vero, meo humili iudicio et iudicio populi catholici, *ni fallor,*[15] non intelligitur quomodo fieri potest ut in tempore in quo res fundamentalis-

simae agitantur et negantur in doctrina de fide et moribus, Concilium de ipsis non agat, de ipsis sileat.

D) Nemo obiiciat: Summus Pontifex nolit tractationem rerum dogmaticarum, sed tantum rerum pastoralium...[16]

Duobus verbis *in constitutione apostolica " Humanae salutis Reparator ", qua Romam convocavit totum orbem catholicum episcoporum,*[17] Pontifex Summus totum itinerarium et finem Concilii indicat duobus verbis: « Quaestiones sive ad fidei doctrinam sive ad actionem vitae spectantes » tractare. Quaero: historicitas, inspiratio, inerrantia Sacrae Scripturae non sunt quaestiones fundamentalissimae « ad fidei doctrinam spectantes »?...[18]

E) Neque dicendum est, sicut dictum est de schemate, Concilium in longum trahi, si schema hoc discutiatur. Si in hoc Concilio pacem animarum et stabilitatem fidei obtinuerimus, satis esset, et in hunc finem menses et annos sacrificare convenit. Si mentem meam aperire licet, dicam oportere Concilium hoc breve non esse. En ratio. Quando in Ecclesia Catholica tanta confusio idearum exsistit sicut hodie, Concilium videtur dicendum *fere*[19] necessarium, et, generatim, in talibus adiunctis a Romano Pontifice convocatur. Infallibilitas personalis Pontificis sufficiens quidem est ut quaelibet quaestio doctrinalis de fide et moribus definitive decidatur. Sed quando in universa Ecclesia inimicus homo semen zizaniarum et confusionis seminaverit, Pater familias ad Concilium confugit, Concilium nempe permagna gratia est quam Christus Ecclesiae concessit, qua duo verba eius in rem ducuntur: « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi »...[20] et « Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis »...[21]

In hac aula Spiritus Sanctus docet nos, et suggerit nobis quae Christus revelavit. Docet et suggerit. Ad admirabilem dynamismum Concilii pertinet processus quidem laboriosus, saepe saepius dolorosus, quo « multifariis multisque modis loquens » nobis, Spiritus Sanctus intellectibus nostris lumen iniiciens, ut ideas et opiniones nostras paulatim, si oportet, mutemus, corda nostra emulciens, facit ut, quasi partu quodam doloroso, illa harmonia idearum et concordia doctrinarum...

Praeses: Carissime Frater, tempus finitum est.

Orator: Finiam: ... quae ab omnibus nobis exoptatur, exoriatur...[22] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In Ecclesia semper fuerunt discussiones et disputationes, nam est viva et libera Ecclesia. Si disputationes sunt de rebus de quibus disputare licet, fiant disputationes etiam nunc, nam ex eis lux oritur. [2] deest.

[3] deest. [4] Ratio est haec. [5] inficiuntur. [6] Dicere possumus de Ecclesia, nostris diebus: « Mors et vita duello conflixere mirando ». [7] christianismi. [8] praesertim vero hodie, cum ipsa culturae christianae principia undique offensa cernimus. Haud mirum quidem huiusmodi discordiam et aberrationem extra ovile Christi semper viguisse... ». [9] Saul est alter Hagen. [10] deest. [11] In praesenti condicione exegeta catholicus comparari potest illis viris peritis qui post immane bellum ingenia bellica periculosissima a parte detonante liberare debebant. Laborabant cum magno periculo vitae, quia unoquoque momento ab explodente ingenio occidi poterant. Sic exegeta catholicus. [12] Materiam. [13] vel a sacris Romanis Dicasteriis vel a congressibus pastoralibus, catecheticis, iuridicis, quae doctrinam de fide et moribus non tangunt, tractandae sunt. Ad has quaestiones tractandas, per se, opus non est Concilii Oecumenici. [14] deest. [15] deest. [16] Nihil dicam de hoc miro modo considerandi theologiam pastoralem, quia de his iam fuit sermo. Videamus utrum verum sit quod de Summo Pontifice dicitur. Documentum fundamentale de finalitate Concilii Oecumenici Vaticani II est Constitutio Apostolica recentissima *Humanae salutis Reparator* diei 25 decembris, Nativitatis Domini anni 1961, qua nos convocavit in Concilum Oecumenicum. Iamvero, quid nos intimat Pontifex? Postquam varios fructus Concilii indicaverit, inter quos unio christianorum separatorum in sinum Matris Ecclesiae, quae « impensiore studio flagrat fidem suam novis viribus roborandis », finem specificum Concilii, et quasi itinerarium determinat his verbis: « Sed quomodo fructus, quos tam vehementer ex Oecumenica Synodo exspectamus, de quibus saepe libenterque locuti sumus, postulant sane ut in hoc parandum magni momenti opus consilia, studia, labores impendantur. Proponuntur propterea quaestiones sive ad fidei doctrinam, sive ad actionem vitae spectantes; atque idcirco proponuntur ut christiana instituta et praecepta absolutissime cum multiformi vitae usu conveniant, et ad unitatem conducant Corporis Mystici Christi, eiusque sacri muneris, quod ad supremum ordinem pertinet. Haec omnia profecto attingunt divinas litteras, sacram traditionem, Ecclesiae sacramenta et preces, disciplinam morum, opera quibus caritas exercetur et consulitur egenis, laicorum apostolatum, missionalia incepta ». [17] deest. [18] Sit hic per transennam dictum Summum Pontificem loqui de iis quae attingunt « divinas litteras, sacram traditionem ». [19] deest. [20] (*Matth.* 28, 20). [21] (*Io.* 14, 26). [22] Processus tamen hic, non ad modum illuminationis Sauli in Paulum fit, sed ad modum illius apostoli: « Filioli mei quos iterum parturio » (*Gal.* 4, 19). Haec concordia idearum et opinionum in essentialibus, duro, arduo et longo labore *Dei afflante Spiritu* in intellectibus et cordibus et linguis nostris producitur, vi illius collectivae infallibilitatis qua gaudemus cum, a Romano Pontifice convocati in Concilium, de rebus doctrinalibus fidei et moribus decidimus, Pontifice duce.

Nostris temporibus Ecclesia magnis fluctibus agitatur, ita ut mihi in mentem veniant verba illa Domini Nostri dicta in nocte qua tradebatur: « Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expectavit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos » (*Lc.* 22, 31 et 32). Sicut Paulus qui « post annos tres, inquit, veni Hierosolymam videre Petrum » ... « deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Hierosolymam... secundum revelationem... et contuli cum illis Evangelium quod praedico Gentibus, seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse: ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem » (*Gal.* 1, 18; 2, 1-2), sic et nos Romae

sumus ad conferendum Evangelium nostrum cum Petro. Simon Petre hodierne, confirma fratres tuos.

F) Neque dicant exercitium magisterii conciliaris circa quaestiones fundamentales historicitatis Sacrae Scripturae christianos a sinu Ecclesiae Catholicae separatos deterrere. Ad hoc duo mihi respondendum videntur.

1. Fratres separati magni habent historicitatem plurimorum capitum Veteris Testamenti necnon totius Novi Testamenti. Si Ecclesia catholica permitteret hanc historicitatem impune a suis sacerdotibus et fidelibus negari, nunquam christianos istos ad se attraheret.

2. Fratres illi qui redibunt, ideo ad Ecclesiam catholicam venient quia in ea cupiunt invenire portum tranquillum doctrinae. Dolore maximo enim afficiuntur illa incertitudine et agitatione doctrinarum quae in pluribus Ecclesiis ad iurgia, bella et dissentiones duxerunt et ducunt. Pacem spiritus quaerunt in veritate catholica. Quomodo poterit catholica Ecclesia eos in sinum suum attrahere, si apud nos confusio idearum in rebus fundamentalibus speciem praebeat pelagi undis et ventis undique agitati?

G) Ultimo rationem liceat mihi adiicere cur putem schema propositum esse adhibendum uti fundamentum discussionum et studiorum nostrorum. En ratio. Schema a praesidibus aliquarum commissionum episcoporum Europae, salva reverentia debita tam illustribus Patribus, mihi placere non potest. Plurimi episcopi qui ad has conferentias nullatenus pertinent illud prae manibus habent. Ego quoque illud recepi ab archiepiscopo non Europaeo, sed asiatico. Schema cum magna veneratione et debita cum attentione perlegi.

Salva reverentia et amicitia, iudicium meum fraterna et apostolica cum libertate pandam.

Est potius poema quam constitutio doctrinalis. Et quidem poema romanticum, ideoque nebulosum et obscurum. Confunditur, ut videtur, ordo naturalis et supernaturalis. Quaedam pantheismum redolent, quaedam sapiunt gnosticismum, et tantummodo magno labore catholico sensu explicari possunt. Termini videntur sensum peculiarem habere, nobis ignotum, ita ut schema legens putet se prae manibus habere documentum fere hermeticum vel esothericum. Quaedam mihi in mentem revocaverunt ea quae in conferentiis Patris Teilhard de Chardin legi. Ita ut ad intellegendum et explicandum textum schematis novi, integrum librum hermeneuticum Concilium scribere deberet. Quod peius est, quaestionem vitalem actualissimam de historico valore S. Scripturae silet. Quare placere non potest.

En, venerabiles Patres, graves rationes quae me inducunt ad dicendum schema commissionis theologicae esse optimum et actuale, immo necessarium: schema autem substitutivum quod diffusum est, non esse accipiendum.

In eo spiritu haec omnia quae dixi, accipite, venerabiles Patres, quo ea dixi, spiritu nempe Augustini dicentis: « In necessariis, unitas! In dubiis, libertas! In omnibus, caritas! ». Necessaria et fundamentalia, ad normam sensus Ecclesiae, doctrinae Patrum, analogiae fidei, sensus fidelium, tanquam custodes et testes depositi fidei decidamus. In reliquis, sub iisdem criteriis, non necessariis, sit libertas.

Praeses: Accedat nunc ad loquendum exc.mus Quarracino, qui non aderat, sed reversus est. Quoad interruptionem disceptationis, dicere liceat mihi quod haec interruptio vult dicere non amplius disputabitur de hoc schemate donec novum schema de eadem re proponatur.

7

EXC.MUS P. D. ANTONIUS QUARRACINO
Episcopus S. Dominici Novem Iulii

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Forsitan nunc vox mea sonet extra chorum, sed tradam etiam vobis mentem meam. Adhaereo omnibus Patribus, quibus [1] schema hoc non placet. Rationes, scripto secretariae generali traditae, ne vestra abutar patientia, sic synthetice enucleantur: 1) Redolet tritam formam manualis scholae; 2) caret spiritu oecumenico et pastorali proiectione; 3) claudit exegetis et theologis possibilitatem ulterius et fideliter penetrandi verbum Dei in historia salutis.

Sed liceat nunc mihi breviter proponere, maxima cum reverentia *et humilitate,* [2] temperamentum quo forsitan ad felicem exitum huius « status quo » pervenire possimus, quem statum heri exc.mus Ancel, clarissimis verbis nobis patefecit. Nemo est qui non videat nullam ex extremis, ut ita dicam, positionibus maioritate suffragiorum gaudere posse. Neque meliorem putamus fortunam pro viis intermediis; nec inclusio novorum peritorum, *vel novarum commissionum* [3] viam solutionis pandet, quia esset, *videtur,* [4] mera translatio huius interminabilis et difficilis discussionis.

Liceat, igitur, mihi hoc proponere: edat tantummodo Concilium expositionem dogmatico-scripturisticam, « de fundamentali et privilegiato loco Sacrae Scripturae in Ecclesia », quae sit, natura sua biblica, patristica et liturgica, velut salutare praeconium hominibus hodiernis. Haec expositio continere posset, inter alia, haec tria:

1. Retineantur verba Tridentini et Vaticani I affirmantium fontem revelationis esse Evangelium, a prophetis in Scripturis Sanctis promissum, ab ipso Christo promulgatum, et ab apostolis omni creaturae praedicatum.

2. Proclametur necessitas ut sacerdotes et fideles magis magisque redeant ad contactum vitalem atque amore plenum cum verbo Dei in Scriptura Sancta.

3. Positive animentur labores eorum qui tempus, vires atque intelligentiam praebent profundiori ac difficili studio quaestionum biblicarum, simul *istis* [5] commendando et serietatem scientificam in investigatione et serenitatem ac prudentiam in expositione.

Hoc quidem et vere dogmaticum et profunde pastorale et sincere

oecumenicum *et bene menti Summi Pontificis exacte concordans* [6] fore puto. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] ipsis. [6] deest.

8

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Venerabiles Patres Conciliares,

Adhaereo sententiae quae tenet schemata, nobis a Summo Pontifice proposita, esse statim particulari disceptationi subiicienda, ut emendentur, et, quatenus opus sit, in unum redigantur. Et adhaereo compromisso, hesterna die proposito ab exc.mo Ruotolo. Rationes ab aliis iam allatas non repetam.

Velim potius rationem aliquam iuridicam illustrare. Attamen post ea, quae subitaneo in hac aula mox evenerunt, anceps sum utrum adhuc superata sint necne.

1. Certum est unumquemque Patrem, iuxta art. 33 *Ordinis Concilii celebrandi,* posse verba facere de unoquoque schemate reiciendo. Opinor tamen id minime praeiudicare particularem de schematibus ipsis disceptationem.

Etenim: *a*) Sicut approbatio, de qua in eodem art. 33, fit approbando per *Placet* unumquemque articulum, ita, a pari, ne dicam a fortiori, reprobatio fieri debet reprobando unumquemque articulum per *Non placet*; quod profecto praesupponit particularem disceptationem.

b) In art. 31 *Ordinis Concilii celebrandi* describitur et praescribitur iter examinis schematum, et indicantur varii gradus eiusdem examinis. Iamvero ibi omnino siletur de illo gradu, qui est approbatio vel reiectio praeliminaris totius schematis, globatim sumpti, qui gradus omnino ponendus *esset,*[1] et quidem primo loco, quippe qui, cum sit praeiudicialis, inutilem reddat disceptationem particularem.

2. Art. 33 § 1 citati *Ordinis* omnino silet de reiectione praeliminari *totius* schematis. Iamvero silere non deberet, quia agitur de re valde momentosa ob consectaria inde manantia. Ergo retinere debemus illam reiectionem schematum fieri posse nonnisi per reiectionem singulorum articulorum, ut quisque in suffragationem venerit.

3. In subordinata hypothesi, suffragatio de reiectione nonnisi hac formula fieri deberet: « An schema reiciendum sit »; minime vero al-

tera formula: « An procedendum sit ad discussionem singulorum articulorum ». Ratio evidens est; schema enim, nobis a Summo Pontifice propositum, est in possessione, *iuridice loquor, est in possessione,*[2] quia provenit et proponitur disceptandum ab eo qui, iuxta can. 222, potestatem unus habet res in Concilio tractandas ordinemque constituendi ac designandi. Ergo si quis vult ut de schemate non disceptetur, *scilicet ut reiciatur,*[3] debet ipse invenire maioritatem absolutam suffragiorum pro sua sententia. Si non inveniat, ipso facto et ipso iure transeundum erit ad discussionem particularem.

Opportunum erit adnotare quod, si suffragatio proponeretur sub formula « An procedendum sit ad discussionem singulorum articulorum », meo iudicio procedura esset illegitima et suffragatio nulla, et quivis Pater quovis momento posset proponere querelam per modum exceptionis...[4] coram tribunali administrativo Concilii, de quo in art. 8 *Ordinis.*

4 et ultimo. In extrema denique hypothesi, si schema propositum reiiceretur, non eo ipso aliud schema substitutivum in disceptationem venire posset, quod prius non esset, ad normam art. 7...[5] examini subiectum secretariatus de Concilii negotiis extraordinariis, immo, cum res id omnino postularet, ipsi Summo Pontifici delatum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] erat. [2] deest. [3] deest. [4] (can. 1892). [5] § 2 *Ordinis.*

Animadversiones additae:

Ex disceptatione hucusque habita in aula super duo priora schemata theologica clarissime patet duas dari inter Patres oppositas sententias: prior sententia vult ut illa schemata discussioni subiiciantur statim, ut emendentur et approbentur; altera vero tenet duo schemata esse radicitus reicienda et unum novum schema conficiendum.

Priori sententiae adhaereo. At finis mei interventus non in eo est ut rationes iuridicas et theologicas iam ab aliis allatas repetam, aut novas, fortasse possibiles, afferam in defensionem prioris sententiae. Neque id contendo ut singula argumenta alterius sententiae refellam, quod iam alii fecerunt et adhuc fortius ac stringentius, ni fallor, fieri potest. Id unum volo, ut, ni nimis praesumo, suggeram tamquam possibile, immo et valde desiderandum, honorabile quoddam compromissum, quod suffragiorum unanimitatem, aut saltem illam obtineat maioritatem quae in re tanti momenti, etiam in oculis nostrorum fidelium et fratrum, necessaria videtur.

1. Conficiatur *prooemium,* quod praeponatur omnibus schematibus dogmaticis, immo, et forsan melius, toti materiae a Concilio elaborandae. Prooemium, meo quidem iudicio, deberet esse ampla quaedam, ne dicam « panoramica », et serena recapitulatio totius Divinae Oeconomiae salutis, scilicet sapientissimi et miserentissimi consilii Dei in universa historia humana (creatio, redemptio, Ecclesia, Sacramenta, eschatologia, etc.), et sollemnis affirmatio eius multiplicis praesentiae in

mundo. Hunc vero in finem plura desumi poterunt, quoad substantiam, ex illo novo schemate quod quasi furtim circumfertur ab asseclis alterius sententiae; praetermissa tamen terminologia quae nimis discrepat a communi loquendi modo magisterii ordinarii, quaeque nimis redolet particularem scholam vel potius « tendentiam ».

Huic prooemio, in qua Ecclesia catholica plus matris quam magistrae partes agit, profecto congruit character ac stylus ille pastoralis, positivus, oecumenicus, hodiernis auribus magis aptus, quem exigunt asseclae alterius sententiae. In hoc prooemio poterunt quidem et laudes, simul et cautelae proponi pro omnibus qui, in quovis campo, elucidandae Ecclesiae doctrinae, insudant.

Prooemium erit conficiendum vel a commissione mixta inter theologicam et pastoralem, vel a commissione paritetica composita ex Patribus qui in aula utrasque sententias defenderunt. Prooemium, ut est obvium, quam primum discussioni conciliari proponetur.

2. Dum prooemii confectioni adlaborabitur, fiat statim discussio particularis schematum nobis a Summo Pontifice propositorum. Iam superata dicenda erit difficultas quoad characterem ac stylum schematum. In subiecta materia, quae eminenter dogmatica est et quasdam particulares, ne dicam « technicas », quaestiones theologico-biblicas respicit, non dedecet Ecclesiam, partes magistrae potius quam matris agentem, loqui concinne, lapidarie, modo quasi frigido, positivo simul ac negativo, quemadmodum in rebus dogmaticis diiudicandis ac definiendis summopere congruere experientia conciliorum praeteritorum docet.

Discussio de singulis articulis duorum priorum schematum haec non spernenda commoda mihi videtur habere:

a) in lucem ponet ea *plurima* quae omnibus placent, nec placere non possunt, cum sint fere ad verbum desumpta ex Tridentino, ex Vaticano I et ex documentis pontificiis a Leone XIII usque ad Pium XII. Neque dicat quispiam illa, ob allatam rationem, inutilia esse; nam utiliter a Concilio repetuntur quae a quibusdam theologis ac exegetis catholicis in oblivionem fere amandata sunt, et documentis magisterii ordinari Concilium maiorem vim addet non solum per formalem definitionem, sed etiam per sollemniorem propositionem;

b) in lucem ponet ea, meo quidem iudicio *pauciora,* puncta quae sunt pomum discordiae inter oppositas sententias. Etenim ex discussione generali audivimus querelas et anxietates — profecto omnes ex sincera intentione — quae Patres hinc inde praeoccupant: ex una parte timetur ne extenuetur vis et valor inspirationis, inerrantiae, et veritatis historicae S. Scripturae, praesertim evangeliorum; ex altera timetur ne aliqua definitio ex parte Concilii totam exegesim mortificet ac iniuste libertatem exegetis in suis laboribus adimat.

De facto, Deo favente, res non ita se habent. Ex particulari discussione circa puncta controversa, Patres audire poterunt rationes pro et contra, eas perpendere, invenire formulam quae, uti speratur, salva integra veritate doctrinae catholicae, anxietates hinc inde tollat. Quod si hanc formulam invenire non poterunt, Patres, cognita causa et praesertim Spiritu Sancto illuminante, decisionem sument in alterutro sensu, aut rem, utpote immaturam, definiendam different.

His expositis, em.mo consilio praesidentiae audeo proponere:

1. ut mandatum det pro conficiendo prooemio in sensu supra allato;

2. simulque declaret clausam discussionem generalem super priora duo schemata dogmatica, et incipiat discussionem particularem.

9

Exc.mus P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Cum innumera iam dicta sint, multa relinquam et tradam secretario. Aliqua tamen pauca vellem dicere.

Relate ad errores iam optima dicta sunt.[1] 5. Ceterum triplici modo errores possunt compesci: directe, cum damnatione aut reprobatione formali; indirecte, tum negative, admonendo scilicet fideles ut ab iisdem caveant; tum positive, in *nova et clariore luce*[2] ponendo doctrinam catholicam, quae ipsis erroribus adversatur.

Aliud est opportunam methodum ad errores repellendos invenire et exquirere, aliud est errores dissimulare. Apta media seligere prudentis est; nihil dicere, contra munus pastorale est.

Pastoralis muneris in primis et ante omnia est: fideles ab erroribus et periculis in fide immunes servare; illos firmare in fide catholica; deinde ipsum hoc apostolicum munus se extendit ad oves ceteras, ad unicum ovile revocandas vel vocandas...[3]

6. Cur timeamus, venerabiles Patres, quali ratione pastorali vel oecumenica non debeamus in Concilio christifideles de erroneis opinionibus praemonere, aut in memoriam solemniter revocare certa et inconcussa principia semper in Ecclesia tradita et inculcata, ex. gr. de inspiratione, de inerrantia S. Scripturae, ...[4] de historica veritate Evangeliorum et aliorum librorum?

7. Nec per clarificationem veritatis, aut immutabilitatem doctrinae in fundamentalibus principiis, impeditur studiosis continuare scientificas investigationes praesertim quoad immensam provinciam de re biblica; quae inquisitiones valde fructuosae extitisse comprobantur et tantam attulerunt lucem, praesertim recentiori aetate, ad pleniorem intelligentiam Sacrae Scripturae. Sed laudabilia studia investigationis scientificae et iustae, immo et necessariae libertatis exigentia nequeunt veritatem ab Ecclesiae magisterio, sive ordinario, sive extraordinario iam propositas labefactare, vel in dubium, aut examen rursus revocare...[5]

Et pergo ad conclusionem.[6] Quia verum praecipuum dissensionis punctum, in hac conciliari aula, versatur circa formulationem doctrinae *de revelatione,* quaerere velim an omnino impossibile sit certam basim, communi consensione, invenire et retinere, super quam proficua et constructiva discussio cito institui possit de particularibus punctis quaestio-

nis: an retinenda, an emendanda, an ad maturiora tempora quaedam differenda sint, ut adinveniatur aliqua concreta et acceptabilis ab omnibus solutionis via, prouti omnium Patrum enixe in votis est. Quid ex mea humili parte in re tam gravi proponere audeam? *Haec sunt:*[7]

Revelatio divina una est et perenniter vivens, quae centrum et culmen habet Iesum Christum Salvatorem mundi. In hoc omnes nos aperte et unanimi voce consentimus.

Cum vero multis non placeat denominatio scholastica *de fontibus revelationis, ...*[8] eo minus de *duplici distincto* fonte, auferatur a constitutione ista denominatio, multis ingrata. Et sermo fiat *de unica divina revelatione* in Christi doctrina et opere perfecta, per *duos rivulos seu tramites* ad nos perveniens, *prouti edixit em.mus card. Frings.*[9]

Ubi vero de Scriptura agitur, necessaria et fundamentalia principia definiantur vel saltem declarentur; cetera quae nondum matura existimantur, remittantur ad Concilium Vaticanum III... forsan discutienda. Ita, mutatis vocabulis et servata veritate, sub hac concordi basi, possemus cito de singulis capitulis schematis examen instituere. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Circa propositum constitutionis schema, post ea multa quae dicta sunt, haec proferre liceat.

1. Schema ipsum, etsi laudibus a multis Patribus cumulatum, ob suam claritatem, perspicuitatem et opportunitatem, potest adhuc perfici in generali suo prospectu, et in eius partibus, potest corrigi, emendari, ampliari vel decurtari, iuxta placita Patrum.

Attamen non videtur sufficiens ratio ut schema ipsum tamquam basis discussionis non admittatur.

Etenim *quoad substantiam* omnes conveniunt, ut audivimus, doctrinam ibi enunciatam *vel* de fide esse, *vel* communiter per magisterium Ecclesiae doceri.

Ergo, uti etiam in hac aula audivimus, quaestio est de *modo* seu *methodo* doctrinam, aliunde ad omnibus admissam, proponendi. Hinc modus schematis sat aptus videtur quamvis, theorice, meliorem quis certe adinvenire possit.

2. Ad rem tanti momenti, semper prae mente habendum est: constitutionem Concilii non esse simplex catechismi promptuarium, sed propositionem doctrinalem claram et solidam, quae fit fons et norma pro catechesi, praedicatione, et institutionibus cuiusque generis.

Theologia habet sua vocabula « technica », sicut habent omnes scientiae, et hac ratione, aequivocationes vitantur, et praebetur fundamentum ad ulteriora studia et ad progressum in cognitione doctrinae revelatae.

3. Ipsa ratio proponendae veritatis in schemate, videtur esse eminenter *pastoralis.*

Pastores enim anxietatibus premuntur ob confusionem idearum quae ortae sunt novissimis temporibus, *non a severis ac vere scientificis studiis,* sed arbitrariis deductionibus aliquorum, qui haud pauca in Evangeliis enarrata, levi calamo negant, in dubium revocant; facta, sermones et miracula Christi Domini adeo extenuant ut eorum historica veritas non parum labefactetur.

4. Hinc contra abusus et pericula, quaedam fidei principia revocare non nocet, imo expedit. Quaedam quae a theologis catholicis imo et ab ordinario Ecclesiae magisterio, a saeculis communiter docentur, in constitutione referre perutile et necessarium videtur, cum pericula, non pauca, realiter exsistant, quae pastores ignorare aut velo tegere nequeunt. [2] novam et clariorem lucem. [3] Idem Christus Dominus ad ovem deperditam revocandam iter instituit, postquam in tuta securitate nonaginta novem constituerat (cf. *Io.* 10 et *Mt.* 18, 12). [4] (omnibus argumentis praetermissis quae adhuc disputari possent). [5] 8. Viri docti munus habent: *a*) illustrandi etiam novis studiis quae iam definita sunt; et habetur progressus fidelis in fide; *b*) libere inquirendi, examinandi, disceptandi, quae ab Ecclesiae magisterio infallibili definita non sunt, prudentia semper adhibita; *c*) novas inquisitiones instituere, firmis tamen et intactis iis quae iam de fide sunt aut ab Ecclesiae magisterio clare inculcata sunt. 9. Saepe invocatur character pastoralis Concilii. Sunt decem capita rerum tractandarum in Concilio. Multa de catechetica institutione, de modo populis enucleandi fidem, tradentur postea, et de his disceptabitur cum agendum erit praesertim de cura animarum, et de modo congrediendi cum fratribus nostris christianis. Ibi de methodo catechetica, de praedicatione etc. sermo erit; hic vero expostulatur clara, simplici, perspicua enuntiatione quarundam veritatum fidei, principiorum fundamentalium de ipsa divina revelatione. [6] 10. [7] deest. [8] (inde advenientibus). [9] deest.

10

Rev.mus P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis O. P.

Venerabiles Patres,

Post decisionem consilii praesidentiae nihil dicam de quibusdam quae volebam dicere circa liceitatem, necessitatem et possibilitatem totalis reiectionis schematis *de fontibus revelationis.* Pauca dicam de charactere pastorali et oecumenico in Concilio.

Ratio est cur omnes iucundemur de intentu et conamine omnium Patrum Conciliarium, illorum scilicet quibus schema non placuit, atque illorum quibus placet, in conficiendo schemate indolis pastoralis. Hoc enim omnes, pastores cum simus, in visceribus habemus.

At unanimitas evanescit cum de explicatione et applicatione verbi « pastorale » agitur. Crediderim rem esse magni momenti. Et vellem in memoriam iterum revocare conceptus hic ab em.mo card. Santos eleganti sermone explicatos.

1. Verbum « pastorale » adiectivum est. Et nec intelligi nec explicari potest nisi per ordinem ad substantivum. Substantivum ergo hoc in casu duplex agnoscitur, et ne unum pro alio sumatur oportet; *a*) vel agi-

tur de substantivo, quod est pascua et cibus; *b*) vel agitur de substantivo, quod est methodus administrandi cibum et pascua.

2. Iamvero munus pastorale Concilii principaliter ad substantivum, quod est pascua vel cibum, refertur. Concilium enim veritatem tuetur, veritatem proponit. Veritas clara, perspicua, est id quod ab ipso spectatur.

Munus pastorale uniuscuiusque nostrum, principaliter, ad substantivum refertur, quod est methodus. Pastorum est doctrinam conciliarem, cibum sanum, omnibus ministrare attentibus conditionibus loci, temporis et personae. Rudis, rude; sapienter, sapientibus. Gaudiose et iucunde si ita expedit in casu. Cordialiter vel conceptualiter prout in adiunctis videatur. Fratribus separatis ad modum dialogi et verbis magnae comprehensionis et benevolentiae. In Concilio, modo conciliari.

Doctrina conciliaris, non est doctrina unius diei nec proposita hominibus unius aetatis tantum, melius exprimitur verbis, quae sapiunt diuturnitatem, quam verbis quae mane florescunt et ad vesperum evanescunt.

Stylus pastoralis saepe ordinatur potius ad sensus excitandos quam ad argumenta vel veritatem afferenda, quod proprium Concilii minime est. Sine dubio munus principale Concilii est docere, exponere veritatem claram, genuinam, et ad tale sublime munus obtinendum debemus procedere animo puro et magnanimo, nulli factioni addicto, eligendo semper illas formulas et verba quae sint aptiora ad veritatem docendam et exprimendam, sive sint pastoralia, sive oecumenica sive scholastica. A priori non debemus excludere absolute nullam methodum et nulla verba. In singulis casibus debemus eligere quae sint meliora absque ullo timore vel praeiudicio. Mihi valde placet ut in Concilio prae oculis habeamus indolem pastoralem et oecumenicam et quatenus sit possibilis, hunc characterem imprimamus; sed non debemus exaggerare quia exaggerationes provocant reactiones contrarias. Non ita debemus indolem pastoralem quaerere ut sit obtinenda etiam cum detrimento veritatis. Unde si inter duas formulas, una magis pastoralis sed minus clara et exacta et alia minus pastoralis sed magis clara et exacta, sine dubio in Concilio haec secunda est praeferenda. In praxi pastorali eligatur prima; in munere pastorali saepe est sacrificandus modus exactus et proprius et accuratus ut veritas exponatur modo intelligibili captui fidelium. In his omnibus sit summa libertas cum caritate et summa caritas cum libertate. Dixi.

Textus scripto traditus:

In gravissimis rebus quae disputantur, duae quaestiones sunt clare distinguendae:

1. Utrum ante omnia liceat Patribus Conciliaribus totum schema *de fontibus revelationis,* sive placeat sive non, sine discussione per singulas partes totum reiicere et aliud in suo loco ponere in Concilio discutiendo?

Responsio negativa pro me est evidentissima. Hoc non est licitum nec necessarium, nec possibile. Non licitum quia tempus Concilii praeparationis iam finitum est et hoc est schema quod SS. Dominus noster Ioannes Papa XXIII statuere dignatus est in Concilio Vaticano II discutiendo et ad Patres Conciliares mittendo. Unde sine consensu Summi Pontificis nobis licitum non est illud reiicere ut in discussione per aliud substituatur.

Non est necessarium quia si non placet ex parte vel ex toto, possumus partialiter vel substantialiter mutare ut postea dicam.

Non est possibile nisi schema *de fontibus revelationis* tempore indefinito differtur, quia si schema actuale reiicimus non credo quod nemo audeat statim aliud, neque a Patribus neque a Summo Pontifice cognito proponere loco illius reiecti. Ergo si actuale reiicitur, tractatio et disputatio *de fontibus revelationis* tempore indefinito differenda est.

2. Utrum liceat schema nobis propositum non solum accidentaliter sed substantialiter vel quasi totaliter post discussionem mutare.

Responsio etiam est affirmativa. Non est nobis licitum schema actuale sine discussione illud reiicere, sed nobis licitum est illud totum discutere et omnia quae in eo continentur partialiter vel accidentaliter tantum mutare vel etiam substantialiter et quasi totaliter, si Patribus post discussionem singularum partium ita placuerit. Ratio est quia Summus Pontifex nobis illud non ut totum vel partem approbemus, sed ut sit fundamentum discussionis et post eam approbemus vel reiiciamus ut nobis et Spiritui Sancto visum sit. Unde cuique licet dicere si placet vel non placet totaliter vel ex parte mutare totaliter vel ex parte mutetur vel reiiciatur.

De fine pastorali Concilii.

Mihi videtur etiam necessarium aliquid dicere de fine pastorali Concilii. Mihi valde placet ut Patres Conciliares semper prae oculis fines et necessitates pastorales habeamus et modo specialissimo in hoc Concilio et etiam in hoc schemate *de fontibus revelationis.* Tamen finis principalis Concilii, saltem in hoc schemate, nullo potest esse pastoralis, nisi per munus pastoralis intelligatur quodlibet munus docendi doctrinam revelatam. Sed tunc iam non est quaestio et iam dici non potest ut talis indoles pastoralis non sit in schemate etsi modo scholastico expositum sit.

Si autem verbum pastorale intelligitur in suo sensu proprio et stricto, quod ego non volo nec possum hic definire, tunc sine dubio finis principalis Concilii est exponere, animo sereno et mente tranquilla cum claritate et sollicitudine et exactitudine veritatem catholicam ab omnibus tenendam. Et ad hoc debet adhibere illa verba quae ad talem finem sint aptiora sive sint pastoralia sive non. Certo, si sine damno claritatis et exactitudinis veritatis indoles expositionis esse eminenter pastoralis non est possibilis, sine detrimento claritatis et exactitudinis veritatis minime est eligenda.

Unde inter duas formulas quarum una sit magis pastoralis sed minus exacta et clara et solida et alia sit minus pastoralis, sed magis clara et exacta et solida, sine dubio in Concilio haec secunda est praeferenda. In pastoralia vero est praefe-

renda secunda quia facile intelligitur quod rigor exactitudinis sacrificandus est saepe cum ad fideles loquimur.

Hic locutum fuit de munere iudicis et de munere pastoris in Concilio, sed est etiam aliud munus, nempe muneris magistri, et hoc munus est magis proprium Concilii.

De mentalitate hodierna.

Non est necessarium dicere quod modus expositionis veritatis sive in loquendo sive in scribendo debet variari et accommodari ad homines ad quos dirigatur. Et hoc est munus pastoris. Forsan hodie non difficilius quam fuit pro antiquioribus pastoribus.

Mentalitas hodierna non est magis remota ab expositione scholastica quam mentalitas hominis qui in America et Oceania pastores missionarii debeant in saeculis praeteritis evangelizare. Et hi pastores non habuerunt difficultatem vel si habuerunt consecuti sunt eam superare ad veritatem christianam talibus hominibus exponendam, et hoc fecerunt cum tanto fructu in totam Americam et Oceaniam ad fidem conversi sunt.

Animadversiones additae:

Observationes ad cap. I de fontibus revelationis.

Par. 1 cap. I mihi apparet valde deficiens eo quod relate ad revelationem quasi in eodem gradu ponit Iesum Christum cum prophetis et apostolis. Nullum est dubium auctorem bene cognoscere differentiam maximam inter Christum et alios. Sed dolendum est quod talis supereminentia Christi non clare in textu appareat. Verum est quod communiter in oblivione tenetur. Sed mihi placeret ut in hoc capite clare appareret.

Haec supereminentia Christi in duobus principaliter mihi videtur consistere:

1. Est evidens quod Christus, cum nobis aliqua manifestat per verba seu loquendo, non eodem modo se habet ac prophetae et apostoli, quia, cum sit Deus, loquitur auctoritate et infallibilitate propria et revelationem sumit ex propriis.

2. Secundum, et quidem principalius, in quo supereminet Christus, est quod ipsa Verbi Incarnatio est suprema Dei revelatio. Per Incarnationem Verbum quod erat in principio apud Deum et erat Deus, sed invisibilis, intangibilis, quasi, factus est homo visibilis, tangibilis, quasi Unigenitus a Patre. Itaque ipse Iesus Christus Deus et homo, est prima et suprema revelatio divina. Omnia in illo, facta et verba, sunt revelationes divinae. Videndo Christum Iesum, videmus Deum et audiendo Christum Iesum, audimus Deum.

Et S. Thomas optime hanc doctrinam exponit et confirmat: « Christus, ait, per Humanitatem suam voluit manifestare Divinitatem. Et ideo, conversando cum hominibus, quod est proprium hominis, manifestavit omnibus suam Divinitatem, praedicando et miracula faciendo et innocenter et iuste inter homines conversando » (*S. Theol.* III, 40, I ad 1), et ibidem ad 3: « actio Christi fuit nostra instructio ».

Tota ergo vita Christi est revelatio divina. Hanc conditionem specialissimam suae naturae ipse Dominus apertissime et diversimode nos declarat, e. g.: « Qui videt me videt et Patrem meum » (*Io.* 14, 10), « Ego sum via, veritas et vita », « Nemo vadit ad Patrem nisi per me » (*Io.* 17, 25), « Audistis quia dictum est antiquis... sed ego dico vobis »... Ego, non solum tamquam Deus, sed Ego Deus homo, Ego Iesus Christus, Verbum Dei factum homo, « Pater est in me

et ego in Patre » (*Io.* 10, 14; 15, 28), « Omnia quae habet Pater mea sunt » (ib. 16, 15).

Hanc sublimem revelationem optime et maximo cum gaudio discipulus praedilectus exponit in prooemio sui Evangelii et in prooemio suae primae epistolae: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae: et vita manifestata est, et vidimus et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio eius Iesu Christo. Et haec scribimus vobis ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum » (1 *Io.* 1, 1-4).

Haec infinita excellentia Christi relate ad alios, clarius apparet si illum comparamus cum aliquo possibili angelo a Deo misso et homine facto, si possibile esset. Hic angelus etiamsi esset angelus-homo loqui non poterat ex propriis, neque cum auctoritate propria, et, quod principalius est, eius humana facta et vita non essent Revelatio Dei.

Et hanc eminentem conditionem Christus etiam conservat non solum relate ad eos qui suo tempore vixerunt et cum eo conversari potuerunt, sed etiam relate ad omnes homines cuiuslibet temporis et loci, quia in ipsa vita divina-humana Christi in Evangeliis narrata et mentibus nostris, quae sine imagine sensibili naturaliter nihil cognoscere possunt, accommodata, principaliter Deum videmus. Unde pro omnibus Filius Dei factus homo est Suprema Revelatio.

Revelatio per apostolos et prophetas facta etiam est divina et Deum habet ut auctorem, sed modo omnino diverso.

Itaque in lin. 8, pag. 9, haec addantur: Per Filium autem quia, cum sit Deus, nobis loquebatur ex propriis quae ipse cognoscebat et auctoritate et infallibilitate propria; et praesertim quia ipse Filius Dei homo factus (*Io.* 1, 14) in terris visus est et cum hominibus conversatus (*Baruch,* 3, 17) ac per omnia nobis similis factus, excepto peccato (*Heb.* 2, 17), tota vita, passione et morte sua et resurrectione, saluberrimum nobis reliquit exemplum ut sequamur vestigia eius (1 *Pet.* 2, 24), atque perenne documentum nobis tradidit divinae veritatis salvificae. Itaque Iesus Christus per suam Incarnationem est suprema revelatio, quatenus Ipsum Verbum invisibile quod erat apud Deum et erat Deus, factum est homo visibilis et tangibilis quasi Unigenitus a Patre, plenus gratiae et veritatis. Unde videndo Christum, videmus Deum et audiendo Christum, audimus Deum. Omnia ergo in illo, verba et facta, sunt revelationes Dei.

Hanc specialissimam conditionem suae naturae et suae missionis qua infinite superexcedit alios omnes, per quos nobis transmissa est Divina Revelatio, optime exprimitur in prooemio Evangelii S. Ioannis et ipsemet Christus saepe nobis declarat: e. g. « Qui videt me, videt et Patrem meum » (*Io.* 14, 10), « Ego sum via, veritas et vita », « Audistis quia dictum est antiquis... sed ego dico vobis... » (*Matth.* 5, 18, 22), « Pater est in me et ego in Patre » (*Io.* 16, 15).

De duobus fontibus revelationis.

Par. 4, pag. 10, vel in alia paragrapho, sequentia mihi exponere placet.

Christus veritatem docuit verbo et exemplo (coepit facere et docere, *Act.* 1, 1), non litteris. Tanta enim est excellentia doctrinae eius, ait S. Thomas, quod « litteris comprehendi non potest » (*Summa Theol.* III, 42, 40).

In Novo ergo Testamento Revelatio facta est primo e principaliter per verba,

deinde per litteras. Itaque traditio oralis divinae Revelationis primatum tenet, non solum temporis et amplitudinis, quia non omnia oretenus tradita et praedicata fuerunt litteris consignata. Plures namque apostoli praedicaverunt quam scripserunt; et illimet qui scripserunt, plus et plura praedicaverunt quam scriptis tradiderunt.

Unus est fons revelationis divinae, scilicet Verbum Dei; et duo rivuli vel modi, quibus ad nos usque pervenit: verbo orali et verbo scripto, sive viva voce et scriptura.

11

Exc.mus P. D. IULIUS BARBETTA
Episcopus tit. Pharanitanus

Venerabiles Patres,

Nolite timere; breviter loquar. Satis cognitum est nos, agentes de rebus biblicis, versari in materia quae hodie etiam in hac Urbe facile ita provocet animi excitationem ut iam perdat debitum aequilibrium. Quare abstinendum ab omni exaggeratione.

Facile dicitur hoc schema sequi scholam aliquam determinatam. Quod si autem videmus membra et consultores antiquae commissionis theologicae, hoc videtur iam a priori impossibile. Et haec impossibilitas adhuc clarius apparet, si audimus quomodo hoc schema in multis sit correptum ob animadversiones in commissione centrali factas.

Nemo est qui ignoret non solum esse qui rigiditatem et severitatem huius schematis vituperent, sed etiam esse qui in capp. IV et V huius constitutionis inveniant amplam portam aperiri exegetis et amplam fiduciam poni in progressu exegeseos. Talis autem annotatio necessario excitat spem; nempe, hoc schemate, novo in historia Conciliorum, initum esse viam tutam mediam.

Quomodo tandem stare potest accusatio partialitatis, ut aiunt, si ex alia parte asseritur in hoc schemate non adesse nisi communia quae inveniuntur in manualibus?

Iam saepius audivimus minus placere titulum de duobus fontibus. Estne reapse res tanti momenti? Si volumus reservare vocem « fontis » ipsi Deo, faciamus; et dicamus Deum sese duplici modo manifestasse et illam revelationem duplici modo ad nos pervenire. Fieri autem potest ut quaerentes novum dicendi modum, experiamur modum dicendi qui nunc est in schemate etiam sua habere commoda. Quod autem attinet ad doctrinam de veritatibus non contentis in Sacra Scriptura, quis catholicus est qui de hac veritate dubitare possit? Nam praeter constitutionem canonis Sacrae Scripturae quam non habemus completam nisi in

Traditione, doctrina catholica absolute certa est, v. g. Iudaeum et paganum valide conferre posse baptismum ideoque alios dare gratiam sanctificantem et incorporare Ecclesiae quae est Corpus Christi. Item quod episcopus publicus apostata etiam malae fidei possit vere conficere Corpus Christi et valide consecrare sacerdotes. S. Augustinus ea frustra quaesivit in Sacra Scriptura et nos cum eo. Et si talia volumus deducere ex Sacris Litteris, nos frustra conamur. « Multa — ita S. Augustinus — quae non inveniuntur in litteris eorum (id est apostolorum) neque in Conciliis posteriorum et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis (apostolis) tradita et commendata dicuntur » (*De Baptismo,* cap. II, a versiculo 7 usque ad 12...[1]). Et haec sufficiant: si schema defectibus laboret, corrigentur. Igitur, in suo complexu schema placet.

In textu scripto tradito: [1] Ench. Patrum n. 1623.

12

Exc.mus P. D. IOANNES FERRO
Archiepiscopus Rheginensis

Venerabiles Patres,

Mentem meam, adhuc post ea quae hac mane evenerunt, cum fiducia vobis pando.[1]

Hoc schema, nonnullis additis emendationibus, adprobandum censeo, cum prooemio apte confecto in quo fusius exprimantur ardentia vota pastorum Ecclesiae pro omnibus hominibus.

Veritates autem quae in eodem schemate amplissimo coetui Patrum conciliarium perpendendae proponuntur, hisce nostris diebus, tot grassantibus erroribus, alte solemniterque declarandae erunt ac praedicandae super tecta, ne « erubescere Evangelium » videamur. Etenim, doctrinam de Dei revelatione explicite profiteri ac docere tenemur, ut in « Sancta Sanctorum » supernaturalis templi, non manufacti, mysterii salutis per Christum et cum Christo summa, qua par est, pietate ac sacerdotali integritate ingrediamur omnesque homines, veritatis immutabilis vitaeque aeternae fame pereuntes, fideliter adducamus.

Nulla *hac*[2] pastoralis missio nobis urgentior, uti vobis compertum est. Omnibus enim, « sapientibus ac insipientibus », iis qui prope sunt et iis qui longe, debitores sumus. Nam pastorale nostrum officium est

mentes hominum imprimis ad veritatis pascua sollicita assiduaque caritate adducere.

In hoc est veri nominis nota pastoralis ut veritas summe diligatur quae a Deo est et ad Deum ducit, et oves diligantur, quae pastoribus pascendae a Deo commissae sunt. At quomodo pascendae nisi solida doctrina veritatis?

Mundo materiae carnisque servituti obnoxio ac superbiae vitae, omnem Dei veritatem integre testari ac docere debemus, ut pastorum munere digne ac fideliter fungamur in Ecclesia: omnem Dei veritatem, inquam, quam e duplici fonte revelationis ad omnium salutem promanare semper docuit Ecclesia...[3]

Qua deficiente, nullum exstat pastoralis muneris obiectum, nullum liturgicorum rituum fundamentum, nullum ecclesiasticae hierarchiae regimen, ...[4] nullum missionum ad longinquos populos ius, nullus divinarum humanarumque legum locus, nullum tandem universalis caritatis fulcrum, siquidem « fides est quae per caritatem operatur »...[5]

Meminisse iuvabit, venerabiles Patres, quod scite et luculenter docuit Summus Pontifex, feliciter regnans, inde a suis primis Encyclicis Litteris *Ad Petri Cathedram,* concinne affirmando omnimodum primatum veritatis, cum, neglecta vel postposita veritate, neque unitas neque pax hominibus umquam adesse possit, uti pressius quidem in recentioribus Litteris *Aeterna Dei Sapientia* idem Summus Pontifex declaravit.

Si quis de opportunitate tempori parcendi quaestionem moveat, reperire fortasse poterit quaestiones minoris momenti quae postea penitus determinentur a peritorum commissionibus, aut implicita relinquantur, postquam necessaria certaque principia fidei et morum « in aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia » firmiter, perspicue, integre ab hoc Sacro Concilio proposita sint.

Forsan[6] dicat aliquis: de religiosis veritatibus parce agamus, ne quidam forte recedant, illud obiicientes: « durus est hic sermo »; vel, cum opus pacis suppeditare debeamus, cavendae controversiae...[7] Sed hoc, venerabiles Patres, minime convenire videtur gravitati ac sanctitati huius sacerdotalis oecumenici coetus eiusque sacri magisterii. Pius XII, veneratissimae memoriae, in Encyclicis Litteris *Humani Generis* huiusmodi irenismum fortiter damnavit. Etenim, si cum errantibus maxima caritas semper est adhibenda, errores tamen omnino reiciendi sunt a pastore qui sincere oves diligit.

Mirabili sane consensu omnium Patrum arctissimo caritatis vinculo inter se cum Christi vicario coniunctorum, indoles, seu nota oecumenica, huius Sacrosancti Concilii iure meritoque urgetur ad unitatem promovendam christianorum, quos ardentissimo amore complectimur omnes.

Sed huius unitatis nullum firmum dari potest fundamentum in caritate cum veritatis detrimento.[8]

Sunt quaedam nova schemata quae circumferuntur; ea potius piae sunt meditationes de salute omnium hominum, subtiliores et difficiliores intellectu, apologeticam methodum et oratoriam abundantiam redolent, non autem sobriam ac densam temperiem, quae una ecclesiastici universalis magisterii auctoritatem et maiestatem deceat. Mystici enim affectus secundum temporum locorumque discrimina multoties variantur, immo et subiectiva cuiusque indole in oppositas partes trahi possunt, veritas autem Domini manet in aeternum.

Venerabiles Patres, servitio Dei mancipati ad dandam scientiam salutis plebi eius, animo ne deficiamus, sed totis viribus incumbamus ad schemata constitutionis perfectiora reddenda, ut veritas fulgentiore luce clarescat omnibus hominibus.

En, ad hoc, oratio fit pro nobis ab universa Christi Ecclesia ut, Deo adiuvante atque per nos loquente, qui humillime cum Petro et sub Petro pro Christo legatione fungimur, pretiosissimum doctrinae depositum fideliter custodiamus, splendidius in dies per saecula integrum praedicandum omnibus creaturis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] in Concilio Tridentino et Vaticano I. [4] nullum regale sacerdotium. [5] (*Gal.* 5, 6). [6] Neque. [7] cum eis qui non credunt. [8] deest.

13

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Em.mi Principes, Fratres carissimi,

Spero me defendere vivum schema, non mortuum! [1] Schema *etenim* [2] propositum placet mihi iuxta modum, id est cum correctionibus et additionibus necessariis ad inveniendam mediam viam qua omnes tuto et libenter procedere possimus, sed salvis remanentibus substantia et stylo schematis.

1. Dictum est non esse opportunum hodie, ob rationes oecumenicas, reprobare explicite errores, sed sufficere positive exponere, modo aliquo pastorali, veritates in schematibus conciliaribus. Audivimus quoque hisce ultimis temporibus *exstare* [3] psychologicam methodum dialogi oecumenici...[4] Mihi tamen videtur, submisse loquendo, in obiectionibus quae

fiunt nomine istius oecumenismi pastoralis latere *quamdam* [5] aequivocationem.

Haec aequivocatio consistit in eo quod hoc Concilium non est Concilium unionis, sed Concilium internae nostrae reformationis, quae constituere deberet praeambulum cuiusdam futuri Concilii unionis, in quo convocandi essent fratres separati cum libertate loquendi. In tali Concilio nos deberemus uti methodo dialogi oecumenici, moderate tamen; non autem in hoc Concilio, in quo *colloquimur imprimis cum nostris fidelibus.*[6] Ast sapientis est non solum « functionarii », *uti dicunt,*[7] sed et patris et matris errores filiis clare indicare, ne decipiantur et in laqueum incidant diaboli. Si *ergo* [8] quidam de facto, proh dolor!, auctoritati magisterii ordinarii Ecclesiae plene non *videntur subiici,*[9] summa auctoritas in Ecclesia, i. e. Concilium Oecumenicum, tandem aliquando finem ponere debet, in veritate quidem et caritate, erroribus qui certo, non dubie, errores sunt. Hoc praecipue oves nostrae tamquam a suis bonis pastoribus magno cum angore animi a nobis expostulant.

2. Dictum est quoque magis opportunum esse, pro catholicis qui sub dicione materialismi dialectici vivunt, dare ipsis sanam doctrinam sine reprobatione errorum. Sed mihi videtur maxime necessarium praecise pro istis fidelibus, quorum fides quotidie in magnis difficultatibus versatur, non solum doctrinam sanam et integram dare, sed et indicare errores ut sciant quas veritates profiteri debeant, quosque errores fugere etiam cum periculo vitae. Nam in illis regionibus, Fratres carissimi, et fidelibus et sacerdotibus imminet magnum periculum cadendi in sinum sic dictae Ecclesiae patrioticae seu popularis, quae seminarium est errorum; quod quibusdam Ecclesiis iam acciderat in maiori vel minori gradu.

Dictum est alienum esse schema a mentalitate theologiae orientalis, ...[10] *sed hoc non esse verum censeo.*[11] Septem illa nempe Sacratissima Concilia quae in Oriente celebrata sunt, condemnabant errores illorum temporum et quidem fortissimis verbis.

Ob brevitatem adduco exemplum tantummodo Concilii III Constantinopolitani, qui condemnaverat errores Sergii, patriarchae Constantinopolitani, de unica operatione et voluntate Christi. Immo istud Concilium reprobavit silentium Papae Honorii qui in epistola ad eumdem Sergium scripserat: « Nobis non esse curandum de una vel duabus voluntatibus vel operationibus in Christo; relinquamus hoc grammaticis. Nos autem praedicemus quod certum est, i. e. duas in Christo esse naturas ».

Utrum ergo nos quoque nostris « grammaticis » relinquere debemus dirimendos errores de S. Gabriele annunciante Mariae, errores de Evangelio Infantiae, de Traditione, de inerrantia et inspiratione Sacrae Scripturae, de munere magisterii ordinarii Ecclesiae authentice interpretandi

Sacram Scripturam, etc., ac si nos essemus Ecclesia discens non vero docens, *vel ac si pertineamus nos ipsi ad Ecclesiam silentii* [12]? ...[13]

Quoad ameliorationes, propono ut conficiatur prooemium pastorale a commissione quadam composita, in sinu commissionis conciliaris de fide et moribus, ab illustrissimis viris qui opponuntur schemati ...[14] nobis proposito, et ab aliis qui illi favent. Aliae correctiones vel additiones occasione discussionum de singulis capitibus scripto vel oraliter proponi poterunt. Nam omne opus humanum imperfectum est, et impossibile est omnibus placere in hac lacrimarum valle. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] nobis. [3] excogitatam esse. [4] quem Patres occasione suffragationis prae oculis habere deberent. Certe iste oecumenismus pastoralis praecipuus adversarius schematis propositi exhibetur et praecipua causa huius discussionis tantum protractae. [5] deest. [6] decreta condimus pro nostris fidelibus, saltem primarie. [7] deest. [8] vero. [9] subiiciuntur. [10] imo et africanae. [11] ad quam obiectionem breviter respondeo. [12] deest. [13] Secundo dico Concilia illa orientalia usa esse verbis scholasticis in exponenda doctrina catholica, verbis dico, uti sunt « ousia, physis, hypostasis, prosopon » et similibus. Cur ergo exaggeratur in inculcandis differentiis inter theologiam conciliarem orientalem et theologiam nostri schematis? Schema de fontibus revelationis nobis propositum quoad expositionem positivae doctrinae et quoad reprobationem errorum omnino in eadem linea invenitur ac Concilia orientalia inveniuntur, etsi in reprobatione errorum utitur verbis valde mitigatis. Ex adverso, quaedam schemata quae circumferuntur, toto caelo differunt a stylo omnium Conciliorum orientalium et occidentalium et nituntur introducere in Concilium Vaticanum II, fere dicerem revolutionario modo, theologiam novam, quae analysim theologicam sustinere nequit. Dictum est schema nimis separare S. Scripturam et Traditionem, quod placeret fratribus separatis et unitis in Oriente vel in ipsa Africa. Hanc obiectionem, salva reverentia exc.mi episcopi qui eam protulit, exaggerationem esse duco. Exc. ep. Butorac, sabbato elapso, proposuerat ut conficeretur totum caput de S. Traditione. Cur? propter fratres orthodoxos qui nobiscum in Iugoslavia vivunt, et qui maximi S. Traditionem pendent. Dum ego in meo seminario theologico theologiam orientalem explicabam, libenter prae manibus habebam varia manualia scholastica nostrorum orthodoxorum. In istis manualibus, ni fallor, disputatur cum fratribus protestantibus de theologia sacramentaria et de S. Traditione, quam nostri Serbi orthodoxi secundum fontem revelationis post S. Scripturam reputant. Forsitan exc.mi episcopi orientales, saltem quidam, non possunt, ob ignorantiam linguae latinae, bene sequi nostram discussionem et ideo putant nos nimis separare S. Scripturam et S. Traditionem; quod verum non est. Candide fateor me multum praeoccupatum esse de reprobandis erroribus modernis. In hac re bonum exemplum in Concilio Vaticano I inveni. In schemate istius Concilii de Fide, propositum erat ut condemnarentur errores quorundam auctorum Germaniae, sic dictorum semirationalistarum. Huic proposito sese opposuerunt multi Patres (inter quos noster episcopus Strosmayer, ceteroquin valde benemeritus pro natione nostra et magnus orator Conc. Vat. I). Isti Patres flocci pendebant aberrationes illorum, uti ipsi aiebant, professorum germanicorum et continuo postulabant, ut Concilium discu-

teret de potestate episcoporum loco de illis doctrinis scholasticis. Sed Concilium illa proposita excipere noluit, bene sciens omnem deviationismum in campo ideologico esse millies perniciosium quam in campo disciplinari. [14] romano.

Animadversiones additae:

1. Ad art. 1, lin. 3. Bene adhibitum est verbum Foedus loco Testamentum; ita enim ambiguitas quaedam evitata est: quatenus verbum Testamentum plerumque adhibetur pro Scriptura Veteris et Novi Testamenti et Traditio in eo includere non videtur.

2. Ad art. 2, lin. 10 ss. Nos pastorales, sit venia verbo, agere intendimus. Populus noster plerumque nescit hanc longitudinem transcendentiae N. Testamenti prae Vetere, ideoque suppliciter rogaverim, ut paucis indicaretur verbis ratio illius transcendentiae.

3. Ad art. 4. Candide sentio terminologiam in hoc articulo adhibitam esse clarissimam atque utilissimam ad praecavendam quorumdam ambiguitatem auctorum modernorum in hac re quae nobis est maximi momenti in colloquio cum fratribus protestantibus. Quidam enim extenuare videntur, ob oecumenismum quendam immoderatum, verum conceptum Traditionis, quem vero conceptum nec nos nec protestantes quidem accipere possunt.

Ut autem via quaedam media inter sententias oppositas reperiatur, loco « Duplex fons », censeo « Duplex via » vel similiter adhiberi posse, sed doctrina de traditione in articulo et in capite hoc optime exposita semper eadem maneat.

4. Ad art. 5, lin. 1 sq. Aliquid adfirmari videtur nimis restrictive: asseritur enim, quod « Scripturae sensus nonnisi Traditione apostolica certe et plene intelligi vel etiam exponi potest ».

Si hoc esset verum, tunc quaedam veritates, et quidem fundamentales in theologia fundamentali, quae reapse et certe et plene ex Sacra Scriptura hauriuntur et quidem nondum sub luce Traditionis (quia ad eas methodo pervenimus apologetica, ergo Traditionis auctoritate logice nondum supposita), absque Traditione nec certe nec plene intelligeremus. Quod autem adfirmari non posse videtur.

Puta e. gr. indefectibilem institutionem Ecclesiae eiusque infallibilitatem, fundationem Ecclesiae eiusque hierarchicam constitutionem.

Quapropter humiliter rogo, ut citata formula in hunc modum vel similiter mutetur: Scripturae « sensus plerumque nonnisi Traditione apostolica certe et plene intelligi vel etiam exponi potest ».

5. Ad art. 6. Articulus enim nimis spiritu exclusivistico scriptus esse videtur respectu fidelium et exegetarum. In eo enim unice describitur munus magisterii vivi in custodiendo, tuendo et interpretando depositum fidei.

Agnoscimus vere solius magisterii esse tueri ac authentice depositum interpretari, seu simpliciter tueri pertinere quoque tum ad munus fidelium tum vero exegetarum. De cetero, ut omittamus exegetas, nonne contingit, ut in regionibus a gubernatione athea oppressis depositum fidei in familiis christianis, quae in ecclesias adire prohibentur, bene custodiatur?

Etiam de munere « enucleandi » depositum fidei a parte fidelium et exegetarum hic non esse silendum puto. Nonne fideles et exegetae in progressu dogmatico non parvam decursu saeculorum partem habuerunt?

Ideoque humiliter propono, ut articulus integer in sensu indicato melius conficiatur ac denuo redigatur.

Propono ulterius, ut explicite (quamvis ex se necesse non est, quia magisterium

infallibile necessario scire debet limites suae infallibilitatis) aliquid addatur de omnimoda subiectione magisterii ecclesiastici veritatibus revelatis, ut cuidam oecumenismo sano indulgeatur atque obiectionibus Patrum praeveniatur.

Secretarius generalis: Exitus suffragationis communicabitur crastina ... et, si necessarium erit, ad secundam suffragationem procedetur. Interea prosequitur, quia est in possessione, discussio de schemate *de fontibus revelationis,* et praecise de cap. I.

Communico omnibus Patribus quod, si forte mutandum sit schema iuxta exitum suffragationis, novum schema, discutiendum a feria VI proxima, erit *de instrumentis communicationis socialis.*

De cap. I loqui postulaverunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Eugenius Tisserant; Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Paulus Léger, arch. Marianopolitanus in Canada; Vincentius Jacono, ep. tit. Patarensis in Italia; Aemilius Guano, ep. Liburnensis in Italia; Christophorus Butler, superior generalis Congregationis Anglicae O.S.B.; Eduardus Martinez, ep. Zamorensis in Hispania; Vitus Chang, ep. tit. Cyanitanus in Germania; Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis in Canada; Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis in Italia; Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Monaco.

14

EM.MUS P. D. EUGENIUS CARD. TISSERANT

Non deest confusio in cap. I. Etenim, tituli ipsi confusionem generant. Quomodo loquitur schema de duplici fonte revelationis post nn. 2 et 3, qui tractant de transmissione revelationis? Primum revelatio facienda est, deinde transmittenda.

In n. 1, apostoli habentur ut fontes revelationis faciendae, cum dicitur: « Deus ... thesauros sapientiae et scientiae suae toti humano generi per ipsum Filium suum eiusque apostolos effudit ». Sed in n. 4 alio modo describitur hoc apostolorum munus, qui, sive ab ore Christi, sive suggerente Spiritu, acceperunt. Duplex ergo origo doctrinae apostolorum et declarandum est quid fuit eorum munus *a*) in revelatione impertienda, *b*) in revelatione transmittenda.

In n. 3, episcopi apostolis assimilantur, cum dicitur: « sicut apostoli tradiderunt quae a Christo acceperant... sic episcopi, qui in Ecclesia locum apostolorum per successionem obtinent, eorum doctrinam semper praedicatione tradiderunt et cum auctoritate interpretati sunt ». Iustane est ista assimilatio?

Episcopi sunt « testes et interpretes ». Non dicitur quod apostoli

etiam interpretes fuerunt. Suntne episcopis inferiores? Quare non dici possunt « interpretes » ii duo evangelistae, qui apostoli fuerunt, Matthaeus et Ioannes, simul « fontes revelationis » et eiusdem « interpretes », quando mentem suam referunt suggerente Spiritu Sancto?

In n. 3 dicitur: « Ministerium... verbi, quod Christus et apostoli inceperunt, semper in Ecclesia servatum est ». Sed ministerium aliquid dicit activum. Christus fuit fons, apostoli fontes et testes. Estne Ecclesia etiam fons vel tantum testis authenticus?

In n. 4 dubitari licet utrum felix sit modus loquendi « tanquam in duplici fonte », quae verba desunt in constitutione dogmatica *de fide,* cap. II, Concilii Vaticani ad quam remittitur. Praeterea ibidem sermo est « de traditionibus », non de « Traditione ».

In n. 5 dicitur: « Traditio, eaque sola via est qua quaedam veritates revelatae clarescunt et Ecclesiae innotescunt » et mentio fit de inspiratione, canonicitate et integritate sacrorum librorum. Sed multum iam de eisdem e Novi Testamenti libris erui potest. *Itaque non traditio sola est via.*[1]

In n. 6, quae est habitudo inter « Traditionem » et « vivum Ecclesiae magisterium »? Suntne res omni ex parte distinctae? Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

15

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

Humiliter fateor quod sentio. Nescio — *non intellego saltem* [1] — cur antequam *de fontibus revelationis* dicatur, non declaretur quid sit revelatio de qua agitur, ...[2] quae vis vere proprieque nomini revelationis subsit, et quale sit momentum eius pro hominibus etiam nostrae aetatis. Perperam enim, ut opinor, de re praecipua non initio, sed post absolutum cap. III tractatur.

Ceterum considerans cap. I, ut id sub oculis nunc habemus, nonnulla videntur mihi parum accurata. Iam inde ab initio capitis, pag. 9, lin. 3, quid significant verba haec coniuncta: « Revelatio ... nobis advenit Veteris et Novi Foederis oeconomia »? Num revelatio ipsa facta est oeconomia Veteris et Novi Testamenti? vel, ut clarius quaeram: oeconomia Veteris et Novi Testamenti valetne idem ac revelatio? Nemo

sane est qui hoc scite affirmare possit! Oeconomia Veteris et Novi Testamenti complectitur — saltem secundum communem acceptionem —, universam historiam utriusque Foederis, in qua eminet quidem revelatio divina, sed ab hac distinguitur, etsi historiae illi singularis Providentia praefuerit: quin tamen haec historia proprie appellari possit — sicut aliqui appellare non dubitant —, revelatio realis, distincta a revelatione quam vocant verbalem.

Eadem pag. 9, linn. 9-11, legimus: « Haec Novi Foederis revelatio, quae Veteris Foederis revelationem longe trascendit... ». Non ita dixerim! Revelatio sive in Veteri sive in Novo Testamento, cum sit pariter locutio Dei ad homines, qua talis aequali dignitate excellit. Placuit Deo, infinitae sapientiae et bonitatis, veritates supernaturales paulatim manifestare, ita ut revelatio, inchoata initio generis humani et per saecula in Veteri Testamento continuata, tandem compleretur per Iesum Christum in Novo Testamento, iuxta pulcherrimum S. Augustini effatum: « Novum Testamentum in Veteri latet, Vetus in Novo patet ».

Pag. 10, n. 4: *de duplici fonte revelationis.* Existimo non esse diu insistendum, nisi verbis ludere velimus, in refutatione sententiae illorum Patrum, qui contendunt a sacrosancto Concilio Tridentino unum tantum fontem revelationis agnosci, nempe Evangelium, cum aperte affirmet Iesum Christum Dei Filium per suos apostolos iussisse « Evangelium praedicari omni creaturae tamquam fontem omnis salutaris veritatis et morum disciplinae ». Aliud enim est dicere revelationem esse fontem unicum salutaris veritatis et morum disciplinae, aliud est affirmare revelationem ipsam ad nos pervenire duplici tramite seu, quod idem est, duplici scaturigine. Evidenter illud celeberrimum Concilium nomini Evangelii subiecit vim totius revelationis, nam statim adiecit: « ... hanc veritatem et disciplinam (quas supra vocabulo Evangelii comprehendit) contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus ». Iamvero, si revelatio continetur tum in Sacra Scriptura tum in Traditionibus — quae simul sumptae Traditio in singulari recte appellantur — nos utrimque revelationem haurire possumus, quod quidem, etiam secundum normas grammaticas, idem est omnino ac dicere divinam revelationem ad nos pervenire ex duplici scaturigine, *sicut dixi iam,*[3] seu ex duobus fontibus sicut docetur in scholis theologicis catholicis inde a pluribus saeculis.

Pag. 10, nn. 4 et 5. Non ostenditur satis perspicue, ut reor, quid intersit inter Sacram Scripturam et Traditionem. Propterea haec, plus minusve, adiici velim: Traditio est fons revelationis antiquior, amplior, clarior fonte scripto, qui Sacra Scriptura vocatur. Etenim, Traditio tum in Veteri tum in Novo Testamento, antecessit aetate libris sacris; omnes sci-

mus, exempli gratia, apostolos accepisse a Christo mandatum docendi omnes gentes, et post descensum Spiritus Sancti praedicasse universam revelationem antequam libri Novi Testamenti scriberentur. Porro, dum Sacra Scriptura non omnes veritates de fide credendae contineantur, omnes sunt in Traditione, ad quam insuper recurrendum saepe est ut loci Sacrae Scripturae obscuri ac difficiles intellectu explanentur et quae ad singulorum librorum sacrorum genuinitatem, integritatem, divinam inspirationem pertinent, plene certeque *pro omnibus*[4] clarescant...[5] Uterque fons continet verbum Dei, id est proprie vereque locutionem Dei ad homines, sed in seipsis considerati, sunt regula fidei remota; regula fidei proxima cui nempe directe et immediate assensum fidei exhibemus, est vivum et perenne magisterium tum ordinarium cum extraordinarium Ecclesiae, quod per continuam Spiritus Sancti adsistentiam est infallibile. Proinde, Ecclesiae magisterium est regula regulans fidei, et non regula regulata a Sacra Scriptura, ut nonnulli malunt dicere, quamquam idem magisterium ita Spiritu Sancto dirigitur, ut nihil umquam proponat credendum tamquam divinitus revelatum, quod non contineatur in fontibus seu in deposito revelationis, eidem Ecclesiae a Deo concredito ut depositum ipsum custodiat, tueatur, explicet. Peropportune in hunc locum cadunt verba S. Augustini contra Manichaeos: « Ego Evangelio non crederem nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas ».

Pag. 11, lin. 16 sqq. Haud recte, ut opinor, Ecclesiae eadem tribuitur auctoritas — sine ulla distinctione — in libris Sacrae Scripturae interpretandis et in perpendendis documentis et monumentis « quibus temporis decursu Traditio consignata est et manifestata ». Sacra enim Scriptura, utpote a Deo inspirata in singulis suis partibus, est in seipsa divina, documenta autem et monumenta christiana, vel antiquissima, sunt instrumenta (seu organa) simpliciter humana, quibus usum est magisterium vivum Ecclesiae ad veritates revelatas fidei et morum in diversis aetatibus exprimendas, vel iis usus est populus christianus ad fidem suam secundum doctrinam a magisterio vivo Ecclesiae sibi traditam, manifestandam et celebrandam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] seu. [3] deest. [4] deest. [5] ut asseritur in schemate.

16

Exc.mus P. D. VINCENTIUS JACONO

Episcopus tit. Patarensis

Em.me Princeps, venerabiles Fratres,

Unum tantum punctum aliquomodo tangam de Traditione apostolica et interpretatione Sacrae Scripturae.[1]

Quae habentur in pag. 10, cap. I, n. 5, lin. 37 et sqq., et in pag. 21...[2] optima ratione *habentur*[3] et peropportune dicuntur; *peropportune, inquam: sufficit recolere quae* « *Humani generis* » *habet, ut hesterna die audivimus, seu:*[4] « (nonnulli) nullam habere volunt rationem analogiae fidei ac " traditionis " Ecclesiae »...[5] Quapropter opportunissime videtur, mea humili sententia, sacrosanctam Vaticanam Synodum II confirmare et inculcare statutum Vaticani I: « Nos ... declaramus *mentem Concilii Tridentini,*[6] ut in rebus fidei et morum *ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sacrarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari* ». *Haec verba*[7] in plena et recta explicatione, etiam a Summis Pontificibus data, *sunt sumenda.*[8]

Hoc modo doctrinam et methodum Pii XII, piae recordationis, *nos sequemur; Pius XII est ille,*[9] cui omnes doctores in re biblica pergrati semper erunt pro magna charta exegesis catholicae, hac nostra aetate; *ipse dixit:*[10] « ... ut sacrorum interpretes ad sanas illas catholicae exegeseos leges revocaremus, quas Sancti Patres et Ecclesiae Doctores et Summi ipsi Pontifices tradiderunt ». *Est votum, ni fallor,*[11] em.mi card. Meyer.

Iuvabit quaedam recolere istius magnae chartae exegeseos.[12]

In secunda parte, *in Litteris Encyclicis Divino afflante Spiritu, Summus Pontifex*[13] ostendit « quae agenda restent, et qua mente exegetae catholico tantum ac excelsum munus hodie aggrediendum sit, utpote operariis in vinea Domini sedulo laborantibus, novos stimulos novumque animum addamus »...,[14] quod revera a nobis omnibus libenter admittendum.

Agit dein Pontifex de linguarum biblicarum ac ceterorum quoque orientalium sermonum peritia comparanda, de archaeologia, de arte critica textuali et de critica litteraria « ut germanam ipsam SS. Librorum

sententiam reperiat atque exponat », addens: « singulari vero studio id agant, et non tantum — id quod in quibusdam commentariis fieri dolemus (*sunt verba Pontificis* [15]) — eas res exponant, quae ad historiam ... spectent; sed opportune ostendant librorum et textuum quae sit theologica doctrina, etc. ». *Addit:* [16] « Cognitis quoque accurateque aestimatis *antiquorum loquendi scribendique modis et artibus, multa dissolvi poterunt, quae contra Divinarum Litterarum* [17] veritatem fidemque historicam *opponuntur; neque minus apte eiusmodi studium ad sacri auctoris mentem plenius illustriusque perspiciendam conducet* ».[18]

Ergo veritas imprimis et fides historica sunt prae oculis habendae. Fides historica sive Veteris sive Novi Testamenti (de fide historica Veteris Testamenti conferri potest quae dicit n. 558 Enchiridii Biblici), et praesertim Novi Testamenti, ut depositum fidei integre et sancte custodiatur.[19] Proinde si agitur de genere litterario « Dei sanctitati et veritati » repugnante — ut videtur dicendum de « midrash haggadico » quod *fabula ab ipso Wellhausen fuerit appellatum — hoc genus est respuendum in libris sacris.*[20]

De veritate in *Divino afflante Spiritu* legimus: « Hanc igitur quam Decessor Noster Leo XIII tanta cum gravitate doctrinam exposuit, Nos quoque auctoritate Nostra proponimus et, ut ab omnibus religiose teneatur, inculcamus »...[21]

Ergo non videtur, *mea humili sententia,*[22] amplius de « obiter dictis » loqui potest. De mente Pii XII quoad epistolam ad card. Suhard *in Litteris Encyclicis " Humani generis " habentur explicita quae conferri possunt.*[23]

Haec et similia optime componuntur cum principio a Concilio Vaticano I statuto. Nulla quoque difficultas adesse videtur admittendi licere exegetae narrationem libri sacri methodice investigare, abstrahendo scilicet ab inspiratione et inerrantia, ut fit quandoque a sequentibus methodum « Formgeschichte », quae *tamen, ut notum est,*[24] vilescit apud ipsos heterodoxos. Tamen ubi et quando constat hagiographum, v. g. synopticum, aliquod enuntiare ut revera historicum, in sensu proprio, exegetae etiam in quantum apologetae, non quidem licere affirmare: hagiographus certe errat. Patribus enim omnibus, verbum traditum referentibus...[25], et doctoribus persuasum fuit divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni errore esse immunes, uti diximus. Caute revera agendum ubi de hypothesibus quibus doctrina in sacris libris et in Traditione contenta attingitur: « Quodsi tales coniecturales opiniones — habemus in Encyclicis Litteris *Humani generis* — doctrinae a Deo revelatae directe et indirecte adversentur, tum huius-

modi postulatum nullo modo admitti posse »...[26] In universum magna cautela et prudentia necessariae sunt interpreti: quod *magistri saepe proposuerunt discipulis.*[27]

Conclusio: Sacrae Scripturae, divino afflante Spiritu exaratae, ab interprete catholico ergo tam integre et accurate explicentur ut felix et fecunda recentiorum, maioris eruditionis et provectioris artis, cum Traditione apostolica necnon Ecclesiae magisterio habeatur coniunctio, et omnes thesauri sapientiae et prudentiae, quae in divinis litteris habentur, in lucem facilius et rectius proferentur. Hac secura via vel methodo interpres sacer trepidus et intrepidus — ut verbis Ioannis XXIII Summi Pontificis utar, verbis in oratione diei 24 septembris huius anni *ad magistros Sacrae Scripturae in Italia*[28] — accedat ad Sacram Scripturam universam cognoscendam et interpretandam. Erit ille bene meritus de sacro deposito, Ecclesiae magisterio tradito ut custodiatur et interpretetur.

Certus sum, venerabiles Patres, omnes nos firmiter tenere velle iuramentum ante sacram consecrationem episcopalem emissum: « Sacram Scripturam interpretabor iuxta sensum quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia ». Votum ergo humiliter submitto: confirmetur et instanter inculcetur principium Vaticani I...[29] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] lin. 13-16. [3] deest. [4] cf. *Humani generis.* [5] (EB 612). [6] deest. [7] etc. [8] deest. [9] deest. [10] cf. EB 538 et 541. [11] iuxta. [12] doctrinam et methodum quam iuvat recolere breviter. [13] Pius XII. [14] (EB 546). [15] deest. [16] cf. EB 550-560, ubi expresse. [17] ... [18] deest. [19] Fides historica et V. T. (cf. EB 558) et praesertim N. T. omnino curanda ergo et depositum fidei integre et sancte custodiendum. [20] appellant — genus huiusmodi respuendum est (cf. EB 559). [21] (EB 539). [22] deest. [23] cf. *Humani generis* (EB 618), epistolas enc. maximi momenti, quae plura de re biblica habet et in schemate prae oculis habentur cum ceteris S. Scripturis. [24] deest. [25] (EB 111). [26] (EB 615. [27] Em.mus card. Bea magistris S. Scripturae in Italia commendavit a. 1950. [28] deest. [29] « in rebus fidei et morum etc. ».

Praeses card. FRINGS: Nunc secretarius generalis annuntiabit exitum votationis factae.

Secretarius generalis: Audiant omnes! Cum, praeter spem, habitus sit exitus suffragationis, hic idem exitus communicatur statim ex mandato em.mi praesidis.

Praesentes votantes: 2209.

Tulerunt votum *Placet*: quod significat esse interrumpendam discussionem totius schematis: 1368.

Tulerunt votum *Non placet*: scilicet esse continuandam discussionem: 822.

Vota nulla: 19.

Maioritas quae requirebatur, maioritas 2/3 partium, erat 1473. Cum igitur *Placet* non attigerit hanc maioritatem, non potest possidere; quapropter, de mandato praesidis, continuabitur discussio de schemate revelationis.

CONGREGATIO GENERALIS XXIV

21 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXIV

21 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis*:

Praeest hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus.

Nunc, de mandato em.mi card. a publicis Ecclesiae negotiis, haec communico: « Scrutinium, hesterno die habitum, visum est quasdam sollicitudinis causas praebuisse. Id enim sufficienti modo indicativum, sed non definitivum fuit ad Concilii Ordinis praescripta. Praeterea, attentis disceptationibus superioribus diebus factis, atque rationibus a Concilii Patribus allatis, praevidentur in disceptatione, etsi primum valde ad argumentum illustrandum contulit, diversae rationes haud facile consentire posse. Quam ob rem necessarium videtur, propositum schema iis defectibus expoliendum esse, de quibus solemnis hic coetus disceptare pergit, quin ad optatam conclusionem deveniat. Augustus Pontifex, ratione habita harum sollicitudinis causarum, atque plurium optatis annuens, benigne statuit rem speciali commissioni examinandam committere, quam component quidam em.mi Patres cardinales atque sodales sive commissionis theologicae sive secretariatus ad unitatem christianorum fovendam. Huius vero commissionis munus erit schema emendare, idemque brevius reddere atque magis apte perficere, principiis praesertim generalioribus instando. Ceteroquin, omnes bene sciunt eamdem hanc doctrinam a Conciliis Tridentino ac Vaticano I iam expositam fuisse. Schema ita simul consideratum ab ipsis diversae sententiae partibus, Patrum Conciliarium iudicio dein iterum proponetur, ut suum suffragium ferant. Itaque haec agendo, optata utilitas Patribus praebebitur, alia quoque schemata considerandi vel saltem delibandi, paucos hos per dies, qui in hac prima Concilii sessione adhuc manent; iidemque hoc aequum solacium inde hauriant antequam ad suam quisque dioecesim revertatur ».

Ad mentem huius nuntii, hodie prosequetur disceptatio de cap. I schematis *de fontibus revelationis,* et feria VI proxima initium habebit relatio et disceptatio de schemate constitutionis *de instrumentis communicationis socialis,* ut heri iam praenuntiatum est.

Nunc lego nomina eorum qui circa cap. I schematis *de fontibus revelationis* loqui postulaverunt exc.mi DD. Aemilius Guano, ep. Libur-

nensis in Italia; Eduardus Martinez, ep. Zamorensis in Hispania; Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.; Vitus Chang, ep. tit. Cyanitanus in Germania; Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis in Canada; Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Monaco; Franciscus Marty, arch. Rhemensis in Gallia; Aloisius Henriquez, ep. aux. Caracensis in Venetiola; Petrus Cantero, ep. Huelvensis in Hispania; Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia; Petrus Veuillot, arch. coadiutor Parisiensis in Gallia; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania; Eduardus Doody, ep. Armidalensis in Australia; Raphaël Moralejo, ep. aux. Valentinus in Hispania; Constantinus Barneschi, ep. Manziniensis in Italia; Carolus Wojtyla, vic. cap. Cracoviensis in Polonia; Marcus McGrath, ep. aux. Panamensis; Ubaldus Cibrian, ep. Corocorensis in Bolivia.

Et explicit disceptatio circa cap. I.

1

Exc.mus P. D. AEMILIUS GUANO
Episcopus Liburnensis

Venerabiles et dilectissimi Patres et Fratres,

Mea proposito est ut in ipso exordio schematis fusius recolantur et in maiorem evidentiam ponantur sequentia puncta, quae aliunde aliquomodo saltem partim in cap. I iacent et quae fundamentum praebent pro tota materia schematis, ad quae, immo, tota materia ordinatur.

1. Deus hominibus loquitur per suum Verbum, praesertim per Verbum caro factum in Spiritu Sancto amoris sui.

2. Christus Verbum caro factum, est imago *et via* [1] et vox Patris, unicus Magister et via ad Patrem. Ipse hominibus loquitur imprimis per sua dicta, sed etiam, ut, ni fallor, S. Gregorius Papa eloquitur, per sua facta et gesta, immo per suam ipsam personam, inter homines ex momento Incarnationis degentem.

3. Deus Verbum suum loqui vult non aliquibus et singulis hominibus solummodo sed toti humanae familiae. Verbum autem suum tradit prophetis et Ecclesiae iam inde a Vetere Testamento ut deinde Ecclesia ipsum omnibus hominibus tradat.

4. Haec traditio verbi Dei plurimis modis fit: per vocem prophetarum et per magisterium Ecclesiae, per totam *immo* [2] vitam Ecclesiae. Sed, inter plurimos hos modos, privilegiatum et principem locum obtinet Sacra Scriptura, quippe quae, Spiritu Sancto inspirante, Deum habet

auctorem. Quamvis autem in Scriptura Sacra non necessario et explicite omnia particularia contineantur quae in revelatione continentur, in ipsa tamen apertissime patet consilium Dei in sua revelatione.

5. Hoc autem consilium est: hominibus patefacere historiam salutis et viam liberationis a peccato et a malis, nec non viam vitae, pacis et amicitiae cum Deo per Christum. Per historiam vero salutis et per viam vitae, quam Deus ostendit in sua revelatione, per suum denique verbum, homo vocatur et introducitur ad agnitionem suiipsius tamquam ...[3] peccatoris *et*[4] filii Dei, super omnia autem ...[5] ad communicandam vitam divinam, in agnitione et amore Patris, per Filium in Spiritu Sancto.

6. Tota vita christiana, *tota vita*[6] Ecclesiae de verbo Dei *vivunt*,[7] quod continuo *hauriunt*[8] a flumine Traditionis, praesertim autem ab ipsa Scriptura Sacra. Tota vita christiana, tota vita Ecclesiae in servitium verbi positae sunt, ut ipsum magis magisque audiatur et resonet in corde hominum.

7. *a*) Hinc munus episcoporum, qui, quatenus magistri, sed non solum quatenus magistri, ad ministerium verbi Dei addicti sunt; *b*) hinc praestantissimum et difficillimum munus exegetarum et theologorum in servitium *ipsius*[9] verbi Dei; hinc necessitas ut theologi et exegetae continuo mutuo cooperentur ...[10] sub ductu et disciplina Ecclesiae; *c*) hinc reverentia, gaudium, sollicitudo christifidelium, immo omnium hominum, erga verbum Dei, Traditionem, Scripturam, magisterium Ecclesiae, erga Ecclesiam...[11] Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] creaturae Dei. [4] deest. [5] introducitur. [6] sive singulorum christianorum sive totius. [7] vivit. [8] haurit. [9] deest. [10] in tali servitio. [11] Verbi Incarnati.

2

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MARTINEZ GONZÁLES
Episcopus Zamorensis

Em.me Praeses, em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres Conciliares,

Merito nos omnes vehementer cupimus schema, in quantum fieri possit, undequaque perfectum elaborare. Liceat igitur mihi, cum omni modestia, nonnullas proponere observationes ad cap. I schematis constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis*, quae forte venerabili Concilio existimationis dignae possint iudicari. Respiciunt introductionem, inscriptionem et nn. 1-2.

1. Quaedam abs dubio introductio generalis desideratur, qua omnes

constitutiones dogmaticae praenuntientur, propositum Concilii enuntiando, cur de certis quaestionibus doctrinalibus agere intendat, et momentum pastorale huius Concilii determinando, ut scl. iuxta monita Summi Pontificis Ioannis XXIII in allocutione inaugurali expressa, Ecclesia, quin oculos a sacro veritatis patrimonio avertat, simul « praesentia quoque aspiciat tempora ». Talis introductionis ordinatio commissioni commendanda *videtur.*[1] Videtur autem haec duo consideranda esse:

a) Concilium alloquitur homines nostri temporis, fidei propositionem aptando eorum conditioni religiosae cum suis peculiaribus necessitatibus et desideriis. Ecclesia enim, licet magistra, vere etiam mater est, quae magnam hominum partem inter se dissociari conspicit, sive nihil ordini supernaturali prospiciendo a negotiis temporalibus absorpti, sive diffidendo forte ut cum Deo communicari possit. Ecclesia igitur ut testem inter eos sese praebet, et ut medium huius ostensionis historiae amoris Dei erga homines.

b) Oportet etiam ut in introductione valor magisterii conciliaris in constitutionibus dogmaticis declaretur modo perspicuo. Videntur enim complecti aliqua quae credenda proponuntur, alia vero quae minori officio tenenda docentur. Et, quamvis distinctio ex ipso tenore locutionis elucere possit, forsitan non inutile erit criterium exprimere quo omnis ambiguitas tollatur.

2. Titulus ipse capitis *de duplici fonte revelationis* non videtur apprime aptus: primo enim quia non adaequate comprehendit integram capitis materiam, cum, praeter quam de sic dictis fontibus, sermo sit etiam de revelationis origine et de eius ad magisterium relatione. Secundo quia formula praedicta, licet terminologia sit iam in catholicis scholis communiter admissa, immo etiam in Encyclica *Humani generis* Pii XII g. r. et in aliis documentis pontificiis, tamen in terminologia conciliari significatione plurali non invenitur. Ipsum enim Tridentinum docet: « perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris et sine scripto traditionibus... » (sic in sess. IV). Ex quo *consequitur*[2] Sacram Scripturam et Traditiones non *fontes,* sed potius *deposita* vocari in quibus divina revelatio continetur, quam quidem nos ex ipsis haurimus. Qua inter se relatione haec deposita aut rivuli, *uti dicunt,*[3] devinciantur, est alia quaestio ad n. 5 amandanda.

Insuper huiusmodi expressio forte laedat tamquam offendiculum ad finem oecumenicum et pastoralem melius *obiiciendum, quem tantum desideramus.*[4] Unde inscriptio proponitur, aut simpliciter *de revelatione* sicut Vaticanum I inscripsit, aut *de revelatione eiusque transmissione.*

3. Quum de facto revelationis schema hoc initium sumat, praemittenda videtur notio revelationis, *ut hic iam dictum est,*[5] quae efferat non

tantum eius aspectum doctrinalem, sed ipsam quoque communicationem personalem Dei cum hominibus in historia salutis. Talis notio desumi potest ex cap. IV schematis *de deposito fidei,* n. 17.

4. Quae in n. 1 de ipso facto revelationis dicuntur, vividiori formula essent exprimenda. Modus quo caput inchoatur: « Revelatio nobis advenit Veteris et Novi Foederis oeconomia », nimis abstractus videtur. Licet constitutionum tenor gravitatem et stylum proprium Conciliorum servare debeat, nec indolem redolere homiliae aut exhortationis pastoralis, potest tamen et oportet perfundi suavitate quadam hodiernos *homines* [6] digne alliciente. Quodam itaque modo significanda esset natura et indoles tum Veteris cum Novi Foederis. Praeterea duplex hoc stadium revelationis exprimatur loco integro ex epistula ad Hebraeos, I, 1-2, usque ad verba « in Filio ». Tandem opportune adderetur mentio Spiritus Sancti operantis in apostolis in ordine revelationis. Textus ergo n. 1 sic vel similiter redigi posset: « Revelatio, qua Deus in sapientia et bonitate sua semetipsum et mysteria salutis hominibus manifestare dignatus est, nobis advenit Veteris et novi Testamenti oeconomia. Deus enim non tantum loquitur ad docendum, sed et Salvator adstat hominibus in decursu historiae. Prius quidem multifariam multisque modis locutus est Patribus in prophetis, novissime vero locutus est nobis in Filio, ...[7] qui etiam apostolos suos, Spiritu Sancto edoctos, testes mortis et resurrectionis suae atque regni Dei praecones misit in universum mundum...[8] ».

5. N. 2 pulchre ostendit primam diffusionem Novi Testamenti revelationem factam esse per apostolorum praedicationem, quae et ipsa erat verbum Dei, ut S. *Apostolus* [9] Paulus edixit in epistula ad Thess. Sed propositio inserta in linn. 21-26, incipiens « Quia igitur apostoli... » et desinens: « vere sit sermo Dei », aliqua habet quae minus concinna videntur. In locis enim citatis in schemate, « verbum Dei » et « verbum Domini » sensum possessivum non habent, scl. verbum quod Deus pronuntiat, sed explicativum, id est verbum de Deo factum. Quum aliunde haec oratio sit innecessaria, quia nihil addit his quae sequuntur, melius *forsan* [10] deleretur, et sic lectio efformaretur:

« Quia igitur apostoli Evangelium Christi, et quidem eius nomine praedicant, ideo eorum praedicatio vere dici potest " verbum Dei " per eos ad homines missum, secundum illud apostoli ad Thessalonicenses... ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] est. [2] sequitur. [3] deest. [4] obtinendum. [5] deest. [6] deest. [7] (cf. *Hebr.* 1, 1-2). [8] (cf. *Io.* 14, 26; 16, 14; *Mc.* 16, 15; *Act.* 1, 8). [9] deest. [10] deest.

3

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congregationis Anglicae O.S.B.

Venerabiles Patres,

Cum sors ita evenerit ut ius habeam tam praemature loquendi iterum, indulgentiam praestetis mihi ut proponam emendationes aliquas in cap. I schematis, quae mihi utiles fore videntur, etiam si revisio aliqua maior iam fiat.

Primum autem, assentior eis quae dicta sunt heri ab em.mo praeside nostro, card. Ruffini, de praeponenda huic schemati declaratione super revelatione ipsa antequam ad nostrum modum accessus ad revelationem veniatur; et ex toto corde accipio quae de hac re paulo fusius iam hodie dicta sunt.

Ratio generalis sub qua ea quae sequuntur commendo vobis est haec: forsan satis obvium est, mihi quidem obvium est, forsan ex disceptatione generali hoc aliis etiam elucescit, hoc schema, multorum sententia, non adaequate reddere consensum scholarum catholicarum; sed magis, dum uni scholae placet, alteri scholae vel aliis scholis, plene orthodoxis et catholicis, non placet. Et praeterea parum rationis habet petitionis orientalium ecclesiarum. Et non est, mea sententia, quaestio tantum de aliquibus propositionibus, nec tantum de aliqua suavitate loquendi velut pastorali, sed est quaestio de toto scopo et toto tenore schematis. Et meo quidem iudicio, spero quoque quod iudicio etiam permultorum Patrum Conciliarium, schema tangit quaestiones legitime disputatas et non adhuc maturas ad determinandum. Igitur forsitan opportunum erit ut excludamus per emendationes ex schemate omnia quae restringunt legitimam libertatem scholarum in rebus adhuc indeterminatis, et mea et aliorum sententia nondum determinandis. Sic debemus agere, non ut substituamus sententias alicuius alterius scholae pro sententiis in schemate ut iacet expositis, sed potius ut omnes scholae possint consentire in textum sic emendatum vel amelioratum. Medio tutissimus ibis.

Igitur tradam commissioni emendationes, de quibus hic solum iam vellem dicere:

1. Titulus constitutionis mutetur, et pro titulo *de fontibus revelationis,* substituatur, ex. gr., sicut iam audivimus: *de revelatione et transmissione eius.* Et similiter, in capite nostro, pro titulo typis impresso substituatur: *de Traditione et Sacra Scriptura.* Ratio est, ut evitetur modus

loquendi qui, ut videtur, aliquibus scholis non valde placet. Et tales emendationes ad evitandum hunc modum loquendi repetentur in schedula mearum emendationum.

2. Est aliud quid, pag. 9, par. 4, lin. 14 ss. usque ad verbum « manifestavit ». Substituatur pro textu sequens forma verborum: « Christus siquidem Dominus in vita sua filiis Israël arcana regni caelorum viva voce et per vitam ipsam suam historicam manifestavit ».

Ratio est quia summa, mea sententia, doctrinae Novi Testamenti de Evangelio, de revelatione Dei, est in verbis IV Evangelii: « Verbum caro factum est ». Christus incarnatus non mere loquitur verba Dei, sed est Verbum Dei.

Alia hic omittam, sed unum, si faveatis mihi, adderem.

Aliqua dicta sunt in hac aula heri de exegetis catholicis; mea quidem sententia, erant valde iniuriosa, velut suspicionem ingerentia de fidelitate horum exegetarum, ne dicam de sana doctrina et fide eorum. De his, Patres venerabiles, valde indignor. Et cum in mentem venit mihi de illustrissimis exegetis Instituti Pontificii Biblici, de redactore ephemeridis « Revue Biblique » et de aliis Dominicani Ordinis patribus qui huic ephemeridi contribuunt, necnon de multis aliis magistris meis, utinam dicere possim amicis meis, tunc veniam...

Praeses: Displicet mihi, rev.me Pater, te rogare ut concludas, quia tempus concessum iam effluxit.

Orator: Dixi.

Textus scripto traditus:

Maluissem equidem differre ea quae dicere habeo de hoc capite donec alios audivissemus. Sed cum sors ita evenerit ut ius habeam tam praemature loquendi, velim proponere emendationes quae mihi utiles videntur, ne forte ab aliis omnino praetermittantur.

Ratio generalis sub qua ea quae sequuntur commendo vobis est haec:

Quidquid in praeparatione huius schematis evenerit, satis obvium mihi quidem est, et forsan ex disceptatione generali praehabita hoc et aliis elucescit, hoc schema non adaequate reddere consensum scholarum catholicarum; sed magis, cum uni scholae placeat, alteri vel aliis scholis, plene orthodoxis et catholicis, non placere. Et non est mera quaestio de aliquibus propositionibus, nec tantum de aliqua suavitate loquendi veluti pastorali, sed est quaestio de toto scopo et de toto tenore schematis. Meo quidem iudicio, et spero quod etiam iudicio permultorum Patrum Conciliarium, schema tangit quaestiones legitime disputatas et non adhuc maturas ad determinandum. Sed, nisi Concilii praesidentia velit uti iure suo non quidem reiciendi schematis sed differendi in diem pro tempore indeterminatum ulteriorem disceptationem eius (pro quo iure conferatis *Ordinem Concilii Celebrandi* seu sic dictum *Regolamento,* pag. 17 linn. 2-4), sed si praesides hoc iure nolint uti, tunc ad singularia debemus nos vertere. Igitur oppor-

tunum mihi videtur ut excludamus per emendationes ex schemate omnia quae restringunt legitimam libertatem scholarum in rebus adhuc indeterminatis et mea et aliorum sententia nondum determinandis. Sic debemus agere, non ut substituamus sententias alicuius alterius scholae pro sententiis in schemate ut iacet expositis, sed potius ut omnes scholae possint consentire in textum sic emendatum vel amelioratum. Igitur:

1. Titulus constitutionis. Pro titulo *de fontibus revelationis* substituatur, e. g., *de transmissione revelationis.* Et similiter, in capite nostro, pro titulo *de duplici fonte revelationis* substituatur titulus: *de Scriptura et sacra Traditione* (melius, vice versa). Ratio est, ut evitetur modus loquendi qui, ut patet, aliquibus scholis non placet.

2. Pag. 9, par. 2, lin. 14 et sequentes usque ad verbum « manifestavit ». Substituatur pro textu sequens forma verborum: « Christus siquidem Dominus in vita sua filiis Israel arcana regni caelorum viva voce et per vitam ipsam suam historicam manifestavit ».

Ratio: Ut clarius eluceat Christum non modo verbum attulisse, sed ipsum *esse* Verbum revelationis, Verbum Dei carnem factum. Revera fons et origo revelationis christianae non est solum sermones Christi, sed ipse Iesus Christus — qui tamen non habetur *sine* sermonibus suis; ideo propono « *et* viva voce *et* per vitam ipsam etc. ».

3. Pag. 10, par. 4, linn. 22 et 23. Pro verbis « non in sola Scriptura sed in Scriptura et Traditione », omissis verbis « tanquam ex etc. », et substituendo « solum in Scriptura » pro « in sola Scriptura ».

Ratio: ut evitetur modus loquendi de quo supra, et ut ratio habeatur morum catholicorum theologorum qui, ut videtur, tenent totam revelationem esse in Scriptura saltem aliquo implicito modo, quamvis non negent revelationem esse *etiam* in Traditione, neque negent Scripturam non plene et certe intelligi posse *sine* Traditione.

4. Ibidem, lin. 33. Pro « non ex libris » scribatur « non tantum ex libris ».

Ratio obvia est: ex quo tempore libri Scripturae in Ecclesia recepti sunt, Traditio haurit etiam ex libris his.

5. Pag. 11, par. 5, linn. 2-6. Omittantur. Quia si non omittantur, excludetur sententia eorum de quibus cf. 3. supra. Sed si haec omissio non placeat Concilio, tunc pro « eae imprimis » substituatur « eae saltem »; ut assertio *possit* restringi ad veritates in textu enumeratas.

6. Pag. 11, par. 6, lin. 19. Pro « utroque fonte » scribatur « sive in Scriptura sive in Traditione ». Ratio patet ex supradictis.

Praeterea, assentior eis quae dicta sunt heri ab em.mo card. Ruffini de praeponenda huic schemati declaratione super revelatione ipsa, antequam veniatur ad modum nostri accessus ad revelationem.

Unum hoc adderem. Aliqua dicta sunt heri in hac aula de exegetis catholicis, mea quidem sententia valde iniuriosa, velut suspicionem ingerentia de fidelitate eorum ne dicam de sana doctrina et fide eorum. De his valde indignor. Et cum in mentem venit de illustrissimis exegetis Instituti Pontificii Biblici, de redactore periodici Revue Biblique et aliis Dominicani Ordinis patribus qui huic periodico contribuunt, nec non de aliis multis magistris meis, utinam dicere possim amicis meis, tunc veniam peto si omnino respuam has suggestiones et suspiciones et si

enixe orem vos, Patres venerabiles, ne quid in constitutionibus vestris statueritis quod possit impedire operam pro Ecclesia talium virorum tam praeclarorum et Matri Ecclesiae tam devotorum.

4

EXC.MUS P. D. VITUS CHANG TSO-HUAN
Episcopus tit. Cyanitanus

Em.mi Praesides, veneratissimi Patres Concilii, Observatores dilectissimi,

Mihi consolationi est quod causa mea nullum schema aggreditur, sed positive pertinet ad unumquodque schema. Nobis enim [1] loquentibus de fontibus veritatum revelatarum plane praetermittendum non esse videtur mentionem facere et de revelatione originali vel protorevelatione! Sic optime iam *animadvertit* [2] exc.mus D. arch. Berolinensis Bengsch: Quomodo vivebant homines bonae voluntatis ante Abraham? Ideo desideratur, ut saltem quaedam notula de protorevelatione in tractatu *de fontibus revelationis* inveniatur his vel similibus verbis: « Ecclesia agnoscit etiam Deum, Conditorem omnium et Patrem universalem totius humani generis, omnibus gentibus, Vetus et Novum Testamenta *ignorantibus,* [3] ope protorevelationis semper adfuisse ac suam eos salvandi pietatem actualiter ostendisse ».

Ratio petitionis est: Ut genus humanum protolapsu affectum est totum, sic et pientissima Dei caritas totum genus humanum redemptionis spe relevasse consentanee omnino credendum est; ecquidem ope protorevelationis. Nulla igitur est natio, quae privata sit oporteat gratia illa protorevelationis, cum nulla sit natio, quae non iisdem protoparentibus, Adam et Eva, gaudeat. Nec ipsa electio Abrahae, quae multo quidem post tempore facta est, effectus protorevelationis iamiam in aliis nationibus vigentes delere oportuit, cum et ipse Abraham ante suam electionem sicut *et ceteri* [4] posteri Adami ope revelationis originalis Deum colere *tantum oportuerit.* [5] Specialis igitur dilectio Dei Abrahae facta certe non fundatur damnis aliarum gentium, cum Deus semper manserit Conditor omnium, quia creata sua odisse nunquam possit. Eodem igitur tempore, quo Deus suo praedilecto populo iudaico ope Veteris Testamenti specialiter fovebat, paternam suam curam erga alias nationes neutiquam neglegebat. Immo existentia Veteris Testamenti, Iudaeis ante adventum Christi facti, necessitatem existentiae efficacis protorevelationis probat in reliquis nationibus. Alioquin immanem iniuriam ac absurditatem Deo nostro Optimo Maximo ac Patri amantissimo imputare vi-

deretur, si quis dicat: Electo Abraha eiusque posteris Vetere Testamento donato, salutem reliquarum gentium parvipendisse aut neglexisse Deum.

Ut igitur Vetus Testamentum gentem iudaicam adventui Christi Redemptoris praeparabat, sic reliquas nationes praeparabat traditio protorelevationis. Unde non expedire videtur, Ecclesiam Christi de veritate hac divinam caritatem perfecte referentem tacere, quae Mater sit omnium Christi sanguine redemptarum animarum!

Rev.mi Patres Concilii,[6] uti exemplum libenter proferre dum intendo, peto veniam, ne me arguatis meam gentem praeferentem. Mihi enim deest notio de cultura aliarum nationum. Quod *autem*[7] de nostra Sinica cultura *paululum*[8] cognosco, *hoc*[9] me persuadet, ut credam: ope protorevelationis nos possidere thesaurum ex veritatibus tum de Deo ipso disserentibus, tum de religione ipsi Deo praestanda tractantibus necnon et de principiis vitam rite instituendis tam abundantem, ut invidiae aut murmurationi erga Deum Patrem nostrum locus nusquam inveniri queat, cum iisdem veritatibus Christo *futuro*[10] optimum populum praeparari liquide ac faciliter valere pateat.

Venerabiles Patres Concilii, principes Ecclesiae et apostolorum successores, quibus Ecclesia Christi est commissa, estis etiam testes Christi ac veritatum! Vos humiliter rogare intendo, ne sinatis veritatem istam inquam salutiferam longius latere! Ecclesia utique non indiget protorevelatione, sed quis vel qua ratione protorevelationem « Providentia » inquam « divina » factam ignorare audeat vel ignorari desideratur? Nonne quo plures veritates christianae fidei nostrae consentientes in aliquo populo inveniantur, eo propior sit iste populus Ecclesiae Christi *credendum est?*[11] Non propter Iudaismum ab Ecclesia reiectum est Vetus Testamentum, cur reiiciendus sit thesaurus protorevelationis propter « paganismum », dummodo ibi inveniatur? « Multifariam multisque modis olim locutus est Deus », explanatione S. Pauli applicatum esse videtur dictum citatum ad Vetus Testamentum. Sed nemo iuste negare potest, etiam protorevelatione Deum sese manifestare potuisse.

Quadringentis saltem ante annis fides christiana indesinenter...[12]

Praeses: Exc.me Domine, velis concludere, quia puto a nemine negari protorevelationem.

Orator: Unde humiliter peto vos, testes Christi ac veritatum simul et ministri redemptionis gratiarum, ut attentionem vestram vertere ad gratiam vel valorem protorevelationis dignemini. Specialiter pro gente mea peto gratiam, ut mandet sacrosanctum hoc Concilium speciale quoddam Institutum cuidam Universitati catholicae adiunctum institui, ubi inquiratur, utrum revera sint ibi « principia multis mixta erro-

ribus », an perfecta affinitas inveniatur fidei nostrae proxima, ut desinat tandem sententia Ecclesiae, supra dicta, impedimentum esse Sinensibus veritates diligentibus paganis! Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Nobis. [2] pronuntiavit. [3] nescientibus. [4] alii. [5] poterat. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] venturo. [11] credendus. [12] propagabatur in terris Sinarum; non tamen satis attenta praeparatione, forte protorevelatione tot per saecula iam vigente, effecta ita, ut paucis adhuc antea decenniis ab Ecclesia nostra decretum sit: « Confucius vero Mencius etc. ne contemnentur. Non uti dii habendi, sed uti philosophi ante Christum nati, qui quaedam bona principia moralia professi sunt, multis mixta erroribus » (Conc. Plen. Sinense a. 1926 in Shanghai habitum; decr. 709). Quis quaeso, culturam sinicam rite cognoscentium valeat tali sententiae favere? Ipse enim Confucius claris verbis confessus est, se non suam profiteri doctrinam, sed doctrinam fideli antiquorum investigatione traditioneque obtentam tradere; quam quidem libenter credo protorevelationis ope derivatam!

5

Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK
Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Venerabiles Patres Conciliares,

...[1] Ad clariorem expositionem doctrinae catholicae circa revelationem divinam et ad vitandam omnem confusionem *circa hanc rem,*[2] aliquas emendationes humiliter proponere vellem *circa cap. I schematis constitutionis dogmaticae de fontibus revelationis.*[3]

1. Ipse titulus istius capitis: *de duplici fonte revelationis,* non placet, quia indicat tantum duplicem viam transmissionis et conservationis revelationis divinae, sed nihil dicit *clare* [4] de unico auctore istius revelationis, nempe de Deo, qui in Vetere Foedere multifariam multisque modis patribus locutus est in prophetis, ...[5] in Novo autem thesauros sapientiae et scientiae suae toti humano generi per ipsum Filium suum eiusque apostolos effudit...[6] Hoc sensu, unicus auctor et unicus fons revelationis divinae est Deus. Propterea, loco generalis tituli istius capitis: *de duplici fonte revelationis, proponere vellem* [7] titulum generalem: *de revelatione divina.* Et per modum prooemii, deberet ibi clare exponi ipsa notio revelationis divinae *in genere.*[8]

2. In n. 3, lin. 17 istius capitis, pag. 10, loquitur de vivo praeconio apostolorum ac opposito praeconio eorum, divino afflante Spiritu, litteris mandato. Quod partim verum est, sed non omnino, quia

praeconium hoc apostolorum, antequam fuerit litteris mandatum, erat etiam praeconium vivum. Propterea, ad vitandam omnem confusionem, proponerem post verba: « vivum apostolorum praeconium », in lin. 17, n. 3, pag. 10, verba: « ibi non expresse consignatum ». Tunc ultima verba lin. 17, tota lin. 18 et lin. 19 istius n. 3 sic legeretur: « Illis autem scriptis vivum apostolorum praeconium, ibi non expresse consignatum, nec abrogatum nec imminutum, sed potius roboratum, securius conservatum et authentice explanatum est ».

3. Ad lin. 31, n. 4, pag. 10, loco verborum: « ut in eadem per praedicationem ecclesiasticam transmitterentur », proponerem verba: « ad fideliter custodiendum et authentice interpretandum ». Ratio: quia veritates Traditionis divinae transmittuntur, conservantur non solum per praedicationem ecclesiasticam, *ut talem,*[9] sed etiam aliis mediis, puta: monumentis, scriptis, vita Ecclesiae, quod ceterum *sat clare*[10] in n. 6, linn. 17 et 18 istius capitis, in pag. 11, indicatur, ubi loquitur de documentis et monumentis quibus temporis decursu Traditio consignata est et manifestata.

4. Lin. 3, in pag. 11, verba « eaque sola » *quae referuntur ad Traditionem,*[11] supprimantur, *quia per illam expressionem Traditio praesentatur ac nimis separata a Scriptura Sacra, sed non possumus concludere ex facto quod Traditio est transmissa duplici via, quod propterea est omnino separata, est quodammodo una etsi transmissa duplici via, duplici modo quod vocatur duplici fonte.*[12]

5. Finaliter, optatum esset, ut, claritatis causa, in futurum, *si expressio*[13] « duplex fons revelationis » *admittitur,*[14] semper addenda sit determinatio de quonam fonte revelationis agitur, de duplici nempe fonte, quo revelatio divina fuit transmissa et quo in Ecclesia servatur, sed non de duplici fonte originis, ex qua revelatio illa proveniret. Quia ratione originis, *ut iam dictum est,*[15] unicus est fons revelationis divinae — Deus. Ratione autem transmissionis et conservationis, ille fons est duplex, nempe: Scriptura Sacra et Traditio. Propterea, in usu locutionis « duplex fons revelationis » in sensu duplici modus transmissionis et conservationis clarior expressio esset: « Duplex fons transmissionis *et conservationis*[16] revelationis *divinae*[17] ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Cap. 1 schematis constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* in genere placet. Sed. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] (cf. *Hebr.* 1, 1). [6] (cf. *Io.* 14, 26 et 16, 14; *Hebr.* 1, 2). [7] proponerem. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] ad expressionem. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest.

6

Exc.mus P. D. IOANNES RUPP
Episcopus Monoecensis

Em.mi Principes et Beatitudines, venerabiles Fratres,

Confiteor quod nomine proprio loquor, nec ullo munere fungens pro episcopatu Principatus Monoecensis.

Tria praesertim in cap. I placent:

1. *Clare distinguitur inter Traditionem et magisterium ecclesiasticum. Multae aequivocationes sic evitantur.*

2. *Clare ponitur, non solum inter organa magisterii ordinarii sed etiam inter elementa quae continent Traditionem, praxis Ecclesiae, quam haud feliciter multi hodierni etiam theologi sat parum curant.*

3. *Placet praesertim quod textus de quo in redactione nobis proposita rationem habet genuinae naturae theologiae. Theologia est enim scientia. De hoc scripserunt etiam distincti et recentiores inter modernos. Verba divi Thomae semper in memoriam revocanda sunt: « Intellectus humanus procedit componendo et dividendo ». Pastores animarum — sum et ego — egent normis praecisis tam in re doctrinali quam praesertim morali. Libertas animarum iniuste laederetur si onus eis imponeretur ultra mensuram legis et hoc accidit. Ad mensuram hanc perfecte cognoscendam praecisae normae et distinctiones requiruntur.*[1]

His laudatis, non pauca remanent plus minusve emendanda.

Modus loquendi, gallice « le style »,[2] salva reverentia, longe differt a pleno ac virili sermone quo Tridentinum et Vaticanum I utuntur.

Aliqua asserta etiam videntur minus certa, ex. gr. pag. 10, par. 3, linn. 13-14, dicitur quod « Episcopi ... doctrinam apostolorum semper praedicatione tradiderunt et cum auctoritate interpretati sunt ». Ni fallor, multi episcopi, decursu saeculorum, erraverunt in fide, nec doctrinam apostolorum praedicatione tradiderunt. Verba eiusdem Clementis Romani, de quo supra in textu, iterum atque iterum cogitanda sunt. « Humiles ergo mente simus, fratres, non glorietur sapiens in sapientia sua ».

Haec tamen relinquens, duplicem tantum emendationem proponere cupio. Prima tangit par. 4, lin. 23; secunda eamdem paragraphum, lin. 32 et sequentibus.

Ad primam emendationem quod attinet, legitur in textu: « ... integram revelationem, non in sola Scriptura, sed in Scriptura et Traditione, tamquam in duplici fonte contineri ». Si Erasmus Roterodamensis hunc textum legisset forsan adhuc nobis haec dixisset quae saepe

saepius passim scripsit: « Quae in Scriptura habentur, hac in terra sufficiunt, alia in caelo videbimus ». Utinam videat!

Sed res non ita se habent. Scriptura, si sensu non mere litterali sed plenario intelligitur (*ac non* [3] hac littera quae « occidit »), *ergo, si sensu plenario intelligitur,*[4] radicem fere omnium praebet quae in Traditione divina habentur. Sed valde distinguendum est inter Traditionem divinam et mere humanam, etiam ecclesiasticam. Sic Melchior Cano, in libro III, cap. IV: « Non enim sumus ii qui pharisaeorum instar traditiones nostras velimus quasi divinas et apostolicas vindicare sed ubique gentium cupimus ut vera a falsis, ita ab humanis divina secernere, eo vero in loco maxime ubi de dogmatibus fidei catholicae agitur ».

Propter omnes has rationes, hanc emendationem propono: loco eorum quae pag. 10, lin. 23 habentur, legatur: non « in Scriptura et Traditione », sed « in Scriptura et Traditione divina ab humana caute distincta ».

Secunda emendatio tangit ultimas tres lineas paragraphi. Hic etiam prudentia commendatur. Traditio non constituitur tantum, *uti dicitur,*[5] Ecclesiae praeconio, fidelium fide et Ecclesiae praxi, omni consideratione de tempore omissa; sed requiritur assertio *diuturna* veritatis cuiusdam. Obnubilatio fidei non est praetermittenda. Cogitemus episcopos saeculi IV et Patres Concilii Constantiensis.

Aliquid e canone Lirinensi videtur in textu inserendum (non quia Vincentius prope dioecesim meam vixit), sed propter gravissimas rationes. Loco textus qui ultimas lineas par. 4 occupat, legatur: « Quare quae divina Traditio ratione sui nos docet non ex libris hauriuntur, sed ex his quae vivum in Ecclesia praeconium, fidelium fides et Ecclesiae praxis continent, id est quae " omnes ubique et semper " implicite saltem pro revelatis habuerunt *et habent* ».[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema *de fontibus revelationis* momentum habet oecumenicum, sensu quo hodie plurimi hoc verbum intelligunt. Cum magna prudentia, ad mentem Summi Pontificis, ergo tangendum est. Elementa praebere potest fecundi progressus theologici tam pro catholicis quam pro dilectis fratribus separatis. Duo praesertim laudo in schemate: 1. Rythmus, ut ita dicam, expositionis doctrinalis clarior fit quam in aliis textibus. Theologia quae vere pastorem iuvat non debet esse nimis synthetica vel prophetica. « Intellectus humanus, iuxta divum Thomam, procedit componendo et dividendo ». Celeberrimus episcopus Galliae solebat dicere: « Qui non distinguit, confundit ». Theologia parum articulata fovet, magis quam fusionem cordium, confusionem mentium. 2. Quoad particularia valde placet quod in textu Traditio clare contradistinguitur a magisterio ecclesiastico. Hoc saepe non accidit in manualibus theologicis. Haec distinctio constituit verum progressum etiam in ordine oecumenico. [2] Stylus. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest.

7

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS MARTY
Archiepiscopus Remensis

Venerabiles Patres,

Propono quasdam animadversiones ad cap. I *retractandum,*[1] specialiter circa nn. 4, 5 et 6 huius capitis.

Notiones Scripturae, Traditionis et Magisterii, in schemate, etiamque habitudines earum inter se sufficienter clarae non sunt. Lumen fieret si tota materia huius capitis in mysterio *Ecclesiae* poneretur.

Ad 1. Sicut dixit Bossuet, « L'Eglise, c'est Jésus-Christ répandu et communiqué ». Sic mysterium Ecclesiae est essentialiter mysterium « Traditionis » aut « transmissionis » Salvatoris nostri Iesu Christi omnibus hominibus. Ideo, Ecclesia, ut mysterium Traditionis, non solum doctrinam Christi, sed etiam tradit ipsum Christum, semper viventem « heri, hodie et in saecula » (*ex epistola apud Hebraeos* [2]). Hic sensus Traditionis primarius ac semper actualis videtur. Missio Ecclesiae est enim « transmissio Christi ».

Ad 2. Christus, hodie traditus hominibus ab Ecclesia, idem est ac Christus olim traditus ab apostolis, qui sunt fundamentum Ecclesiae. Huius apostolicae Traditionis, Sacra Scriptura permanet unicum testimonium obiectivum. Alia testimonia ...[3] Traditionis, saepe dictae « traditiones », in Ecclesia recepta sunt virtute conformitatis suae cum testimonio Scripturae.

Ad 3. Traditio Christi, sic definita, est, sub motione Spiritus Sancti, actus totius Ecclesiae, hierarchiae ac fidelium. Magisterii Ecclesiae proprium est normativam facere hanc Traditionem Christi, quae fundatur super Scripturam et traditiones authenticas. Ecclesia enim non tradit Christum per se ipsam, sed Christus ipse se tradit per Ecclesiam. Quod supponit interventionem ministerialem apostolorum ac eorum successorum.

Duae sunt conclusiones nostrae.

1. Haec praesentatio materiae cap. I intra mysterium Ecclesiae maxime prodest rei oecumenicae, quia, ex una parte, privilegium Scripturae recognoscit, et, ex alia parte, ponit discussionem oecumenicam in proprio ac vero loco, scl. mysterio Ecclesiae.

2. Haec praesentatio manifestat pastorale momentum nostrae discussionis. Etenim, Traditio Christi omnibus hominibus vere videtur obligatio prima ac fundamentale munus pastoris in Ecclesia.

Consequenter, peto *fortiter*[4] totam retractationem huius capitis secundum mentem interventionis nostrae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Hebr.* 13, 8). [3] omnia. [4] vehementer.

8

Exc.mus P. D. ALOISIUS HENRIQUEZ JIMENEZ
Episcopus tit. Lamdiensis, aux. Caracensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Quia totum schema retractabitur et reformabitur, haec tantum de cap. I breviter dicam.

1. Iam ab initio titulus capituli *de duplici fonte revelationis* non placet. Substituatur titulo *de fonte revelationis*. Non de duplici fonte, sed revera de duplici testimonio unius revelationis, de duplici modo quo revelatio usque ad nos pervenit: fons unicus est Evangelium, ut docetur ab ipso Concilio Tridentino. Ex Evangelio dimanant testimonia Scripturae et Traditionis, ut etiam in Vaticano et in *Humani Generis* docetur.

2. Ad n. 3. Propono mutationem ordinis ipsius numeri, quia videtur logice. Sic: « Ministerium autem verbi, quod Christus et apostoli inceperunt, volventibus saeculis semper in Ecclesia servatum est. Nam sicut apostoli tradiderunt quae a Christo acceperant, etc... ». Ponatur primus: « Quidam ex apostolis vel apostolicis viris revelationem divino afflante Spiritu, litteris quoque mandaverunt; illis autem scriptis vivum apostolorum praeconium nec abrogatum, neque imminutum, sed potius roboratum, securius conservatum et authentice explanatum est », ponatur primo; et post: « Nam sicut apostoli tradiderunt quae a Christo acceperant et successoribus suis custodienda commiserunt, sic episcopi, qui in Ecclesia... etc. ».

3. Ad n. 4. Haec dicenda videntur de duplici fonte revelationis.

a) De genuina mente Tridentini hodie inter catholicos doctores disputatur. Concilii non est quaestiones disputatas dirimere et potissime si periculum nullum contra fidem in his quaestionibus inveniatur.

b) Doctrina, cui omnes firmissime assentimus, eo modo explanari et doceri debet in Vaticano II, non simpliciter repetendo ea quae in Tridentino vel Vaticano I iam dicta sunt, sed ita ut omnes fratres in Christo credentes ad unitatem Ecclesiae allicere possit. Thema de duplici fonte ut hic exponitur confirmaret praeiudicia eorum qui tenent Ecclesiam

pro suo libito posse proponere auctoritative dogmata quae in Scriptura nullo modo inveniri possint.

c) In schemate videtur docere dari veritates ad salutem necessarias, praeter eas in Scriptura contentas, quae solummodo in traditionibus oralibus contineantur. Attamen documenta magisterii, v. g. in definitione dogmatis Assumptionis, semper ad Sacram Scripturam se referunt.

d) Schema etiam supponit revelationem nihil aliud esse nisi communicationem conceptualem veritatum; sed e contra quae Traditio ratione sui continet, ex fonte apostolico et vivo Ecclesiae praeconio, fide fidelium et praxi ipsius Ecclesiae hauriuntur.

e) Revelatio integra « depositum fidei » constituit, quod simul Scripturam et totam vivam realitatem primitivo-apostolicae Ecclesiae cum sua essentiali structura, suo magisterio, ministerio et suis sacramentis complectitur. Haec realitas utpote viva, sub impulsione Spiritus Sancti, crescere debet usque dum perveniatur ad plenitudinem Christi.

Ad n. 5: *De habitudine unius fontis ad alterum*: modo clariore exponatur ita ut acatholicos non offendat.

Ad n. 6: *De habitudine utriusque fontis ad magisterium.* In schemate, magisterium videtur proponi ut regula mere regulans; sed est simul regula regulans et regulata, ideo regulata quia magisterium reverenter suscipit et Scripturam et Traditionem apostolicam.

Loquatur lingua quam omnes, etiam non-catholici, intelligere possint, ita ut omnes sciant ex doctrina catholica ab Ecclesia proposita non solum eruitur verus sensus Sacrae Scripturae, sed etiam viceversa, Ecclesia hodierna, ut iam antiqua fecit, ex diligenti et amoroso studio et consideratione Scripturae, profundius penetrat et clarius percipit et proponit sensum ipsius doctrinae catholicae. Dixi.

Textus scripto traditus:

Quia schema retractabitur et reformabitur haec tantum breviter dicam de cap. I.

1. Ipsum titulum capituli non placet, nempe *de duplici fonte revelationis*, substituatur titulo: *de revelatione eiusque fonte.* Ut iam saepe et multum dictum est, non de *duplici fonte,* sed revera agitur de *duplici testimonio unius* revelationis, de *duplici modo,* quo revelatio usque ad nos pervenit: fons unicus est Evangelium, ut docet Tridentinum in sess. IV (« ... hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus *puritas ipsa Evangelii* in Ecclesia conservetur, *quod* promissum ante per prophetas in Scripturis sanctis Dominus Noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos apostolos *tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae* omni creaturae praedicari iussit (*Mt.* 28 19 sq.; D. B. 783); ex Evangelio autem testimonia Scripturae et Traditionis dimanant (cf. ibidem).

2. Ad n. 3. Mutetur ordo numeri ut logice procedat. Sic proponitur: « (*De transmissione revelationis Novi Foederis*). Ministerium autem verbi, quod Christus et apostoli inceperunt volventibus saeculis semper in Ecclesia servatum est. Quidam ex apostolis vel apostolicis viris revelationem divino afflante Spiritu, litteris quoque mandaverunt; illis autem scriptis vivum apostolorum praeconium nec abrogatum, neque inminutum, sed potius roboratum, securius conservatum et authentice explanatum est. Et sicut apostoli tradiderunt quae a Christo acceperant (cf. 1 *Tim.* 6, 20; 2 *Tim.* 1, 14) sic episcopi, qui in Ecclesia locum apostolorum per successionem obtinent, eorum doctrinam semper praedicatione tradiderunt et cum auctoritate interpretati sunt ».

3. Ad n. 4 haec brevissime dicenda videntur.

a) De genuina mente Tridentini circa duplicem fontem revelationis hodie inter catholicos doctores disputatur. Concilii non est quaestiones disputatas dirimere, praesertim si periculum nullum contra fidem in his quaestionibus inveniatur.

b) Doctrinam, cui omnes firmissime assentimus, eo modo explanari et doceri debetur in Vaticano II, ut attento progressu theologico ultimis saeculis evento, ita proponatur ut omnes fratres in Christo credentes ad unitatem Ecclesiae allicere possint.

Doctrina de duplici fonte ut hic exponitur praeiudicia confirmabit eorum qui cogitant Ecclesiam pro suo libito auctoritative proponere posse dogmata nova quae in Scripturis nullo modo inveniri possint.

c) Etiam in schemate docere videtur dare veritates ad salutem necessarias, praeter eas in Scripturis contentas, quae *solummodo* in Traditionibus oralibus contineantur. Hoc, etiam inter catholicos, disputatur; et magisterium ipsum Ecclesiae, exempli gratia in definitione dogmatica Assumptionis B. M. V., ad Sacram Scripturam se refert.

d) Schema etiam praesupponit revelationem nihil aliud esse nisi communicationem conceptualem veritatum; sed e contra, quae Traditio, ratione sui continet, ex fonte apostolico, vivo Ecclesiae praeconio, fide fidelium et praxi ipsius Ecclesiae hauriuntur.

e) Revelatio integra « depositum fidei » constituit, quod simul complectitur Scripturam et totam vivam realitatem Ecclesiae primitivo-apostolicae cum eius essentiali structura, magisterio, ministerio et sacramentis. Haec realitas, utpote viva, sub impulsu Sancti Spiritus, crescere debet usque dum perveniatur ad mensuram plenitudinis Christi.

Ad n. 5: « De habitudine unius fontis ad alterum »: modo clariori exponatur, ita etiam ut acatholicos non offendat.

Ad n. 6: « De habitudine utriusque fontis ad magisterium ». In schemate magisterium videtur proponi tantum *ut regula mere* regulans; sed revera est regula simul *regulans, et regulata,* ideo regulata quia magisterium reverenter et amorose suscipit et Scripturam et Traditionem apostolicam. Loquatur lingua, quam omnes, etiam non catholici, intelligere possint; ita ut omnes sciant ex doctrina catholica ab Ecclesia proposita non solum eruitur verus sensus Sacrae Scripturae, sed etiam viceversa, Ecclesia hodierna, ut et antiqua, diligenti et amoroso studio et consideratione Scripturarum profundius penetrat et clarius percipit sensum ipsius doctrinae catholicae.

9

Exc.mus P. D. PETRUS CANTERO CUADRADO
Episcopus Huelvensis

Liceat mihi aliquas observationes *a*) circa contextum generalem, *b*) circa quasdam expressiones adhibitas in diversis paragraphis huius capitis *de duplici fonte revelationis,* venerabilibus Patribus reverenter exponere.

1. *Circa contextum generalem.* Tria haec humiliter exponam:

a) Prae oculis semper habentes non tantum statum actualem quaestionis tractandae sed etiam proiectionem et progressum eiusdem in futuro, puto quod in hoc schemate forte contineantur, cum quaestionibus iam definitis, aliae quaestiones hodie polemice agitatae et adhuc theologice immaturae. Ideo, etsi catholica veritas integre, concrete, *praecise,*[1] absque ambiguitate proclamanda sit, tamen, habita ratione pastorali huius Concilii Oecumenici Vaticani II, opportunum forte esset tali modo in argumentatione et expositione veritatis catholicae uti et sanciri adaequata qualificatione theologica ut, ex una parte, viam difficiliorem reddere nequeant dialogo cum fratribus nunc ab Ecclesia catholica separatis, et ex altera parte, sicut aiebat Summus Pontifex Ioannes XXIII feliciter regnans in sua oratione inaugurali huius Sanctae Synodi, « ea ratione pervestigentur et exponantur quam tempora postulant nostra ».

b) Cum proferuntur textus dogmatici alicuius Concilii melius esse videtur, conservata materia, conservari et verba. Quodsi nova introducantur vel substituantur, ex progressu alicuius ideae, praeferendum videtur ut clare uno vel alio modo indicetur.

c) Quaeri posset utrum generetur aliqua confusio e diversis verbis quasi indifferenter adhibitis « Traditionem » exprimentibus. E. g. praedicatio, praeconium vivum, traditio, traditio divina, traditio apostolica, habentne eamdem semper concretam significationem?

2. *Circa quasdam expressiones adhibitas in hoc capite.*

a) In par. 1, statuta comparatione inter revelationem Veteris et Novi Foederis, de prima dicitur, lin. 4, « patribus »; de altera autem, lin. 6, « toti humano generi ». Nunc vero affirmatio praecipue innititur verbis epistolae ad *Hebr.* I, 1-2; ubi tamen non habetur binomium « patribus — toti humano generi », sed « patribus — nobis ». Videtur igitur *haec*[2] citatio biblica aliquantulum libera et forte interpretatio minus exacta. Nam si de facto per apostolos revelatio Novi Foederis

« toti humano generi » destinatur, etiam revelatio Veteris Foederis « per patres » respicit totum Israël, et nationale et messianicum. Ita magis apparet mysterium Christi ut centrum historiae salutis. Mandandi ergo melius textus illi biblici (sicut et alii, nisi directe ad probandam doctrinam adhibeantur) ad calcem, vel exacta illorum interpretatio fiat.

b) In altera paragrapho, lin. 9, legitur: « Haec Novi Foederis revelatio, quae Veteris Foederis revelationem longe transcendit eamque consummavit, Deo ita disponente, potissimum per praedicationem sparsa est et auditu recepta... etc. »; duo liceat notare:

1. Verbum « potissimum » forte melius substitueretur locutione « primis temporibus », vel alia simili, ut aptius responderet et titulo par. 2 (de *prima* diffusione revelationis Novi Foederis) et sensui testimonii S. Clementis Romani, quod quidem ad calcem ponendum melius quam in ipso textu mihi videtur.

2. Sine dubio prima praedicatio praecessit libro scripto; aut post scripta Evangelii, etc., nonne primorum Patrum praedicatio hauriebatur potissimum ex illis scriptis Evangeliis, quae quoad eorum vim et momentum forte in schemate apparent restricta ac Traditioni non aequalia et parallela sed inferiora...[3]?

Hoc forte clarescit magis in par. 3 (linn. 15 usque ad 19) et 4, in qua ultima ita « modus » diversus (Scripturae et Traditionis) in ratione *fontis* exponitur ut, citatis Vaticano et Tridentino, mutetur verbum « dictante » in « suggerente » (pro Traditione) et videatur introduci velle aliqua quaestio in scholis *hodie*[4] disputata, de Traditione ut fonte revelationis, superante vel non superante, hoc vel alio sensu, Scripturam. Quaeritur: subiacet quaestio magis polemica quam dogmatica?

Post haec tamen in par. 5, lin. 35, pervenitur ad aequilibrium inter Traditionem et Scripturam ut fontes revelationis, quod in Tridentino et in Vaticano I adest et effulget. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] et. [3] et subiecta. [4] deest.

10

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ŠEPER

Archiepiscopus Zagrabiensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Quamquam laborem peritorum schema praesens componentium revereor, nihilominus propter Oecumenicae huius Synodi auctoritatem proferre debeo: Cap. I uti iacet *non placet* atque ex integro rescribendum est.

Praecipua ratio in eo est quod descriptio Traditionis hic proposita nimis angusto conceptu praedicationis innititur: sumitur nempe in sensu praedicationis mere et exclusive oralis...[1] Schema procedit adeo ut quis concludere possit potestatem docendi a Christo apostolis eorumque successoribus traditam, ...[2] restrictam esse ad solos actus docendi viva voce, alios vero modos et media, quibus verbum Dei annuntiari etiam potest, praerogativa auctoritatis a Christo proveniente carere...[3] Quapropter haec a nobis nude approbanda non sunt, ne incaute confusionibus disputationibusque superfluis, aut etiam erroribus, viam aperiamus...[4]

Fundamento hoc nimis arcto fretum, schema pervenit ad assertionem: « ... quae divina Traditio ratione sui continet, non ex libris, sed ex vivo in Ecclesia praeconio, fide fidelium et Ecclesiae praxi hauriuntur »...[5]

Praetereamus nunc conceptum « Ecclesiae praxis », ceteroquin ambiguum et aequivocum, praecisiore determinatione indigentem. Consideremus, quaeso, illud: « non ex libris, sed ex vivo in Ecclesia praeconio ».

Dicamus imprimis, nullam existere rationem veram, quae probaret mandatum mundi evangelizandi restrictum esse a Christo ad solam praedicationem vivae vocis...[6] Apostoli revera viva voce verbum Dei praedicabant, sed quo iure inde concludamus, aeque essentiale esse illud « viva voce » ac illud « verbum Dei »? Cur limitati essent ad medium vivae vocis, aliis mediis veritatis communicandae exclusis?...[7]

Praeterea apostoli inde ab initio in annuntiatione Evangelii adiumento habebant librum scriptum, nempe Scripturas Veteris Testamenti, quibus venerationem ut verbo Dei exhibere debebant, dicente Domino: « Non veni solvere sed adimplere »...[8] Ergo non recte docet, qui documenta scripta ex praedicatione primitiva apostolica amovere vult...[9]

Praetergrediamur nunc libros inspiratos Novi Testamenti.

Tempore apostolico nondum plene absoluto, S. Clemens Papa scribit epistulam ad Corinthios, in schemate alioquin citatam...[10] Quis negabit eam fuisse et adhuc esse instrumentum insigne verbi Dei annuntiandi: unum igitur ex locis praecipuis unde divina Traditio haurienda sit? Et tamen non agitur de praeconio vivo, sed de scriptione, i. e. de libro...[11] Qua ergo ratione, quaeso, schema vult ut credamus et definiamus ea, quae Traditio ratione sui contineat, non ex libris haurienda esse?

Numerosissima sunt exempla decursu saeculorum, ubi Pontifices Romani aut episcopi doctrinam Christi annuntiabant non per locutionem proprie dictam sed ope scriptionis...[12] Etiam hodie, et quidem merito, maiorem auctoritatem doctrinalem tribuimus Litteris Encyclicis Papae quam simplicibus homiliis et allocutionibus. Patet igitur media potentiora quibus Traditio divina et apostolica ad nos usque pervenit esse proprie libros; eapropter, hoc cap. I fundamentaliter emendandum est.

Siquidem quaeri potest: quinam in schemate intelliguntur tamquam haurientes ea quae Traditio ratione sui contineat? Utrum fideles, qui quaerunt quae sint amplectenda et observanda, an theologi, qui scientificae elaborationi doctrinae christianae student? Sed quis nostrum affirmaret, utrosque veram doctrinam Christi haurire posse exclusive ex praedicatione vivae vocis in nostris ecclesiis, ex fide propria atque aliorum fidelium, ex praxi hic et nunc in *Ecclesia*[13] vigente, *uti dicitur in schemate,*[14] et nulla ratione: illos ex. gr. etiam ex quodam libro precum aut alio ab Ecclesia approbato, hos (*i. e. theologos*[15]) etiam ex variis documentis decursu saeculorum in Ecclesia conscriptis?

Vel denique schema in mente habet potius ipsum Magisterium Ecclesiae, ut sensus sit, Pontificem Romanum et episcopos, ecce, hoc Sanctum Concilium, non posse ea quae Traditio ratione sui contineat, haurire ex libris sed ex sola praedicatione vivae vocis sua propria aut aliorum Pontificum, ex fide sua propria aliorumque fidelium, ex actuali praxi *Ecclesiae*[16]?

Sed in hoc casu duae solae possibilitates dari videntur:

Aut 1: ea quae Traditio ratione sui continet hauriri possunt ex solo ultimo iudicio Magisterii de vero sensu Scripturae...[17] Sed hac via prorsus perit thesis de Traditione ut altero fonte, a Scriptura independente, quae in schemate fortiter sustinetur. Supposita enim veritate, in Ecclesia agnita, revelationem publicam completam esse cum morte ultimi apostoli, nulla nova veritas obiective sumpta in isto iudicio concreto inveniri potest, *obiective sumpta. Et nunc*[18] et semper sententia haec mira videtur, cum manifeste supponat inspirationem divinam concretam in unoquoque

casu, si Traditio ita intellecta qualicumque ratione « divina » vocari velit.

Aut 2: forsan schema supponit adhuc hodie exstare quasdam revelatas veritates quae nondum ullo modo conscriptae sint, sed inde a tempore apostolico usque ad nos nonnisi viva voce pervenerint. Sed haec suppositio parum mihi credibilis videtur. Et quis ex nobis hic praesentibus affirmare possit, se in sua mente reconditam habere aliquam veritatem a Deo revelatam quae in nullo libro christiano ullo modo scripta iaceret, sed ex sola praedicatione in Ecclesia accepta sit?...[19]

Denique, quidquid sit de ista quaestione difficili, utrum et quonam sensu existant aut existere possint, hodie et usque ad finem mundi, quaedam veritates revelatae — obiective sumptae — in praedicatione Ecclesiae ordinaria viva, et quae nondum conscriptae sint nec conscribi possint, duo tandem hic et nunc *affirmamus in fine*:[20]

1. Obscuram hanc ultimam quaestionem a nostro Concilio modo peremptorio et definitivo resolvendam non esse.

2. Traditionem obiective sumptam etiam ex libris hauriri posse...[21]

Nescio cur in schemate, tum in hoc cap. I, tum in aliis, praetermittatur « unanimis consensus Patrum », qui ut regula in interpretatione Sacrae Scripturae necessario observanda declaratur a Tridentino...[22] et repetitur a Vaticano I...[23] Satis.

In textu scripto tradito: [1] Sufficit etiam superficialis lectio nn. 2-4, ut experiatur, quam intime in schemate coniuncti sunt conceptus traditionis cum conceptu praedicationis vivae vocis. Notio traditionis ibi excrescit ex praedicatione et praedicatione complectitur. Nn. 2-4 sciunt duos solos modos annuntiationis verbi Dei in Novo Foedere: 1. *Praedicationem* vivae vocis et 2. *Scripta* aliquorum ex apostolis et apostolicis viris, divino tamen afflante Spiritu conscripta, i. e. speciali modo a Deo causata. *Praedicatio* est modus *potissimus,* manifeste relate ad Scripturam N. T. (n. 2). Ut pateat agi de praedicatione vivae vocis, adiungitur receptam esse *auditu* (ibi). Christus in vita sua (adiungendum: terrestri) *viva voce* arcana regni caelorum manifestabat, et idem praecepit apostolis. Hi *praedicabant,* solummodo nonnulli scripserunt, at hoc erat afflante Spiritu Sancto, et praeconium vivum inde non est imminutum (n. 3). Haec praedicatio vocatur *ministerium verbi,* quod incipitur a Christo et apostolis et servatur in Ecclesia. Episcopi doctrinam apostolorum *semper praedicatione* tradiderunt (n. 3). Unde concluditur traditionem vere *divinam* esse illam, quae ab apostolis Ecclesiae quasi per manus tradita est, *ut per praedicationem ecclesiasticam* transmitteretur (ac si praesupponatur apostolos ita Ecclesiae mandavisse, ut certae veritates non scriberentur?). Unde genuina traditio hauriri potest ex solo *vivo praeconio, non ex libris.* Facile perspicitur, qua ratione in talem conceptum traditionis intrat fides fidelium (quae correspondet praedicationi vivae vocis). Non ita patet, quomodo in systema sic clausum intrat praxis Ecclesiae, quae tamen omnino in ambitum traditionis pertinet, quoniam secundum sensum Tridentini inter traditiones non numerantur solummodo veritates sed etiam

facta et instituta. Secundum nostrum schema manifeste a Christo originem ducit sola praedicatio vivae vocis reduplicative sumpta. Nulla scriptio agnoscitur ut possibilis, praeter Scripturas N. T. inspiratas, quae proinde speciali modo et ratione, praeter ordinarium rerum cursum, a Deo ipso exoriuntur. [2] (*Matth.* 28, 18-20). [3] Conclusio ista facile imponitur, cum schema tam nervose insistat in praedicatione vivae vocis, quae sola fundamentum praebet, ut doctrina, ea mediante tradita, characterem traditionis *divinae* habere possit (n. 4). Si schema docet Christum explicite voluisse et praecepisse praedicationem vivae vocis qua talem, et solam illam doctrinam quae tali modo ad nos pervenit habere characterem doctrinae a Christo provenientis, exceptis utique scriptis a Deo prorsus specialiter causatis quorum Deus ipse auctor est, quid mirum si concludamus alias omnes scriptiones praeter Scripturas canonicas currere extra viam a Christo explicite volitam et designatam? [4] Non est parvipendenda ista conclusio, quamvis a redactoribus schematis non advertatur. Non intendimus eos inculpare: dicimus solummodo in schemate praemissas positas esse, quae facile ad conclusionem funestam ducerent. Redactores nimis systema creare cupiebant! [5] (n. 4). [6] Verbum *kéryssô,* quod apud *Marc.* 16, 15 legitur, primarie quidem exprimit praeconium sollemne orale. Verumtamen ne plus iusto serviamus litterae; praesertim cum locus parallelus apud s. Matthaeum afferat verba sub isto respectu magis generica: *matheteusate* et *didaskontes*: *discipulos facite, docentes*; *Mt.* 28, 18-20. [7] Schema utique non dicit alia media esse exclusa aut prohibita, at ex schemate sequi videtur mandatum Christi referri ad solam praedicationem vivae vocis, quod vero practice dicit, alia media, excepta Scriptura a Deo ipso inspirata, ut vehiculum verbi Dei inservire non posse. [8] *Mat.* 5, 17-18: « Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat caelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant ». Ipse Dominus aperuit eis sensum ut intelligerent Scripturas, *Lc.* 24, 45. Ita apostoli, evangelica luce illustrati, Scripturam Veteris Testamenti authentice interpretari potuerunt et re vera interpretati sunt: possidentes clavem Scripturarum a Christo traditam, aliis etiam aditum ad thesauros revelationis divinae in Lege et Prophetis reconditos aperiebant. Non semel annuntiatio apostolica incipiebat a lectione Scripturarum (cf. collocutionem Philippi diaconi cum Eunucho, *Act.* 8, 35), et semper apostoli Scripturis usi sunt tamquam medio potenti et valido ad Evangelium Iesu Christi hominibus tradendum. Immo aliis lectionem Scripturarum in luce fidei Iesu Christi commendabant (Paulus laudat Timotheum « quia ab infantia sacras litteras nosti », 2 *Tim.* 3, 15 sq.). Relationem Novi Foederis ad Vetus sic describit s. Leo Magnus Papa: « Dispensationes misericordiae Dei, quas Salvator noster pro humani generis reparatione suscepit, ita sunt, dilectissimi, divinitus ordinatae, ut Evangelium gratiae velamen legis tolleret, non instituta destrueret. Unde *custodienda nobis est* Dominica illa sententia, qua dixit se non venire legem solvere, sed implere, ut nos quoque *huic regulae,* quantum donante Deo possumus, *serviamus,* scientes nihil esse de Veteris Testamenti constitutionibus negligendum, si vigilanter studeamus agnoscere quid ibi *transitura obumbratione velatum,* quid *permansura actione* sit conditum. Nam discretio ciborum et hostiarum, circumcisio carnis, differentia baptismatum, et observatio baptismorum, non adhuc sub figuratis significationibus sunt agenda, quae *etiam sunt rebus ipsis quae significabantur impleta;* mandata vero et praecepta *moralia* sicut sunt edita *perseverant,* quia *non aliud insinuant quam loquun-*

tur et apud christianam devotionem augmento crescunt, non cessatione deficiunt. Diligere itaque Deum et proximum, honorare patrem et matrem, non adorare deos alienos, et cetera, quae aut terribiliter sunt prohibita, aut salubriter imperata, *non aliter ex legalibus institutis quam ex evangelicis veneramus* edictis, ut quamvis multa *accesserint ex novitate gratiae, nihil tamen imminutum sit de antiquitate iustitiae* » (Sermo XX, 1; PL 54, 188-189). [9] et mandatum Christi ad praedicationem vivae vocis exclusive restringit. [10] (n. 2). [11] Papa non praedicabat viva voce Corinthiis, sed documentum scriptum confecit misitque Corinthum! [12] Unum notemus: [13] Ecclesiis. [14] deest. [15] vero. [16] ecclesiastica. [17] (viva voce prolato?). [18] deest. [19] Immo, in schemate supponi videtur omnes veritates a Christo revelatas, obiective seu materialiter sumptas, numquam conscriptas esse posse. Huic enim Synodo *ad definiendum* proponitur: ea quae traditio ratione sui contineat ex libris hauriri omnino non posse. Definitio autem conciliaris non profertur ad tempus, sed pro semper. Iamvero, ex dictis apparet, ipsum conceptum revelationis divinae hic in causa esse, quem vero conceptum commissio praeparatoria ad aliud schema remisit! [20] affirmanda sunt. [21] Patet utique, ultimum iudicium de contentu et vero sensu traditionis pertinere ad magisterium, quae quidem valent etiam pro Sacra Scriptura. Tamen magisterium potest istud iudicium exprimere *etiam scripto*, non necessario et exclusive per praedicationem vivae vocis. De cetero, etiam redactores schematis, modo inconscio saltem, de hac secunda constatatione convinctos fuisse apparet ex capitis huius n. 6, ubi loquuntur de « documentis et monumentis quibus temporis decursu Traditio consignata est et manifestata », quod contradicit n. 2: « non ex libris ». Dicet forsan aliquis, illud « non ex libris » in nostro schemate idem esse ac « sine scripto traditionibus » Concilii Tridentini (sess. IV, Denz. 783). Sed in Tridentino, uti ex contextu patet, « libri scripti » a quibusdam distinguuntur « sine scripto traditiones », manifeste intelliguntur libri Sacrae Scripturae. Econtra in nostro schemate, illud « non ex libris » manifeste designat libros quoscumque et opponitur « vivo in Ecclesia praeconio, fidelium fidei et Ecclesiae praxi ». Merito igitur dicimus, caput hoc fundamentali quadam incohaerentia laborare et obscuritate: unde omnino rescribendum et retractandum esse iudicamus. Sed nunc quaestio dirimenda advenit, ex quibus libris sive documentis traditio obiective sumpta haurienda sit et quo modo? Ut quam praecisius haec in constitutione determinetur, enixe cupio. [22] (Denz. 786). [23] (Denz. 1788), et qui exinde tenendus est manifeste pro regula verae traditionis. Sanctae Synodo insuper proponere velim, ut conceptus « consensus Patrum » amplificetur eo ut sonet: « consensus Patrum et theologorum in Ecclesia » vel « universalis et constans consensus catholicorum » (cf. Denz. 1683 et 1684), aut similiter. Patres quidem prae aliis theologis catholicis eminent antiquitate et diuturna in Ecclesia receptione, differentia tamen non videtur essentialis, dummodo auctoritas in omni casu recte et debitis cum respectibus aestimetur. Si methodus scientifica ad hunc consensum semper facile et clare stabiliendum nondum elaborata est, ipse conceptus et formula, in Ecclesia iam per saecula in venerabili usu et a Conciliis confirmata, nullo modo respuenda est. Tandem necessarium iudico, ut haec S. Synodus aperte et sincere proferat, Magisterium ecclesiasticum non esse tantum proximam et universalem normam credendi (n. 6), sed etiam ipsum Magisterium regulari verbo Dei scripto et tradito, cui humilem oboedientiam moralem et religiosam praestare debet. Dico: oboe-

dientiam moralem et religiosam, ut distinguatur ab oboedientia in sensu stricte iuridico, quae quidem etiam adest si agitur de organis magisterii inferioribus, non vero si agitur de Magisterio Supremo, scil. de Summo Pontifice, quia Prima Sedes a nemine iudicatur nisi a solo Deo! Declarationem istam necessariam teneo eo fine ut tollatur et evitetur scandalum non paucorum in fide pusillorum, et praecipue illorum ab Ecclesia separatorum, qui confunduntur — non bene iudicantes — quasi magisterium ecclesiasticum potestate quadam omnino absoluta et puro arbitrio humano vim in conscientias fidelium exerceret. Quoniam haec oboedientia Verbo Dei scripto et tradito a magisterio revera debetur, omnibus nobis consentientibus, nescio quae prohibeant, quominus haec in constitutione explicite scribantur, dicente apostolo: « Itaque quae pacis sunt sectemur: et quae aedificationis sunt, in invicem custodiamus » (*Rom.* 14, 19). Et iterum: « Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere » (*Rom.* 15, 1). S. Leo Magnus: « Apostolicae traditionis... instituta servantes, ... ostendentes apud nos auctoritatem Patrum vivere, eorumque *doctrinam in nostra obedientia* permanere » (Sermo X, 1; PL 54, 164). « In quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo *necesse est* me perseverantem exhibere *famulatum,* quoniam dispensatio mihi credita est et *ad meum tendit reatum,* si paternarum *regulae* sanctionum quae in synodo Nicaena ad totius Ecclesiae regimen *Spiritu Dei instruente* sunt conditae, me quod absit connivente violentur, et maior sit apud me unius fratris voluntas, quam universae domus Domini communis utilitas ». Epist. 104 (ed. Ballerini); Silva-Tarouca, Epistulae II, 95, linn. 64-70. Perperam citaret quis verba S. Augustini ex libro Contra epistulam Manichaei quam vocant Fundamenti, c. 4, 6: « Ego Evangelio non crederem nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas » (PL 42, 176), si inde vellet demonstrare magisterium Ecclesiae non debere oboediens esse Evangelio. Nullatenus enim probari potest Augustinum hic sub nomine Ecclesiae intelligere solum magisterium. In textu enim verba citata praecedenti (c. 4, 5 PL 42, 175) Augustinus describit Ecclesiam, ex qua descriptione clare perspicitur sub nomine Ecclesiae ab eo non intelligi solum magisterium, sed universam Ecclesiam et quidem ita descriptam ut appareat Augustinum hic prae oculis habuisse illud quod nos nunc vocamus *traditionem.* Ita sensus verborum supramemoratorum esset: Ego Evangelio non crederem nisi ex traditione ecclesiastica saperem agi de verbo Dei. De cetero videas quomodo haec verba Augustini explicaverat Driedo, theologus concilii Tridentini: « Et consideratione huius, inquit Augustinus, ego evangelio non crederem, nisi me ecclesiae commoneret authoritas: ecclesiam intelligens, non particularem hanc vel illam, sed universalem et catholicam, quae una et eadem est secundum membrorum suorum incrementa, de qua in libro contra Faustum manichaeum: Palam est, inquit, quantum in re dubia ad fidem et certitudinem valeat catholicae Ecclesiae authoritas, quae ab ipsis fundatissimis sedibus apostolorum usque in hodiernum diem, succedentibus sibimet episcopis secundum seriem successionis, et tot populorum consensione firmatur ». Hoc sensu nedum infirmatur sed confirmatur magisterium ecclesiasticum oboedire debere verbo Dei scripto et tradito. Etenim si nos Scripturam ut verbum Dei accipimus ideo quod ex manibus magisterii eam recipimus, hoc fit ideo quod magisterium Scripturam nobis porrigit ut verbum Dei cui ipsum magisterium credit et oboeditur, non quod nos ad credendum et oboediendum obligaret, ipsum vero magisterium non crederet! Praeterea, quando dicimus magisterium Scripturae oboedientem esse debere, eo ipso

non dicimus magisterium non posse proferre et proponere veritatem quae modo manifesto ex Scriptura deduci non possit. Haec oboedientia (est conceptus oboedientiae!) significat solummodo magisterium non posse contradicere veritati quae manifeste et aperte in Scriptura docetur simul ac magisterium obligatum esse ut Scripturam diligentem scrutaret priusquam aliquam veritatem proponeret. Et quis est qui hoc negare possit? De cetero manifesta est fides Ecclesiae magisterium non posse annullare definitiones conciliorum et Pontificum anteriorum nec non manifesta testimonia Scripturae, et quid est hoc nisi oboedientiam exhibere verbo Dei scripto et tradito? Cum ergo pateat talem obligationem re vera existere, non est cur non scriberetur aperte in hac constitutione!

11

EXC.MUS P. D. PETRUS VEUILLOT

Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia, coad. c.i.s. Parisiensis

Venerabiles Fratres,

In par. 1 cap. I, *pag. 9,*[1] aliquid dicitur, modo iusto sed brevissimo, de revelatione Veteris et Novi Testamenti. Sed mihi videtur necessarium amplius tractari, in initio schematis nostri, de hac revelatione. Hoc votum iam a pluribus Patribus factum est in disceptatione generali; tantum volo emendationem praecisam proponere, ac rationes eius dare ita ut primae paragrapho substituatur quoddam prooemium seu novum caput *de verbo Dei et revelatione.*

Tres sunt rationes talis emendationis.

1. Valde conveniens apparet, *sicut iam dictum est,*[2] de revelatione loqui, priusquam de transmissione revelationis tractetur. Etenim melius ita elucet quomodo Scriptura et Traditio media sunt quibus una et eadem divina revelatio communicetur. Insuper quoddam prooemium de verbo Dei et revelatione est apta introductio ad omnia schemata de fide et doctrina, quae nihil aliud sunt nisi authentica explanatio huius revelationis.

2. Adhaesio ad revelationem et verbum Dei est quasi communis radix fidei omnium qui nomine Christi adornantur. Ad hanc radicem alludere, priusquam de quaestionibus disputatis disceptandum sit, valde conveniens videtur ad oecumenicum scopum huius Sacrae Synodi.

3. Quaestio est gravis sub aspectu pastorali. Pastorum enim proprium munus est de doctrina tractare: sed non de doctrinis quae *adhuc*[3] disputantur inter theologos sed *de iis quae maioris*[4] momenti sunt pro hominibus huius *aetatis,*[5] sive quia specialibus difficultatibus occurrunt, sive quia propriis necessitatibus conveniunt.

Multi autem sunt, specialiter inter iuvenes et doctos nostrae civitatis

Parisiensis, qui falsa notione religionis seducti et veram naturam divinae revelationis ignorantes, intelligere non possunt cur *doctrina christiana* [6] est divina veritas ab omnibus credenda et non figmentum humanae mentis, ut sunt diversae religiones. Necesse est ergo ut hodie emineat firmumque maneat verbum illud quod Deus ...[7] « locutus est nobis in Filio », ...[8] in quo Pater perfecte semetipsum manifestavit. Nihil aptius est ad transcendentiam christianae religionis manifestandam, contra omnes falsas theorias historicismi aut relativismi aut evolutionismi, quam genuina notio revelationis in qua apparet auctoritas verbi Dei quod est fons omnis veritatis et principium omnis sanctitatis.

Sed fortasse aliquis dicet unam paragraphum in initio capitis nostri ad hanc quaestionem sufficere, quia in cap. II schematis *de fidei deposito* de hac fusius tractandum est. Certo non est utile de eadem quaestione bis tractare. Atqui evidens est quod locus proprius ubi de revelatione tractare conveniat, est initium schematis *de fontibus revelationis.*

Ergo mea propositio est huic quaestioni de revelatione et verbo Dei novum caput seu prooemium dedicare in initio nostri schematis.

Ratione brevitatis [9] exc.mo secretario committo compendium singularum quaestionum quae in hoc capite tractari possint. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] quae magni. [5] temporis. [6] christianismus. [7] « multifariam multisque modis olim loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis. [8] (*Hebr.* 1, 1). [9] deest.

Animadversiones additae:

Schema novi capitis seu prooemii « De revelatione et verbo Dei » (in initio schematis *de fontibus revelationis* ponendum).

1. Deus omnipotens, sapientissimus et amantissimus in sua infinita bonitate dignatus est hominibus illud impertiri praeclarum donum revelationis quo patefaceret eis et mysterium rationis conatibus inaccessibile ipsius subsistentiae in tribus Personis et Sacramentum absconditum a saeculis in Deo (*Eph.*, 3, 9) hominum gratuitae vocationis ad divinam naturam per gratiam et gloriam participandam. Haec revelatio non innititur « in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis » (*1 Cor.*, 2, 4). Etenim etsi possunt homines per vias rationis suae quaerere Deum, « si forte attrectant eum » (*Act.*, 17, 27) et aliquid de sua existentia et natura attingant, non possunt invenire illum, sicuti est, et vias eius investigabiles perscrutare, nisi Ipse quaerat eos.

2. Haec revelatio nobis a Deo in Christo communicata est. Ipse est Agnus qui aperit librum, in quo continentur secreta divini consilii, et solvit signacula eius. Qui, ut Salvator, opus humanae redemptionis adimplet, ipse, ut Revelator, salutis intelligentiam nobis dat, bonum nuntium annuntians. In ipso, Deo et homine, vero Deo et vero homine nobis revelatur veritas Dei et veritas hominis. Revelatur quis sit Deus, id est Pater qui dilexit nos, Filius qui quaesivit nos, Spiritus qui vivificat nos. Revelatur qui sint homines, electi ante constitutionem mun-

di in adoptionem filiorum Dei in Christo in laudem gloriae gratiae suae (*Eph.* 1, 4-6). Sic in ipso in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae, tota revelatio continetur.

3. Iam ab origine humani generis omnibus gentibus non sine testimonio Deus semetipsum reliquit (*Act.* 14, 16), ita ut homines salvari possint. Etenim, testante Scriptura, fide Abel, Henoch, Noe placuerunt Deo, credentes quia est et inquirentibus se remunerator sit (*Hebr.,* 11, 6). In Vetere Testamento revelatio Novi Testamenti adumbratur et praeparatur per manifestationem Dei sancti et viventis, qui populum liberat, qui in templo habitat, qui foedus sancit, et per annuntiationem novissimorum temporum in quibus gloria Dei veniat.

4. In Christo revelatio ultima et completa datur. In ipso, qui est Verbum Dei, Pater perfecte seipsum manifestavit. Ita Christus est omnium temporum finis, in medio temporis iam praesens. Nulla nova revelatio dari potest, sicut nulla alia salus, quippe quia in Christo iam adimplentur perfecta gloriatio Dei et divinisatio humanae naturae, quae sunt ultimae fines totius divini propositi. Damnatur ergo omnis conceptio, quae christianismum faceret tantum aetatem religiosae historiae humanitatis, cum sit ultima aetas istius historiae.

5. Revelatio Dei in Vetere et Novo Testamento simul efficitur per locutionem Dei ad homines et per opera ipsius historiae salutis. Speciali modo in Novo Testamento Christus divinitatem suam manifestat non tantum per verba quibus divinas praerogativas sibi vindicat, sed etiam per actus in quibus divinam suam auctoritatem et potentiam testatur, legem novam instituens, dominum sabbati et templi se declarans, aegrotos sanans. Ita per opera auctoritas testimonii Christi confirmatur et per verba mysterium in operibus contentum manifestatur.

6. Directe agitur in revelatione de veritatibus et eventibus qui mysterium supernaturalis participationis hominum ad Dei vitam complectuntur. Sed revelatio non potest has veritates manifestare quin affirmet veritates naturales quae sint eis connexae. Hoc modo in revelatione continentur multae veritates quas per seipsam humana ratio attingere potuisset, sed de facto non attigit, nisi in lumine revelationis, v. g. notio Dei personalis, distinctio Dei et creationis, dignitas hominis. Ita revelatio non tantum vias ad supernaturalem finem consequendam aperit, sed etiam veram indolem vitae temporalis hominum illustrat.

7. Revelatio obiectiva est manifestatio externa per actiones et per verba mysteriorum Dei et hominis in Christo. Sed verbum Dei revelans non est tantum propositionum enuntiatio, sed virtus divina, « efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti » (*Hebr.,* 4, 12), quae potens est ad cor convertendum et suaviter attrahendum. Internum testimonium Spiritus externis testimoniis sermonis adiungitur ad suscitandum fidei actum. Quae actio Spiritus fidem etiam perficit per caritatem et dona ad semper meliorem revelationis intelligentiam.

12

Exc.mus P. D. LAURENTIUS JAEGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Venerabiles Fratres,

De cap. I constitutionis de fontibus revelationis loquens, accedo sententiis de nn. 1, 2 et 3 heri in hac aula prolatis. De nn. 4, 5 et 6, liceat mihi, retento schemate in quantum fieri potest, uti exemplum textum emendatum proponere quia non agitur de singulis verbis mutandis, sed de modo theologico loquendi. Forsan hoc exemplo demonstrari potest quomodo concorditer votis omnium fere Patrum satisfieri possit.[1]

N. 4, pag. 10, ita recognoscatur: « *De Scriptura et Traditione.* Christi itaque et apostolorum mandatis et exemplis edocta, Sancta Mater Ecclesia semper credidit et credit integram revelationem non solummodo in Scriptura, sed in Scriptura et Traditione divino-apostolica contineri. Etenim puritas Evangelii, quod Iesus Christus per suos apostolos tanquam unicum fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae Ecclesiae tradidit, ...[2] duobus modis in Ecclesia conservatur et quasi duplici rivulo nobis transmittitur, qui etiam duplex fons quoad nos dici potest. Libri enim Veteris et Novi Testamenti, praeterquam quod revelata continent, insuper Spiritu Sancto inspirante conscripta sunt, ita ut Deum habeant auctorem. Traditio autem apostolica et vere divina, a Spiritu Sancto continua successione in Ecclesia conservata, in rebus fidei et morum ea continet omnia, quae apostoli, sive ab ore Christi sive suggerente Spiritu Sancto, acceperunt atque Ecclesiae quasi per manus tradiderunt, ut in eadem per praedicationem ecclesiasticam et per fidem credentium transmitterentur. Quare quae divina Traditio ratione sui continet, non ex solis libris — etiamsi decursu temporum omnia fere scriptis mandata sint — sed proxime cognoscuntur ex vivi magisterii Ecclesiae praeconio Sacra Scriptura continuo nutrito et manifestantur in Ecclesiae universalis praxi et liturgia, ut legem credendi lex statuat supplicandi ...[3] et in totius populi Dei fidei testimoniis et documentis ».

N. 5 in hanc formam mutetur: « *De habitudine mutua inter Scripturam et Traditionem.* Ecclesia ergo verbum Dei scriptum et traditum pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur ...[4] quamvis Sacra Scriptura, cum sit divinitus inspirata, in enuntiandis et illustrandis salutis mysteriis speciali quadam gaudet praerogativa. Nihilominus eius sensus certe et plene nec potest intelligi nec exponi

nisi divina illa et apostolica Traditione, quae sola est via, qua quaedam veritates revelatae Ecclesiae clarescunt. Scriptura sacra et Traditio divino-apostolica sunt enim media coordinata et ita intime unita seseque adiuvantia, ut post completum revelationis depositum revelatae veritates omnes in sacra Scriptura aliquo modo vel continentur vel insinuantur vel ipsi Scripturae innituntur...,[5] quae quidem veritates simul per traditionem conservantur et explicantur ».

N. 6, pag. 11, in hanc formam mutetur: « *De habitudine Scripturae et Traditionis ad magisterium.* Ut autem Scriptura et Traditio, quas providus Dominus tanquam unum fidei depositum Ecclesiae ...[6] dilectae tradidit, concorditer et efficacius ad salutem hominum *concurrent,*[7] hoc salutare Evangelium pure custodiendum et authentice interpretandum tradidit soli vivo Ecclesiae magisterio, quo ducente omnes fideles non parvam habent partem in conservandis et transmittendis fidei veritatibus.

Ecclesiae magisterium in revelati verbi Dei fideli custodia et authentica interpretatione fidelibus proximam et universalem praebens credendi normam, verbo Dei non dominatur, sed illi potius inserviens et credendo obediens verbo Dei dirigitur et sic sub verbo Dei est constituta »...[8] Sic.

In textu scripto tradito: [1] Liceat mihi proponere textum emendatum nn. 4-6 uti exemplum quomodo votis Patrum, quo fere omnes recognitionem postulaverunt, satisfieri possit. Non enim agitur de singulis verbis mutandis, sed de modo theologico loquendi. Faveatis, venerabiles Patres, textum originale ante oculos habere. [2] (cf. Conc. Trid., sess. IV; Denz. 783). [3] (De gratia Dei « Indiculus », Denz. 139). [4] (Conc. Trid., l. c., Denz. 783). [5] Pius XII in Const. Apost. *Munificentissimus Deus* declarat de Assumptione B. M. V. in caelum: « quae veritas Sacris Litteris innititur » (Denz. 2332). Quod supra proponitur de intimo nexu inter Scripturam et Traditionem videtur optime consonare tam doctrinae Patrum quam Scholasticorum, et imprimis ipsius Thomae Aquin. et etiam theologi celeberrimi Matthiae Ioseph Scheeben, qui adhuc magis quendam primatum Scripturae affirmat dicens: « Non ergo Scriptura deposito orali subordinatur, ... sed aliquo modo potius illo deposito proponitur, inquantum depositum scriptum est originalis et firma et permanens forma verbi Dei, quae utiliter respicienda est tanquam fundamentum et norma traditionis ecclesiasticae depositi fidei. Traditio ita Scripturae adiungitur ac si schola haberetur de textu proposito » (M. J. Scheeben, *Dogmatik,* lib. 1, pars 1, n. 292, pag. 147, ed. Friburgi Brisgoviae, apud Herder). [6] suae. [7] concurrerent. [8] (ita J. B. Franzelin, *Tractatus de divina Traditione et Scriptura,* Romae, 1896, pag. 210).

13

Exc.mus P. D. RAPHAËL GONZÁLEZ MORALEJO
Episcopus tit. Dardanius, aux. Valentinus

Venerabiles Patres,

Quamvis pro multis ex Patribus Concilii, verba nostra in aula quasi praedicatio in deserto sint, tamen reverenter et grato animo vobis adstantibus omnibus haec circa cap. I proponam:[1]

1. *Libenter adhaereo eis qui titulum ipsum " de duplici fonte revelationis " mutare volunt,*[2] simpliciter dicendo v. g. *de deposito revelationis,* tum quia nullatenus necessarium videtur de duplici fonte loqui, tum quia e contra inconveniens apparet et quidem ob rationes de quibus postea uberius locuturus sum.

2. Desideratur prologus in quo...,[3] mea quidem sententia, tria tangenda essent: *a*) necessitas, quae modernum quoque mundum urget, tutam et ultimam veritatem viamque certam salutis agnoscendi; *b*) Dei misericordia, qui homines omnium temporum, potissime per Christum eius Filium, alloqui dignatus est; *c*) character eminenter salvificus huius revelationis divinae.

3. Exponenda prius videtur *mihi sicut et aliis*[4] notio ipsa revelationis. Id fit in schemate de « deposito fidei...[5] », cap. 4, nn. 17-20. Sed aptior, ni fallor, hic locus fiet.

4. Sub n. 1, in linn. 5-6 cum de revelatione in Novo Testamento per Filium agatur, opportunius videretur citationem textus ex epistola ad Hebraeos adducti in linn. 4-5, protrahere usque ad verba « novissime diebus istis locutus est nobis in Filio ».

5. In lin. vero 7 huius n. 1, clare indicetur subordinatio revelationis per apostolos ad revelationem per Filium. Ceteroquin, textus ex Evangelio S. Ioannis minime demonstrant revelationem per apostolos factam esse, sed potius revelationem per Filium ab apostolis comprehensam iri post eius Resurrectionem, docente, suggerente et annuntiante Spiritu Sancto.

6. In n. 2, paragraphus, incipiens lin. 21, mutetur, ita ut citationes ad « Verbum Dei » vel « Verbum Domini » sese referentes deleantur. Etenim expressiones « Verbum Dei » vel « Verbum Domini » non idem semper significant in Sacra Scriptura, ne in locis quidem in schemate adductis. Immo genitivus casus « Dei » vel « Domini » in his locis sensum subiectivum non habet, quasi « verbum quod Deus pronuntiat », sed obiectivum, quasi « verbum circa Deum ».

Praeterea cum cognitum habeamus apostolos non tantum doctrinam Christi praedicavisse, sed ipsum Christum, eius resurrectionem, eius opera, pro dictione « doctrinam » res melius exponeretur ope verbi « Evangelium », quod non solum est praedicatio eloquii Christi sed etiam annunciatio factorum salutarium. Oportet enim ut conceptus Revelationis non restringatur ad meram locutionem doctrinalem, sed simul comprehendat facta, quibus Deus Ipse cum hominibus in historia salutis sese communicat...[6]

7. Cum in n. 3 schematis, linn. 14-15, quaedam expressiones referantur ad magisterium Ecclesiae, de quo nondum agitur, verba « et cum auctoritate interpretati sunt » auferantur, nam de magisterio sermo est in fine huius capitis, sub n. 6.

8. Cum titulum totius capitis reformandum censui, easdem ob causas funditus reformandae mihi videntur par. 4 et 5, *de duplici fonte revelationis loquentes,*[7] tum quia nulla necessitate premimur progrediendi ultra quam progressa sunt duo Concilia superiora, tum quia videremur velle dirimere quaestionem libere inter theologos catholicos disputatam neque sat hucusque maturam, tum denique quia impedimenta sine necessitate cumularemus illi fratrum unioni, cui praecipue consulere constituimus.

Ad haec capita reformanda subcommissio quaedam efformetur, in qua locum habeant Patres aliquot delecti ex commissionibus *de fide et moribus* et *de Ecclesiis orientalibus,* nec non ex ipso *secretariatu pro unione christianorum.*

9. In n. 6, ut confusiones evanescant, mutare expediret verbum « tradidit ». Alio enim sensu adhibitum est per totum schema. Hac de causa melius dici posset aut « commisit » aut « concredidit », sicut ipsum schema facit aliis in locis eamdem ideam exprimentibus...[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Circa cap. 1 schematis haec habui proponenda. [2] Titulus ipse *de duplici fonte revelationis* mutetur. [3] ratio reddatur cur de hac re his temporibus agendum visum sit. In quo prologo. [4] deest. [5] pure custodiendo. [6] (cf. De deposito Fidei pure custodiendo, cap. 4, nn. 17-20). [7] scil. [8] (cf. pag. 25, lin. 7; pag. 20, lin. 31). 10 et ultimum. Integra par. 2 huius n. 6 aptius est supprimenda. Nam: In aliis schematibus consulto de magisterio ecclesiastico agitur; bona fortasse explicatio scholae est, Concilio non item; non plane sensus patet vocabulorum « directe, indirecte, implicite, obscure »; nimis saepe eadem iterantur per haec schemata.

14

EXC.MUS P. D. CONSTANTINUS BARNESCHI
Episcopus Manziniensis

Venerandi Patres,

Si breviter vos alloqui expetivi, intentio non fuit ut humili meo sermone solutionem peculiarem proponerem difficillimae quaestioni, quae animos omnium Patrum vehementer exagitat, sed praesertim ut sensus grati animi exprimerem erga Summum Pontificem qui paterna pastorali sollicitudine nos undique advocavit ad problemata solvenda, quae hodie vitam universae Ecclesiae intime tangunt.

Pauca dicam, sed unum in primis volo palam et coram omnibus iterum edicere: gratias ex corde agere debemus Summo Ecclesiae Pastori qui erga omnes filios, etiam errantes, immenso amore ducitur.

Una debet esse hodie omnium voluntas: ut ipsi Pontifici mente, corde, et oratione arcte coniuncti in dilectione fratrum nostrorum cum ipso alacriter adlaboremus ut quam primum « fiat unum ovile et unus Pastor ».

Inter pauca quae dicam haec sunt:[1]

1. Clare determinetur sensus vocis « fons revelationis ». Nam proprie Deus est fons revelationis qui « multifariam multisque modis... » *sicut omnes pluries audistis.*[2]

Ecclesia autem a Christo Domino plenitudinem revelationis accepit ut sancte custodiret et uberius exponeret (Concilium Vaticanum I). Scriptura vero et divino-apostolicae traditiones fontes sunt sed ab ipsa Ecclesia dependent quoad rectam intelligentiam ac interpretationem, secundum monitum S. Augustini: « Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas »...[3]

2. Ideo, meo humili iudicio, imprimis clare proponenda est doctrina de magisterio Ecclesiae, sive solemni, sive ordinario et universali sive simpliciter ordinario.

Saepe saepius enim non tantum inter simplices fideles sed et inter ipsos theologos dubia oriuntur et oppositae proferuntur sententiae. Omnibus clare patet quod non tantum ea quae habentur in Vetere Testamento (cf. schema, cap. III, n. 17, pag. 16) sed et quae habentur in Novo Testamento nec non in Traditione « rite submittenda sunt Ecclesiae vivo magisterio, hoc est illorum iudicio « qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt » (textus Irenaei ibidem in schemate).

3. Clarius proponatur doctrina circa Traditionem (cap. I, n. 4 et n. 5, pag. 10). Nam vox *Traditio* duplici sensu sumi potest: sensu generaliori prout dicit totam doctrinam ab apostolis praedicatam, et hoc sensu comprehendit etiam ea doctrinae capita quae habentur in Scripturis sanctis, et sensu particulari prout exprimit illas quas Concilium Tridentinum vocat « sine scripto traditiones, quae ab ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt » (Conc. Trid. sess. IV). Quare proinde, Concilii Tridentini doctrinae inhaerendo, nos affirmamus quod revelatio continetur in Scripturis Sacris et in traditionibus divino-apostolicis.

Hoc modo enim aufertur ambiguitas termini *Traditio* et clare apparet quod traditiones divino-apostolicae una cum sacris Scripturis explent Traditionem sensu pleno intellectam.

4. Consequenter ad ea quae diximus, dilucide proponantur et indicentur documenta in quibus continentur traditiones divino-apostolicae. Nam formula schematis n. 4 non est completa; dicit enim: « ... quae divina Traditio ratione sui continet, non ex libris, sed ex vivo Ecclesiae praeconio, fidelium fide et Ecclesiae praxi hauriuntur ». Quid de Patribus et scriptoribus ecclesiasticis, de Doctoribus, de Liturgia, de monumentis archeologicis?

5. Valde desiderandum censeo ut Concilium in unum conferens generosos conatus qui hinc inde in Ecclesia perspiciuntur, commissionem internationalem eligat cui competat et versiones Sacrae Scripturae in varias linguas curare ac pulchriores paginas sacri textus inter fideles diffundere minimo pretio ita ut ab omnibus etiam pauperibus verbum salutis facile cognoscatur.

6. Ad cap. II, par. 11 (pag. 13), quomodo intelligenda sunt verba: « ... consequitur omnes et singulas sacrorum librorum partes, etiam exiguas, esse inspiratas »? De textu originali? De textu massoretico? De Vulgata versione quidem? Nam cum de Vulgata sermo est (cf. cap. V...[4]).

Praeses: Rogo te, exc.me Pater, ne transeas ad cap. II, sistas in cap. I; ceterum, ut audisti, finem habebit haec nostra disceptatio.

Orator: Dixi!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] loquens Patribus in Prophetis, novissime... locutus est nobis in Filio » (*Hebr*. 1, 1-2). [3] (PL 42, 176). [4] (par. 25, pag. 19), haec verba non adducuntur. 7. Ad cap. 3, par. 18 (pag. 16), quamvis authentia librorum Veteris Testamenti « per se et directe » non tangat dogma de eorum divina inspiratione, desiderium exprimitur ut mutetur forma expressionis sequentis: « catholici interpretes sancte teneant quidquid *certi* hac de re in

utroque revelationis fonte invenitur ». Nam, quomodo haec *certitudo* statuenda est?
8. Ad cap. 5, par. 25 (pag. 19), quaeritur utrum aliqua ratio habeatur cur, relate ad Vulgatam versionem, non repetantur verba Concilii Tridentini (Decr. de Canonicis Scripturis): « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit etc. ».

15

Exc.mus P. D. CAROLUS WOJTYLA
Episcopus tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis

Patres venerabiles,

Vellem paucissima dicere de ipso titulo et praesertim de verbo « fons », *in plurali « fontes »*,[1] sub aspectu semantico.

Fontem dicimus sensu proprio ipsam originem aquae potabilis et tandem secundario et sensu improprio etiam illam cisternam vel puteum, ex quo aqua hauriri potest. Cum ergo verbum « fons » in nostra quaestione modo analogico — secundum analogiam nempe attributionis — utitur, tunc illa quae in schemate et praesertim in titulo *I capitis*[2] dicuntur « fontes », fontes sensu proprio non sunt.

Origo enim revelationis non est in Traditione vel Scriptura, sed solummodo in Deo loquente. Tunc Traditio et Scriptura, quae saltem sensu improprio et secundario constituunt fontes revelationis, melius « fontes » non sunt dicendae. Notio « fontis » accipiatur pro sensu suo proprio et primario, pro sensu autem secundario et improprio arceatur, ne confundantur media, quibus revelatio nobis subministratur, cum ipsa eius origine.

Si ergo schema recognosceretur, tunc mea humili sententia oportet *a*) mutare titulum, et *b*) cum titulo etiam mutare indolem, ne illa confusio semantica, quam verbum « fons revelationis » inducit, in schemate amplius remaneat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] eius.

16

Exc.mus P. D. UBALDUS CIBRIÁN FERNÁNDEZ

Episcopus tit. Bidensis, prael. null. Corocorensis

Venerabiles Patres,

Quae *dicturus sum* [1] punctum 4 et 5 schematis *respiciunt,* [2] ubi de duplici fonte revelationis, Traditionis praesertim, ac de habitudine unius fontis ad alterum agitur.

Ex discussionibus hic iam praehabitis, unum ab omnibus quoad Traditionem sine dubio admittitur: eam nempe revera exsistere et ab omnibus catholicis agnosci ut fontem revelationis, simul cum Scriptura, vi definitionum Tridentini et Vaticani.

Non ergo de exsistentia Traditionis est quaestio, sed de eius natura et significatione. Dicenda revera est Traditio sicut dicitur Scriptura fons revelationis, ita ut ab ipsa Scriptura distinguatur non tantum ratione medii seu modi dicendi, scilicet quia oraliter dicit ea quae in Scriptura iam continentur, sed etiam ratione obiecti, id est quia et veritates enuntiat in Scriptura non consignatas et sola Traditione conservatas et nobis ab Ecclesia propositas?

Ni fallor, plures sunt qui nullimode Traditioni vim constitutivam depositi revelati tribuere volunt. Suo iudicio nonnisi clavis vel commentarium Scripturae dicenda est, nequaquam vero fons aut locus ubi veritates inveniri possint, quae in Scripturis non inveniantur. Aliis verbis, traditiones inhaesivas et declarativas agnoscunt, non vero constitutivas. Respuunt ergo ea omnia quae in schemate habentur faventia thesi contrariae, v. g. ea quae sic sonat: « Sancta Mater Ecclesia semper credidit et credit integram revelationem, non in sola Scriptura, sed in Scriptura et Traditione, tamquam in duplici fonte contineri, alio tamen ac alio modo »...[3] « Immo Traditio, eaque sola, via est qua quaedam veritates revelatae, eae imprimis quae ad inspirationem, canonicitatem et integritatem omnium et singulorum sacrorum librorum spectant, clarescunt et Ecclesiae innotescunt ».

Pro defensione doctrinae in schemate propositae contra negantes Traditionem esse fontem constitutivum revelationis, dummodo fons recte intelligatur, per modum potius rivuli seu canalis, quia omnes tenemus fontem verum nonnisi Evangelium aut verbum Dei esse, liceat mihi dicere clare...[4]: haec opinio, a quibusdam recentioris temporis theologis (non quidem maioris momenti et nominis...[5]) anno circiter

1935 plus minusve incepta, meo iudicio arbitraria omnino est, proindeque spernenda.

En argumenta:

1. Caret fundamento historico. Nova lectio decreti tridentini ab his auctoribus proposita non tantum contra se habet novitatem in traditione theologica universali, tridentina et post-tridentina, quod quidem valde cogitandum est, sed caret etiam omni vi qua iure praevaleat, tum historice tum dogmatice. Si aliter nunc leguntur et exponuntur placita Tridentini...,[6] hoc mihi magis fructus videtur bonae cuiusdam intentionis unionisticae vel oecumenicae, quam omnes et miramur et nostram facimus, quam attenta et sedula veritatis investigatio...[7]

2. Caret fundamento theologico. Quae denique rationes vis theologicae adsunt novi theologi ut huic universae traditioni repugnent? En, ut opinor, defectus maximus novae opinionis. Mera elucubratio rationalis est interpretandi causa Tridentini et Vaticani, ut possimus superare lugendam diversitatem...[8] scissionis et disiunctionis christianae. Sed in theologia quod tantum ratione commendatur parvi ponderis est, iuxta illud divi Thomae a Cano adlatum: locus ab auctoritate nixus ratione humana, minimum in theologia, et parum valet; sed qui fundatur in revelatione divina eiusque testimoniis est efficacissimus.

Iam vero, nec loci Scripturae, qui doctrinam divino-apostolicam traditam dicunt, tum verbis tum scriptis, nec loci Patrum praeclarorum quorum recensionem non sum hic facturus, nec obvius et apertus sensus definitionum Conciliorum, nec theologica unanimis traditio post haec Concilia favent novae sententiae.

Qua de causa rationem non video ut sententia traditionalis praetermittatur et schema huius I capitis non redigatur ea substantialiter retinendo quae in illo de Traditione docentur etiamque respectus eius cum Scriptura.

Scire etiam velim, si sola Scriptura est fons constitutivus revelationis, quomodo nobis explicant fidem vel melius conservationem et notitiam totius depositi revelati in Ecclesia primitiva, antequam fixus veniret canon completus librorum sacrorum? Forsan post fixationem vel determinationem, depositum crevit aliquid addendo quod iam in Traditione non haberetur?

Sed iam satis est. Sustineatur ergo doctrina huius capitis de Traditione, verae caritatis cultum exhibendo, quin veritati aliquid detrahamus. His firmiter stabilitis, redactio capitis perfectius et castigatius fieri potest, ita ut omnibus in veritate placeat, dictiones quasdam auferendo aut emendando quae veritati non nocent, caritati autem favent.

In textu scripto tradito: [1] dicere intendo. [2] tangunt. [3] Quare quae divina Traditio ratione sui continet, non ex libris etc. hauriuntur ». Vel etiam ista. [4] et alte. [5] ut quidam in hac aula nimis fidenter diebus istis nobis dixit, nisi meritum et pondus theologorum mensuretur potius clamore et strepitu novitatis quam scientia et doctrina veritatis). [6] et Vaticani. [7] Nam, cur post Concilium Tridentinum theologi omnes, quorum clarissimi quique ut Cano et Perez de Ayala, ipsi Concilio interfuerunt, et ex professo materiam tractarunt, ita rem intellexerunt ut adaequate distinguerent Traditionem a Scriptura, non tam modo quam rebus quae annuntiantur? « Multa pertinere — ait Cano — ad christianorum doctrinam vel fidem, quae nec aperte nec obscure in Sacris Litteris continentur » (*De locis,* III, cap. 3), cui fere omnes indisturbatim secuti sunt usque ad a. 1935! Cur denuo, etsi deletum est illud « partim-partim », ut particula « et » sufficeretur, quam novi auctores ad arguendum arripiunt, plerique Conciliares, fere omnes, conclamaverunt, et ipsa vox « haereticus » personuit, cum episcoporum aliquis asserere ausus est posse catholice defendi omne revelatum in Scriptura contineri, proindeque solam Scripturam sufficere? Qui tandem tum ex Litteris Legatorum tum ex coaevo teste historico Pallavicini, tum quoque ex ipso Sarpii silentio aliud nihil eruitur, nisi voluisse Concilium illo decreto adaequatum dare responsum effatui protestantium: « La tal cosa non si trova nella Scrittura, adunque non è vera », ita enim scripserat Legatus ad Farnesium. [8] perniciosum exemplum ab omnibus deploratum, nostrae.

Praeses card. RUFFINI: Iam omnes qui petierant facultatem loquendi de cap. I schematis *de fontibus revelationis* locuti sunt; et sic clauditur disceptatio de schemate circa fontes revelationis. Et reponatur proinde nunc Evangelium.

Secretarius generalis: Proxima congregatio generalis: feria sexta proxima, hora nona.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE FONTIBUS REVELATIONIS

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE FONTIBUS REVELATIONIS *

1

EXC.MUS P. D. IOSEPH ATTIPETTY
Archiepiscopus Verapolitanus

Circa schema *de fontibus revelationis* meum humile iudicium his paucis patefacio.

1. Non oportet schema penitus reiicere, cum paucis emendationibus optime possit salvari, eo magis quod tantus labor a tam illustris theologis et scripturistis in eo exarando fuerit impensus. In eodem emendando vero, diversarum scholarum scripturistae collaborent oportet.

2. Obiectio contra duplicem fontem revelationis prodit, ut mihi videtur, quamdam confusionem terminorum. Arguere quod Evangelium vel verbum Dei est fons revelationis non videtur sat exactum: illud non est fons revelationis sed ipsa revelatio. Per fontes intelligimus loca in quibus thesaurus revelationis reconditus invenitur, et haec sunt Sacra Scriptura et Sacra Traditio.

3. Indoles pastoralis Concilii Vaticani II non debet intelligi sensu nimis exaggerato. Concilii verba non sunt omnia exhortationes ad populum, sed maiore ex parte sunt directivae ad pastores et hoc sensu sunt pastoralia mediate. In materia doctrinali, hic finis pastoralis efficacius attingitur, non populari sermone, sed clara et inaequivoca enuntiatione dogmatum terminis, si opus est, scholasticis, unde pastores secure doctrinam intelligant et fidelibus exponant.

4. Cum haec nostra aetate appareat apud exegetas, aliquos etiam catholicos, tendentia quaedam periculosa nimis diluendi, ut ita dicam, conceptum totalis inspirationis et omnimodae inerrantiae Sacrarum Scripturarum, omnino necessarium censeo illas fundamentales veritates clare et sine ambiguitate asserere, uti revera factum est in schemate proposito.

5. Verumtamen, considerando peculiares circumstantias quae discrepationi huius schematis quamdam asperitatem attulerunt, opportunum crederem, ad pacandos animos, omittere nn. 19, 28 et 29 eiusdem schematis, qui ceterum non sunt omnino necessarii ad fidei catholicae tuitionem.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt vel demum disceptatio clausa est.

2

Exc.mus P. D. SALVATOR BALDASSARRI
Archiepiscopus Ravennatensis et Cerviensis

Quia non interfui congregationibus generalibus quae tractaverunt de fide et moribus, et hoc ob pastorales rationes quas tu scis, puto utile in re tanti momenti tradere tibi aliquas observationes. Si tu credis me eas exponere in congregatione generali tibi gratias ago; si non credis easdem gratias ago.

De schemate: quamvis schema optima continet, tamen in se est totaliter reficiendus ob sequentes rationes.

1. Traditio conciliaris quam puto oblivisci nequit in hoc Concilio oecumenico: omnia oecumenica Concilia, speciatim ubi de fide et moribus, tantum tractaverunt ea quae erant vera necessaria illo tempore: e. g. Concilium Nicaenum tractavit in re dogmatica de consubstantialitate Verbi; Concilium Tridentinum tractavit doctrinam illius particularis momenti. Quae videri possunt in omnibus Conciliis etiam particularibus. Cum in hoc Concilio Vaticano II schema, generatim loquendo, tractat de omnibus rebus et de quibusdam aliis, ut possit dici: tractatus de universa theologia, vel ut dictum vere fuit « Encyclopedia catholica »?

2. Rationes pastorales: ratio pastoralis exigit ut tractentur res vere necessariae quin repetantur quae ab aliis Conciliis dicta sunt. E. g. res veri momenti in hoc tempore sunt quaestiones de Deo connexae cum materialismo et laicismo et in re morali quaestiones de edonismo, dum in nostro schemate aliae et aliae reperiuntur.

Eadem ratio pastoralis vult ut nos non intremus in quaestiones non adhuc maturas et quae potius dici possunt quaestiones disputatae, et hoc saltem si Concilium non vult tractare quaestiones disputatas, quod mihi videtur ex natura pastorali ipsius Concilii. Si vere utique aliqua quaestio disputata vult tractari, hoc Concilium nobis clare et expresse dicat.

3. Circa S. Scripturam pauca addam: S. S. Pius XII s. m. cum sua memorabili *Divino afflante Spiritu* nobis, ut ita dicam, portam sanctam aperuit in studiis biblicis, quae reserari non potest, e. g. « dei generi letterari », et tunc S. Concilium illas portas apertas relinquat. Certum periculosa est interpretatio subiectiva, sed remedium est magisterium Ecclesiae quae stat in S. Sede, in prudentia etiam singulorum episcoporum, in iudiciis universitatum ecclesiasticarum quae, dum disceptant, debent prae se ferre primo veritatem et etiam primo etiam caritatem, alioquin disceptationes sunt inutiles et damnosae; et hoc proprie ratio pastoralis Concilii non vult.

3

Exc.mus P. D. CAROLUS BALDINI
Episcopus Clusinus et Pientinus

Qui prior responsum dedi ad litteras ab em.mo D. Dominico Tardini missas in Concilii Vaticani convocatione, nunc audeo humiliter submittere iudicio em.morum Patrum praesidentiae votum, duabus propositionibus expressum, et scripto secretario generali tradendum, ad concordiam adsequendam super primo et secundo schemate de fontibus revelationis et de fide, ne dies terantur pretiosi in discussionibus, quae dissensum manifestant insanabilem.

Post enim disceptationem plurium dierum clare patet adesse quaedam praeiudicia fundamentalia, prae primis ordinis pastoralis, quae difficilem, ne dicam impossibilem, reddent discussionem — si quae erit — circa textum. Dico « si quae erit » — nam si schema uti iacet votis poneretur, timeo ne reiciatur.

In disceptationibus non est tam quaestio de veritatibus, quam potius de methodo qua veritates praesentantur. Schema propositum sequitur ordinem theologicum iuxta traditionem dogmaticam et scholasticam, at materia in articulis adfirmata, quaedam assertiones de rebus adhuc in scholis disputatae si excipiantur, ab omnibus admittitur. E contra quidam eamdem materiam methodo historica praesentare cupiunt. Nec parvi facienda sunt eorum argumenta, utpote psychologice loquendo et, ratione habita huius nostrae aetatis rationalis et criticae, menti hominum magis accommodata.

Merito dictum est « Sacramenta propter homines »; sed et veritates sunt propter homines, vel saltem ad homines. Nonne optandum est ita proponantur ut animos alliciant, mentes illuminent et a cordibus iucunde acceptentur?

Elementum psychologicum pastoribus non est spernendum, Christo et S. Paulo hac de re exempla praebentibus luculentia.

Omnes, igitur, veritates propositas admittunt, quaestionem praecipue ponentes de methodo: pastores sumus, cibum praebere debemus stomaco et dentibus ovium aptatum.

Post supra dicta en duo asserta quae proponere audeo.

1. Materia, a commissione parata et in libro Patribus discutienda in primo et secundo schemate proposita, integra remaneat ut discussionis obiectum; at ei praemittatur prooemium ab iis, quibus priora schemata non placent, exarandum iuxta methodum psychologicam et pastoralem. Hoc prooemium congregationis examini subiciendum erit.

2. Capp. I et II schematis in unum ordinentur secundum novam methodum, ita ut prius sermo fiat de Deo Creatore, de facto historico revelationis et de peccato originali; dein de Christo Revelatore et Magistro, de redemptione et de fine ultimo ab hominibus adsequendum; tandem de fontibus revelationis.

Hoc modo meo humili iudicio videtur bene componi posse quae ab assertoribus utriusque sententiae adfirmantur et novum schema melius proponi poterit in instructionibus catecheticis fidelibus, quin veritas catholica detrimentum capiat.

4

Exc.mus P. D. AEGIDIUS BARTHE
Episcopus Foroiuliensis-Tolonensis

De schemate constitutionis *de fontibus revelationis* observationes quasdam proponere vellem, quae non tam ad doctrinam pertinent, quam ad formam et modum dicendi. Hoc enim schema, meo quidem iudicio, non videtur consentaneum fini, nempe *pastorali,* quem Summus Pontifex huic Sacrae Synodo iterum iterumque proposuit.

Contra formam schematis tria haec afferam argumenta: *Forma illa nimis est scholastica, nimis est polemica, non congruit cum sermone Concilii nostri.*

1. *Forma nimis est scholastica.* Non est Concilii oecumenici ad quaestiones particulares descendere, quae inter doctos in scholis disputantur, neque uti verbis technicis (ut fit, verbi gratia, in art. 13).

Non sumus hic quasi professores scholam discipulis dantes, sed ante omnia pastores, doctores quia pastores, non neglegentes doctrinam, sed quaerentes sicut in hac aula dixit Summus Pontifex, « doctrinam certam et immutabilem ea ratione exponere quam tempora postulant nostra ». Volumus testes esse Christi, qui est Veritas, non solum illuminantes intellectus, sed etiam refoventes corda in veritate. Hoc mihi videtur primum nostrum munus esse.

2. *Forma schematis est polemica.* Plus sapit per partes pugnacitatem, quam desiderium porrigendi veram lucem hominibus. Videte, verbi gratia, cap. IV, in artt. 21-22: semper veniunt verba huiusmodi: « ut damnat errores »; « errores perniciosiores ». Mallem affirmare modo simplici et pacifico: « haec est germana veritas », et tunc, postea, error exploditur « mentibus serenis et pacatis », sicut dixit rursus Summus Pontifex.

Sane, dubitare nolo, quin quaestiones de revelatione, de Sacra Scriptura, vel de Traditione, maximi sint momenti, nostris praesertim temporibus. Sed si necesse est fideles contra errores praemunire, hoc magis pertinet ad magisterium ordinarium, sicut iam fecit recenter Papa Pius XII, in litteris encyclicis *Divino afflante Spiritu* et *Humani generis,* ad quas fere verbatim sese refert praesens schema. Caveamus autem, ne fideles contra errores praemuniendo, videamus auctores indiscriminatim condemnare, qui vere catholici sunt, et Ecclesiae filii devotissimi, et portam claudere ipsorum prudenti et humili investigationi.

3. *Forma schematis non congruit cum sermone Concilii.* Si nos praesentes textus conferamus cum decretis et constitutionibus Concilii Tridentini et

Vaticani I, magna statim apparebit differentia. Non est hic locus deveniendi ad singula et particularia, sed patet stylum et modum dicendi illorum praeteritorum Conciliorum enitere simplicitate, gravitate et etiam maiestate vere romana, quae vix reperiuntur in hoc schemate.

Et ut sententiam meam apertissime dicam, optarem ut in textu nostro aliquomodo spiret ille halitus qui flabat in sermone S. Pauli apostoli ad Athenienses loquentis: « Praeteriens enim et videns simulacra vestra inveni et aram in qua scriptum erat: " Ignoto Deo ". Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis... Quaerere Deum si forte attrectent eum, aut inveniant quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus et movemur et sumus » (*Act.* 17, 23-27, passim).

Quae cum ita sint, forma dicendi huius schematis corrigi et meliorari debet. Estne possibile ut hoc fiat, quin totum schema funditus et de novo conscribatur? Hanc quaestionem prudenti Patrum iudicio relinquo.

E mente autem quam labori nostro perficiendo enixe suasit Summus Pontifex, spes ingens apud fideles et etiam apud alios orta est; quanta ergo esset nostra responsabilitas coram Deo et coram hominibus, si spem illam deciperemus?

5

Exc.mus P. D. VITALIS BONIFATIUS BERTOLI
Episcopus tit. Attaeatanus, vic. ap. Tripolitanus

Nihil novi, sed aliqua, modo simplici, dicam: non sum ut aquila quae se iactet in solem sed neque pono me in sinu phantasiae. Peregrinus sum qui indiget duce ac sustentationis baculo.

En mea valutatio dicti schematis.

1. Schema nostrum est « *Petra* angularis », « Fundamentum clarum totius aedificii religionis catholicae ».

Qua de causa et ratione fidei iuratae in prima congregatione generali et amore cohaerentiae necnon et disciplinae *acceptandum est sine glossa.* Substituendum non est, adhuc si emendationes sunt aliquo modo necessariae.

2. Schema nostrum est « *fructus* patientis indaginis ac laboriosae elaborationis peritorum-theologorum etc. », cum visione aperta super progressum evolutionis humanae societatis.

Qua de causa *dignum est omni elogio.*

3. *Animadvertendum*: Si adest qui audet amplius dicere et novas res, novitate compulsus, libere dicat et adiungat modo se contineat et iter faciat in binario veritatis, scilicet, in binario schematis.

Aliquis dicit « *Caritas facienda est in veritate* » verum est. Sed caritas non datur nisi in veritate et tantummodo in veritate, non autem in *compromessi.*

« Qui habet aures audiendi, audiat ». Ergo: Renuntiare veritati, aut accommodare veritatem ne fratribus separatis displiceamus, *absurdum* est.

4. ... Est Ecclesia... sunt Sancti Patres, Doctores, inventiones archeologicae sunt, est commissio biblica, quid requiritur amplius ad *duplicem fontem revelationis* quod attinet...? Quid de inspiratione...? Quid de *inerrantia...?* Forsan indigemus novis magistris, prurientibus auribus, ut N. T., post multa saecula, reducatur ad trutinam? Adhortamur *oppositores* ut ponant pedes super fundamentum solidum, certum, et non vagent in nubibus, scilicet in elucubrationibus brumosis et inintelligibilibus.

N. B. Sumus an non in veritate...? Hic, in Concilio Oecumenico Vaticano II sumus ut, pro nostro studio, pro nostra scientia, *veritas* elucescat. Ergo... Non novitatem inquirimus sed ut magis magisque veritatem enucleemus et ut tanquam fragmenta panis ad nostros ostendamus fideles.

5. Pastoralis, quae oritur ex toto schemate mihi videtur sat clara esse, praecisa, perlucida.

Si in ipso schemate sunt *umbrae,* ne dilatent *oppositores,* sed totis viribus et acie intellectus, ut in materia competentes, dissipent eas (umbras).

Schema constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* mihi placet.

6

EXC.MUS P. D. PETRUS BOILLON

Episcopus tit. Mainensis, coad. c.i.s. Virodunensis

Par. 6. Linn. 18 et 19.

In par. 6, dicitur esse magisterii iudicare... de sensu et interpretatione Sacrae Scripturae et Traditionis, quod omnes concedunt.

Sed additur magisterii esse quoque illustrare et enucleare quae in utroque fonte obscure vel implicite continentur. Quod videtur esse valde incompletum nonnullis episcopis gallicis.

Quid enim significat: magisterii est, nisi: « Hoc est proprium magisterii »?

Certe magisterium et ius et aptitudinem habet illustrandi et enucleandi. Quod fecerunt saepe Pontifices, v. g.: Pius X de communione frequenti et puerorum, Pius XII de officio missionario totius Ecclesiae in *Fidei donum.* Attamen non solum ad magisterium pertinet enucleare et illustrare. Pertinet etiam ad theologos, ut videtur n. 29, pag. 21, lin. 26. Nonne etiam dici potest hoc esse officium proprium theologorum? Quid est enim illustrare nisi manifestare quae obscura sunt, diversa ex diversis libris comparare, historiam fodere, exempla offerre? Quid vero enucleare nisi aeternam veritatem ex humano cortice trahere et ad principia reducere? Quae omnia ex officio faciunt theologi ut labor proprius. Quis negare auderet Aquinatem permulta illustravisse et enucleavisse? Talia fecerunt qui de Mystico Corpore ita laboraverunt ut magisterium litteram encyclicam promulgare posset. Talia Schola Socialis Friburgensis e quorum laboribus Encyclica *Rerum Novarum*

nata est. Talia tandem illustrissimus P. Lagrange. Talia et felicissime quidem tot exegetae ex Instituto Biblico Pontificali aut ex illa Schola Biblica Hierosolymitana e quorum laboribus Pius XII Litteram Encyclicam iucundissimam *Divino afflante* promulgavit. Quibus, ut fecundius laborent, oportet et in Ecclesia missionem recognosci in revelatione illustranda, et idoneam ad laborandum, ad scribendum, ad colloquendum, quamvis sub magisterii disciplina, libertatem.

Attamen, non tantum theologorum, sed etiam omnis Ecclesiae, id est omnis populi christiani, regalis sacerdotii, est illustrare et enucleare quae sunt implicita in Evangelio. Quid enim faciunt Sancti, nisi optimam illustrationem? Quid pauper diaconus Franciscus, quid Theresia Abulensis, quid Theresia de Iesu Infante, quid de Foucauld?

Item per saecula manifestarunt fideles viam consiliorum evangelicorum, primo in monachismo, secundo in religionibus, et tandem in saeculo, priusquam magisterium ea in leges ecclesiasticas introduxit.

Laici ipsi illustrant: sunt quidem episcopi permulti qui, lumine tam vitae quam animadversionum laicorum qui in Actione Catholica aut sociali laborant, clarius intellexerunt qua sub ratione Evangelium societatem hodiernam informare debet.

Quid tandem dicam de illis in scientiis physicis naturalibusque et in hodierna philosophia peritis qui, aegre quidem sed iucunde, adlaborant ut fidei catholicae cum scientificis explorationibus et hodierna mente concordiam inveniant, et qui a Concilio expectant ut sibi in Ecclesia locus daretur et missio recognoscatur ad Evangelium hominibus vigesimi saeculi manifestandum.

Quae conveniunt cum saeculari Ecclesiae doctrina. Ait enim S. Paulinus Nolanus: « De omnium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat » (*Epist.* XXIII, n. 25, PL 61, 281). Persaepe ad totius Ecclesiae consensum appellant Patres, et Tridentinum de universali Eucharistiae sensu (Sess. XIII C. I; Denz. 874), « contra universum Ecclesiae sensum detorquent ». Ita tandem temporibus recentibus, Romani Pontifices, de Maria Virgine diversa definientes, ad universi populi christiani sensum appellaverunt.

Denique fidelium quoque est, sub magisterii quidem auctoritate, sed ut officium grave, depositum servare et tradere. Quod esse parentum erga filios saepe magisterium proclamat. Quod fecerunt, mirabile dictu, per duo saecula feliciter parentes in Iaponia, absque magisterii auxilio. Quod faciunt hodie nec sine fructu parentes in nationibus religiosa libertate orbatis. Quod ut faciant, persaepe hortatur hierarchia qui in Actione Catholica militant, aut in scholis catholicis adulescentes docent aut ad catechesim participant.

De quibus iam rebus consentiunt Patres. Ita Augustinus ad populum: « Tanquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo uno magisterio in hac schola vobiscum condiscipuli sumus » (*Enarrationes in psalmos*: Ps. 126, n. 3, PL 37, 1669). Ita S. Hilarius docet fidem in Ecclesia Romana servari « ab his qui sunt undique fideles » (*Adversus Haereses,* III 3, 2, PG

7, 749). Ita Vaticanum I « Romani Pontifices, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia » (Denz. 1836).

Conclusio: Optamus ut, in novo schemate, de Evangelio custodiendo, tradendo, illustrando et enucleando, locus detur et theologis ipsis, et universo populo christiano.

7

Exc.mus P. D. FELIX BONOMINI
Episcopus Comensis

Liceat et mihi animum meum per scriptum aperire circa schema *de fontibus revelationis*.

In epistula diei 23 iulii currentis anni, qua em.mus card. a Secretis Status exemplaria schematum ad Patres Conciliares mittebat, clare dicebatur: « ... meum est tibi nuntiare, Beatissimo Patri magnopere cordi esse, te hisce litteris adiecta exemplaria accurate considerare studio, antequam scilicet Concilium incipiat, ut eius labores omni quo par est ordine faciliusque expediantur. Quibus in condendis exemplaribus, et iis praesertim ad ecclesiasticam disciplinam pertinentibus, visum est singulorum argumentorum momentum exponere, quod magis ad pastorales rationes spectaret, ut ipse legendo coges. Dum de hisce rebus in Concilio agetur, scias te pleno interpellandi iure fruiturum esse. Si autem quaedam iam animadvertenda esse censes, potissimum in generalibus quaestionibus, mentem tuam, quaeso, de iisdem rebus ante medium mensem septembrem lucide, distincte ac definite declarare velis ».

Hisce praehabitis, mirum mihi fuit audire in aula conciliari sententiam aliquorum Patrum qui schema *de fontibus revelationis* reiciendum et quidem per aliud substituendum aestimaverunt, utpote pastoralitate carens. Si id faciendum aestimarunt curnam suam sententiam radicitus negativam ad secretariam generalem Concilii suo tempore non significaverunt?

Meo humili iudicio schema de quo agitur videtur neque reiciendum, neque substituendum, sive reverentia debita iis qui per tot menses ad schema exarandum adlaboraverunt, et ipsi Summo Pontifici qui certe schema prae manibus habuit, sive etiam quia videtur non adesse carentia pastoralitatis, ut quidam oppositores adfirmant.

Admittatur ergo ad disceptationem Patrum venerabilium, qui, suis illuminatis animadversionibus, ipsum schema magis pastorale reddent.

8

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CAROLUS BORROMEO
Episcopus Pisaurensis

Cum plures contra schema *de fontibus revelationis* dixerint officiosum puto quid sentiam et ego aperire.

Schema *de fontibus revelationis,* prouti nobis est propositum, omnino retinendum censeo. Hisce de rationibus:

1. Damnationis sententia a Beato Pio X de Modernistarum erroribus lata quibusdam in regionibus et quibusdam in coetibus nondum est ex corde acceptata; et sic errores illi, etiamnunc, mutatis verbis, serpere pergunt; quinimmo, novae scientiae nomine fucati, iuvenes non paucos alliciunt et decipiunt.

Optime ergo fecerit Concilium Oecumenicum si principia et praecepta in Decreto *Lamentabili* praesertim et in Encyclica *Pascendi* aliisque in pontificiis constitutionibus statuta, de Sacra Scriptura, de inspiratione, de inerrantia etc., pacata ac serena expositione in omnium mentes revocaverit.

2. Multa dicuntur vel potius ostentantur de novissimis scientiae biblicae adinventionibus, elucubrationibus, conclusionibus; at quid veri, quid solidi, quid utile tot in ostentationibus? Scientiam veri nominis deprimere nefas putamus, at scientiae conclusiones diligenter perpendere gravissimum officium nostrum censemus.

Aliquas hypotheses, quae sine fine repetitae, eo ipso pro thesibus accipiuntur; theoriae aliquae sine certo et perspicuo fundamento, sed tenuissimis tantum vestigiis innixae; amplificationes quibus nullae rationes suffragantur; transitus habilissimi a possibilitate ad realitatem, quasi in historia possibilia realia necessario fiant; negatio audax, quando de Scripturis, et praesertim de Evangeliis agatur, de iis quae quotidiana experientia constant; haec si non totam, haud parvam partem novae scientiae biblicae constituunt. Nonne ergo opportunum est ut Sacrosanctum Concilium omnes ad prudentiam, ad vigilantiam, ad ponderationem hortetur? Cur hoc animos virorum biblicis Studiis incumbentium offendere deberet? « Scientia inflat » Paulus dicit; et nos prae oculis non semper, at saepe sane habemus scientiam quae inflata « inflat ». Verba veritatis ergo dicere omnino necessarium videtur.

3. Quia verendum est ne pastoralis notio omnino corrumpatur, aut saltem obnubiletur.

Hoc Concilium debet esse ad pastoralem totum intentum. Ergo definitiones praecisae sunt omittendae; veritates nimis nitidae non sunt dicendae; lingua qua Ecclesia semper usa est in Sacrificio offerendo, in Sacramentis administrandis est abiicienda; vestes sacrae sunt dimittendae vel reducendae; vita functi ad sepulcrum per viam breviorem alleluiando sunt deducendi; Breviarium, uti impedimentum pastorali activitati est demoliendum; anulos

pastorales et cruces episcopales venumdari debent; et hoc Concilio vix inito. Cum Concilium ad exitum pervenerit, quid adhuc stabit aut nobis remanebit? Et omnia haec pastoralem constituunt? Et undenam ista pastoralis tam taetra, tam deleteria, tam « purgativa »?

Ista pastoralis desertum facit et oves in desertum ducit non ad vescendum sed ad oscitandum.

Pastoralis quae dicenda, quae docenda, quae facienda sunt bene dicere, bene docere, bene facere debet, at non ipsa definire, sed a revelatione, a dogmatica, a theologia morali, a iure, a liturgia accipere. Praeterea, nullum schema pastor evadit; pastores nos sumus, qui si officio recte et sancte functi erimus, fructuose quovis schemate utemur.

Pastores ne dubitemus ergo ovibus nostris integram et sanam veritatem proponere, et habeamus omnes in auribus quae Princeps Pastorum, abnuentibus et obsistentibus, pastoraliter sane dixit: Qui non est mecum contra me est et qui non colligit mecum dispergit; certo ad docendum nos et indulgentiam pastorum fines habere quos praeterire non liceat.

9

EXC.MUS P. D. HIERONYMUS BARTHOLOMAEUS BORTIGNON
Episcopus Patavinus

Nota generalis.

Deest omnino sectio particularis « de Traditione ». Verum est circa S. Scripturam ampliorem iam exstare seriem documentorum S. Sedis, et copiosiorem virorum in scientia biblica peritorum bibliographiam, ita ut magis necessarium et simul facile videri possit opus recollectionis et syntheseos ex parte Concilii. Attamen et problema Traditionis hodie proprium habet momentum, cum exempli gratia, fervet studium doctrinae patristicae ex textibus genuinis eruendae, incipiat vero historica inquisitio circa documenta magisterii ecclesiastici etiam non solemnis, ut sunt ipsi sermones et litterae Summorum Pontificum et ipsorum episcoporum epistolae; at simul aetas scholastica a quibusdam historicis et theologis prope despiciatur vel saltem non coaptetur aetati Patristicae ut eiusdem evolutio et quodammodo perfectio.

Necessaria videtur saltem aliqualis tractatio de principiis directivis pro cultoribus theologiae sic dictae positivae: de natura Traditionis, de distinctionibus inter Traditionem divinam-apostolicam et mere ecclesiasticam (vel huiusmodi), de valore testimoniorum Patrum, de relatione inter Patres et magisterium ecclesiasticum, de munere et functione scholasticae praesertim in relatione cum aetate patristica, de munere et functione theologorum et « fidelium sensus » etc.

Pag. 9, lin. 7: auferantur verba « eiusque apostolos ». Nam comparatio instituitur inter Vetus et Novum Foedus ad urgendam excellentiam Novi, ut patet ex textu citato S. Pauli; et ideo, pressius inhaerendo ipsi textui

S. Pauli, remittatur quaevis adnotatio de munere apostolorum paragraphis sequentibus ut primo clare affirmetur singularis et transcendens novitas revelationis Dei in Christo peractae.

Pag. 11, lin. 2: adverbia « certe et plene » mutentur in « certius et plenius », vel periodus sic sonet: « ... nonnisi traditione apostolica plene intellegi ideoque etiam certius exponi potest ».

Videtur enim nimis absoluta negatio seu exclusio significata per propositionem prout iacet; quasi sola Traditio *semper et in omnibus* praebeat theologiae non solum plenitudinem veritatis, sed reapse *certitudinem* ipsam.

Pag. 12, lin. 2: post « apostolorum » inseratur « in primis Christi Verbi Dei Incarnati »; ne iterum silentium fiat circa potiores partes Christi in historia revelationis.

Pag. 13, lin. 3: loco « habuit » melius et sapientius legatur « potuit habere ».

Pag. 18, linn. 2 et 3: delendum « plerumque », ne pateat effugium errori.

10

Exc.mus P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Sum unus ex multis Patribus Concilii, qui nolumus dare nomen alicui scholae, coetui nationali vel regionali episcoporum, sed existimamus anteponere omnibus his autonomiam debitam Patribus Concilii et sequi conscientiam potiusquam opinionem unius vel alterius scholae.

Ratio scribendi. Ultimis diebus in nostris disceptationibus de schematibus constitutionis dogmaticae multi Patres loquentes iam non argumenta intellectibus proponunt sed ad sensus appellant. Hoc aliquo modo dignitatem ipsius Concilii tangit et, si longius continuabitur, in publicum scandalum vergere potest.

Auditis argumentis ex utraque parte vix aliquid novi expectari potest.

Mentio ab aliquibus Patribus fuit cuiusdam alterius schematis. Si tale datur, permulti Patres non noscunt nec auctores, nec modum quo illud confectum fuit.

Cum tota reverentia erga omnes et humiliter audeo *proponere*: finis imponatur disceptationibus. Schemata nobis proposita et, alia si talia dantur, simul cum observationibus hucusque factis, ad commissionem theologicam mittantur, cuius iudicio relinquendum puto an et in quantum erit adiutorii ceterarum commissionum.

Cavendum tamen ab opinione non catholicos expectare a Concilio non claram definitam doctrinam, sed aliquid ambigui, quod omnibus placere posset. Et catholici et non catholici expectant a Concilio viam tutam, claram et firmam credendi et agendi.

11

BEAT.MUS P. D. PAULUS II CHEIKHO

Patriarca Babylonensis Chaldaeorum

Meum humile votum est ut in n. 25 mentio fiat de versione Syriaca, quae Pshitta vocatur. Digna est mentione haec versio propter eius claritatem, antiquitatem, propinquitatem textui originali hebraico. (Circa schema constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis,* cap. V, De Sacra Scriptura in Ecclesia, n. 25, pag. 19).

12

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER

Episcopus Camposinus

Liceat mihi ad commissionem theologicam quasdam animadversiones mittere circa nonnulla quae in aula conciliari de schemate *de fontibus revelationis* dicta sunt.

1. Non videtur quomodo affirmari possit hoc schema nonnisi remote ad vitam christianam renovandam conferre, cum fundamentum totius vitae christianae in fidei professione consistat, schema autem clare et perspicue istius fidei fundamentum exponat.

2. Non videtur cur mirandum sit, cum schema eamdem doctrinam exponat quae in manualibus scholaribus invenitur. Numquid alia debet esse doctrina ab Ecclesia in Conciliis docenda, alia quae in scholis exponenda? Ad modum quod attinet, expositio schematis videtur perspicua, sicut decet in definitione conciliari quae ab omnibus facile intelligi possit, utpote immediate intentionem pastoralem habeat.

3. Expositio schematis dicitur non accommodari hominibus nostri temporis. Triplici modo, ut videtur, posset schema veritatem catholicam acceptabilem reddere hominibus nostri temporis: vel veritatem christianam exponendo iam cum omnibus explicationibus necessariis ut homines nostri temporis illam intelligerent et acceptarent; vel veritatem christianam exponendo ita ut quaestionibus, quae modo homines magis agitant, respondeat; vel, tertio, ita veritatem christianam exponeret ut iam nulla appareret distinctio inter christianismum et placita quae actualis generatio magis aestimat.

Iamvero, non videtur opus Concilii veritatem exponere modo apologetico vel homiletico, cum explanare veritatem christianam potius ad praedicatores pertineat quam ad definitiones conciliares; non etiam videtur possibile Concilium veritatem christianam exponere modo quo iam non amplius appareat distinctio, quae necessario viget inter placita saeculi cuiuscumque temporis et genuinam Christi doctrinam; schema, autem, bene videtur attendere

ad exigentias hominum nostri temporis, qui positivam doctrinae expositionem postulant ut quiescant animos fluctuationibus doctrinarum hodie nimis agitatos; attendit etiam ad necessitates nostri temporis cum a viis quae ad extenuandum exstinguendumque fundamentum totius religionis avertit.

4. Nulla invenitur in schemate mentio cuiuscumque auctoris errorum qui damnantur. Si autem non videtur adesse ratio sufficiens damnandi, dicatur et schema emendetur. Quod non videtur admittendum est principium, scilicet quod Concilium ab erroribus damnandis se abstinere debet, pastoralis similisve causa, cum ex errorum damnatione ipsa veritas clarescat, eiusque positiva expositio firmetur.

5. Non apparet cur schema difficultates ad unionem seu conversionem fratrum separatorum creet. Etenim, fratres separati, bona ducti fide, gratia divina praeveniente, ab integrae Christi doctrinae expositione ad veritatem ducendi sunt. Huiusmodi expositio nullum obstaculum creare potest, cum veritas, utpote obiectum proprium humani intellectus, bene dispositos a semetipsa alliciat. Quodsi tali bona dispositione adhuc praediti non sunt, rogandum est Dominum ut eorum corda tangat, et disponat ad veritatem amplectendam; quae dispositio omnino necessaria, a nulla irenistica veritatis expositione suppleri potest.

6. Reprobatio autem schematis eo quod de duobus fontibus revelationis loquatur, quasi de novo aliquo a Tridentino, et Vaticano, necnon a traditione alieno, nullo videtur fulciri fundamento. Schema, enim, sicut Tridentinum et Vaticanum, loquitur de « integra revelatione » quae « continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus ». Loci, ergo, ubi illa integra revelatio — illa « fides supernaturalis », prout loquitur Vaticanum, vel « puritas Evangelii », sicut ait Tridentinum — quaerenda est, sunt de facto duo: libri scripti, et sine scripto traditiones. Locutio, proinde, de duobus fontibus revelationis non ut innovatio quaedam reprobanda est, sed potius ut enucleata Tridentini et Vaticani expositio habenda.

7. Quoad valorem historicum Evangeliorum, schema prae oculis certe habuit errores Modernistarum, quorum semina adhuc remanent, qui ita extenuant obiectivam historicitatem Evangeliorum, ut fides fundamento revera destituatur. Nihil in schemate habetur quod investigationes circa modum loquendi componendique evangelistarum veri periti faciunt, dummodo huiusmodi investigationes non tendant ad extenuandam veritatem obiectivam evangeliorum; tales enim investigationes a via veritatis deficiunt, modernismoque accedunt. Iuste ergo talis naturae investigationes damnantur.

8. Accessio autem plurium hodiernorum, qui originem et historicitatem evangeliorum aliorumque sacrorum librorum investigant, ad placita modernistarum, exigit ut hominibus huius saeculi saepe repetatur Sacram Scripturam legendam esse duce magisterio ecclesiastico cui unice Dominus assistentiam promisit ut semper errores devitaret.

Non video, ergo, cur praesens schema simpliciter reiici debeat, cum substantialiter bonum sit, disceptationibus perfici possit.

13

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA
Episcopus Calaguritanus et Calceatensis

De schemate constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* multa, diversi quidem coloris, inter Patres conciliares, ultimis diebus, dicta sunt. Sedulo perpensis, quae in aula conciliari omnes nos audivimus, fortasse haud temerarium sit affirmare « cardinem » quaestionis esse in admittendo vel reiiciendo schemate Patribus proposito. Et dum alii pro admissione, utique ad disceptandum, alii pro exclusione, ut alio substituatur, locuti sunt. Quaestio, igitur, de praeliminaribus, praevia et quadantenus provisoria, de ratione et modo procedendi mota est, quaeque, meo iudicio, utilitatis practicae et boni communis gratia, cito citius, iam hodiedum solvi debet.

Quod ut facilius assequatur, duo, meo iudicio, notare et distinguere iuvabit: An 1) schema, prout iacet, Ecclesiae et fidelibus proponi possit, et 2) an Patribus conciliaribus offerri queat ut argumentum *disceptationis.* Quaesita, ni fallor, diversi generis sunt et diversa illis dari possunt responsa.

Ad 1 quod attinet: si a nobis quaereretur utrum schema, prout iacet, fidelibus possit offerri, tanquam constitutio dogmatica perfecta *de fontibus revelationis,* negativum responsum dare deberemus. At, ut opinor, de hoc nunc non agitur. Constitutio dogmatica, tempore opportuno, fidelibus proponenda, forma stylo et colore etiam pastorali illis accommodato, fructus esse debet studii et laboris totius Concilii — et hoc opus, hic labor — necnon et ministerii pastoralis uniuscuiusque pastorum, ad applicationem et vulgationem quod attinet, attentis peculiaribus circumstantiis propriae suae dioeceseos, regionis vel nationis.

Si vero, ad 2, quaeritur an schema propositum Patribus conciliaribus offerri queat tanquam fundamentum disceptationis, pro constitutione dogmatica *de fontibus revelationis,* humanae hodiernae aetatis culturae aptata et communi omnium in Concilio labore conficienda, aliter et aliter fortasse erit respondendum. Et haec est, ni fallor, quaestio praevia nunc solvenda.

Non desunt in schemate, quae inconcinne dicta videntur; nonnulla aptiori modo erunt explicanda et aliqua fortasse penitus excludenda. At nihil veri et boni et iusti in illo continetur, ut absque disceptatione, statim ab initio, una voce illud reiiciamus?... Schema, prout iacet, non placet? Nihil mirum, nullaque in concedendo difficultas. Prout iacet, mihi etiam displicet. Quid inde? In disceptando schemate de sacra Liturgia, haud semel audivimus « non placet », et, post disceptationem, verbo ad verbum, per integrum fere mensem patienter productam, Patres conciliares, suffragio quasi unanimi, *ad mentem et quoad modum,* illud approbarunt.

Nec desunt, quae in schemate bona, utilia est laude digna sint. Notare liceat, inter alia, *claritatem in loquendo* et in disponendis quaestionibus, uti-

que fundamentalibus, *ordinem traditionalem.* Quae saltem duo si deessent, quod quidem nimis durum est asserere, hoc adhuc unum sufficeret memorare: schema nobis offerre instrumentum disceptationis *concretum certoque stabilitum,* simulque viam aperire et indicare, qua in labore nostro immediate et sine mora, si velimus, progredi valeamus, quod quidem certissime non daretur, si, actuali excluso et reiecto, novum nunc improviso in Concilio induceretur.

Schema non est de « elucubrationibus » scholasticis, nec de pia aliqua exhortatione, nec de aesthetico possibili argumento aut de diffusa quadam et obscura cogitatus catholici expositione, ut alicubi fieri solet, sed clarum, praecisum et concretum nobis exhibet indicem quaestionum, quae in constitutione dogmatica de Scriptura et Traditione, nostris hisce temporibus, necessario erunt tractandae et, quoad fieri possit, a Concilio determinandae.

Plura utique, eaque optima, de huiusmodi argumentis et in Tridentino et in Vaticano I et in documentis ecclesiasticis, a Leone XIII ad nostros usque dies, accurate dicta sunt. Attamen tot tantaque, in re tanti momenti, hodie convolvuntur argumenta; tot tantaeque, etiam inter nos, proclamantur sententiae, ut Concilium haec omnia ignorare nequeat et de his omnibus necessario loqui teneatur. Professores S. Scripturae, sacerdotes omnes et fideles anxietatibus, dubiis et angoribus anguntur, eisdemque tranquillitatem et lucem, quam doctores privati nunquam dabunt, sed nec dare possunt, Vaticanum II, pro suo docendi munere, in promptu afferre debet.

Nunc autem, in schemate huiusmodi problemata directo tanguntur et de illis non pauca, etsi perficienda, utique meritoria sine dubio dicuntur. Quin analysim minutam peragere nunc velimus, liceat quaedam concreta summatim indicare:

1. Quod attinet ad Traditionem, si in aliquibus ambiguitate laborat, in aliis clare tradit doctrinam traditionalem, fundamentalem melius dicam, de Traditionis theologicae natura deque illius existentia et valore pro divina revelatione certo cognoscenda. Alia tanguntur problemata — de Traditionis relatione ad Scripturam, de proposito et intentione Tridentini et Vaticani I — quae, certa ab incertis separando, accuratius erunt determinanda. Materia, tamen, pro studio et labore nobis proponitur optima.

2. Quatuor de Scriptura inseruntur capita. In illis tanguntur problemata biblica maximi momenti, quae, si ita loqui fas est, « actualizanda » sunt, quae nullatenus substrahi possunt studio Concilii quaeque in ipso serio erunt ponderanda et, pro bono exegeseos et docentiae catholicae, quoad fieri possit, solvenda. Nonnulla quidem, fortasse multa, in capitibus de Scriptura, quae, medio iudicio, infirmiora sunt, erunt corrigenda. At non desunt positiva, bona et utilia, etiam sub aspectu pastorali (cf. cap. V), in schemate retinenda.

Conclusio. Omnibus his sedulo perpensis, duo mihi occurrunt concludenda:

1. Schema validum nobis offert argumentum ad disceptandum. Retinea-

tur ergo, etsi perficiendum. Ne tamen discussio haec praevia in infinitum protrahatur, utque via aperiatur apta ad ulterius progrediendum in disceptando diversa schematis capita, de ipsius pastoralis rationis exigentia, ne, ultra quod iustum est, de nostra hac in re divisione homines mirentur, urget instrumentum quoddam arbitrari practicum, quo, pro bono communi, ex hoc circulo vitioso exire valeamus.

2. Neque necessarium puto *novum quoddam instrumentum creare*. Adest nobis commissio conciliaris de doctrina fidei et morum, e theologis et exegetis iuste iureque constituta. Huius ergo commissionis sit, attentis et « atmosphera » psychologica prae, in et para-conciliari et rationibus hinc et hinc in aula prolatis, cum zelo et diligentia, in veritate et caritate, totis viribus, in breviando, redigendo et reformando schemate, dum Concilium alia constitutionis capita considerat, alacriter adlaborare.

14

Exc.mus P. D. IOSEPH DESCUFFI
Archiepiscopus Smyrnensis

Cum post declarationem factam in sessione generali feriae IV, 20 die vero novembris, si schema reiectum foret, sine die reiceretur, nec nova disceptatio super novo schemate recognito et a maioritate relativa optato non amplius haberetur, multi Patres decepti sunt, quia sicut in aliis Conciliis oecumenicis iam habitis, in hoc etiam Vaticano II, schema dogmaticum, de professione fidei, solemniter declarari oportet, ne si deesset, Ecclesia mater et magistra, pro suo posse, ad denuntiandos et confutandos errores nostri temporis, imparata esse et a munere suo proprio scilicet defensionis ac praeconii veritatis ex timore defecisse videretur.

Itaque, votatione nuper facta, cum disceptatio continuare potest, hac inopinata occasione nisus, vobis, venerabiles Patres, propono ut:

In pag. 10, n. 4, lin. 3, abolitis verbis « Non in sola Scriptura, sed... in duplici fonte... et seq. », iis substituantur verba Concilii Vaticani I, cap. II contenta (Herder 1962, p. 782, lin. 23). Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem a sancta Tridentina synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt.

(Et postea) lin. 39... Nos (cum Patribus Concilii Tridentini) declaramus de interpretatione divinae Scripturae, ... hanc illius mentem esse declaramus ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut

etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari.

Post hanc adiunctionem — pag. 10, par. 4 a media lin. 24 — ... Nam libri Veteris et Novi Testamenti... etc. (textus schematis citari potest).

Pag. 11, n. 6, ut *redundantia* solemnis remanere (si libet) potest, sed n. 5 et n. 6 breviores sint et in unum *reducendi* sunt.

Cum hac emendatione, hunc textum fratribus dissidentibus Orientis et Occidentis, sine irenismi erroris timore, magis acceptum fore puto.

15

EXC.MUS P. D. STEPHANUS DESMAZIÈRES
Episcopus tit. Bybliensis, aux. Burdigalensis

Regula vere aurea est: Non multa, sed multum. Unum tantum dicam, sed, mea humili sententia, magni momenti. Videtur cap. I *de fontibus revelationis* indigere aliqua sententia de Traditione ut Traditione *viva.* Explano mentem meam. Traditio mihi videtur nimis considerari in nostro schemate ac si ageretur de aliqua re mortua, mechanice transmittenda: quum revera non possit existere nisi de vivente ad viventem transmissa, nec subsistere nisi in subiecto vivente. Implicat enim conceptus ipse Traditionis actum tradentis ad recipientem, atque adeo subiectum viventem. Subiectum hoc est Ecclesia, quae viva cum sit gratia Dei eam inhabitantis, non desinit quin, conservando depositum evangelicum, omnia fideliter conferat in corde suo, exemplo Beatae Virginis Mariae, quae quasi typus perfectus exstat Ecclesiae. Decursu saeculorum meditatur Ecclesia, tam verba Domini quam dona gratiae a Deo recepta; experientia quoque discit, fideliter et amanter vivendo, et sic paulatim ingreditur in profundum mysterii christiani unde vivit. Ex. gr.: celebrando sacram Eucharistiam, Corpori Dominico communicando, melius profundiusque necnon latius percipit Ecclesia quid sit praesentia eucharistica Domini. Vel orando Beatam Virginem Mariam, auxilium eius experiendo, melius percipit Ecclesia locum Matris Dei in Oeconomia salutis. Et sic de aliis. Haec est Traditio viva.

Certum est quod in hac viva Traditione sua, Ecclesia multa pure humana vel ecclesiastica miscet cum Traditione stricte divino-apostolica, cui soli convenit character absolutae normae fidei. Magisterio competit iudicare de devotionibus vel doctrinis in vita Ecclesiae, evolventibus saeculis, sese patefacientibus, ad normam depositi apostolici, cuius Scripturae sacrae testimonium sunt eximium. Sed magni facit Ecclesia sensum fidelium, vel, ut exactius loquar, sensum fidei in tota ecclesiastica communitate vigentem, sicut nuperrime comperimus occasione definitionis Assumptionis Beatae Virginis Mariae.

Quae, ut exprimantur opto, inseri possint in par. 3, pag. 10, linn. 10 et sequentibus. Sed fateri debeo textum, cum sit in redactione sua alienus a con-

sideratione quam exprimere intendo, difficile se praebere ad eam exprimendam: ita ut aliter rescribi deberet si commissio theologica existimaret ideam a me prolatam retinendam esse.

16

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEVOTO
Episcopus Goyanensis

Animadversiones a quodam coetu Patrum Americae Latinae propositae.

Haec duo schemata, prout iacent, contradicunt: 1) muneri huius Concilii; 2) progressui studiorum, theologiae et sacrae Scripturae; 3) sano oecumenismo actuali; 4) claritati doctrinae.

1. *Munus Concilii.* Hoc munus clare patet, in primis, ex inaugurali sermone Sanctissimi Domini Ioannis XXIII, die 11 elapsi mensis octobris: « Nostrum non est praetiosum hunc thesaurum (doctrinae catholicae) solum custodire, quasi uni antiquitati studeamus, sed alacres, sine timore, *operi quod nostra exigit aetas, nunc insistamus,* iter pergentes quod Ecclesia a viginti fere saeculis fecit. Neque opus nostrum, quasi ad finem primarium, eo spectat, ut de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur, atque adeo fusius repetantur ea quae Patres ac theologi veteres et recentiores tradiderunt, et quae a vobis non ignorari sed in mentibus vestris inhaerere merito putamus. *Etenim ad huiusmodi tantum disputationes habendas non opus erat ut Concilium Oecumenicum indiceretur.* Verumtamen in praesenti oportet ut universa doctrina christiana, nulla parte inde detracta, his temporibus nostris ab omnibus accipiatur novo studio; ... oportet ut haec doctrina certa et immutabilis, cui fidele obsequium est praestandum, ea ratione pervestigetur et exponatur quam tempora postulant nostra. *Est enim aliud ipsum depositum fidei,* seu veritates quae veneranda doctrina nostra continentur, *aliud modus, quo eaedem enuntiantur,* eodem tamen sensu eademque sententia. Huic quippe modo plurimum tribuendum erit et patienter, si opus fuerit, in eo elaborandum; scilicet eae inducendae erunt rationes exponendi, quae cum magisterio, *cuius indoles praesertim pastoralis, magis congruant* » (*L'Osservatore Romano,* 12-X-62; cf. textum italicum utile).

Attamen, in his schematibus: *a*) plurimae adsunt repetitiones rerum ab aliis Conciliis, Summis Pontificibus et theologis prolatarum; *b*) insuper repetitiones fiunt modo ac stylo libri manualis scholaris simili; *c*) quae ibi leguntur nonnisi remotissime indoli pastorali magisterii Ecclesiae respondent.

2. *Progressus theologiae ac sacrae Scripturae.* Doctrina horum schematum: *a*) nimis sistit in ordine veritatum mere naturalium; *b*) nequaquam videtur exhauriri ex biblico fonte et doctrina Patrum, sed valde sapit rationalismum conceptualisticum et abstractum; *c*) non est christologica, nam mysterium Christi non proponitur ut centrum et compendium totius historiae salutis, sed ut merum instrumentum revelationis verbalis; *d*) caret dimensione

eschatologica, quae in casu practice reducitur ad individualem finem uniuscuiusque hominis, quin Christi adventum gloriosum necnon nostri corporis resurrectionem ac universi mundi transformationem manifeste exprimat.

3. *Oecumenismus actualis.* In his schematibus: *a*) parvi fiunt fundamenta biblica et patristica doctrinae theologicae, quae magno favore gaudent apud fratres separatos; *b*) nulla ratio habetur magni thesauri ac modi loquendi theologiae Orientis; *c*) nimis apparet « apologetismus » iam obsoletus.

4. *Exspectatio mundi hodierni.* In his schematibus: *a*) problemata mundi hodierni, eiusque adspirationes ac pervestigationes, fere omnino ignorantur; *b*) mundus hodiernus potius negative aspicitur, quin eius valores positivi scientifici ac culturales agnoscantur; *c*) modus loquendi est mentibus nostrae aetatis valde alienus.

5. *Claritas doctrinae.* Haec schemata: *a*) laborant impraecisione, praesertim cum de traditione, inspiratione et historicitate librorum sacrorum loquuntur; *b*) potius quam ad doctrinam clarificandam erroresque aperte damnandos, ad confusionem quandam videntur perducere.

Conclusio. Ex dictis patet haec duo schemata non inservire necessitatibus hodiernis, tum theologicis, tum pastoralibus Ecclesiae.

Proinde, *ex integro rescribantur ad sensum harum animadversionum proponimus.*

[*Subsignati*] Felipe Santiago Benitez, ob. aux. de Asuncion (Paraguay); Manuel Marengo, ob. de Azul; Enrique Rau, ep. Marisplatensis; Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina; Carlos Ponce de Leon, ep. tit. Rodosto; Vicente Zazpe, ob. Rafaela; Luis Baccino, ob. de San José de Mayo; Ramon Bogarin Argaña, ob. de S. Juan Bta de las Misiones; Ismael Rolón, prel. n. de Caacupé (Paraguay); Anibal Maricevich, ob. coad. Villarica (Paraguay); Roberto Caceres, ob. de Melo (Uruguay); Ildefonso M. Sansierra, ob. tit. de Oreo (Argentina); M. Blanchoud, ob. de Rio Cuarto; Jorge Kemerer, ep. Posadensis.

17

EXC.MUS P. D. EDUARDUS IOANNES DOODY
Episcopus Armidalensis

Pauca omnino dicenda habeo. A longinquo et ab extremis terrae veniens, voce pastoris gregis Christi me locuturum spero.

1. Discere vellem quonam pacto partes traditionis ecclesiasticae in revelatione divina patefacienda minui possent, vel a loco suo turbari. Nonne Christus Dominus apostolis suis mandavit: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » (*Marc.* 16, 15), atque ipse promisit ut Paraclitus quem missurus erat eis doceret omnia (*Io.* 14, 26).

Re quidem vera, dum apostolis auctoritatem dedit docendi nec ipse ali-

quid scripsit, nisi digito in terra aliquid incognitum, nec apostoli Evangelia aut epistulas scripserunt tanquam imperio eius necessario oboedientes. Sed annis multis docuerunt ut pastores greges eis commissos et, tempore opportuno, duo tantum Evangelia scripserunt atque alii tres epistulas, quae uti verbum Dei scriptum rite et recte in ecclesiis legebantur et interpretabantur.

Omnia autem nobis a Deo revelata in Sacris Scripturis non continentur, ni fallor. Dici autem quit ut omnia quae in Sacris inveniuntur Scripturis in Traditione continentur.

Age nunc, Traditio, quae est vox viva Ecclesiae pastorum, vox illa est Petri et apostolorum quae hodie per Ioannem, Summum Pontificem, et episcopos loquitur. Ipsa vox Ecclesiae viva, quae est vox Dei, et auctoritas in Ecclesia est et medium quo agnoscitur canon Sacrae Scripturae maxime et verbi Dei scripti inspiratio. Traditio igitur in revelatione divina minorem partem tenere vix dici potest.

Si in Concilio Vaticano I Sacra Scriptura et Traditio ut duplex fons revelationis habeantur, quomodo nunc nos poterimus Traditionem parvipendere? Nec veritatem mutare valemus, nec fratribus dissidentibus in regionibus nostris occasionem dare debemus opinandi nos veritatem, quam semper tenuimus, obscurasse ut eos sine mutatione vera fidei dogmatum alliceremus. Inquirunt enim veritatem et unionem ecclesiarum quae Christi Domini nomine censentur, et corde sperant Ecclesiam Romanam super petram aedificatam stabilitate frui, quae nusquam alioqui inveniri valet. Si petra vacillare videtur, occasio praeberetur dubitandi ne nos veritatem non habere ipsi vereamur.

2. Proinde, agnoscere debemus pericula inhaerentia in eis cogitationis et expressionis systematibus, quae Traditionis momentum minui viderentur. Systemata illa, quae veritatem Christi Domini obscurare possint, viam pandent liberalismo qui scindere valet vestem Christi inconsutilem, ita ut Ecclesia mane evigilare et sese acatholica invenire potuisset. Inhaereamus autem sententiis veterorum pastorum gregis Christi; et oro nos agamus ut nihil innovetur nisi quod traditum est.

Vos, ergo, Fratres em.mi, exc.mi, rev.mi, ut schema perpulchrum, utilissimum, laboriose a valde peritis confectum nobis a commissione praeparatoria traditum sine mutationibus, eis exceptis minoribus, quae vobis vere necessaria et exoptabilia videantur, acceptum habere rogo.

18

Exc.mus P. D. MICHAEL DOUMITH
Episcopus Sarbensis Maronitarum

Ad disceptationem clarificandam, de hoc schemate in genere, liceat aliqua principia recolere ex usu Conciliorum eaque ad quaestionem nostram applicare.

1. *De quaestionibus disputatis.* Non est in more Conciliorum quaestiones inter catholicos disputatas dirimere; si qua opinio habetur ut erronea aut haeretica, tunc clare exponitur, et, qualificatione determinata, clare damnatur.

2. *De modo loquendi.* Non est in more Conciliorum modum loquendi scholasticum, et systematicum adhibere, sed modum loquendi communem, rectis mentibus accommodatum, ita ut, licet fiat antiquus, non fiat antiquatus. Terminum scholasticum adhibuerunt Concilia, quando hic terminus apparuit ut aptior ad dogma exprimendum, ut factum est pro voce « omoousios » et pro voce « transsubstantiatio ». Stylus autem Conciliorum, non est scholaris, nec speculativus.

3. *De errore refellendo.* Non est in more Conciliorum doctrinam exponere absolute, et in genere, sed in ordine ad aliquem errorem refellendum, ita ut negative excludatur error in canone, et positive exponatur doctrina in capite. Concilium Oecumenicum locum magisterii ordinarii tenere non potest, et vix habemus completam expositionem doctrinae ex summa definitionum Conciliorum.

4. *De definitionibus iterandis.* Non est in more Conciliorum quaestiones iam definitas denuo definire. Definiendo autem aliquam quaestionem, Concilium curat ne plus affirmetur quam intenditur, ne refellendo errorem claudatur via ad veritatem.

5. *De indole irreformabili definitionis.* Definitiones Conciliorum sunt irreformabiles, hoc sensu quod « definitum » manet semper verum. Sed non ideo excluditur alia forma exprimendi eamdem veritatem, nec ideo clauditur omnis via ad ulterius progrediendum.

Ad applicationem autem horum principiorum quod attinet, haec videntur dicenda.

1. Quod quaestiones in schemate expositae non sint omnes extra discussionem, patet ex oppositione et quidem viva opinionum, quae omnes non feruntur circa modum loquendi. Hae autem quaestiones disputatae non possunt esse obiectum declarationis conciliaris.

2. Modus loquendi, licet non proprie scholasticus, est sat scholaris et mere speculativus; posset revera esse magis evangelicus et pastoralis.

3. Non exponitur et refellitur in schemate error qualificatus; sed non ideo expositio est immunis ab omni suspicione erroris: melius est de errore monere quam illum suspicare.

4. Quae dicta sunt a Tridentino et Vaticano I non sunt iterum dicenda; quae autem dixit Pius XII in encyclica *Deo afflante Spiritu* non sunt derelinquenda: fuerunt enim magni solatii et auxilii exegetis catholicis, et magni beneficii omnibus biblicis. Pro bono veritatis et caritatis, excluso omni timore, possunt a Concilio confirmari.

5. Expositiones Conciliorum antiquorum manent verae, et ideo excludenda omnis expositio ex qua concluderetur Ecclesiam mutasse doctrinam etiam ratione caritatis. Sed non ideo excludenda est nova expositio magis

accommodata menti hodiernae, nec ulterior inquisitio, puta theologicam et non mere apologeticam, de verbo Dei, dummodo haec expositio non praebeat ansam errori.

His positis, schema, licet multa contineat vera et recte formulata, utiliter posset recognosci quoad ipsa dicta, ut iudicium vitetur de rebus disputatis, quoad modum loquendi, ut eadem doctrina modo magis pastorali exponatur, et posset tandem compleri aliqua addendo de verbo Dei, ut omnes in Christo credentes videant in doctrina catholica exspectationem proprii conaminis.

Utrum hae emendationes fieri possint in congregatione generali, difficile videtur et perlongum tempus requirerent. Magis opportunum videtur ut alicui speciali commissioni remittatur quae illud recognoscat, in sensu optato.

19

EXC.MUS P. D. EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Nagpurensis

Multa dicta sunt contra schema constitutionis dogmaticae de revelatione. Haec resumere nolo. Aliquid addere volo quod nostri maxime interest.

Cur post hoc schema habetur tantum schema constitutionis de deposito fidei *pure custodiendo?* Cur non habetur *de fide omnibus gentibus manifestanda?*

Ne dicatis mihi: habebitur schema speciale *de Missionibus*. Equidem non agitur tantummodo de Missionibus. Agitur de revelatione et de fide. Nonne ad ipsam theologiam de revelatione et de fide pertinet missio Ecclesiae revelationem aliis communicandi? Nonne hoc est *saltem* aeque grave officium ac missio depositum fidei pure conservandi? Dominus noster Iesus Christus non dixit: « Euntes in mundum universum, depositum fidei pure custodite », sed clarissime locutus est « docete omnes gentes », « praedicate omni creaturae ». Cur de hac re nulla quaestio hic in ipsa sectione de revelatione et fide.

Libenter concedo in pluribus aliis schematibus verba facienda esse de hoc officio Ecclesiae evangelium annuntiandi; sed non potest deesse in his schematibus de revelatione et fide.

A Concilio expectabamus ut in de revelatione et de fide toti mundo declararet divinam vocationem omnium hominum; ut ei clare annuntiaret evangelium, « bonum nuntium ». Sed quid habemus? Abstractam delineationem dogmatum, veritatum et assertionum.

Ex verbis Summi Pontificis sperabamus Concilium omnes homines invitaturum esse ut omnia quae habent bona: culturam suam, artem, civilizationem propriam, scientiam, religiositatem ac alia, et semetipsos in laudem Dei, Patris omnium nostrum, deferant; ut attente considerent bonum nuntium Christi, ut per eam ad pacem et beatitudinem perveniant. Huius invi-

tationis loco habemus siccam expositionem quarumdam partium theologiae vel catechismi, praesertim intentam in pericula quae possent oriri pro catholicis. Perinde ac si Mater Ecclesia timorosa et pavescens tota occupata esset in erroribus inveniendis et destruendis.

Ex verbis ipsius Summi Pontificis Concilium episcoporum totius mundi *non ad id* convocatum est. Convocati sumus ex toto orbe pastores et cum Summo Pontifice congregati ut universo mundo annuntiemus divinam vocationem omnium hominum et evangelium Christi; et hoc quidem modo qui a modernis hominibus intelligi potest.

Cum dolore id dico: propositio revelationis uti stat in schematibus, nedum sit adiumentum, nobis pastoribus inter non-christianos dispersis, potius difficultates creabit in nostro officio religionem catholicam acatholicis praedicandi.

20

EXC.MUS P. D. LEO STEPHANUS DUVAL
Archiepiscopus Algeriensis

Vellem indicare quaedam quae mihi utilia videntur ad exprimendam unanimitatem nostram, non certe in doctrina, quia haec unanimitas non deest, sed in verbis et in modo exponendi hanc doctrinam.

1. Sicut multi Patres Conciliares iam dixerunt, necesse est ut agatur primum de ipsa revelatione antequam fiat quaestio de viis quibus verbum Dei pervenit ad nos.

2. Relate ad haec verba « fontes revelationis » haec notanda sunt:

Rarissime haec locutio invenitur in documentis ipsius Ecclesiae. Reperitur equidem in allocutione radiophonica habita die 24 octobris anni 1954 a Pio XII occasione congressus mariologici. Sed notandum est Summum Pontificem locutum esse non de fontibus revelationis, sed de fontibus doctrinae catholicae; adest de facto aliqua differentia. Haec sunt ipsius verba: « Quo in munere exsequendo, diligenter ratio habenda est utriusque doctrinae catholicae fontis, Sacrarum nempe Scripturarum et Traditionis ».

Uti apparet, tum ex ipso textu Concilii Tridentini (sess. IV), tum ex natura rei, dicendum est revelationem esse fontem verbi Dei ad homines, et Scripturam Sacram simul ac Traditionem esse vias seu canales quibus hoc verbum Dei revelatum ad nos usque pervenit.

Sane quidem abhinc multis annis libri theologiae continent tractatum de sic dictis « fontibus revelationis ». Sed quum revera revelatio potius dicenda sit fons eorum quae continentur in Scriptura et Traditione, congruum videtur ut abstineatur deinceps ab hac locutione, utpote aequivoca, sive pro fratribus separatis sive, prout lugenda constat experientia, pro nobis ipsis. Loquens de terminis quibus exprimitur doctrina catholica, ipse Pius XII in Encyclica *Humani Generis* haec dixit: « Nemo sane est qui non

videat huiusmodi notionum vocabula cum in scholis tum ab ipsius Ecclesiae magisterio adhibita, perfici ac perpoliri posse; ac notum praeterea est Ecclesiam in iisdem vocibus adhibendis non semper constantem fuisse ».

3. Falsum est adesse quendam conflictum inter aspectum doctrinalem et aspectum pastoralem quando agitur de expositione cuiusvis veritatis catholicae. E contra studium doctrinae convenienter exponendae, tum filiis Ecclesiae tum aliis hominibus, semper, teste historia, fuit incitamentum ad inveniendas locutiones, non minus sed magis exactas — etsi minus technicas — et insimul magis evangelicas, magis universales, magis consentaneas traditioni sanctae Ecclesiae.

4. Valde optandum est ut schema magis insistat in intimo nexu et, ut ita dicam, in « complementarietate » quae viget Scripturam inter et Traditionem, qui nexus manifestus est in ipsa Scriptura et in scriptis Patrum Ecclesiae, praesertim S. Irenaei, cuius haec verba referre iuvat: « Agnitio vera est apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiae status, in universo mundo, et character corporis Christi secundum successiones episcoporum, quibus illi eam quae in unoquoque loco est Ecclesiam, tradiderunt, quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens, et lectio sine falsatione, et secundum scripturas expositio legitima, et diligens, et sine periculo, et sine blasphemia; et praecipuum dilectionis munus, quod est pretiosius quam agnitio, gloriosius autem quam prophetia, omnibus autem reliquis charismatibus supereminentius » (*Adv. Haer.* IV, 33, 8).

21

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCÓN
Episcopus Celsonensis

Ratio potissima, qua non pauci schema *de fontibus revelationis* impugnant, ordinis pastoralis est.

Schema, dictum est, caret sensu atque spiritu pastorali. Eius tenor, dictio, adhuc et intentio necessitatibus pastoralibus hodiernis non aptatur. Non aequatur, inquiunt, fini pastorali a Romano Pontifice huic Concilio indito. Reiciendum igitur ex integro, aut saltem totaliter reficiendum.

Cum dictioni « pastorali » non semper idem sensus tribuatur, mea opinio fert necessarium esse cogitate meditari hoc argumentum, ut clare requisita, quae indoles propria huius Concilii schemati, de quo agimus, imponit, perspiciantur.

Actio profecto Ecclesiae ex sua natura pastoralis est. Ab ipsa, actio redemptrix Christi continuatur, et Christus ut Bonus Pastor praesentari voluit, et hac eadem pastus translatione usus est, cum suam auctoritatem Petro tribuit, eique et apostolorum Collegio missionem indixit: « pasce oves meas ».

Qua re significatur Ecclesiam ut peculiarem finem habere animarum salvationem, et eatenus dignum Ecclesia fore quodlibet ministerium, quatenus hunc finem prosequatur vel ad eum tendat.

Nunc vero omnia ab Ecclesia adhibita necessario eius fini pastorali respondere debent, attamen *non eodem modo,* sed ad genus et modum uniuscuiusque medii.

Ut tantum de magisterio ecclesiastico sit mea disquisitio — hoc enim in schematibus doctrinalibus proponitur —, apertum est, aliter agendum esse et in re et in dictione cum definire clare et distincte veritates fidei intendatur; aliter vero cum hae veritates sint fidelibus explicandae. Primo in casu interest praesertim ut dicta sint perlucida, significantia, accurata, filologice exacta, ut nullum remaneat dubium de modo et pondere veritatis significatae. In secundo autem consulendum erit et menti, et moribus, immo et institutioni litterariae cuiusque temporis, ut nuntius verbi divini digne et ut oportet communicetur.

Numquam quidem expediet, nec in ipsa conceptione dogmatum, verbis uti arcanis aut obsoletis quae eruditorum aures obtundant; verum etiam curandum erit, ne anxietas coalescendi cum studiis aut placitis certi temporis nos obstringat, ut formulis versiloquis loquamur, quae vim et sensum exactum per tempora servare non possint. Peius adhuc esset has veritates vage et incerte in ordine doctrinali proponere, ut vividius appareant, ut dicitur, magno cum periculo fidei. Hoc quidem aperte contra actionem pastoralem esset. Immo non capio sensum dictionis « veritas vitalis » praesertim si definitioni veritatis opponatur, cum vitalitas sit interna ipsi veritati — maxime veritati revelatae —; quam quidem vitalitatem ipsa propositio clara et accurata auget. Certo certius veritas revelata — verbum Dei — clare proposita habet iam ex se vitalitatem et vim acutissimam.

Nec praetermittendum est insuper Concilium sua schemata aut effata non posse omnium et singulorum hominum rationi et mensurae accommodata proponere, ut si declaratio fieret ad populum, aut catechismus omnibus fidelibus pararetur. Non expedit Concilium loqui stylo pastorali, ut parochus loquitur, quia Concilii est corpus doctrinae tradere, quam deinceps et episcopi et sacerdotes christifidelibus exponere curabunt. Ergo finis pastoralis Ecclesiae aliud exigit a Concilio, aliud vero ab episcopo vel parocho in sua versus fideles actione magisterii.

Finis pastoralis huius schematis maxime adsequendus est, ut opinor, cum veritates enodando nostris hominibus pertinentes, tum eas praesentando ut remedium quorumdam malorum mundum deturbantium, tum detegendo vim supernaturalem in eis contentam quoad institutionem conscientiarum et cultum vitae spiritalis hominum; quae omnia his mediis censeo obtineri posse:

a) Prooemio quodam, in quo declaretur quid Concilium desideret in hoc schemate proferendo, et insistatur in vigore veritatibus propositis contento;

b) Propositiones quasdam corrigendo, certos conceptus pressius enu-

cleando, atque locis nonnullis praesentiam et novitatem veritatum expositarum praeferendo.

Censeo igitur schema — meris rationibus pastoralibus — teneri posse ut fundamentum disquisitionis; immo, praeferendum puto prae aliis subcognitis quae minus certe suadent; neque negligendum esse in omni discussione hoc schema futurum esse ut episcopi et sacerdotes nuntium christianum, ut tempora postulant, nuntiare possint.

Correctiones, non paucae quidem, sunt illi adhibendae, ut aliqui Patres dixerunt. Dignum tamen est ut recipiatur summatim; et praebet, si pastorali prospicitur, non parva emolumenta, quae nefas est aspernari.

22

Exc.mus P. D. DOROTHEUS FERNÁNDEZ Y FERNÁNDEZ

Episcopus tit. Castabalensis, coad. c.i.s. Pacensis

1. Placeret alia redactio par. 7 ita ut verba desumpta ex 2 *Tim.* non videantur praedicari de tota Sacra Scriptura tam Veteris quam Novi Testamenti.

Ratio: *a*) Paulus non loquitur de Novo Testamento, quod tum temporis nondum erat completum. *b*) Ipse apostolus dicit quinam sint libri, quos ipse vocat « Scriptura divinitus inspirata ». Sunt enim illi, quos Timotheus ab infantia didicerat, nempe Vetus Testamentum.

2. In eadem par. lin. 5, pag. 12, dicitur: « Haec est Sacra Scriptura divinitus inspirata ab apostolis catholicae Ecclesiae tradita... ».

Iam vero, iuxta multorum sententiam, fuerunt tum in Veteri quam in Novo Testamento alii libri quibus ratione univoca conveniret nomen libri inspirati, qui tamen unquam fuere Ecclesiae traditi, neque in canone recepti, et quorum usus in Ecclesia fuit tantum temporalis, non vero perpetuus.

Unde propono, ut haec minuscula devitentur, hanc paragraphum ita redactare. In lin. 5, post verbum « voluit », dicatur: « Scriptura vero divinitus inspirata, quae ab apostolis fuit Ecclesiae tradita, atque in sacro canone rite agnita et recepta, ad perpetuum eiusdem Ecclesiae usum manet » ut munus suum etc.

3. Ad par. 9, pag. 13, lin. 3, dicitur: « unus idemque liber duos vel plures interdum habuit auctores ».

Fere nullum credo invenies hodie auctorem, qui huic affirmationi contradicat. Absque dubio auctor schematis prae oculis habuit quae inde a variis annis dicuntur de deutero et trino Isaia, de variis auctoribus et redactoribus Pentateuchi et aliorum librorum Veteris et Novi Testamenti.

Optarem tamen ne ita hoc affirmaretur modo quo iacet, quo videmur introducere in definitionem aliquid quod tandem nititur in persuasibilibus humanae sapientiae verbis.

Unde propono ut post verba « usque ad completam revelationem » lin. 2, haec inserantur: « Immo, nihil obstaret ex parte inspirationis quominus unus idemque liber duos vel plures auctores habere possit », quin de facto affirmetur utrum vel non in sacra Scriptura existant tales libri.

4. In par. 10, ad lin. 11, est sermo de inspiratione sic dicta communitaria. Mea est opinio, venerabiles Patres, bene haec esse consideranda a Concilio, quod sensu plene orthodoxo intelligi potest.

Auctores autem catholici, quatenus scio, qui loquuntur de inspiratione communitaria vel communitatis, hanc inspirationem intelligunt quatenus auctor sacer, qui erat membrum alicuius communitatis a Deo ductae et edoctae et eiusdem particeps fidei, libro commisit quo ipsi commune erat in credendo cum ceteris contribulibus suis, non autem eo sensu quo communitas formaliter considerata habuerit munus charismaticum ad scribendum.

Haec communitas credendarum, quae postea ab aliquo singulari hagiographo sub munere charismatico fuit scripto tradita, habenda est tanquam fons unde orti sunt non pauci libri sacrae Scripturae.

Quae cum ita sint et a nemine, ut puto, in crisi revocentur, non video quo tendant verba in schemate posita in lin. 12: « ex Dei autem Providentia », quae melius e medio tollerentur.

5. In par. 12 desiderarem, ut praeter inerrantiam, etiam alia consectaria inspirationis exprimerentur. Sermo saltem fiat de virtute salvifica sacrae Scripturae, de qua toties loquuntur auctores a Deo inspirati.

6. In hac par. 13 recte statuitur principium generale unde inerrantia est diiudicanda, principium, ceteroquin, ab omnibus admissum: « inerrantia diiudicanda est ex modo quo veritas in libro sacro attingitur ».

Plura novimus, Patres Conciliares, circa culturas orientales, quae non cognoverunt patres nostri. Res esset periculosa nimis gressus adamussim premere eorum exegetarum qui ante quinquaginta annos vixerunt. Non simus contenti in agnoscendo in Sacra Scriptura illa suprema genera litteraria, quae ab infantia discimus. Versamur, ut ait propheta, inter gentes ignotae linguae, quam semper discere debemus: debemus, nempe, scrutare mores, culturam, modum scribendi, ne nimia simplicitate ad nostros canones litterarios revocare velimus quidquid apud ipsos invenitur, ne cum audis « historiam » eam putes scriptam fuisse et redactam iuxta placita graecorum aut romanorum historiam scribentium. Historia apud semitas genus supremum dicerem, alia genera inferiora sub se continens.

Votum meum est, proinde, ut haec paragraphus denuo retractetur et ita fiat ut exprimat, quae utiliter ex Encyclica *Divino afflante Spiritu* et *Humani Generis* pro hac nostra materia cum magno fructu erui possunt.

23

Exc.mus P. D. SALOMON FERRAZ

Episcopus tit. Eleuthernensis

Schema impressionem gignit quod Concilium velit omnia definire, quod non videtur esse necessarium neque prudens; nam multa iam definita sunt in Conciliis praecedentibus, maxime Vaticano I; alia adhuc in scholis disputantur, speciatim in quaestionibus de re biblica in continuo progressu evolutivo, pro quo melius videtur convenire quod principia stabiliantur, quibus hoc studium regi debeat.

In formulis dogmaticis conficiendis, habendum est prae oculis principium a Summo Pontifice, in allocutione conciliari enuntiatum: « Est enim aliud ipsum depositum fidei, seu veritates, quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus, quo eaedem enuntiantur, eodem, tamen, sensu, eademque sententia ». Scilicet veritas substantialis debet talis formulari qualis et a fidelibus melius intellegi, et a fratribus separatis, quibus Concilium doctrinam catholicam vult ostendere, facilius comprehendi possit.

Etsi ego e Protestantismo Anglicano ad Ecclesiam venio, iudico, tamen, retinendam omnino esse antiquam doctrinam duplicis fontis revelationis, scilicet Sacram Scripturam et ecclesiasticam Traditionem; non ita vero ut una sit alteri opposita, sed quatenus ambae magisterio ad rectam interpretationem traditae, unde, per saecula, affirmatur Divina Personalitas Christi, eiusque Divina Missio in conficienda Ecclesia, quae, non obstantibus humanis defectibus, manet semper Corpus Christi, in mundo operans hominum salutem.

Haec consideratio et exercitium Romanae Liturgiae, in qua fere omnia dogmata vivunt, et sic incorrupta transmittuntur, rationes praecipuae fuerunt meae, et plebis mihi commissae, ad ecclesiam romanam adhaesionis.

Neque est timendum, hac methodo, Protestantes magis a nobis averti, quos, potius, iuvabit doctrinam integram et claram illis tradere quam eis doctrinam, etsi verbis tantum diminutam, ostendere.

Extollendo elementa positiva, quae adhuc Protestantes possident, eorundem elementa negativa, paullatim, evanescent.

24

Exc.mus P. D. RAPHAEL GARCÍA Y GARCÍA DE CASTRO

Archiepiscopus Granatensis

Perplacent quae de Vetere Testamento dicuntur in schemate *de fontibus revelationis,* cap. III, pagg. 15-16. Aliqua tamen desiderantur, praesertim si cap. III et cap. IV inter sese comparentur. In hoc enim ultimo

capite cum de Evangeliis loquitur, tribus paragraphis, quamvis brevibus, sermo fit « de historico Evangeliorum valore », « de veritate factorum Christi in Evangeliis », « de veritate verborum Christi in Evangeliis ».

E contra cap. III, *De Vetere Testamento,* circa historicitatem et veracitatem librorum qui historici appellari solent, alte silet. Cur tam varie?

Libenter fatemur ea quae ad Iesum Christum Dominum nostrum referuntur supra ceteras veritates eminere. Sed ex una parte, ut schema declarat, in lin. 24, pag. 15, « ratio atque momentum totius Veteris Testamenti in hoc est ut in Novum tendat et in Novo pateat », et aliunde ipsemet Christus Dominus scrutationem Veteris Testamenti commendabat, scilicet: « Scrutamini Scripturas... et illae sunt quae testimonium perhibent de me » (*Io.* 5. 39). Quapropter elucide patet necessitas alicuius paragraphi, in quo determinentur historicitas, et si fieri possit, limites huius historicitatis. Quae quidem maxime hisce temporibus utilia iudicamus, multa etenim divulgantur, quae apud populum christianum plane dissonant.

Haec igitur breviter proponam:

1. Attentis magisterii documentis, praesertim scilicet responsione Pontificiae Commissionis de Re Biblica anni 1909 (30 iunii), Encyclica *Divino afflante Spiritu,* Litteris eiusdem Pontificiae Commissionis ad em.mum card. Suhard anni 1948 (16 ianuarii), Encyclica *Humani Generis* et tandem *Monitum* Supremae Congregationis S. Officii anni 1961 (20 iunii), attentis ergo hisce documentis, et ex alia parte considerata rerum gravitate et peritorum investigationibus, addantur in schemate principia quae in hac materia historica, mentis claritati, conscientiae tranquillitati et divinae revelationis integritati inservire valeant.

2. Ad rem pastoralem quod attinet, commendetur omnibus sacerdotibus ut de hac materia magna cum prudentia et caritate semper loquantur, ne in destructionem animarum potius quam in aedificationem scientia vertat.

25

Exc.mus P. D. FRANCISCUS XAVERIUS GEERAERTS
Episcopus tit. Laganitanus

Praeparatam habui interventionem spectantem ad schema constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* etc.

Non credo tamen me aliquid novi addere posse ad haec quae iam de ista quaestione ab em.mis cardd. Liénart, Frings, Léger, König, Alfrink, Suenens et Bea praeclare dicta sunt.

Censeo cum his illustribus Dominis hoc schema esse totaliter recognoscendum. Mihi etiam non placet. Rationes sunt:

1. Quia nullo modo respondet scopo a Summo Pontifice Concilio proposito, nempe « doctrinam Ecclesiae huius temporis necessitatibus et cir-

cumstantiis accommodare ». Retenta fuit enim ista vetusta et valde insufficiens explicatio et expositio quam ipse 50 annos abhinc iam in seminario audivi. Nihil novum affert, non monstrans immensum progressum studiorum in theologia, exegesi etc. Et sic immensam deceptionem attulit omnibus fere istis qui adhuc culturam sacram aeque ac profanam amant et exercent.

2. Relationes inter fidem et scientias physicas pessimo modo exponuntur. Incipit enim condemnando et reiiciendo ac si ageretur de pessimo hoste qui dolo et fraude homines vult decipere et nihil prae oculis habet nisi eos a vera religione avertere. Hoc reapse interdum accidit, sed generali modo non fit cum tali intentione, quia quaerunt plerique simpliciter veritatem cum spiritu libero non iam ligato.

Tunc finaliter et quasi reluctanter vix concedit quod forte aliquas concessiones possumus facere hominibus istis qui clare et indubitanter, post multas difficultates eis etiam ab ecclesiasticis auctoritatibus factas, veritates scientificas demonstraverunt, quas antea Ecclesia « nomine fidei » non admittebat.

3. Ecclesia, quae munus accepit « docendi », deberet ad minus clare admittere veritates quae a toto mundo scientifico admittuntur, et si antea aliquid imperfecto aut falso modo explicavit, debet istam explicationem mutare. Cur semper figuram tristem retardatarii ostendere, cur non aperte et strenue omni veritati viam aperire? Nulla veritas potest nocere religioni, quia omnes veritates a Summa Veritate emanant, et sic veritas veritati contradicere non potest.

4. In toto orbe terrarum homines scientifici praesertim christiani, exspectant ut de Concilio Oecumenico emaneat clara explicatio concordiae inter fidem et veram scientiam. In schemate autem nulla monstratur via ad talem concordiam obtinendam.

5. Omnes christiani exspectant quod aliquid clarum et positivum dicatur circa interpretationem inerrantiae S. Scripturae. Sic e. g. circa Genesim, ubi creatio mundi et hominis enarratur.

In sermonibus et instructionibus sacerdotum maxima adest confusio: alius sic, alius aliter de eodem facto loquitur, et nemo scit clare quid tuta conscientia doceri potest.

Tota vita nostra in dubiis et difficultatibus eramus, et nunquam regulas claras a summa Ecclesiae auctoritate recepimus. V. g. Manuale Biblicum quod in usu fuit durante tempore meae formationis sacerdotalis, anno sequenti in Indicem librorum prohibitorum positum fuit... et dein, paulisper prudenter, audacter et cum innumeris difficultatibus, professores Scripturae Sacrae pervenerunt in Ecclesia ad doctrinam biblicam quae longe antecedit in novitate istum librum semper prohibitum. Cur non dare lucem et monstrare viam? Hoc tamen minime a schemate permittitur.

6. Doctrinam de Monogenismo tam strenue defendit et vindicat, quod dubitari potest num auctores attente legerunt omnes relationes factorum

quas in temporibus nostris circa originem hominis dederunt viri vere scientifici et saepe ferventer catholici.

7. Non possum approbare modum agendi cum his viris bene intentionatis v. g. Teilhard de Chardin S. I., qui prudenter et honeste post multas investigationes et totam vitam intensi laboris reconciliationem inter fidem et scientias quaesiverunt. Non solum nihil positivum factum est ut adiuvarentur in suo conatu laudabili, sed nominantur potius inimici sanctae tranquillitatis Ecclesiae.

8. Cur non, et haec est propositio mea positiva, proponere Concilio ut instituatur commissio mixta theologorum diversarum scholarum ex toto orbe christiano — et hominum scientiae qui non necessario sint catholici, ut praeparent viam solutionis huius quaestionis. S. Sedes tunc omnia documenta haberet ut claram doctrinam publicare posset, et sic munus docendi magnifice exercendum. Det pacem et lucem in re tanti momenti.

Haec et alia multa iam dicta in Concilio me desiderare faciunt ut schema de quo agitur totaliter immutetur, quia sicuti propositum est, omnino non placet.

26

Exc.mus P. D. FERNANDUS GOMES DOS SANTOS
Archiepiscopus Goianiensis

Schema *de fontibus revelationis* in se consideratum duplicem offert aspectum: 1. ut summarium earum rerum quas Ecclesia docet circa fontes revelationis; 2. ut tentamen quoddam ad finem imponendum oppositionibus quarundam tendentiarum catholicarum, nostra invalescentium aetate.

Ut summarium, enim, nihil omnino prohibet quominus reaffirmet Concilium ea omnia quae in aliis Synodis discussa et definita fuerunt; ut tentamen definiendi quaestiones disputatas, videndum est utrum conveniat vel opportunum sit ianuam claudere accuratioribus vel profundioribus studiis circa materiam, hac praesertim occasione, cum theologis et exegetis novae oriantur cognitionum fontes.

Nobis certum videtur, salva semper reverentia maximi ponderis vocibus, schema et extra sensum Concilii esse et ignorare mentem quae nostris invalet diebus.

Etenim, schema e spiritu qui Summum Pontificem Ioannem XXIII duxit ad convocandum Concilium Oecumenicum Vaticanum II multum distat. Mens autem Summi Pontificis clara et praecisa apparet tum in sermonibus tum in allocutionibus et praeprimis in ea habita die 11 octobris, occasione solemnis instaurationis huius Synodi.

Ss.mus Dominus scit mundum a Deo et ab Ecclesia sua plene aversum, inquietum esse et amaritudine plenum, revertendi ad paternam domum sequiosum. Esuriens atque sitiens viam regressus invenire cupit. Oportet enim

ut Pater obviet ei, alias autem, deceptus et itinere fatigatus difficulter viam inveniet.

Propterea Summus Pontifex sese expressit commissioni centrali, die 20 iunii anno 1961: « Nihil Nobis tacendum, quod animorum emolumento prosit. Cum vero de gravibus negotiis agendum sit, in proponendo prudentia et simplicitas eloquii eluceant; ineptae curiositates facessant; acres contentiones amoveantur » (*A.A.S.*, vol. LIII, p. 502).

Atqui, schema, ut est, eo spectat ut de quibusdam capitibus in dubio positis et etiam non sufficienter maturis disceptetur et nihil iuvat ut omnia facta sint quae « animorum emolumento prosit ».

Utilius ergo erit facere ut studium *de fontibus revelationis* exprimat verbis temporibus nostris magis perviis divitias doctrinae catholicae iam aliis occasionibus definitae.

Christus Dominus, apostoli et Sancti Patres coetaneos fidei veritates docuerunt, captui eorum maxime accommodatas quin id sacrificaretur quod essentiale est ei, immensa atque ditissima formarum et expressionum varietate non obstante. Sic semper egit magisterium vivum Ecclesiae; huiusmodi quidem magisterium quippe quod vivum, exigentiis et mobilitati temporum semper coaptatur. Meminisse iuvat, exempli gratia, Litteras Encyclicas Leonis XIII, Pii XI, Pii XII et Ss.mi Patris Ioannis XXIII. Quot sunt varietates, quot expressiones, quot diversitates, inquam, ad eandem doctrinam exprimendam, ad eam adaptandam terribilibus et inopinatis mutationibus mundi usque ad suum fundamentum percussi duplici bello immanitate et crudelitate pleno! Nihilominus unitas fidei, puritas doctrinae, veritatis splendor, fructus uberrimi fuerunt pontificiorum documentorum.

Nequaquam admitti unquam posset hoc Oecumenicum Concilium Vaticanum II invalidum esse ad sanam doctrinam praestandam nostri temporis hominibus, sicut et aliae Synodi in aliis temporibus.

Afflictio quae mundum hodiernum attingit, angustiam Esau rememorat: « Num unam tantum benedictionem habes, Pater? » (*Gen.* 27, 38).

Pontifex Pastor, quasi novus Isaac, clamori universali attentus et quasi in unum congregans omnes misericordiae divitias, affirmat: « Christi Sponsae placet misericordiae medicinam adhibere, potius quam severitatis arma suscipere » quae verba aliis Domini Redemptoris nostri respondent: « Discite quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores » (*Matth.* 9, 13). Convocans Concilium Oecumenicum advertit: « Oportet ut haec doctrina certa et immutabilis, cui fidele obsequium est praestandum, ea ratione pervestigetur et exponatur, quam tempora postulant nostra » (Alloc. die 11 oct.).

Schema videtur oblivisci aut ignorare mentem hodiernae aetatis.

Etiam quum, accurata terminorum praecisione, puncta essentialia doctrinae exponit, verba « quae tempora postulant nostra » non loquitur.

Homines universi sitiunt et esuriunt veritatem, ubique celebrationem Concilii studiose exspectare coeperunt, in Ecclesiam respiciunt quasi intuen-

tes in ipsa depositum manere veritatis et sedationem suis angustiis et inquietationibus. Eam tamen ignorant, et timent ad ipsam appropinquare quia nos eam praesentamus verbis philosophice, theologice et canonice exactis sed incomprehensibilibus, attentis variationibus inevitabilibus quae introductae fuerunt in modo loquendi, in vocum significatione, in ambiguitate quarundam expressionum.

Insuper, schemate, ut est, periit opportunitas una, a Deo ei oblata, dicendi mundo Deum auctorem esse revelationis, Patrem qui obviat filio eum quaerenti quamvis nescienti; revelationem esse responsionem legitimis et profundioribus angustiis animae humanae; Traditionem et Sacram Scripturam nullam involvere contradictionem sed complecti et coniungi, easque esse fluentes ex ipso fonte qui irrigat et fertilem reddit mundum animarum: prima vivit quod iam edoctum est; alia confirmat veritatem vitae et novam pandit viam ad perfectiorem vitam iuxta exempla ipsius Iesu Christi et inspirante atque vivificante Spiritu Sancto.

Conclusiones:

1. Iuxta nostrum modum vivendi, attentis expositis, schema *de fontibus revelationis* substitui debet, non quia debeat praesentari doctrina ad minima reducta, quasi minus exacta, sed ut tota doctrina synthetice atque integre proponatur, vividis et suasoriis verbis, inanibus disputationibus vacua.

2. Hac in hypothesi, dummodo elaboratur schema, praesentetur aliud de alia re.

3. Supposita autem voluntate maioris numeri Patrum conciliarium praeferentium praesens schema *de fontibus revelationis,* proponimus vocandos esse quosdam expertos e Concilio qui exponant et explicent, ante discussiones, divergentias theologorum catholicorum circa quaedam schematis puncta. Quidam vero episcopi, multis distenti laboribus in pascendo dominico grege, certe ignorare possunt capita de quibus suffragium ferre debent.

27

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Saepe in hac aula conciliari audivimus, nullatenus Concilium tangere debere quaestiones inter catholicos theologos disputatas, neque sententias scholarum proprias neque illas quae non adeo maturuerunt ut decerni possint.

Addebatur schema prout iacet favere alterutri ex opinionibus theologicis quae disputationi subsunt.

Quaestionem autem disputatam mutuae relationis, quoad extensionem materialem, inter Traditionem et Scripturam non sane solvere intendimus, proferre vero cupimus aliquot summorum Pontificum textus hac in re qui lucem praebebunt.

A) Imprimis colligimus textus aliquot ex magisterio ordinario in quibus locutio « fons revelationis » usurpatur, quam quidam in hac aula Patres impugnare visi sunt.

B) Tum alias locutiones congeremus in quibus relatio apparet Traditionem inter et Scripturam.

Ad A) De « fontibus revelationis » agitur multiplici textu, non omnes autem adducemus, sed aliquot tantum recensere liceat:

1. Concilium Tridentinum utitur verbo « fonte » sensu obiectivo seu constitutivo, indicans originem revelationis, sc. Deum, quando dicit: « ... Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore promulgavit, deinde per suos apostolos tanquam *fontem* omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicare iussit... » (*Conc. Oecumen. Decreta,* Herder 1962, 639, 19-22).

2. At iam inde a Concilio Vaticano I incipitur usus verbi « fontis » sensu relativo quoad nos, i. e. significante depositum in quo conservatum nobis est, seu viam qua ad nos pervenit, seu viam qua nos ad revelationem pervenire possumus, i. e. sensu cognoscitivo.

Ita Concilium Vaticanum I dicit: « Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea (a protestantibus) christianae doctrinae *unicus fons* et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, immo mythicis commentis accenseri coeperunt » (*Conc. Oecum. Decreta,* 780, 32-34).

3. Octavo die post suspensionem Concilii Vaticani I, Pius IX die 28 octobris 1870, in epistola ad episcopos Germaniae *Inter gravissimas,* dicit: « Mendaciter iactant... Licet namque profiteantur Scripturam et Traditionem *fontes* esse divinae revelationis, magisterium autem... iidem audire detrectant... ad custodiam ... dogmatum quae in *fontibus* revelationis continentur ... » (*Pii IX Acta,* pars I, vol. V, 259-260).

4. Leo XIII in encyclica *Providentissimus,* 18 nov. 1893, dicit: « Movemur nempe ac prope impellimur sollicitudine apostolici muneris, non modo ut hunc (sc. Scripturam) praeclarum catholicae revelationis *fontem* tutius atque uberius ad utilitatem dominici gregis patere velimus, verum etiam... » (in *Documentos bíblicos,* BAC, Madrid 1955, n. 78). Et: « ... ut antea cum iis praecipue res fuit, qui privato iudicio freti, divinis traditionibus et magisterio Ecclesiae repudiatis, Scripturam statuerant unicum revelationis *fontem* supremumque iudicem fidei, ita nunc est cum Rationalistis... » (*ibid.,* n. 96, pag. 215). Et: « ... tam insignem locum inter revelationis *fontes* divinis libris deberi, ut, nisi eorum studio usuque assiduo, nequeat theologia rite et pro dignitate tractari » (*ibid.,* n. 110, pag. 226).

5. Pius X, litt. apost. *Scripturae sanctae,* 23 febr. 1904: « Scripturae sanctae magis magisque in clero promovere studium Nos apostolici officii in primis admonet hoc tempore, quum eum maxime divinae revelationis fideique *fontem* videmus ab intemperantia humanae rationis passim in discrimen adduci » (*Docum. bíbl.,* BAC, n. 157).

6. Pius X, *Allocutione consistor.,* 17 april. 1907: contra modernismum

loquitur: « ... perchè la Sacra Scrittura per questi eretici moderni non è più la *fonte* sicura di tutte le verità che appartengono alla fede, ma un libro comune... » (*Doc. bibl.*, BAC, n. 194).

7. Pius XI, in motu proprio *Bibliorum scientiam,* 27 april. 1924: « Libris enim scriptis, *altero* divinae revelationis *fonte...* » (*Doc. bibl.,* BAC, n. 560).

8. Pius XI, enc. *Mortalium animos,* 6 ian. 1928: « ... sacram traditionem genuinam esse divinae revelationis *fontem...* » (*A.A.S.,* 20, 1928, 12).

9. Pius XII, enc. *Divino afflante Spiritu,* 30 sept. 1943: « ... sancta Ecclesia hunc (sc. Scripturam) e caelo datum thesaurum, quam doctrinae de fide et moribus pretiosissimum habet *fontem,* divinamque normam... omni cum cura custodivit... » (*Doc. bibl.,* BAC, n. 623).

10. Pius XII, enc. *Humani generis,* 12 aug. 1950: « ... accedit quod *uterque* doctrinae divinitus revelatae *fons* tot tantosque continet thesauros veritatis, ut numquam reapse exhauriatur. Quapropter sacrorum *fontium* studio sacrae disciplinae semper iuvenescunt... Una enim cum sacris eiusmodi *fontibus* Deus Ecclesiae suae magisterium vivum dedit... » (*Doc. bibl.,* BAC, n. 698, pp. 596-597). « Quare... nobilissimum theologiae munus illud esse, quod ostendat quomodo ab Ecclesia definita doctrina contineatur in *fontibus...* » (*ibid.*). « ... Sacra Biblia Veteris Testamenti, quae hodie in Ecclesia tamquam *fons...* » (*ibid.,* n. 700). « ... ex divinae revelationis *fontibus...* » (*ibid.,* n. 702, in fine). « ... cum nequaquam appareat quomodo huiusmodi sententia (sc. polygenismi) componi queat cum iis quae *fontes* revelatae veritatis... proponunt... » (*ibid.,* n. 703). « ... doctrina... exposita, ac *fontibus* revelationis innixa... » (D. 2319).

11. Pius XII, Radionuntium *Inter complures,* 24 oct. 1954: « Quo in munere exsequendo, diligenter ratio habenda est *utriusque* doctrinae catholicae *fontis,* Sacrarum nempe Scripturarum et Traditionis » (*Doc. marianos,* BAC, Madrid 1954, n. 918, pp. 828).

Conclusio ergo haec sit: In magisterio ordinario pontificio nec nova nec rara est elocutio « fontes revelationis », licet et verum sit modice esse adhibitam, cum eius usus inde a Concilio Vaticano procedat, lenteque recipiatur.

Vocabulum itaque, ex usu magisteriali iustificari potest. Aliunde, omnes profanae scientiae in suis laboribus et opusculis de uniuscuiusque scientiae fontibus et constitutivis et cognoscitivis loquuntur. Qui profecto usus a superiore saeculo invaluit; quin desint ipso saeculo XVIII qui in theologia usurparent vocabulum « fontes », ut card. Gotti anno 1763 (*Theologia scholastico-dogmatica,* Venezia 1763, dub. I, § 1, n. 1).

Teneri igitur iure potest elocutio « fontes revelationis » et « duplex fons », ut fit in schemate, licet disceptari possit num aptius esset adhibere vocabulum « vias » — per illas enim revelatio agnoscitur —, ut hoc sensu adhibetur etiam in ipso schemate sub n. 5.

Ad B) Quod ad secundam quaestionem, nempe aequipollentiam extensivam sive materialem Sacrae Scripturae erga Traditionem prae oculis habenda

sunt sequentia verba Romanorum Pontificum cum verbis Conciliorum Tridentini et Vaticani I comparata:

1. Concilium Tridentinum (*Conc. Oecum. Decreta,* Herder 1962, 639, 23) a Concilio Vaticano I iteratum dicit: « ... hanc veritatem et disciplinam contineri (in Vaticano I, "... revelatio continetur...") in libris sacris *et* sine scripto traditionibus... ».

2. At iam in Concilio Vaticano I particulam « *et* » substituitur particula « *vel* » quando dicit (*Conc. Oec. Decr.,* 783, 29): « ... credenda sunt, quae in verbo Dei scripto *vel* tradito continentur... ».

3. Itemque Pius IX, in litt. *Inter gravissimas,* 28 oct. 1870 (*Pii IX Acta,* pars I, vol. V, 260): « ... doctrinam definitam contineri in deposito revelationis scriptae *vel* traditae... ».

4. Leo XIII, enc. *Providentissimus,* 13 nov. 1893 (*Docum. bíblicos,* BAC, Madrid 1955, n. 77) illam formulam aliquatenus mutat: « ... revelatio... continetur *tum* " in sine scripto traditionibus " *tum etiam* " in libris scriptis "... ».

5. Et Pius XI, in motu proprio *Bibliorum scientiam,* 27 apr. 1924 (*Doc. bibl.,* n. 560) hoc modo mutat: « ... Libris enim scriptis, altero divinae revelationis fonte, *haud secus* ac traditis sine scripto doctrinis quidquid de Deo, de Christo hominum Redemptore, de nativa Ecclesiae constitutione deque morum disciplina scimus, innititur et fulcitur ».

Unde *conclusio* sit in hac progressione particularum « *et* », « *vel* », « *tum* - *tum etiam* » et « *haud secus* » videri aliquam explicitationem progressivam equipollentiae extensivae Scripturae et Traditionis. Cum autem hae particulae, stricte loquendo, intelligi possunt de ratione qualitativa, eo sensu quod Traditio est etiam fons revelationis non minus ac Sacra Scriptura, audiantur haec alia verba de aspectu quantitativo seu extensivo:

1. Pius X, in *Allocutione consistoriali,* 17 apr. 1907 (*Doc. bibl.,* n. 194) de Modernismo loquens dicit: « Sì, annientare il cristianesimo, perché la Sacra Scrittura per questi eretici moderni non è più la fonte sicura *di tutte le verità che appartengono alla fede,* ma un libro comune... ».

2. Benedictus XV, enc. *Spiritus Paraclitus,* 15 sept. 1920 (*Doc. bibl.,* n. 498) loquens de Sancto Hieronymo dicit: « Praecellentissimam vero earum (sc. Scripturarum) auctoritatem sic verbis et exemplo commendabat, ut, *quaecumque* oriebatur *controversia, ad Bibliam* veluti ad confertissimum armamentarium confugeret, et testimoniis inde eductis, tamquam firmissimis argumentis, quibus refragari minime liceret, ad coarguendos adversariorum errores uteretur. Ita Helvidio perpetuam Deiparae virginitatem neganti, aperte ac simpliciter: " Haec *quae scripta sunt, non negamus,* ita ea *quae non sunt scripta, renuimus* " (*Adv. Hel.* 19). Mariam nupsisse post partum *non credimus, quia non legimus...* ».

Unde in Sacra Scriptura continentur « tutte le verità che appartengono alla fede », ita ut, cum Sancto Hieronymo dicente et Benedicto XV laudante, « quae non sunt scripta renuimus » et « non credimus, quia non legimus ».

Certe, « in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia... et nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam interpretari », ut dicit Concilium Vaticanum I (sess. 3, cap. 2: *Doc. bibl.,* n. 71; *Conc. Oecum. Decreta,* 782, 39-43); id est, Scriptura legenda est, prout ipsam Sancta Mater Ecclesia legit.

Certe non omnes veritates continentur *expressis* verbis in Sacra Scriptura. Iam Concilium provinciale Senonense seu Parisiense (e febr.-9 oct. 1528, sc. 18 annis ante Concilium Tridentinum) dixit: « Decr. 5. Aliqua esse firmiter credenda, quae non continentur *expresse* in Scriptura.

Ampla certe Scripturae latitudo, ingens et incomprehensibilis profunditas; perniciosum est tamen eo errore laborare, ut nihil admittendum putetur, quod non e Scriptura depromptum sit: multa quippe a Christo ad posteros per manus apostolorum ore ad os et familiari colloquio transfusa sunt; quae etsi in Sacra Scriptura *expresse* contineri non videantur, inconcusse tamen tenenda veniunt... » (*Doc. bibl.,* n. 46).

Alia ex parte, non agitur de quaestione « canonis » Sacrae Scripturae, nec de usibus et consuetudinibus, quae videntur haberi tantum ex Traditione, sed tantum agitur de doctrina seu veritatibus credendis, i. e. de « rebus fidei et morum, ad aedificationem *doctrinae christianae* pertinentium » (cf. Conc. Vaticanum I, sess. 3, cap. 2; *Doc. bibl.,* n. 71; *Conc. Oec. Decr.,* 782, 38).

Agitur ergo de hoc quod « quae a vivo magisterio docentur, in Sacris Litteris et in divina Traditione " sive explicite, sive implicite " inveniantur », etenim « accedit quod uterque doctrinae divinitus revelatae fons tot tantosque continet thesauros veritatis ut numquam reapse exhauriatur » (Pius XII, enc. *Humani generis,* 12 augusti 1950; *Doc. bibl.* n. 698, citans Pium IX *Inter gravissimas,* 28 oct. 1870).

Unde, hoc criterio innixi, Romani Pontifices semper etiam ad Sacram Scripturam accedunt, tanquam ad fontem, etiam in veritatibus proponendis quae primo visu in Scriptura inveniri non viderentur. Ita v. gr. in definitionibus tum Immaculatae Conceptionis tum gloriosae Assumptionis B. Mariae Virginis, et in encyclica de Regalitate B. Mariae Virginis. Ita:

1. Pius IX, in epist. apost. *Ineffabilis Deus,* 8 decembris 1854 (*Documentos marianos,* BAC, Madrid 1954, n. 295) postquam argumenta scripturistica Patrum dederit, dicit: « Nil igitur mirum si de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione *doctrinam* iudicio Patrum *divinis litteris consignatam,* tot gravissimis testimoniis traditam... ».

2. Pius XII, const. apost. *Munificentissimus Deus,* 1 novembris 1950 (*Doc. marian.* n. 809): « Haec omnia Sanctorum Patrum ac theologorum argumenta considerationesque *Sacris Litteris, tanquam ultimo fundamento,* nituntur... ». In n. 810: « ... Episcopi... petunt, ut... definiatur veritas corporeae Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae in caelum — *quae veritas Sacris Litteris innititur...* ».

3. Pius XII, enc. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954 (*Doc. marian.,* n. 902, pag. 800) non pauca argumenta Scripturae adducit, in quibus hoc eminet: « Quandoquidem enim *in Sacris Litteris* de Filio, quem Virgo concipiet, haec sententia legitur: " Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis " (*Lc.* 1, 32-33) ac praeterea Maria " Mater Domini " (*ibid.* 1, 43) nuncupatur, *inde facile eruitur* ipsam quoque esse Reginam... ».

Quibus ex omnibus liceat conclusionem eruere. Loca citata in quibus apparet aequipollentia extensiva seu materialis Sacrae Scripturae erga Traditionem prae oculis habenda sunt eo vel magis quod ipsum schema sub n. 5 ita loquitur ut hanc aequipollentiam negare videatur (praetermissa quaestione de « canone » et de usibus et consuetudinibus).

His positis quamvis in n. 5 schematis aliquatenus innuatur agi de quaestione « de facto » et non « de iure » — opponuntur enim « clarescunt et innotescunt » et « exponi potest » quae in paragrapho superiori inveniebantur — tamen integra paragraphus reficienda videtur ut citatis pontificiis verbis magis congruat.

Conclusio: 1. Potest retineri verbum *fons*; 2. Iuxta scripta consideretur relatio Traditionem inter et Scripturam.

28

EXC.MUS P. D. IOANNES CARMELUS HEENAN
Archiepiscopus Liverpolitanus

De schemate *de fontibus revelationis* iam agendum est, sed inter nos dubium gravissimum ortum est utrum disputationes de rebus theologicis maximi momenti sint intra nostram capacitatem ut pastores gregis Christi. Mihi videtur omnino agnoscendum esse materiam de qua loquimur excedere indolem disputationis mere scholasticae.

Propterea, mea humili sententia, tradendae sunt considerationes huius generis veris peritis qui praecise adsunt inter nos ut consilium nobis dent de argumentis et conclusionibus nostris. Ulterius notandum est sat magnam partem huius schematis facilius et melius relinqui posse magisterio ordinario Ecclesiae.

Momentum vero huius Concilii Oecumenici non stat certo in argumentando de universali re theologica, liturgica et canonica, sed potius in considerando illas res quae iam in diebus istis mentes hominum agitent et conscientiam christianam gravent.

Quae cum ita sint, optandum est, ut mihi videtur, sessionem proximam huius Concilii initium capere cum consideratione illorum capitulorum quae tractant de loco et potestate episcoporum et de unitate christianorum. Nomen et fama huius Concilii hoc omnino requirere videntur.

29

Exc.mus P. D. EDUARDUS HOWARD
Archiepiscopus Portlandensis in Oregon

Schema *de fontibus revelationis* mihi placet iuxta modum, scilicet mihi placent quae continet ob eorum momentum theologicum, sed non modus, quo veritates fidei exponuntur. Meum igitur iudicium patefacio.

Schema magis conciliare seu universale oportet ut sit, ab omnibus episcopis redactum et omnibus populis aptum, ratione habita dissimilitudinis scientiae, mentium et locorum.

Oportet dicere Deum locutum esse hominibus variis modis, per Patriarchas, per Prophetas et novissime per Verbum Divinum, Caro factum pro salute humani generis.

Omnes veritates et fontes revelationis magisterio infallibili Ecclesiae credita sunt, quae immunia ab erroribus custodit auxilio speciali Spiritus Sancti et ea omnes populos docet.

Schema redactum omnia et singula dicit et nimis definitum est et ideo causa potest esse contentionum et dissensionum. Ipsum non magni momenti facit studia glottologica et biblica, quae, faventibus rebus novissime inventis, viam patefaciunt exegesi quae magis historiae et dogmati respondet.

Necessarium et cautum est doctis sive catholicis, sive acatholicis praebere libertatem investigandi et studia critica peragendi, ne nos inopinantes res aggrediantur quae rebus a Concilio admissis contradicant.

Immo securitas et certitudo Ecclesiae circa veritates divinas aestimationem doctorum augebit, tam catholicorum, quam acatholicorum in ipsam Ecclesiam Romanam et facilius ad ipsam seiuncti redibunt.

Insuper schema universalius, magis pastorale erit et aptius ministerio communi Summi Pontificis et episcoporum, qui veritates temporum vicissitudinibus aptabunt.

30

Exc.mus P. D. IOANNES KODWO AMISSAH
Archiepiscopus Litoris Capitis

Si vobis placet obtemperare obsecrationi, quam episcopi continentis africani, Madagascar et insularum per os archiepiscopi Yaundensis iam expresserunt, non est cur adhuc nomine dictorum episcoporum contra relinquendum hoc schema loquar.

Inquantum vero necesse foret, breviter dicam de his quae per totum schema in tractando de Sacra Scriptura reprehendenda sunt.

1. In sermone inaugurali Summus Pontifex speciali laude dignam com-

memoravit « traditam accuratam illam rationem verba concipiendi et in formam redigendi, quae ex actis Concilii Tridentini et Vaticani I praesertim elucet ». Hoc imprimis valet de modo quo locuta sunt decreta Concilii Tridentini de fonte revelationis, qui est nuntium evangelicum, id est oralis praedicatio Christi et apostolorum eius. A qua praedicatione *et* Sacra Scriptura *et* Traditio, tamquam duo modi transmissionis unius veritatis dependent.

Textus noster e contrario, et quidem modo nec traditione consecrato nec prudenti, loquitur de duplici fonte, quasi parallelo, qui alio et alio modo et quasi uno alium complente, coniuncte integram revelationem contineat.

Quot et quantae discussiones novae e tali loquendi modo novo cum fratribus non catholicis necessario oriundae sint, nemo est qui non videat. Sed et nemo magis quam nos de hoc dolebit, qui in quacumque nostrum dioecesi cum multis christianis non catholicis cohabitamus.

2. Simili fere modo textus schematis, nec prudenter nec debite, intrat in diversas quaestiones quae inter exegetas catholicos quaeruntur et litigantur. Et fit ut pluries optimorum doctorum catholicorum sententiae, modo parum accurato reassumantur, quo facilius vituperentur: uti v. g. de relatione auctoris inspirati cum Ecclesia sui temporis, de inerrantia Sacrae Scripturae in narrationibus historicis, et aliis.

3. Quod autem in hac re maximi momenti pastoralis est, scil. ut Sacra Scriptura pro seipsa ab hominibus nostri temporis novo amore et nova veneratione amplectetur, hoc in schemate minime procuratur.

His rationibus et aliis quae iam nostro nomine expressae sunt, iteramus votum ut schema hoc ex integro rescribatur a commissione theologica et interim uti « non placens » reiciatur.

31

EXC.MUS P. D. DANIEL LLORENTE Y FEDERICO

Episcopus Segobiensis

Claudus in via antecedit cursorem extra viam. Qualis *via et ratio* nobis proposita fuit ad studium, ad reflexionem, ad disquisitionem...?

Satis et plus quam satis immoravimus in examine unius tantum schematis; et nunc in quaestione de revelatione, reiecto schemate a doctissimis Concilii Patribus et consultoribus, diligenter ac patienter, digestum, ... alia semita, magna cum defatigatione quaerenda, tempus terendo, et forsan iterum atque iterum abiicienda... et sic per saecula...?

Lex continuitatis exigit ut materiam ac titulos schematis in disceptatione sequamur, ne similes videamur habentibus copiam ingentem librorum, quando de loco in locum volumina transferuntur.

De cetero, immutationes opportunae libenter erunt admittendae.

Non valet hic assertum: nihil addas, nihil demas, nihil variabis.

32

EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

Si veritatem aperte et sinceriter dicere debeam, dicere debeo Patres Conciliares oriundos de Asia ac de Africa spectatores, non vero factores fuisse in disceptationibus, his diebus, habitis in hac aula conciliari. Disceptationes non instituuntur de veritate fontium revelationis sed de modis ad veritatem exprimendis. Modus scholasticus proponitur in schemate; modus pastoralis proponitur a pluribus Patribus. Nonne quae disceptantur, sunt de quaestionibus accidentalibus? Modus scholasticus quidem alienus est intelligentiae populorum nostrorum; attamen nonne modus pastoralis, propugnatus a pluribus Patribus etiam alienus habetur pro intelligentia nostrarum gentium? Unus vel alter sapit semper culturam occidentalem. Ad nostros populos explanatio atque explicatio de veritate revelationis, iuxta principia pluribus vicibus annuntiata in documentis pontificibus, facienda est secundum modum adaptatum culturae nostrae gentis. Igitur si modus pastoralis proponitur ad exprimendam veritatem revelationis, nobis parum interest sive unus modus sive alter modus culturae occidentalis proponitur. Nobis vero interest ut veritas revelationis clare et integre affirmetur in Concilio Oecumenico et postea a nobis bene intellecta modo debito tradatur nostris populis.

Igitur ad finem ponendam his disceptationibus de schemate *de fontibus revelationis* propono, nomine em.mi card. Thomae Tien et plurium Patrum conciliarium de Sinis et nomine meo ut consilium praesidentiae cito interroget per suffragia a congregatione generali utrum schema de fontibus revelationis deferendum sit ad commissionem de sacra theologia ad renovationem faciendam iuxta emendationes a Patribus factas et postea congregationi generali in sectione proxima mensis maii iterum proponatur ad disceptationes.

Si placebit congregationi generali schema hoc remittere ad commissionem, transeamus tranquilliter ad aliud schema; si vero non placebit congregationi generali schema hoc remittere ad commissionem, placeat saltem congregationi ad unam disceptationem pacificam et serenam aggredi.

33

EXC.MUS P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK
Episcopus tit. Epiphaniensis in Syria

1. Accipio cap. I *de duplici fonte revelationis,* et censeo, sicut et alii episcopi Ucrainorum, uti scio, emendationes ad hoc caput ita proponi posse, ut substantia schematis servetur.

2. Ad n. 4, pag. 10: Inter alias emendationes iam propositas: melius

indoles oecumenica schematis demonstretur sec. intentionem Summi Pontificis. Sic quaedam addenda essent, potius ad n. 6, pag. 11 *de contributione communitatis viventis fidelium ad elaborationem veritatum revelatarum.* Nam historia dogmatum teste, elaboratio veritatum revelatarum non semper via pure dialectica procedebat, cum assistentia Spiritus Sancti et sub directione Ecclesiae. Saepe etenim thesaurus fidei nobis transmissus fuit potius in factis et implicite, quam in claris ideis et explicite. Quamquam factor principalis progressus dogmatici remaneat magisterium Ecclesiae ordinarium et extraordinarium sub assistentia Spiritus Sancti, tamen communitas fidelium, vivens fide sua, constituit agentem passivum istius progressus dogmatici. Communitas nempe fidelium, audiendo et vivendo Verbum divinum, implicite revelatum et propositum ab Ecclesia, quodammodo participat ad infallibilitatem Ecclesiae. Tales veritates, v. g. ut dogma de Immaculata Conceptione, de Assumptione B. M. V. germinabant in sinu communitatis fidelium tamquam fructus vivens sub vigilantia Ecclesiae docentis, usque ad earum maturitatem. Regulariter: lex orandi, scl. lex non scripta orationis, fidei vivae, praecedit legem credendi, scl. formulam praescriptam ut articulum fidei. Et plures errores tam in Occidente, quam in Oriente christiano, qui in nomine criticae historicae vel cuiusdam fixismi traditionis passivae grassantur, proveniunt ex hoc quod negligitur vis communitatis fidelium et munus eius in elaboratione veritatum revelatarum.

3. Ad n. 5, pag. 11: Ante verba « clarescunt et Ecclesiae innotescunt » verbum « Ecclesiae » ante « clarescunt » ponatur, immo ante verbum « *probantur* » ponatur, quod addi debet.

Ratio: Traditio est revera sola via qua quaedam veritates revelatae, ut recensitae in linn. 4 et 5 et aliae, *probantur.*

4. Ad n. 6, pag. 11: Clarior evadet dispositio ultimae sententiae nimis longae, si sequenti modo distribuetur: Post « non modo iudicare » ponere « de sensu et interpretatione... consignata est et manifestata », et tunc « adhibitis utique quae divina Providentia... mores spectant », et finaliter, « sed ea quoque illustrare... implicite continentur ».

5. *Animadversio generalis*: Forma et lingua (stylus) huius capitis tales sunt ut hodiernae mentalitati Orientalium non alienae appareant. Non est enim revertendum ad saecula prima christianismi simpliciter, ut quidam « traditionalistae » volunt, nec etiam in exprimendis veritatibus revelatis. Sed attendendus est progressus legitimus elaborationis revelationis dogmaticae, tam ope magisterii Ecclesiae, quam ope studiorum theologicorum, iam a separatione Ecclesiarum factus. Nos christiani hodierni ad fidem in I. Christum pervenimus per magisterium Ecclesiae viventis et apostolicae, operante gratia. Non ergo per documenta litteraria et mortua sive S. Scripturae sive Traditionis passivae (instrumenta Traditionis), sed *per testimonium vivens* organismi animati per Christum, Caput Ecclesiae, per contactum immediatum Christi viventis cum sua Ecclesia (cum membris Ecclesiae). Quidam impraecisiones quoad relationem inter S. Scripturam et Traditiones clarificari pos-

sent, si caput primum dividi posset in duo capita: primum: *De Oeconomia salutis* in genere, et secundum: *De Traditione viva.* Caput secundum: De Inspiratione, inerrantia et compositione litteraria, iungi posset ad caput tertium et quartum, tamquam prooemium. Capita tertium et quartum in uno capite tractari possent.

34

Exc.mus P. D. OWEN McCANN
Archiepiscopus Capetownensis

1. Praenotandum. Hoc Concilium convocatum est, non in aliqua crisi particulari Ecclesiae, sed in crisi generali. Scandalum magnum nostrae aetatis est defectio tantorum hominum a fide catholica vel a iusto modo christianae vitae. Principalis et suprema obligatio Concilii est revocatio istorum ad Christum, simul cum conversione aliorum ad fidem catholicam, sive fratrum separatorum sive incredentium. Via unica est proclamatio Evangelii seu doctrinae Christi in plenitudine eius. Schema ergo de doctrina, et in particulari, de fontibus revelationis, est ergo summi momenti.

Sed ista proclamatio seu annuntiatio fieri debet in modo ut homines nostrae aetatis istam audiunt et auscultant. Forma ergo in qua praesentata sit est primae importantiae. Adaptari debet ista praesentatio secundum mentalitatem hodiernae generationis: Doctrina semper esse debet catholica et nihil novae doctrinae possumus docere. Attamen *nove* tradenda est ista doctrina catholica.

2. Bene recognosco anxietatem multorum, vel potius omnium, ut fides preservetur intacta et inviolabilis, sed nos habemus munus et debitum praedicandi veritates Christi, ita ut possimus animos conducere ad amplectendam fidem catholicam. En magna difficultas de praesenti schema. Non sufficit ad onus istud.

Mundus, seu homines hodierni, quasi inconscii, expectant ut de Concilio Vaticano II eveniat invitatio seu evocatio facta eis ut Christum uti Salvatorem, uti Magistrum, accipiant et eum in omnibus sequantur.

3. Discussio igitur schematis *de fontibus revelationis,* et immo de omnibus schematibus, hoc praecipue prae oculis habere debet. Pro hac ratione schema non placet, vel placet tantummodo iuxta modum. Sperandum est quod ita modificari potest ut satisfaciat necessitati nostrae aetatis ut supra explicare conatus sum. Necesse est ut reconciliatio inter duas « tendentias » fit.

4. Differentia in discussione est de forma (accidentali). Non est quaestio de fonte vel fontibus revelationis, de unico vel de duobus. Haec differentia est mere verbalis. In hoc casu aliud verbum utendum est, ita ut unica fons, nempe Verbum Dei Incarnatum, admittitur, quae duplicem manifestationem vel « currentem » habet. In aliis materiis doctrina sic statuenda est ut scholae theologicae legitimae et admissae non condemnandae sint.

5. Propono igitur ut prooemium conficiatur quod generali modo statuat doctrinam fidei catholicae in luce hodiernarum conditionum et adaptatam mentalitati hominum nostri temporis in modo positivo, stylo pastorali, cum scripturali seu biblico indole vel charactere. Hoc mihi videtur necessarium et nullimodo impossibile.

Propono etiam quod schema abbrevietur et in ea statuantur tantummodo ea quae compleant prooemium ut definitiones doctrinales et quae certae sine ullo dubio tenendae sint.

6. Permittas mihi adnotare quod in Concilio Vaticano I schema propositum in principio de doctrina reiectum fuit et deinde aliud schema de novo confectum erat, cum amplissimo prooemio et paucis propositionibus definiendis.

35

Exc.mus P. D. IOANNES McELENEY

Episcopus Kingstonensis

Candide profiteor ambo schemata dogmatica (de fontibus revelationis et de deposito fidei) vix mihi placent. Est mea sententia quod Synodus debet sequi generale hoc principium: ea non sunt definienda quae non indigent definitione, vel ea quorum definitio esset inopportuna, vel ea circa quae non adhuc habetur sufficiens consensus theologorum.

In specie: Ut mihi videtur, non indigent definitione: 4 auctores Evangeliorum, de historicitate infantiae, de Vulgata editione, de naturali cognitione exsistentiae Dei, de periculis lectionis Scripturae. Inopportuna sunt: de duplici fonte distincto, de Adamo singulari. De duplici fonte non datur sufficiens consensus theologorum.

36

Exc.mus P. D. BLASIUS MUSTO

Episcopus Aquinatensis, Soranus et Pontiscurvi

In hoc schemate *de revelationis fontibus* pauca tantum mihi liceat adnotare.

In cap. I, art. 6 (pag. 11, lin. 12 et sequentibus) legimus: « Magisterii Ecclesiae ergo est, utpote proximae et universalis credendi normae, non modo iudicare... ». Addendum hic proponerem adverbium « infallibiliter ». Ita ut sit: « non modo infallibiliter iudicare etc. ». Hoc modo nota infallibilitatis quae vivo Ecclesiae magisterio competit optime efferreretur contra petulantia ingenia.

E contra omittenda mihi videntur verba sequentia, scil.: « adhibitis quae divina Providentia suppeditat auxiliis in iis, quae, sive directe sive indirecte, ad fidem et mores spectant ».

Inopportuna vel saltem inutilis, haec fere suggestio de mediis adhibendis, cum de vivo Ecclesiae magisterio sermo fiat.

In cap. II (S. Scripturae inspiratio), art. 8 (lin. 13 et sequentibus), optime sumitur inspirationis definitio ex encyclica *Providentissimus*; attamen, non certe in melius, ultima expressio illius definitionis immutata est. Leo XIII hoc modo sese exprimit: « ut... recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent ». In schemate, e contra, simpliciter ita habemus: « ut... recte mente conciperent *fideliterque scriptis* mandarent ».

Rogo ut integra referatur inspirationis definitio quam in encyclica *Providentissimus* legimus; expressa enim et clara mentio fieri debet actionis Dei in voluntate hagiographi, et in eius facultatibus exsecutivis.

In ultima propositione, eiusdem art. 8 (semper pag. 12, in lin. 24) quae sic sonat: « Quapropter iure Ecclesia omnino reprobat etc. » *error* qui in secunda parte innuitur, vocari non potest « conamen *extenuandae* naturae inspirationis »; agitur etenim de absoluta denegatione ipsius ideae inspirationis supernaturalis. Fortius, ideo, et verius error describatur et efficacius reprobetur.

« Ne Concilium — ut his diebus in praesentatione huius constitutionis dogmaticae, iure meritoque affirmatum fuit — renuntiet suo proprio ufficio reiciendi errores; quicumque sint ».

In art. 10 eiusdem cap. II (pag. 13, lin. 11 et sequentibus) altera pars, quae ita incipit: « Ex Dei autem Providentia etc. » omittenda prorsus videtur, cum norma sit communis, in hermeneutica biblica.

Melius absque dubio, et peropportunum ponere hic videtur explicitam reprobationem saltem systematis quod nominatur « Historiae formarum » (Formengeschichte), origo et fons errorum omnium, et praeprimis inspirationis communitariae, quam iure articulus refellit.

Proinde hunc suggererem textum: « Ideo Sacrosancta Synodus systema reprobat historiae formarum quod catholicum inspirationis dogma pervertit ».

37

Exc.mus P. D. IOANNES MICHAEL O'NEILL
Episcopus Portus Gratiae-Granfallensis

Schema propositum *de fontibus revelationis* placet quoad substantiam, quamvis in particularibus emendari possit.

Schema, enim, reiterat sanam doctrinam Ecclesiae iam a saeculis traditam de duobus fontibus, de Sacra Scriptura, nempe, et de Sacra Traditione.

Quoad fratres separatos quod attinet caritas Christi urget ut integra doctrina Ecclesiae eis exponatur sine ambiguitate et sine falsa spe ut illa denigrari vel minui possit.

In omni caritate eis exponere deberemus quod auctoritas infallibilis Ecclesiae in re doctrinali est punctum centrale fidei catholicae quod negare vel diminuere non licet. Maxime eorum conscientiae consulere possemus integram veritatem eis exponendo ab initio potius quam in sinu eorum falsas expectationes generare quae postea in nihilum redigerentur.

Ad doctrinam Ecclesiae quod attinet non est quaestio de pastorali sed de dogmatica declaratione integrae doctrinae iam a saeculis traditae.

Protestantismus essentialiter consistit in iudicio privato, et in hoc non differt Anglicanismus a fundamentalistis vel a sectis novissimis. Pro catholicis, vox Petri est vox Christi. In hac differentia consistit tota difficultas pro acatholicis et discussio de una alterave doctrina particulari nullomodo duceret ad totam veritatem amplectendam.

Demum, si nos catholici non possumus clare, accurate et auctoritative affirmare quae sunt fontes fidei nostrae, quomodo acatholicos invitare possumus ad veritatem accipiendam quam ipsi, nobis confitentibus nescimus?

38

Exc.mus P. D. PACIFICUS-M. ALOISIUS PERANTONI

Archiepiscopus Lancianensis-Ortonensis

Nolo repetere argumenta sive « pro », sive « contra » schema de fontibus revelationis, quattuor dierum spatio hac in sancta aula, coram sepulchro Principis Apostolorum, prolata, optima sane intentione, veritatem faciendo in caritate; neque in mente est addere novas considerationes, quae militant pro sententia quae tenet « Placet schema iuxta modum », licet id mihi facile esset.

At, quoniam in schemate agitur de re fundamentali nostrae sanctae religionis et iure meritoque auspicatur Patrum unitas hac saltem in re, licet dictum sit tale discrimen inter duas sententias esse ut vix ac ne vix humano modo rem considerando videri possit iusta et pacifica solutio, quae omnium desideriis satisfaceret, tamen quodcumque propositum hac in re videtur haud spernendum. Unde ex historia Conciliorum et historia missionum et catechesis christianae lucem quaerens, vellem aliquam solutionem proponere quae forsitan posset ab omnibus acceptari.

Ne de antiquitate christiana et medio aevo loquar, sufficiat in mentionem attrahere viam et rationem agendi magni Concilii Tridentini. Notum enim est Concilium, post maturum examen rerum illius temporis, atque constatatione facta ignorantiae religiosae apud populum, in sessione XXIV, cap. 7, et in sessione XXV, ordinasse ut illa sana doctrina, quae in variis decretis emanata erat, deberet ordinari et publicari in quodam manuali, quod parochi prae oculis habentes, possent exponere doctrinam christianam fidelibus eorumque indoli ac naturae accommodatam.

Et Pius IV anno 1562 negotium dedit (curante imprimis Carolo card. Borromeo) ut materiam aliqui veri docti pararent, quae utilissimo operi apta esset. Comparatis et collectis quae dicenda erant selecti sunt tres latinae linguae facultate praestantes, qui stylo eleganti et polito edisserent, atque rerum dignitatem sermonis nitore, et verborum ornamentis aequarent. Defuncto sub finem anni 1565 Pio IV, suffectus est eiusdem nominis Quintus, sub quo Carolus card. Borromeus, cui Quartus, uti notum est, erat avunculus, non destitit urgere ut catechismus ederetur.

Et sic anno 1566 Romae prodiit « Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad parochos », magis notus sub compendio « Catechismus Romanus ». Pius V non satis habuit ut hunc catechismum ederet in folio minore, deinde in « octavo », ut dicitur, sed etiam italice, gallice, germanice, polonice verti iussit.

Divulgatio, diffusio et fructus huius operis notae sunt. Licet quoad auctoritatem et valorem dogmaticum habeat primatum super omnia alia opera similia, tamen non fuit editum nisi ex decreto Concilii Tridentini et iussu Pontificis, ac proinde valor minor est quam si ab ipso Concilio editus esset. Quibus dictis, propono quae sequuntur:

1. Pergatur cum examine schematis de fontibus revelationis et edatur, stylo conciliari, qui esset pro omnibus saeculis. At statim constituatur mixta commissio ex sociis commissionis theologicae, commissionis sacrae Congregationis Concilii, apostolatus et secretariatus pro unione, ut ex omnibus schematibus congreget illa elementa, quae sunt apta ac necessaria, et ut extendatur aliquod manuale, stylo pastorali et oecumenico, quod tunc vertatur in omnes linguas singulorum populorum. Et mihi videtur quod satis abunde fit utriusque partis exigentiis. Textus huius manualis doctrinae christianae revideatur in ipsomet Concilio, ita ut habeat valorem illum, quem ipsamet decreta habent.

2. Ab uno em.mo cardinali sapienter dictum est quod licet nos episcopi habeamus assistentiam Spiritus Sancti, tamen non debemus Spiritum Sanctum tentare, sed debemus omnia media humana adhibere antequam dicamus « Placet » vel « Non placet ». Exemplo sit Pius XII, qui licet infallibilitate pollens, antequam declaravit dogma Assumptionis per integros decem annos [*usus est*] variis doctis viris in commissione speciali ab ipso ad hoc creata.

Quoniam insuper idem em.mus D. cardinalis edixit haud paucos episcopos neque secum habere libros, ac proinde valde perplexi remanent, propono ut a consilio praesidentiae examinetur opportunitas nonne, audito verbo Sanctissimi, sit casus, ut in hac ipsamet aula, theologi eminentes, qui vere docti sunt et sincere cum Ecclesia sentiunt, statum singularum quaestionum exponant.

39

Exc.mus P. D. VILLELMUS PHILBIN
Episcopus Dunensis et Connorensis

Sensus oppositionis ad praesens schema generatim videtur esse ut regrediamur ad formulationem minus praecisam, minus evolutam. Quod principium agendi etiam in aliis partibus doctrinae uti optimus agendi modus proponitur a nonnullis Patribus. Res vero ad hoc iam venire apparet uti, si respuetur schema, fere certo hoc habebitur non tamquam reprobatio aliquorum vitiorum accidentalium, quae evidentia sunt, sed tamquam approbatio generalis tendentiae relinquendi formulas evolutas fidei in favorem verborum vagorum et locutionum generalium.

Tale propositum accipere tamen, meminerimus, non tantum esset aliquid inauditum facere: esset etiam agere modo *contrario* ab usu Christi et Ecclesiae a tempore apostolorum usque adhuc. Christus enim suam doctrinam modis magis et magis explicitis, de sua persona verbi gratia, exposuit et fidem magis magisque explicitam ab apostolis requisivit. Nisi fideles acciperent doctrinam suam praecisam de Eucharistia non sufficeret ut eum acciperent sicut a Deo missum. S. Paulus multo magis evolutam doctrinam de redemptionis natura necnon de gratia exposuit, et ipse non esset contentus si aliqua pars doctrinae suae reiiceretur sub praetextu eam non explicite a Christo formulatam esse.

Ecclesia doctrinam de Trinitate terminis philosophicis exposuit et simili modo semper accuratius et fusius et distinctionibus praecisis factis definivit et exposuit in symbolis et in decretis Conciliorum suam fidem. Ubi agebatur de persona Christi, non contentus erat verbum ὁμοιούσιος admittere: verbum ὁμοούσιος impositum est. Ne putemus hunc modum agendi peculiarem esse scholasticis: ante medium aevum existebat et usque ad tempus nostrum immutatus perdurat praesertim occasione errorum vel incertitudinis in re gravi, quales errores, si experientia sit dux, semper habebuntur, etiam inter catholicos. Ecclesia semper intellexit munus suum in servanda fide, in custodiendo depositum, includere obligationem corrigendi excessus et defectus.

Hodie vero, testibus multis qui hic locuti sunt, testibus documentis multimode editis, tales dissensus in rebus gravibus existunt quales praxis Ecclesiae semper erat componere suavi, firma, certa doctrina. Propositum schematis praesentis est hoc facere. Si hanc obligationem adimplere recusamus post disceptationem iam auditam, si formulas antiquiores, minus definitas praeferimus iis quae sunt certae, inambiguae, determinatae, nihil certius est quam quod hoc habebitur uti signum libertatis in quaestionem vocandi non tantum doctrinam Tridentinam et Vaticanam de traditione, sed plurimas alias materias uti doctrinam catholicam, ne dicam uti de fide, acceptas. In praesentibus circumstantiis nisi Ecclesia tractat determinate de his duobus fon-

tibus separatim, suum munus custodiendi depositum abnegat et viam aperit dubiis et confusionibus in fundamentali parte doctrinae suae.

Multa dicta sunt de indole pastorali desiderata. Aliud est doctrinam concinne et verbis exactis exponere, aliud catechismum componere uti post Tridentinum factum est, vel etiam fidem praesentare fratribus et non-christianis modo magis persuabili. Sed de tali praesentatione non *hic* agitur, et revera si, uti dictum est a nonnullis, omnes hic eadem sentimus in his materiis nil iuvat de iis tacere et periculum incurrere decipiendi separatos de amplitudine fidei catholicae quae uti Symbolum Athanasianum dicit, integra inviolata servari debet ab omnibus catholicis.

Volo et ego omnia facere quae possibilia sunt ut alios alliciamus. Sed non omnia sunt possibilia si mentem Christi et mentem Ecclesiae, eius sequentis exemplum, pro regula habeamus. Caveamus ne facili et falso optimismo imbuti, putemus *praesentationem* revelationis esse maximum obstaculum mundi conversioni. Quocumque modo praesentetur christiana fides et doctrina moralis plurima includunt quae deterrent multos homines. Christus ipse, quo nemo unquam melius locutus est, non potuit maiorem partem auditorum suorum convertere. Discipuli non sunt super Magistrum.

Non licet nobis effugere functionem nostram explicandi et protegendi fidem in rebus de quibus dubium ortum est quoad essentialia. Debemus *aliquas* regulas, non dico strictissimas, non dico semper regulas quae hic inveniuntur iisdem verbis, sed *aliquas* firmas regulas dare. Non debemus igitur mea opinione reiicere totaliter schema sed agere sicut de schemate de Liturgia.

40

EXC.MUS P. D. ANTONIUS POMA
Episcopus Mantuanus

In praesenti disceptatione circa schema *de fontibus revelationis,* alicuius momenti apparet quaestio de eius valore dogmatico.

Agitur enim de magisterio conciliari, quod natura sua tangit res de fide vel cum fide connexas.

Agitur etiam de magisterio extraordinario, quod magna gaudet solemnitate.

Libenter accedimus iis qui tenent in schemate non agi de magisterio simpliciter pastorali, ut fit v. g. in homiliis et in litteris episcoporum vel etiam uti factum est per recens nuntium omnibus gentibus missum ab episcopis in Concilio adunatis.

Magisterium conciliare distinguitur etiam a magisterio ordinario Summi Pontificis, quod et frequentia et solemnitate generatim minore praeditus est vigore in proponenda doctrina et, pro suo habituali respectu ad singulares eventus et vicissitudines secundum temporum et locorum adiuncta, non semper evadit irreformabile.

Quidquid sit de voluntate in Concilio quaedam definiendi (quod singulatim clare et aperte constare deberet), estne hoc magisterium conciliare semper irreformabile ac definitivum?

Res — uti patet — non est parvi momenti pro iudicando schemate proposito. Etenim, si magisterium conciliare constitutionis dogmaticae assimilaretur magisterio ordinario Summi Pontificis, non semper esset irreformabile. Posset tunc directe vel indirecte quaestiones tangere etiam minoris momenti claritatis et securitatis gratia.

At si tale magisterium non solum est authenticum — uti patet —, sed universale et irreformabile, ea tantum respiciat quae omnibus sine scholarum disceptatione tenenda sint.

Maior tunc erit necessaria sobrietas in extensione, cautela in particularium errorum reprobatione, accuratior expositio doctrinae, magis synthetica quam analytica.

Pro illo valore dogmatico determinando, necesse est ut mens Concilii in schemate constitutionis *clare* patefiat. Non enim ex rei natura tantum valor propositionum erui licet, sed potius e voluntate Patrum Conciliarium aperte significata. Secus postea magna erit incertitudo theologorum et pastorum in diudicanda doctrinae auctoritate.

Nec valet ratio retinendi singula doctrinae capita secundum auctoritatem fontium, prout scilicet in documentis anteactis errores damnantur vel doctrinae proponuntur. Cum enim illi errores nunc conciliariter exprobrantur et doctrinae conciliariter damnantur, novo vigore pollent. Insuper in Concilio nova proponuntur adserta quae sua indigent qualificatione.

Peculiariter oritur difficultas in diudicando valore illarum doctrinarum, quae, in fontibus ecclesiasticis, diversa nota praeditae, in schemate Concilii cumulatim recensentur.

Quaenam erit illarum singularum propositionum qualificatio?

Velint ergo Patres mentem suam clarius aperire de valore schematum constitutionis dogmaticae.

Quonam sensu intelligenda sit indoles pastoralis constitutionis dogmaticae.

Omnes — ni fallor —, Romano Pontifice non excepto, consentiunt in retinenda opportunitate indolis pastoralis etiam pro schemate constitutionis dogmaticae. Sed non eodem modo.

Non desunt quidam qui putent finem pastoralem satis obtineri ipsa doctrinae expositione.

Certo nisus sacrum depositum custodiendi ac defendendi optime elucet in proposito schemate. Immo ipsa doctrinae puritas semper mira fecunditate gaudet. At in praesenti finem pastoralem alii retinent magis immediate ac directe obtinendum et non tantum in primo schemate sed etiam in sequentibus.

Sane videtur indoles pastoralis non solum tangi per quaestionem de stylo, de vocabulis, de positiva magis quam negativa expositione, de organica

partium compositione. Agitur enim de re ipsa, seu de obiecto proponendo. Quod duplici modo intelligere iuvat:

1. In exponenda christiana doctrina, potius doceantur illae veritates quae nostri temporis exigentiis occurrere possint, sive ad removendos errores, sive positive ad animarum salutem. Speciatim dico de necessitudine inter unicum finem supernaturalem et res atque activitates humanas seu terrenas, quarum maxima apud omnes exstat instantia cotidiana.

2. At quaestio respicit praesertim veritatem quae ut fundamentum totius magisterii dogmatici exhibenda esset hominibus nostri temporis. Illa veritas Scripturae et Patrum testimonio indicatur, quo Christi mysterium exhibetur tamquam doctrina salutaris.

Humiliter ergo propono ut in principio schematis emendandi eluceat mira Dei voluntas cuius omnia per Christum revelata signa nobis accipienda sunt infiniti amoris pro omnium hominum salute.

41

Rev.mus P. D. BENEDICTUS REETZ

Praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.

Ad cap. 5 schematis *de fontibus revelationis,* n. vel canon 29 (de habitudine theologiae ad S. Scripturam), proponitur textus sequens: « Cum universae theologiae doctrina S. Scriptura una cum Traditione velut anima sit (deleantur verba: et ex ... iuvenescant) theologiae doctores maximi faciant propriae disciplinae incrementum quod ex recta librorum sacrorum interpretatione obvenit... Sacrorum enim librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem est auctor Deus; ideoque fieri nequit ut sensus qui ab hac doctrina quoquo modo discrepet, legitima interpretatione ex illis libris eruatur. (Sequens textus in schemate deleatur et ponatur sequens:) Curent ergo semper theologi ad divinae revelationis fontes redire; sanorum enim fontium studio sacrae disciplinae semper iuvenescunt, dum e contra, necessaria ceteroquin in re theologica speculatio, si ulteriorem sani depositi inquisitionem negligit, sterilis evadit.

Theologorum est ergo cum tot tantosque thesauros veritatis quos revelatae doctrinae depositum, ad salutem universorum inexhauste continet, pro posse exponere; tum qua ratione ea quae, sive explicite sive implicite, in Sacris Litteris et in divina Traditione inveniuntur, ad nos usque per magisterium vivum sine errore pervenerunt, illustrare; tum demum quaestiones speculativas, quae, ex integra investigatione sacri depositi, ratione fide illuminatae ponuntur, pro viribus expendere ».

Rationes huius mutationis libenter exponam, si licentia loquendi mihi conceditur.

42

Exc.mus P. D. ZACCHARIAS ROLIM DE MOURA
Episcopus Cajazeirasensis

Schema *de fontibus revelationis* a commissionibus praeparatoriis apparatum, mihi quoad argumenta et substantialiter quoad formam perplacet. Illud schema, praeter alias eius bonitatis et opportunitatis rationes (iam a pluribus Patribus dictas et quibus bene consentio), *etiam quoad formam essentialem placet,* quia mihi videtur recta, traditionalis et omni tempore valida.

Sumus enim, quod forsan melius a nobis omnibus perpendendum est, in campo essentialiter doctrinali, in expositione et declaratione doctrinae catholicae, in proprio labore commissionis theologicae de rebus fidei et morum. Plures desiderant etiam in expositione conciliari horum argumentorum spiritum vel « afflatum » pastoralem, iuxta generales Summi Pontificis directivas. Attamen, etsi in hoc schemate *de fontibus revelationis* (sicut etiam in aliis subsequentibus) talem afflatum penitus deesse non arbitror, mihi videtur quod bene quodammodo distinguendum est inter naturam vel exigentias rei biblicae, ac theologicae vel dogmaticae in genere, conciliariter proponendae, atque exigentias seu et ampliorem partem quae praedicto afflatui pastorali in aliis argumentis, verbi gratia liturgicis et disciplinaribus ceterarum commissionum, dari potest.

Res scilicet biblicae, sicut aliae dogmaticae et morales veritates, magis quam suadenti, pastorali et veluti oratorio sermone, per se ipso magis generico et vago, omnino melius definitis formulis et vocibus exprimantur oportet a Concilio, ad ambiguitates vitandas et ad mentem ipsius Concilii exacte quoad ipsas veritates percipiendam, hodie et quolibet futuro tempore valituram. Ita in omnibus fere Conciliis agebatur ex rei natura et necessitate. Atque ipse Summus Pontifex, qui schema nostrum cum ceteris schematibus et legit et ad Concilium disceptandum et pertractandum approbavit, quantum nobis liquet saltem non indignum vel non carens pro natura sua iudicavit illo afflatu pastorali, quem ipse Pontifex commissionibus praeparatoriis et nunc etiam Patribus conciliaribus suasit.

Insuper, formulae vere scholasticae vel professorales non mihi videntur contineri in schemate, sed potius voces et formulae doctrinales iam communes et bene notae, pro exacta ipsa propositione argumentorum iuxta traditionem et doctrinam catholicam. Talis expositio veritatis catholicae, maxime in re biblica et fundamentali, videtur opportuna et necessaria atque plerumque servanda, salvis peculiaribus emendationibus quae fieri possunt.

Ceterum ipse Summus Pontifex saepius admonuit inter praecipuos fines praesentis Concilii esse accuratam, claram, integramque *propositionem doctri-*

nae catholicae in lucida ostensione nostrae fidei pro nobis ipsis et pro dilectis fratribus separatis, in veritate et caritate. Atqui, ad talem scopum, forma nostri schematis de revelatione est essentialiter apta, clara ac propterea retinenda.

43

EXC.MUS P. D. AGNELLUS ROSSI

Archiepiscopus Rivi Nigri

Animadversiones quorundam episcoporum Brasiliae in schema de fontibus revelationis.

1. Schema *de fontibus revelationis,* uti iacet, probandum non videtur. Melius esset conficere schema de Ecclesia, Corpore Christi Mystico, in quo argumenta dogmatica in Ecclesia hodie actualia organice elaborarentur, vel, si hoc fieri non posset, ut praesens schema *de fontibus revelationis* funditus reformaretur et amplius et robustius fieret illud sub nomine *de revelatione* praesentando.

2. Si vero schema *de fontibus revelationis* a Patribus conciliaribus ad discutiendum acceptaretur, tunc sequentia nobis videntur notatu digna.

In genere:

a) Praeponatur prooemium in quo praedictae constitutionis dogmaticae dentur rationes cum positiva et clara determinatione et aspectuum sive theologicorum sive pastoralium sive oecumenicorum probandorum in praesenti motu circa fontes revelationis et errorum certe reiciendorum.

b) Connexio clarior et magis logica inter diversa capita habeatur.

c) Quaestiones nondum a scientia theologica sufficienter exploratae relinquantur vigilantiae magisterii ecclesiastici ordinarii.

In specie:

a) Fusius exponatur ipsa Traditio et in ordine essendi et in ordine cognoscendi, nimirum agendo de Traditione et revelatione ipsa, de Traditione et Spiritu Sancto, de Traditione et Liturgia, de Traditione et Sacra Scriptura, de Traditione et magisterio ecclesiastico, de Traditione et SS. Patribus, de Traditione et theologis, de Traditione et sensu fidelium, de Traditione et praxi Ecclesiae, de Traditione et monumentis christianis.

b) Expositio fiat magis organica de iis quae in schemate dicuntur de Sacra Scriptura, loquendo nempe prius de ipsa Scriptura quatenus verbum Dei, dein de Scriptura Veteris et Novi Testamenti, postea de quaestionibus magis peculiaribus uti eius inerrantia, eius genera litteraria, et ita porro.

c) Ad cap. I, art. 2, linn. 14 et 15: « Christus siquidem Dominus... » sequenti modo emendetur: « Christus siquidem Dominus filiis Israël arcana regni caelorum viva voce *et vita sua historica* manifestavit ». Ratio: Ut innotescat vitam ipsam Christi revelationem esse.

d) Ad cap. I, art. 5, linn. 3 et 4 (sub pag. 11) illud « imprimis » sub-

stituatur per « saltem ». Ratio: ne videatur omnino reici sententia de Traditione et Scriptura ut duobus fontibus revelationis sese mutuo compenetrantibus.

e) Ad cap. II, art. 12, lin. 23: « ... immunitas absoluta ab errore totius Sacrae Scripturae » dicatur: « immunitas totius Sacrae Scripturae ab *omni* errore » delendo vocem « absoluta ». Ratio: modus loquendi consuetus in scholis catholicis. Praeterea vox « absoluta » semper cum grano salis videtur intelligenda.

f) Ad cap. III, art. 15, linn. 5 et 6: quae ibi dicuntur de « christianae religionis fundamenta » sunt obscura, nam quaenam sunt illa *fundamenta* christianae religionis quae sive in verbis sive in historiae rebus ad finem usque temporis spectant?

g) Cap. IV, exceptione facta pro art. 23, omnino reformandum est, nam *art. 19* non videtur necessaria declaratio illa de auctoribus Evangeliorum, cum neque omnia hucusque soluta sint. Cogitetur solummodo de Evangelio secundum Matthaeum. Adest quaestio de Matthaeo sic dicto aramaico et de Matthaeo canonico. Praeterea non patet sensum huius declarationis pro deposito fidei pure servando; *art. 20* quae in priore parte affirmantur, in secunda videntur negari, ut in tertia iterum reaffirmentur; *art. 21* non innotescit quid intelligendum per *germanam veritatem historicam et obiectivam* factorum vitae Domini nostri Iesu Christi. Pressius sunt definienda; art. 22 positive formuletur.

h) Ad cap. V, art. 25 non placet. Ita exaretur ut pateat excellentia textuum primigeniorum Sacrae Scripturae, ut debitus detur honor versioni sic dictae Septuaginta virorum, et ut demum Vulgata quoque locum suum habeat.

i) Ad cap. V, art. 28 spiritu magis optimistico exaretur, recognoscendo exegetas catholicos revera optima tulisse puncta in studio Sacrae Scripturae ultimis his annis.

[*Subsignati etiam*:] Aloisius Lorscheider, ep. Angelopolitanus; Martinus Michler, abbas nullius; Albertus Ramos, arch. Belemensis; José, arch. de S. Luis do Maranhao; Gentil, ep. Mossorensis in Brasilia; José Pedro, bispo de Caetite-Brasil; Ruy, bispo de Sao Carlos; Raymundo, bispo aux. de Fortaleza; José, bispo de Estancia; José Mauro, bispo de Iguatu; José, bispo de Garanhuns; Pedro Filipak; Joao Hoffmann, b. de Frederico Westphalen; Epaminondas, Ruibarbosensis ep.; Florencio, bispo de Amargosa; Gaetanus Antonius, bispo de Ilheus; Lafayette, eppus Riopretensis; Augusto, bispo de Caruarú; Alfonso Niehues, bispo coad. de Lajes; Laus Schmidt, eppus Chapecoensis; Hanricus, ep. Linensis; Candidos J. Bampi, ep. aux. Caxiensis; Claudius Colling, ep. Passofundensis; Aloisius Philippus, ep. Urugaianus; Walmor Battú Wichrowski, VT Felbes; José, bispo de Oliveira; Joaquim De Lange, bispo prelato de Tefè; Wilfrido T. Vieira, VT Laranda.

44

Exc.mus P. D. MAURITIUS ROY
Archiepiscopus Quebecensis

Sequentes animadversiones exc.mo secretario generali humiliter submitto: quae, si opportunum duxerit, paratus sum coram Patribus conciliaribus legere.

Omnibus iam compertum est graves rationes esse timendi ne oppositio quae dividit Patres conciliares ubi de fontibus revelationis agebant, denuo manifestetur quando de ceteris capitibus disceptandum erit, eo exitu ut moralis unanimitas vix possibilis evadat et Concilium indefinite protrahatur.

Haec practica difficultas, ni fallor, ex eo exoritur quod duo opera necessaria sed diversa eodem instrumento eademque materia construere conati sumus. Illi qui necessariam ducunt constitutionem doctrinalem stylo scholastico exarandam esse ad usum scholarum theologiae reiiciunt modum loquendi minus praecisum qui a modernis praefertur; illi e contra qui magis attendunt ad necessitatem loquendi modo intelligibili omnibus illis, sive catholicis, sive non catholicis, qui vocabularium scholasticum non callent, uti volunt verbis magis communibus vel etiam omnibus notis ita ut nuntius doctrinalis Concilii omnes illuminare vadat.

Nonne utrumque necessarium est? Nam loqui debemus tum doctoribus catholicis, qui vocabulario scientifico scholastico uti debent, tum etiam omnibus aliis, quibus idem thesaurus Ecclesiae terminis omnibus notis aperiri oportet, maxime cum, occasione Concilii Oecumenici, omnes enixe desiderant vocem magisterii audire. Utrumque necessarium est: « Oportet haec facere et illa non omittere ». Sed si unico documento omnia simul facere cupimus, nonne circulum quadratum quaerimus?

Ideoque ita prosequendum videtur: Eadem semper doctrina alio et alio modo exponenda est duobus distinctis documentis inter se differentibus tum scopo, tum stylo, tum procedendi modo. Unum erit scholasticum et magis scientificum; alterum potius pastorale et catecheticum, pro omnibus, sive doctis, sive non, quibus extra formam scholae praedicare debemus.

Hae duae constitutiones sic describi possent:

Primum documentum. Oportet Concilium Vaticanum II, secundum traditionem praecedentium Conciliorum, constitutionem redigere, quae, stylo scholastico exaratam, perpetuo valeat tanquam instrumentum exacte designatum ad doctrinam exponendam et regula qua uti debent episcopi aliique omnes qui munus habent docendi Sacram Scripturam, Sacram Theologiam aliasque ecclesiasticas disciplinas.

Talis constitutio posset esse multo brevior praesenti schemate: paucis verbis se conferret ad ea quae ab aliis Conciliis iam dicta sunt, vitando inutiles repetitiones, et illas tantummodo determinationes et praecisiones daret

quae hic et alibi desiderantur sive propter progressum doctrinae, sive propter graves errores praecavendos.

Alterum documentum. Haec constitutio, indolis magis pastoralis, magnificum Dei et Ecclesiae nuntium annuntiaret universo mundo et thesauros doctrinae catholicae aperiret ea mente et loquela quae hominibus nostri temporis, etiam extra Ecclesiam edoctis, acceptabiles et salutares esse possunt. Tunc verius dicere possemus cum apostolo: « Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos » (*I Cor.* 9-23).

N. B. Duo haec documenta diversis coetibus, v. g. sub-commissionibus, praeparari possent, quorum membra seligerentur pro particulari scientia et experientia qua pollent doctrinam exponendi tali vel tali modo; apte quidam saltem de aliis etiam commissionibus eligi possent, commissione theologica vigilante et omnia coordinante.

45

EXC.MUS P. D. PAULUS RUSCH

Episcopus tit. Meloënsis in Isauria, adm. ap. Oenipontanus

Schema *de fontibus revelationis* cap. II. Conspectus 1) Inspirationis natura; 2) Inerrantia; 3) De iudicanda inerrantia.

Dicendum est in hoc capite plura adesse quae minus placent.

Ad 1): Schema in n. 8 de inspirationis natura et definitione loquitur. In lin. 21 dicitur: « Hagiographus autem in conficiendo libro est Spiritus Sancti organon seu instrumentum, idque vivum et ratione praeditum... ». Cum autem agatur de definitione, desiderandum esset ut adderetur: et ideo ipse etiam est auctor. Quod de cetero sub n. 9, aperte admittitur, ubi sermo est de auctore principali, id est de Deo et de auctoribus humanis. Quod iam in definitione dicendum est, ne sacer scriptor videatur amanuensis esse tantummodo. Verum est non semper eandem doctrinam hac de re viguisse. At eodem modo verum est quod Pius XII in Encyclica *Divino afflante Spiritu* edicit, scilicet: « Inter haec illud videtur peculiari mentione dignum, quod catholici theologi... inspirationis biblicae naturam et effectus aptius perfectiusque explorarunt et proposuerunt quam praeteritis saeculis fieri assoleret ». Quod magni momenti est pro diiudicanda inerrantia de qua statim.

Ad 2): In n. 12 haec verba habentur: « Antiqua et constanti fide Ecclesiae edocemur nefas omnino esse sacrum errasse scriptorem... ». Hic sermo est de absoluta inerrantia Sacrae Scripturae, sive in eis quae per se sive in eis quae per accidens revelata sunt, id est ergo in rebus religiosis et profanis.

Iam vero apud *Matth.* 27, 9 scriptum est: « Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem, et acceperunt 30 argenteos pretium appretiati... ». Qui locus non est ex Ieremia sed ex Zacharia Propheta. Hanc difficultatem iam Augustinus novit qui aperte dicit agi « de lapsu memoriae ». Homo modernus, si hoc legit, simpliciter de errore loquitur.

Accedit nostram Ecclesiam hac in re iam duram passam esse experientiam. Anno 1633 Galilei sub Urbano VIII damnatus est, quia defendit doctrinam contra Scripturam. Doctrinam autem quam defendit erat, sicut notissimum est, terram circa solem rotare et non viceversa.

Quid ergo dicendum? Teneo et ego inerrantiam sacrae Scripturae quae tamen cautius et circumspectius exprimenda est. Auxilium praesto est in verbis quae Pius XII in Encyclica citata scripsit, scilicet inveniri etiam in Sacris Scripturis certas artes exponendi, « approximationes quae dicuntur ac certos loquendi modos hyperbolicos immo interdum etiam paradoxa ». Haec verba Summi Pontificis solutionem praebent. Hisce enim difficultas allata solvi potest dicendo, evangelistam per approximationem locutum fuisse, quod verum est. Dolendum ergo est quod haec verba Summi Pontificis non citentur.

Ad 3): In n. 13 sermo est de diiudicanda inerrantia. Hic aliqua conceduntur quae tamen non sufficiunt. Dicitur quidem: « Aliter enim veritas exprimitur in libro historico vel didactico, aliter in prophetico, poetico... quod autem ad singula spectat, modus attingendi veritatem diiudicetur oportet etiam ex sensu quem in determinatis adiunctis pro sui temporis conditione expressit hagiographus ». Confer nunc quid Summus Pontifex in Encyclica citata dicat: « Omnino oportet, mente quasi redeat interpres ad remota illa orientis saecula, et subsidiis historiae archeologiae ethnologiae aliarumque disciplinarum rite adiutus, discernat atque perspiciat quaenam litteraria ut aiunt genera vetustae illius aetatis scriptores adhibere voluerint ac reapse adhibuerint ». In hisce verbis Summi Pontificis multo clarius et fortius edicitur quod dicendum est.

Dolendum ergo iterum quod hoc caput sicut schema totum verba Summi Pontificis citet et fere semper sententias severiores praediligat. Quaerendo cur hoc fiat responsum accepit: « veritas dicenda est ». Ad quod respondeo distinguendo: Sententia unius scholae est dicenda nego, doctrina communis concedo, et addo: in forma apta ad finem huius Concilii. Sicut Papa noster feliciter regnans initio Concilii dixit: « Aliud est depositum fidei aliud est modus quo enuntiatur ». Et addidit: « ea ratione pervestigetur et exponatur quae tempora postulant nostra ».

Haec cum facta non sint pro dolor declarare debeo caput hoc et schema totum non placere.

46

Exc.mus P. D. ACHILLES SALVUCCI

Episcopus Melphictensis, Iuvenaçensis et Terlitiensis

1. Liceat mihi, minimo omnium vestrum, breves animadversiones exponere circa art. 12 cap. II, pag. 13, cui titulus: (*De inerrantia ut consectarium inspirationis*) qui sic habet: « Ex hac divinae inspirationis extensione ad

omnia, directe et necessario sequitur immunitas absoluta ab errore totius Sacrae Scripturae. Antiqua enim et constanti Ecclesiae fide edocemur nefas omnino esse concedere sacrum ipsum errasse scriptorem, cum divina inspiratio per se ipsam tam necessario excludat et respuat errorem omnem in qualibet re religiosa vel profana, quam necessarium est Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse ».

Ad maiorem claritatem et praecisionem doctrinae, circa inerrantiam Sacrae Scripturae, hic expositae et quam nos veram retinemus, mihi videntur adiungenda esse continuo, ad lin. 23, dempto puncto, verba sequentia: « *in omnibus quae voluit Dominus* (*et quidem auctor sacer*) *homines docere* ». Vel potius, meo submisso iudicio, melius foret si cum hac propositione substituerentur illa verba praesentis dictionis, in lin. 27, idest: « *in qualibet re religiosa vel profana* ». Ratio est quia praesens locutio, uti iacet, nimis lata et capax perplexitates et difficultates ingenerandi videtur.

Nam aliquis cogitare posset Sacram Scripturam voluisse docere homines non tantum res religiosas sed etiam quaslibet (dico quaslibet) res profanas et scientificas.

Dum e contra communis sententia est auctorem sacrum generatim locutum esse de rebus profanis et scientificis secundum apparentiam et modum loquendi sui temporis.

Nec ignorare debemus, in Veteri Testamento verum et realem progressum revelationis divinae fuisse, ita ut aliqua obscura et imperfecta — ut iam in hoc venerabili Coetu clare et competenter affirmatum est — in Novo Testamento explicatum, completum et correctum est.

Sed hic quaeri potest: quomodo cognoscere possumus quae voluit Dominus (et quidem hagiographus) homines docere?

Respondeo: 1) ex obvio sensu sacri textus; 2) ex constanti traditione et magisterio Ecclesiae; 3) ex unanimi consensu Patrum; 4) ex decretis Conciliorum; 5) ex definitionibus Summorum Pontificum; 6) ex indole generali ipsius libri sacri, scil. ex genere litterario quo hagiographus usus est — ut clare exponit articulus sequens (art. 14) huius schematis, qui sic habet: « Aliter enim veritas exprimitur in libro historico vel didactico, aliter in prophetico, poetico, allegorico, parabolico ».

Sed in hac materia semper caute procedendum est et, in casu dubii, definitivum iudicium soli competit Ecclesiae.

Igitur, omissis omnibus quaestionibus, quibus in hac materia docti et magistri multum laborant, mihi videtur, cum dictione proposita, maior claritas et praecisio obtineri et simul modus plures perplexitates et difficultates removendi.

Veniam peto sed ex conscientia dixi.

47

REV.MUS P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI
Minister generalis O.F.M.

Schema *de fontibus revelationis,* ob doctrinam certam ibi clare expositam et concretis necessitatibus nostrorum temporum insuper adaptatam, placet iuxta modum.

Quod attinet ad indolem pastoralem a pluribus Patribus postulatam, animadvertendum est in re doctrinali claritatem expositionis prae primis premendam esse. In memoriam vellem revocare, e. g., Decalogum praeceptorum vel etiam Symbola Fidei, arte quidem praedicatoria orbata, nihilominus stylo optimo, i. e., claro et conciso expressa, indolem vere pastoralem redolere.

Si quaedam desiderata exprimere liceat, haec sequentia submisse proponerem:

1. Corrigatur citatio pag. 13, lin. 8, sic: 2 *Petr.* 1, 21.

2. Descriptio *inerrantiae biblicae* ita compleatur ut exegetis valido auxilio sit in eorum difficillimis investigationibus peragendis. Itaque dicatur pag. 13, n. 12, linn. 25-26: « cum divina inspiratio per se ipsam tam necessario excludat errorem omnem in qualibet re religiosa vel profana, *a sacro auctore affirmata ac assensui lectorum suorum quidem proposita,* quam necessarium est... ».

3. Forsitan melius esset, si Concilium qua tale, in documento sollemni nihil diceret de auctoribus Evangeliorum. Si propositio placet, omittantur in pag. 17, linn. 5-8.

4. Ad pag. 17, n. 21: sermo fiat at benignissimus quidem de illis *tantum* erroribus qui fidem in verum discrimen adducant nec studiosis sinceris ac bene formatis investigatio *scientifica* Sacrorum Evangeliorum interdicatur. Igitur pag. 17, n. 21, lin. 22, pro verbo « damnat » dicatur « reprobat »; porro ibid. lin. 25 vocabulo « narrantur » substituatur expressio « affirmantur ».

5. Quia *vera* scientia biblica Ecclesiae semper prodest, studia Sacri Textus profundiora in Universitatibus ac Facultatibus nostris *expresse* confirmentur ac omni ope faveantur (pag. 21, n. 28).

In seminariis similibusque institutis magistri sancte adhaereant normis a Sede Apostolica latis; scripta autem ac incepta biblica *indolis popularis* speciali vigilantiae Ordinariorum *sollicite* commendentur.

6. Brevis quoque adiungatur paragraphus qua tota doctrina in schemate contenta iustis votis fautorum Oecumenismi respondere valeat.

48

Exc.mus P. D. PATRICIUS IACOBUS SKINNER
Archiepiscopus S. Ioannis Terrae Novae

Hoc schema retinendum esse sentio.

1. Doctrina Ecclesiae omnino integra servari debet.

2. Expositio doctrinae Ecclesiae fundamentalis esse debet. Huius doctrinae applicatio in praxi exercetur per ministerium pastorale sacerdotum qui curam animarum gerunt.

3. Timeo ne error fiat circa doctrinae expositionem, ut ita dicam, fratribus nostris separatis aptandam. Illis caritatem omnino exhibere debemus sed caritatem in veritate completa et integra Ecclesiae Christi per sacram Scripturam et Traditionem ad nos transmissa. Talem veritatem catholicam a nobis ex corde quaerunt, sicut experientia nostra pastoralis docet.

4. Dicendum quod si Concilium Vaticanum II nihil aliud fecisset nisi quod iterum doctrinam Conciliorum Ecclesiae affirmasset, talis affirmatio doctrinae fundamentalis catholicae maxime opportuna nostris diebus videretur.

49

Exc.mus P. D. RUDOLFUS IOSEPH STAVERMAN
Episcopus tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Hollandiae

In disputatione generali de hoc schemate episcopi nationis Indonesiae declaraverunt schema ita displicere, et quidem rationibus tum pastoralibus tum theologicis, ut penitus emendandum sit. Pro primo hoc capite pressius exponam:

Conceptio quae per titulum exprimitur et in capite exponitur, praebet exemplum typicum deficientis indolis pastoralis. Sana pastoralitas exigit, ut singulae veritates referantur ad originem et centrum, qui dicit « Ego sum veritas ». Et in hoc sensu Tridentinum Evangelium vocat fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae. In schemate autem sermo fit de fontibus, ex quibus nos cognoscimus, sed vix de hoc fonte primario, qui est Christus Dominus eiusque verbis et gestis.

Eo modo equilibrium praedicationis et fidei catholicae turbatur. Et hoc vitium originale apertius et nudius adhuc emerget in capite de revelatione, schematis secundi, cap. V, quod gravissimum est.

Insuper caput nostrum praebet exemplum typicum deficientis indolis oecumenicae. Omnes bene novimus, fratres separatos suspicari Ecclesiam catholicam in suo magisterio supra Sacram Scripturam et super traditionem apostolicam dominari. Falso quidem. Hoc schema autem ansam praebet huic

praeiudicio. In n. 3 magisterium apostolorum et magisterium eorum successorum ita aequiparari videntur, ut non appareat episcopos doctrinae ab apostolis acceptae fideliter se subicere. Ita faciens schema non honorat locum omnino unicum et eximium traditionis constitutivae (apostolicae).

Eodem crure manco etiam claudicat n. 6. Recte dicitur authenticam interpretationem verbi Dei scripti et traditi soli Ecclesiae magisterio concreditam esse (interea dicam, non bene intelligo quare haec veritas elementaris toties quoties [septies] in schemate iteratur). Sed de relatione inversa et correlativa, nempe quod Ecclesiae magisterium iugiter et unice haurit ex verbo Dei scripto vel tradito, nihil dicitur. Textus noster aperte regressus est relate ad verba Patrum Vaticani I, qui profitentur sese innixos esse Dei verbo scripto et tradito (D. 1781). Secundum verba S. Augustini et nos, magistri fidei, oportet esse auditores verbi Dei. « Verbi Dei enim inanis est forinsecus praedicator, qui non est intus auditor » (*Sermo* 179, 1, 1; PL 38, 966, cf. 7, 970).

Quare, ut suspicioni fratrum separatorum clare opponatur doctrina catholica completa (integra), omnino necessarium videtur, ut fidelis subiectio magisterii sub verbo Dei scripto et tradito expresse enuntietur. Quoad omnes fideles magisterium est regula regulans, sed relate ad verbum Dei scriptum et traditum est regula regulata.

50

Exc.mus P. D. IOSEPH VAIRO

Episcopus Gravinensis et Montis Pelusii

Has notas exhibere auserim:

desiderari in schemate clariorem cohaerentiam, qua aspectus theologicus, psychologicus et litterarius in conficiendis libris divinitus inspiratis, harmonice componantur;

sistendum esse in divinae inspirationis natura declaranda, quin scientifica eius definitio tradatur, quae inquisitioni theologicae demandanda esse videtur;

in n. 11, linn. 17 et 18, expungenda esse verba: « omniumque per hagiographi manum in eo exaratorum veluti scriptor » et in linn. 19 et 20 verba ita emendanda: « Itaque omnia, quae ab hagiographo dicuntur, a Spiritu Sancto, sensu ab hagiographo intento, dicta retineri debent ».

In n. 12, lin. 23, verbis « immunitas absoluta » praeferendam esse locutionem: « immunitas omnimoda ».

51

EXC.MUS P. D. VILLELMUS VAN BEKKUM

Episcopus Rutengensis

Multiplicibus aspectibus, praesertim etiam pastoralibus, sub quibus de hoc schemate iam dictum est, unum adhuc adiicere audeo. Experientia per multos annos protracta in missionibus innixus dicendum esse puto etiam praeconium fidei nostrae in terris missionum novum impetum haurire posse et debere ex theologia illa biblica quae hodie in Ecclesia tam feliciter efflorescit. In hac theologia multa ad lucem trahuntur, quae ut ita dicam ad vitam cotidianam istorum populorum pertinent inter quos legatione pro Christo fungimur. Sacra enim Scriptura revera prodiit ex modo cogitandi et agendi qui in multis iam similis est eorum quae apud nostros fideles invenimus, ita ut eorum consuetudines tam bonae quam malae ea reflectent quae in Sacra Scriptura inveniuntur.

Qua de causa nobis missionariis multum interest ut theologia ex biblicis fontibus nutriatur. Omnino speramus ut haec theologia a secundo Concilio Vaticano in novam lucem proferatur, utique sub ductu securo magisterii ecclesiastici. Ex ea uberiorem fructum speramus pro nostro labore apostolico in Ecclesiis nuper erectis.

Etiam addere volo quod et sacrae liturgiae renovatio, praesertim in missionibus, non bene actuari potest nisi niti possit biblica renovatione sacrae theologiae, quam renovationem maximi etiam momenti aestimamus tam pro instructione catechetica quam pro adaptione missionaria in genere. Sed et pro tractatu dogmatico de conditione earum gentium quae Christum nondum agnoscunt novam lucem ex theologia biblica spero cum in sacra Scriptura agatur de variis conditionibus generis humani inde a creatione Adae.

Propter omnes has causas nobis missionariis gratias maximas agendum esse puto istis viris sive catholicis sive non-catholicis, qui fidem in Dominum Nostrum fideliter servantes vires opesque suas dederunt ut melius penetrarent in verum sensum Sacrae Scripturae.

Cum mihi persuasum sit sat multos episcopos ex Ecclesiis nuper erectis de his rebus mecum consentire nomine harum Ecclesiarum humiliter rogare audeo ut novum schema proponatur.

52

EXC.MUS P. D. IOANNES VAN DODEWAARD

Episcopus Harlemensis

Relate ad cap. I sequentia particularia, nomine Conferentiae episcoporum Neerlandiae, notare velim.

1. Nullibi clare affirmatur, qualis nota seu qualificatio theologica conve-

niat primo schemati in genere et singulis eiusdem assertis. Inde titulus, qui sonat « constitutio dogmatica » est valde ambiguus.

2. Oportet ut loco n. 1, in quo perpauca habentur de revelatione divina, notio revelationis praemittatur huic expositioni de S. Scriptura et Traditione; et quidem ea lege, ut pateat revelationem fieri factis et dictis. In hoc n. 1 insuper clare indicetur, quod Dominus Iesus Christus tam in vita gestisque suis quam verbis suis perfectus revelator simul et perfecta pro viatoribus revelatio Dei exstat.

3. Mens nn. 3-6 in prospectu oecumenico melius exprimatur, et quidem retinendo formulas Concilii Tridentini. Inde pro singulis his numeris mutationes sequentes notare velim:

a) N. 3 « *De transmissione apostolica revelationis Novi Foederis* ». Loco textus propositi dicatur: « Evangelium quod promissum ante per prophetas Dominus Noster Iesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit, deinde per suos apostolos praedicari iussit (Tridentinum, Denz. n. 783), acceptum est et tenendum fideliter (1 *Cor.* 15, 1 sq.). Interim vero, cum traditio non scripta ut talis, deficiente adiutorio Dei extraordinario, in veritate apostolica integra perstare non posset, huic condicioni sicut in Vetere olim Testamento, per Scripturam provisum est. Et ita Evangelium in initio sola viva voce prolatum atque exemplo vitae christianae et celebratione mysteriorum professum, factum est Evangelium scriptum. Per eamdem autem Dei voluntatem Scriptura non abrogat vivam ipsam vocem praeconii apostolici, sed vox viva et scripta una est ».

b) N. 4, loco « de duplici fonte revelationis », sonet: « *de libris scriptis et traditionibus sine scripto* ».

Textus prout iacet in aliquibus mutetur.

Lin. 22, post verba « credit integram revelationem », textus sic prosequatur: « seu puritatem ipsam Evangelii, " quod fons est omnis et salutaris veritatis atque morum disciplinae " (Tridentinum, Denz. n. 783) contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus »; et deleantur verba: « non in sola Scriptura, sed in Scriptura et Traditione, tamquam in duplici fonte contineri, alio tamen ac alio modo ». Textus tunc prout iacet prosequitur usque ad lin. 32 (« transmitterentur » inclusive). Post verbum « transmitterentur », loco linn. 32-34 (quae deleantur), dicatur: « Quare divinae traditiones, *Sacrarum Scripturarum testimonio fulcitae,* ex vivo in Ecclesia praeconio, fidelium fide et Ecclesiae praxi hauriuntur ».

c) N. 5, titulus sic sonet: « *De habitudine S. Scripturae et Traditionis ad invicem in ipsa Ecclesia* ». Numerus ipse sic mutetur: « Ecclesia ex verbo Dei vivit scripto et tradito. Sicut tamen Ecclesia indiget Scripturis et Traditione ut vivat, hae quoque indigent Ecclesia, et indigent invicem, ut sint Scripturae *canonicae* et Traditio authentica. Nobis non proponuntur ut Scripturae canonicae nisi per Ecclesiam, nec nobis nisi in Ecclesia Spiritu inhabitata authenticum sensum suum revelant. Nam viget in Ecclesia sensus catho-

licus, quo Scripturas interpretari possumus eodem Spiritu quo conscriptae fuerunt et qui in ipsa Traditione asservatur vivens ».

d) N. 6, titulus sic sonet: « *De habitudine S. Scripturae et Traditionis in Ecclesia relate ad magisterium* ». Paragraphus sic mutetur: « Licet Ecclesia tota, credens, amans, orans, mysteria celebrans et fidei quaerens intellectum custodiat tradita eaque transmittat, hanc tamen vitam Traditionis moderatur in Ecclesia magisterium vivum, ut authentica remaneat et ut omnes perfecti inveniantur " in eodem sensu, eademque sententia " (cf. 1 *Cor.* 1, 10). Ipsi soli magisterio competit munus depositum authentice interpretandi explicandique, insurgentes errores iudicandi, fidem tandem Ecclesiae, si necesse sit definiendi. Hoc sensu, regulatum a deposito fidei, ipsum magisterium est universalis et proxima norma nostrae fidei, interpretationisque cum Scripturarum tum Traditionis. In hoc proinde munere pastores ut ministri verbi Dei, non domini, sunt positi.

Invicem proinde se constituunt Ecclesia, Traditio et Scriptura, moderante ipso magisterio, ita ut, auxilio Dei Ecclesiam voce et Scriptura docentem comitante, adimpleatur promissio Christi Domini, ipsum futurum esse cum apostolis docentibus omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi (*Matth.* 28, 20) ».

e) Per consequens titulus totius schematis melius sonet: « de revelatione eiusque transmissione ».

53

EXC.MUS P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

Infrascriptus ad primum schema (*de fontibus revelationis*) quaedam, quae se expositurum esse die 20 nov. annuntiaverat, discussione terminata autem in aula conciliari noniam proponi poterit, scripta tradit, ut regestis inserantur et labori commissionis usui esse possint.

1. *De indole doctrinali et pastorali schematis recte intellegenda.*

a) In discussione generali saepe desiderabatur huius schematis indoles pastoralis. Quod autem a non paucis falso intellegi videbatur. Saepe enim tali desiderio obiciebatur, agi debere de sana doctrina, antequam agi posset de rebus pastoralibus, quarum fundamentum sana doctrina esse deberet. Revera autem efficientia pastoralis non inde habetur, quod tractatio paregoretica in locum doctrinae substituitur vel doctrinam sequitur, quin utrumque uniatur. Ipsa doctrina tam plena tamque vitalis esse oportet, ut iam ipsa exerceat vim pastoralem et cognoscatur tamquam pars evangelii. His autem schema propositum prorsus caret, non proponens doctrinam ut evangelii partem, excluso cap. V.

b) Doctrina res revelatas vitali modo et ut totum tractans non caret indole scientifica et clara. Nititur in S. Scriptura, ex qua sua themata desumit.

Utique adhibere debet terminologiam, quibus pluralitas et multiplex differentia omnium in revelatione contentorum elementorum melius exprimi possit quam conceptibus scholae solitis. Hoc non confudi debet cum obscuritate, sed correspondet necessitati proponere revelationem secundum totum suum ambitum, totamque profunditatem.

c) Conciliorum non est systema quoddam theologicum sine omni lacuna excolere, sed inservire mandato praedicandi evangelium. Propterea non requiri videtur, ut Concilium de habitudine inter S. Scripturam et Traditionem plus dicat quam Conc. Tridentinum, scilicet contineri revelationem « in libris scriptis et sine scriptis traditionibus »; quomodo intellegendum sit illud « et », magis explicare non videtur necessarium pro Concilio, dummodo et S. Scriptura et Traditio « pari pietatis affectu ac reverentia suscipiatur » (Denz. 783). Quomodo haec habitudo accuratius sit explicanda, usquehuc theologia non sufficienter explicuit. Neque evolutio dogmatum hoc videtur requirere, quod ostenditur ex facto, quod post illam Tridentini formulam dogmata tam gravia definiri potuerunt ut Immaculata Beatae Mariae Virginis conceptio, infallibilitas Summi Pontificis, Assumptio Beatae Mariae Virginis.

d) Falso etiam intellegebatur interdum vocabulum « oecumenicum », quasi propter christianos non-catholicos quaedam doctrinae catholicae elementa silentio tegerentur vel obscuriora redderentur. Praeter ea, quae optime exposuit exc.mus D. ep. De Smedt, verbo « oecumenicum » etiam hoc dicitur, doctrinam debere in toto suo complexu et ambitu praedicari, ita ut in ea tota Ecclesiae realitas eluceat. Quae a fratribus separatis praedicantur, esse partem tantum, non eo ostenditur, quod uni parti altera pars veritatis opponatur, sed eo, quod totum praedicatur. Insuper etiam fideles nostri indigent praedicatione revelationis ut vitalis cuiusdam totius. Secus nemini de catholicae doctrinae veritate persuadebimus.

2. *De tribus partibus, quae schema complecti debeat.*

a) De revelatione ut actione salutari Dei. Quae propositum schema de revelatione dicit laborant eo, quod revelatio concipitur tamquam intimatio olim facta veritatum, quae Scriptura et Traditione cognoscantur. Haec quoque in revelatione contineri non quidem negandum est; his autem non exhauritur revelatio eiusque finis in ordine salutis. Ipse eventus revelationis iam est modus, quo Deus salutariter agit. Revelatione non tantum intimantur veritates cognoscendae, sed Deus seipsum communicat, ut homo respondeat « fide, quae per caritatem operatur » (*Gal.* 5, 6), ne autem se tamquam infidelis a Deo avertat. « Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est » (*Io.* 3, 18).

Revelatione facta oritur specifica quaedam vitae imago, quae, in S. Scriptura « crisis » nominata, per hominum modum agendi negari nequit. Hoc revelatio efficere potest, quatenus Deum ipsum quodammodo praesentem reddit, ita ut homo singulari modo se decidere possit pro vel contra Deum. « Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra » (*Ps.* 94, 8).

b) Altera schematis pars tractet de munere, quod exercet Ecclesia in

revelatione communicanda: S. Scripturam sane interpretatur, traditionem exercet, eventum revelationis in tota sua vita praesentem reddit (actualizat). Christus enim « Ecclesiam aedificavit, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet » (Vatic. I; Denz. 1821).

Hoc loco quaedam enuntiationes schematis propositi recipi possunt, etiam limites statuendo contra errores, imprimis quae spectant historicitatem actionis salutiferae Dei. Specialis momenti esse videntur, quae dicuntur in cap. V, quae autem liberari debent a quibusdam superfluis et suppleri quibusdam aliis.

c) Tertia parte agatur de homine revelationem fide suscipiente. Initium sumatur fide, quae describatur sensu illos complexo et vitali, quo describitur in S. Scriptura. His gressibus thema huius capitis evolvi poterit.

Christus ei, qui eum credendo sequitur, iam in hac vita est « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6). Etsi ante adventum Christi multa pati, immo mori debet, assimilatus Christo fructum feret in regnum Dei.

Propterea mediis in tribulationibus fidelis consolatur credens « virtutem resurrectionis eius » (*Phil.* 3, 10) et « adoptionem filiorum Dei exspectans » (*Rom.* 8, 23). Sic manet in illa pace, quam Deus homo factus promisit (*Lc.* 2, 14) neque mundus dare potest (*Io.* 14, 27). Repletur gaudio, sicut monet S. Paulus (*Phil.* 4, 4).

Inde fidelis in omni tribulatione gratias agere potest et debet cultumque Deo in forma « Eucharistiae » praestat. Testis fit virtutis Dei coram reliquis fidelibus (1 *Thess.* 4, 18) et toto mundo (1 *Petr.* 3, 15).

Conformis Christo, qui est caput et salus totius creaturae, homo fidelis officium suum praestare potest coram rebus creatis, eas referendo in Deum finem ultimum (*Dan.* 3, 57 ss.). Quo magis homines nostris diebus creaturas sibi utiles reddunt, eo magis crescit officium ordinandi mundum in servitium Dei. Ut hoc praestare possit, exerceat oportet abstinentiam creaturarum, quod fit praecipue ab his, qui consilia evangelica sequuntur, sed neque in reliquis fidelibus deesse debet.

Fidelis in virtute fidei vivens in mundo non ipse mundum perficere potest, sed exspectat finem et perfectionem mundi in adventu Christi (cf. *Apoc.* 22, 17). Nam spes nostra est in eo, quod Christus veniet « cum virtute multa et maiestate » (*Mt.* 24, 30). Deinde omnes homines a mortuis resurgent, et boni immutabuntur secundum formam Christi resurgentis (cf. 1 *Cor.* 15, 52 ss.) et exemplum assumptionis Beatae Mariae Virginis.

Solummodo peccatum, quo homo avertitur a Deo fine ultimo, ipsum hominem ultima perfectione privare potest. Nulla autem potestas impedire potest perfectionem mundi a Deo creati.

54

EXC.MUS P. D. IOANNES IULIANUS WEBER
Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

Cap. II schematis I, cui melius titulus daretur: *de inspiratione, inerrantia et interpretatione Scripturae,* agit de verbo Dei scripto, in genere. Deus, qui est caritas et veritas ipse, postquam locutus est Patribus per prophetas et nobis per Filium suum eiusque apostolos, voluit verbum suum ad nos pervenire per Scripturam Sacram. Haec Scriptura, ut ait apostolus, « utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in iustitia » (2 *Tim.* 3, 16), et alibi: « Quaecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt » (*Rom.* 15, 4). Haec praestantia divinarum litterarum procedit ex eorum inspiratione per Spiritum Sanctum. Sed quid sit inspiratio?

Res maximi momenti, quamquam difficilis, mysterio plena, et iam non satis enucleata. Eius notio non dependet solum a laboribus theologicis in duos locos Novi Testamenti, qui de Scriptura mentionem faciunt quasi per transennam (3 *Tim.* 3, 16 et 2 *Pet.* 1, 21), sed etiam de forma textus sacri in se considerati: requirendum enim est non quod Deus facere debuisset, sed quod revera fecit. Insuper, ut iam dictum est in hac aula, de inspiratione tractandum est confidenter, aperte, et non anxiose, scrupulose. Nobis pro hoc labore aperuerunt viam praesertim duae Encyclicae pontificales, scilicet Encyclica Leonis XIII *Providentissimus* et Pii XII, f. m. *Divino afflante Spiritu,* quae praeterire et a quibus abstrahere aut recedere non licet.

Has praevias animadversiones sequendo, has propositiones de cap. II afferam.

1. In art. 7, linn. 3 et 4, deleantur verba: « Quae alteram ac praeclaram constituunt supernae revelationis fontem », nam in forma controversa sunt.

2. Definitio, vel potius descriptio inspirationis in art. 8 tradita, doctrinam repraesentat Leonis XIII (EB 125). Addatur in medio lin. 24: « Haec definitio valet etiam pro libris sacris qui per gradum, paulatim, compositi sunt: dum charisma inspirationis toto operi compositionis praefuit », et omittantur linn. 24-28, quae de systematibus loquuntur quae iam non sunt in usu.

3. Charisma inspirationis certe hagiographo proprium est. A communitate tamen in qua exercetur pendet, quia pars est integra actionis divinae in favorem populi electi et Ecclesiae primaevae. Legatur ergo finis lin. 11 in art. 10: « Sed tamen ab actione divina in populo israelitico aut in Ecclesia primaeva non est separandum eamque supponit ». Et prosequatur: « Et ideo, in Dei Providentia... ».

4. Art. 11 simpliciter legatur: « Pariter cum Deus ipse, divino suo afflante Spiritu, totius Scripturae sit auctor, omnia quae ab hagiographo affirmantur a Spiritu Sancto affirmata retineri debent ». Nam Scriptura, etiam in libris historicis, non est simplex flatus vocis, sed transmissio doctrinae.

5. Item legatur art. 12 simpliciter: « Inerrantia Scripturae e facto inspirationis defluit, cum divina inspiratio per se ipsam non modo excludat errorem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam veritatem, nullius erroris auctorem esse » (EB 539).

6. Encyclica Pii XII monstravit, ad cognoscenda ea quae auctor sacer infallibiliter affirmare voluit (nam error et veritas solummodo sunt in iudicio et non in verbis) recurrendum esse ad genera litteraria per hagiographos usitata: unumquodque enim generum litterariorum suam propriam veritatem habet (EB 558-560, et etiam 580). Addere debemus modum compositionis uniuscuiusque auctoris aeque considerandum esse. Legantur ergo in art. 13 linn. 32-33 sic: « Qui modus elucet non solum ex indole libri, sed etiam ex genere litterario ab auctore assumpto, et ex eius ratione compositionis ». Sequatur lin. 35: « Quod autem ad singula spectat... ».

7. Tandem, in art. 14, lin. 18, omittantur verba: « et ignorantiam » quae neque in Epistola ad Hebraeos ibi citata (*Heb.* 4, 15), neque in textu Pii XII, de quo sumpta sunt (EB 559) inveniuntur, et ad rem non pertinent.

55

Exc.mus P. D. VALENTINUS WÓJCIK

Episcopus tit. Barenus in Hellesponto, aux. Sandomiriensis

Vellem humiliter proponere, ut in nova elaboratione constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* in cap. IV, par. 27, post versum 14 sequens correctura introducatur: « Animarum pastores obligati sunt fidelibus sibi commissis omnibus modis persuadere, eosque tempore opportuno invigilare, ut in unaquaque familia saltem libri Novi Testamenti cum commentariis ab Ecclesia probatis domi cum honore habeantur et praesertim diebus dominicis devote legantur ».

Rationes:

1. Res enim est tanti momenti, ut non sufficiat sola laudatio evulgationis Bibliae Sacrae inter fideles et monitio erga personas legentes textum inspiratum, sed necessaria est quoque activa cooperatio ex parte animarum pastorum in moderno apostolatu biblico.

2. Fideles, possidentes Libros Sacros in editione catholica et legentes eos una cum orthodoxis commentariis, non accipiunt tam faciliter novitates sectariorum, qui sub specie interpretationis Bibliae suas falsas doctrinas introducere et fidem veram evertere conantur.

56

Exc.mus P. D. CYRILLUS IOANNES ZOHRABIAN
Episcopus tit. Acilisenus

De duplici fonte revelationis (schemata pag. 9): Mihi videtur quod expositio veritatis theologicae schematis (pag. 9 sqq.) non est composita mente docendi em.mos cardinales, exc.mos episcopos necnon doctissimos theologos, sed ad ipsorum mentem reducendam, paucis verbis, doctrinam catholicam de fontibus revelationis, et qua talis est clara, completa in suo genere, facilisque intellectu.

Quod attinet ad ministerium pastorale, eminentissimi atque sapientissimi theologi compilatores huius articuli non intendebant, neque poterant normam generalem atque efficacem dictare pro instructione catechetica huius dogmatis populorum totius universi, sed reliquerunt id munus ad iudicium singulorum episcoporum normas aut methodos formulare conformiter ad capacitatem intellectualem populi aut fidelium super quos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (*Acta,* 20, 28). Episcopi enim qui sunt vere pastores et non mercenarii, cognoscunt oves suas, easque nominatim vocant (*Ioan.* 10, 14 sqq.).

Missionarius apud armenos meos connationales. Origo protestantismi in Armenia. Anno 1905, mense aprili, missionarius apostolicus missus sum a Propaganda Fide apud armenos meos connationales. Pastores protestantes americani in nostra Armenia contemnebantur ab ipsis armeno-gregorianis qui eos frammassoni denominatione distinguebant; usque ad annum 1895 pastores protestantes lamentabantur nullum armenum in suam sectam attraxisse. Anno autem 1895 Abdul Hamid, turcarum Imperator plurimos armenos trucidavit furore fanatico mahumetismi excitans suum populum contra christianos. Hac occasione nationes christianae Europae ingentia subsidia pecuniaria miserunt ad missionarios tam catholicos quam protestantes. Missionarii nostri religiose distribuerunt subsidia haec familiis quibus debebant iuxta mentem benefactorum. Missionarii autem protestantes Americae Septemtrionalis (prudentiores filiis lucis: *Lc.* 16, 8) aedificaverunt orphanotrophia, nosocomia, acceperunt pueros et puellas, vulneratos et egentes et ita posuerunt fundamenta solida protestantium in Armenia.

Igitur pro mea parte debeo ostendere meam methodum in instructione huius doctrinae ad armenos protestantes, nam armeni gregoriani nobiscum conveniunt in hac materia.

Praemittenda. 1. Numquam adhibui methodum apologeticam in traditione doctrinae christianae, sed semper exposui veritatem catholicam sicuti est in se; nunquam cura affectus sum de ideis haereticorum. Methodus ista est optima, experientia 50 annorum vitae activitate intensa missionariae mihi probat. 2. Aliquando missionarius tentatur veritatem christianam abscondere vel ambiguis verbis exponere ad lucrifaciendam animam infidelium ad Chri-

stum. Hoc est malum pessimum. Anima hoc modo lucrata exponitur ad apostasiam formalem. Non est hic locus enumerandi rationes cur ita persuasus sum. Mea praxis semper fuit: Qualiscumque veritas doctrinae catholicae, clare, simpliciter, intelligibilibus verbis, iuxta capacitatem auditoris vel discipuli est tradenda; nullo modo est abscondenda, vel verbis tam obscuris adhibendo supra capacitatem auscultantis, aut verbis ambiguis exponenda etiam intentu infidelem vel haereticum ad fidem catholicam attrahendi.

Mea methodus catechizandi armenos protestantes: Instructio catechetica puerorum vel adultorum rudium: Infantes et rudes id est gens operaria, non intelligunt terminos *traditio, fontes revelationis* et alia similia. Satis edocti manent circa hanc doctrinam quando scienter respondent sequentibus quaestionibus quae reperiuntur in prima vel secunda pagina a me publicata in pluribus editionibus cum essem in Gezira: Quis nos docet doctrinam Christi Domini? Respondet puer: Sancta Ecclesia. - Q. Quid intelligis dicendo « Sancta Ecclesia »? R. Parochus noster, episcopus noster, praesertim et super omnes Sanctus Papa noster Romae, qui est successor S. Petri et Vicarius Domini Nostri I. Ch. Rudes et infantes nunquam obiecerunt.

Methodus mea in instructione adultorum: In manualibus cursus medii veritas catholica exposita est methodo positiva ut supra dixi. Iuvenes autem protestantes armeni, semper instructi sunt in eorum erroribus et sincere obiiciones proponunt magistro generatim his verbis: « Catholici confitentur veritatem revelatam reperiri magis in Traditione quam in Sacra Biblia. Sed Traditio non potest esse fons revelationis, nam quomodo veritas aliqua tradita a Christo potest immutabiliter usque ad nos pervenire dum factum aliquod heri successum hodie mille modis exaggeratur etc. etc. deinde cum exemplis ridiculis in ludibrium vertere conantur veritatem catholicam. Quae omnia patienter auscultanda sunt sine interruptione. Quando autem exhausierint totum suum stomachum, tunc cum omni patienti caritate et dulcedine explicabam eis sensum verbi *traditio.* Haec explicatio non tam facilis est. Inde transimus ad principia: Deus est Christus. Cur descendit de caelo? - Fundavit Ecclesiam universalem pro omnibus populis et gentibus, Ecclesiam duraturam usque ad iudicium universale. Constituit sibi Vicarium Petrum... moriturum... successoribus... Promisit Petro infallibilitatem... Doctrina Traditionis basatur supra promissionem Christi infallibilitatis successoris Petri ».

Disputatio cum Pastore Protestante: Sola fons revelationis est Sacra Biblia, quia legendo S. Bibliam scio me audire verbum Dei. - R. Mahumetani hunc eundem sensum probant legendo Coranum. - Sed quis te certiorem facit quod sit verbum Dei?... Hic manet non potest respondere. Nos habemus Papam, cui in persona Petri Christus promisit infallibilitatem...

Nota: Semper amice me gessi cum pastoribus protestantibus et praelatis et sacerdotibus armeno-gregorianis. In Erzerùm filii, filiae et mulier pastoris protest. (Stepelton) assistebant meis lectionibus catecheticis dominicalibus. Ita amicaliter vixit mecum usque ad mortem. Adiuvit me pecunialiter in Trapezunta annis 1920-1923.

CONGREGATIO GENERALIS XXV

23 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXV

23 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis*:

Praesidet hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Antonius Caggiano, arch. Bonaërensis.

Communico Patribus Sacri Concilii, post constitutionem *de instrumentis communicationis socialis,* tractatum iri decretum *Ut omnes unum sint,* nempe de Ecclesiae unitate; deinde constitutionem dogmaticam *de Beata Maria Virgine, Matre Dei et Matre hominum,* quae est in libello, qui hodie distribuitur, in quo quidem est etiam constitutio dogmatica *de Ecclesia.*

Rogantur omnes, qui volunt loqui circa decretum *de unitate Ecclesiae* et constitutionem *de Beata Maria Virgine,* ut sua nomina dent quam citius.

Incipit igitur hodie relatio et disceptatio circa schema constitutionis *de instrumentis communicationis socialis.* Loquetur in primis em.mus ac rev.mus D. card. Cento, deinde relationem exponet exc.mus D. Stourm. Et loqui postulaverunt em.mi ac rev.mi DD. Franciscus card. Spellman, arch. Neo-Eboracensis; Ernestus card. Ruffini, arch. Panormitanus; exc.mi DD. Vincentius Tarancón, ep. Celsonensis in Hispania; Albertus Sanschagrin, ep. coad. Amosensis in Canada; Georgius Beck, ep. Salfordensis in Anglia; Emmanuel Llopis, ep. Cauriensis in Hispania; Herbertus Bednorz, coad. Katovicensis in Polonia; Franciscus Charrière, ep. Lausannensis in Helvetia; Emmanuel Fernández-Conde, ep. Cordubensis in Hispania; Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis in Italia; Eugenius D'Souza, arch. Nagpurensis in India; Petrus Cantero, ep. Huelvensis in Hispania; Antonius de Castro, ep. Camposinus in Brasilia; Ioseph Heuschen, aux. Leodiensis in Belgio; Vincentius Brizgys, coad. Kaunensis in Lithuania; Albertus Soegijapranata, arch. Semerangensis in Indonesia; Renatus Boudon, ep. Mimatensis in Gallia.

DISCEPTATIO

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS *

PROOEMIUM **

[205] 1. INTER MIRIFICA technicae artis inventa, quae hodiernis praesertim temporibus, Deo favente, humanum ingenium e rebus creatis deprompsit, ea peculiari sollicitudine Mater Ecclesia excipit ac prosequitur quae hominis animum potissimum respiciunt, quaeque novas aperuerunt vias cuiusvis generis nuntios, cogitata ac praecepta facillime *communicandi.* E quibus vero inventis ea eminent *instrumenta* quae non modo singulos homines, sed ipsas multitudines totamque humanam *societatem,* natura sua, attingere valent, sicuti folia prelo impressa, cinematographeum, radiophonia, televisio et alia huiusmodi, quae proinde iure meritoque *instrumenta communicationis socialis* vocari possunt.[1]

2. [*Quibus rationibus Ecclesiae intersint*]. Haec autem instrumenta humano generi valida praebent subsidia, cum multum conferant, si recte adhibeantur, ad excolendos singulos homines, atque ad humanam societatem mentis cultu animique virtute locupletandam, immo vero ad Dei regnum propagandum et firmandum. Sive enim evulgant nuntios, sive impertiunt praecepta, sive praebent spectacula, haec inventa ingenuarum artium decoras species, naturales necnon revelatas veritates ac exempla virtutum hominibus communicare valent, quibus ipsi ad superna promptius dirigi possint atque facilius noscant se omnes filios eiusdem Patris caelestis esse, uniusque humanae familiae fratres.[2]

3. Novit quidem Mater Ecclesia hominem, cuius in manibus haec instrumenta sunt posita, utpote libertate arbitrii praeditum necnon originali labe vulneratum, posse ea adhibere contra

---

* Cf. vol. I, pars I, p. 262 *nota.*

divini Conditoris consilium et in sui iacturam convertere; immo [205]
eius maternum sensum angunt damna quae ex eorum inordinato usu humanae consociationi saepius orta sunt.[3]

4. [*Qua ratione in Sancta Synodo Vaticana tractentur*]. Huius ergo Sanctae Synodi Patres, ad proposita sibi praestituta attendentes, quaestiones praecipuas, cum prelo, cinematographeo, radiophonia, televisione reliquisque communicationis socialis in-
strumentis connexas, expendendas esse censent, indeque doctri- [206]
nam tradere et generales normas statuere decernunt, quae spectent ad rectam christiani populi institutionem morumque renovationem, ad catholicae vitae incrementum, necnon ad ecclesiasticorum laicorumque apostolatus methodos ad nostrorum temporum necessitates rationesque aptius accommodandas.[4]

5. [*Hominibus bonae voluntatis invitatio*]. Confidit autem haec Sancta Synodus de hac re Ecclesiae doctrinae et disciplinae expositionem non solum saluti christifidelium profuturam, sed et omnibus bonae voluntatis hominibus [5] probatam fore; iis scilicet qui, naturae leges morales prosequi contendentes, student nova haec inventa in hominum utilitatem et in societatis bonum — cuius sors in dies magis a communicationis socialis instrumentorum recto usu pendet — unice flectere.

NOTAE

** DECLARATIO: Summus Pontifex in Litteris Apostolicis, quarum initium est: *Superno Dei nutu,* munus Secretariatui de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis concreditum, his verbis declaravit: « Secretariatus pariter instituitur quaestionibus omnibus expediendis, quae cum hodiernis vulgandarum sententiarum rationibus (ut sunt folia impressa, radiophonicae et televisificae transmissiones, cinematographica spectacula etc.) quoquo modo conectuntur ».

Penes linguas hodiernas variae reperiuntur voces ad hanc novam rerum provinciam appellandam; quarum aliae magis extollunt aptitudinem ad transmissionem sententiarum (« techniques de diffusion »), aliae efficaciam socialem (« mass media », « Publizistik »), aliae facilitatem in usu imaginum et vocum (« mezzi audiovisivi »).

Minus conveniens videtur, ad has res designandas, vocem « spectacula » usurpare, quia minime omnibus novis inventis tribui potest, sicut v. gr. radiophoniae, et quia ipsa vox multa complectitur quae ad sententias vulgandas non pertinent, sicut agones, ludos circenses et similia. Praeterea vox « spectacula » non satis enuntiat rationem, omnibus inventis de quibus hic

[206] agitur propriam, directe communicandi aliquod spirituale contentum et consequenter continuo atque efficaciter in animos agendi, etiamsi communicatio ipsa speciem oblectamenti prae se ferat.

Propterea necessarium visum est huius Secretariatus sodalibus peritorum in hac re virorum sententiae obsecundare atque ad designanda nova haec inventa nomen proponere: *instrumenta communicationis socialis,* in posterum etiam in iurisprudentia ecclesiastica et in pastoralibus documentis utendum.

Quod nomen in primis innuit horum inventorum originem, cum technicis artibus connexam; deinde actionem *instrumentalem,* qua contentum spi-
[207] rituale, ab auctore humano compositum, aliis *communicatur;* denique vim quam celeriter in totam *societatem* exercet.

[1] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Miranda prorsus,* 8 sept. 1957: AAS 49 (1957) pp. 765-766; Epistula ab Officio de publicis Ecclesiae negotiis ad Praesidem Hebdomadis Socialis Gallicae, *Les Semaines Sociales,* 14 iul. 1955: *L'Oss. Rom.,* 22 iul. 1955; PIUS XI, Litt. Encycl. *Vigilanti cura,* 29 iun. 1936: AAS 28 (1936) p. 256; PIUS XII, *Sermo ad moderatores ephemeridum Civitatum Foederatarum Americae Sept.,* 24 martii 1952: *Discorsi e Radiomessaggi,* XIV, p. 31.

[2] Cf. *Vigilanti cura,* l. c. p. 251; *Miranda prorsus,* l. c. pp. 769, 772, 777; PIUS XII, *Sermo ad viros actionis catholicae italicae,* 20 sept. 1942: *Discorsi e Radiomessaggi,* IV, pp. 214-215.

[3] Cf. PIUS XI, *Sermo ad Moderatores ephemeridum exterarum,* 9 aprilis 1934: *L'Oss. Rom.,* 11 aprilis 1934; Litt. Encycl. *Vigilanti cura,* l. c. p. 251; Litt. Encycl. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 769, 772; IOANNES XXIII, Motu Proprio *Boni Pastoris,* 22 febr. 1959: AAS 51 (1959) pp. 184-185.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram,* 29 iun. 1959: AAS 51 (1959) p. 511.

[5] « ... quoslibet catholicos etiam omnesque cordatos homines » *Vigilanti cura,* l. c. p. 258; « di quanti sono dotati di un sereno giudizio e di un senso di responsabilità », « l'unione concorde dei buoni contro il film corruttore » *Film ideale,* Sermo PII XII, 21 iun. 1955: AAS 47 (1955) pp. 505-506.

Pars I

DE ECCLESIAE DOCTRINA * [208]

6. [*Introductio*]. Sacrosancta Vaticana Synodus imprimis Ecclesiae doctrinam circa instrumenta communicationis socialis tradit hoc consilio ducta, ut omnes probe sciant: quae iura atque officia in hac parte ad Ecclesiam pertineant; quibus rationibus normisque bonus vel malus eorum moralis usus innitatur; denique, quibus teneantur officiis quoad rectum horum instrumentorum usum, omnes qui in hac provincia operam suam navant.

Caput I

DE IURE ET OFFICIO ECCLESIAE

7. [*Ecclesiae iurium atque officiorum fontes*]. Sanctae Ecclesiae iura atque officia, quae instrumenta communicationis socialis respiciunt, proficiscuntur ex munere eidem Ecclesiae a Christo Domino concredito docendi omnes homines, eosque ad pascua salutis secure ducendi,[1] tum revelatas veritates tradendo, tum iuris naturalis leges authentice interpretando.[2] Hac in suprema et universali magisterii auctoritate constituta,[3] atque evangelizandi necessitate compulsa, quam iam Apostolus gentium sibi incumbere profitebatur,[4] Ecclesia Catholica proprium munus circa hodierna communicationis socialis instrumenta vindicat: munus scilicet nuntium salutis, his instrumentis adhibitis, praedicandi, et homines de eorum recto usu docendi.

8. [*Ecclesiae agendi ratio*]. His officiis a Divino Redemptore sibi concreditis semper Ecclesia fideliter functa est, primum quidem instrumenta sui apostolatus seligendo atque aptando ad temporum necessitates et condiciones. Verbum enim salutis non tantum per sacrorum praeconum voces, sed etiam Apostolorum, Pontificum Doctorumque scriptis evulgare sategit; immo vero, praesertim ut rudiores per sensibilia ad superna raperentur, canticis, scaenicis spectaculis, omniumque ingenuarum artium innumeris mire elatis operibus usa est; praeterea, foliis librisque prelo editis, vixdum hoc inventum adhiberi coeptum est; novissime [209]
vero omnibus hodiernarum technicarum instrumentis.[5] Nec um-

[209] quam defuit Ecclesia in docendo, monendo atque statuendo, ne fideles, his omnibus utentes, detrimentum caperent.[6]

9. [*Ecclesiae iurium atque munerum natura et ambitus*]. Ecclesiae igitur praxi et ecclesiastici magisterii testimoniis innixa, haec Sacra Synodus profitetur et docet: ius munusque esse Ecclesiae inviolabile communicationis socialis cuiusvis generis instrumentis, quatenus ad christianam educationem ad omnemque suam de animarum salute operam sunt necessaria vel consentanea, libere uti, et homines docere ac moderari ut, suam totiusque humanae familiae salutem perfectionemque, horum instrumentorum auxilio, ad hanc vitam et aeternam quod attinet, assequantur.[7] Quare, si ipsorum instrumentorum possessio penes ipsam Ecclesiam non sit, nefas erit eorum usum a potestate civili vel a privatis ita disponi, ut Ecclesiae aditus non pateat.[8] Hoc vero Ecclesiae Catholicae ius cuiusvis generis instrumentis libere utendi, et Sedi Apostolicae et singularibus Ecclesiis competit.[9]

10. Ius autem Ecclesiae docendi et moderandi non solum respicit principia doctrinae sed etiam particulares determinationes circa horum instrumentorum usum.[10]

11. Monentur ergo omnes cordati homines, et praesertim Ecclesiae sinceri actuosique filii, ut istorum instrumentorum usum Ipsi faciliorem pro viribus reddant,[11] pro certo habentes iura atque munera in hac provincia ab Ecclesia exercenda, omni tempore de humano genere promerita,[12] nedum societatis civilis iura laedant, perinsignes utilitates humanae consociationi conferre, familiarem atque socialem vitam roborare, scientiam ditare, ingeniorum cultum animique humanitatem extollere, pacis studia inter nationes valide fovere atque tutari.[13]

NOTAE

* DECLARATIO: Agitur hic de doctrina iam saepius in Magisterii ecclesiastici documentis per partes exhibita, nunc autem in unum collecta, tribus praesertim argumentis in lucem positis:

— De iure Ecclesiae libere his instrumentis utendi (caput I); ius enim habendi catholicum prelum, catholicas radiophonicas televisificasque
[210] transmissiones et alia huiusmodi ad Ecclesiae operam necessaria, omnino pertinet ad religionis libertatem.

— De iudiciis practicis circa moralitatem earum rerum quae his in-

strumentis diffunduntur (caput II); requiritur enim, non solum ad populi christiani bonum, sed etiam ad Pastorum utilitatem, ut praecipuae quaestiones morales in hac materia a Concilio auctoritative solvantur ad rectum iudicium efformandum et ad unitatem actionis firmandam. [210]

— De officiis eorum in quorum manibus instrumenta communicationis sunt posita (caput III); magni enim momenti est christiana institutio coetuum artificum atque auctorum.

[1] « Quod in aure auditis, praedicate super tecta » Mt. X, 27: « ... euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » Mc. XVI, 15; « Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » Mt. XXVIII, 19-20.

[2] Cf. GREGORIUS IX, Epistula *Ab Aegyptiis* ad Theologos Parisienses, 7 iulii 1228: DENZ. 442-443; CONC. VAT., Sessio III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 4, *De impossibilitate oppositionis inter fidem et rationem*: DENZ. 1797; S. C. S. OFFICII, Decretum *Lamentabili,* 3 iunii 1907, n. 5: DENZ. 2005; PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: AAS 22 (1930) p. 64; PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* 15 maii 1931: AAS 23 (1931) p. 190.

[3] Cf. *Divini illius Magistri,* l. c. p. 49 et sqq.

[4] 1 Cor. IX, 16.

[5] *Miranda prorsus,* l. c. p. 768.

[6] Huc enim facit Pauli praedicatio, post quam Ephesii neophytae, *qui fuerant curiosa sectati, libros contulerunt et combusserunt* (Act. XIX, 19-20); huc faciunt acta Conciliorum, a Nicaeno (MANSI, *S. Conciliorum nova et amplissima collectio,* Ed. phototypica, Graciaci 1960, vol. II, pp. 637, 657 et praesertim p. 919) et a Constantinopolitano II (MANSI, l. c. vol. IX, pp. 179-202 et sqq.; pp. 252-254 et 298), in quibus de Arii *Thalia* et de *Tribus Capitulis* actum est, usque ad Lateranense V, quod praecepta de impressione et approbatione librorum statuit *ne id, quod divino favente numine, ad Dei gloriam et fidei augmentum ac bonarum artium salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac christifidelium saluti detrimentum pariat* (MANSI, l. c. vol. XXXII, pp. 912-913); denique usque ad Tridentinam Synodum, quae de libris edendis ac legendis tractandum mandavit (MANSI, l. c. vol. XXXIII, pp. 117-118).

Nec desunt innumeri Summorum Pontificum interventus: ab Anastasio, qui Origenis scripta respuit (PL, vol. XX, p. 73), et a Leone Magno, qui Manichaeorum ac Priscillianorum volumina interdixit (PL, vol. LIV, 694-695), usque ad Paulum IV, qui, primus, pro tota Ecclesia librorum prohibitorum *Indices* redegit (« Index auctorum et librorum, qui tamquam haeretici aut suspecti aut perniciosi ab Officio S. Romanae Inquisitionis reprobantur et in universa christiana Republica interdicuntur », Romae 1557; cf. F. A. ZACCARIA, *Storia polemica delle proibizioni de' libri,* Roma 1777, p. 145).

Recentiore vero tempore Summi Pontifices, qui de scriptis prelo excusis agere ac statuere numquam destiterunt (Litt. Encycl. *Quanta cura,* PII IX, 8 dec. 1864: ASS 3 [1867] p. 161; Epistula Encyclica ad Episcopos Lusitaniae, LEONIS XIII, *Pergrata Nobis,* 1886, Acta Leonis, VI, [211]
pp. 189-190; Litterae Encyclicae ad Episcopos Brasiliae, LEONIS XIII,

[211] *Paternae providaeque,* 1899, Acta Leonis, XIX, p. 195; Litterae Encyclicae ad Episcopos Italiae, S. Pii X, *Il fermo proposito,* 1905, ASS 37 p. 741 et sqq.; Pius XI, *Sermo* in Conventu augurali Expositionis catholicarum scriptionum ex universo orbe in Civitate Vaticana, 12 maii 1936: AAS 29 [1937] pp. 139-144), ut animarum saluti prospicerent, simul quaestiones etiam omnes perpenderunt quas novissima instrumenta communicationis socialis, saeculo vigesimo invecta, proponerent, ac necessarium iudicaverunt de eisdem quaestionibus in magisterii pontificii documentis late atque competenter tractari (*Vigilanti cura,* l. c.; Pius XII, *Sermo ad III Conventum internationalem de prelo catholico,* 18 febr. 1950: *Discorsi e Radiomessaggi* XI, pp. 365-372; *Miranda prorsus,* l. c.; Ioannes XXIII, *Sermo ad iurisperitos catholicos Italiae,* 8 dec. 1959: AAS 52 [1960] pp. 45-50; *Boni pastoris,* l. c., Epistula Apost. Ioannis XXIII *Nostra Patris,* 29 iun. 1961: AAS 53 [1961] pp. 492-494).

[7] « Ecclesia autem... inviolabili iure fruitur ea impertiendi, quae sibi ex divino mandato concredita sunt. Cui sacrosancto iuri officium eorum respondeat oportet, qui publicam rem moderantur; ita quidem, ut etiam ad has artes, quibus veritatem virtutemque propaget, ei aditus patere debeat »: *Miranda prorsus,* l. c. p. 773; cf. etiam *Divini illius Magistri,* l. c. p. 54; CIC can. 1322, § 2.

[8] Cf. *Miranda prorsus,* ut supra.

[9] Cf. CIC can. 1495.

[10] Cf. Pius XII, *Nuntius radiophonicus de conscientiae christianae institutione,* 23 martii 1952: *Discorsi e Radiomessaggi,* XIV, p. 22.

[11] « Qui vero Ecclesiae sinceri actuosique filii sunt... efficere pro viribus iubentur ut eadem technicis hisce inventis uti possit, quatenus ad animorum sanctitatem conferant » *Miranda prorsus,* l. c. p. 773.

[12] Cf. Conc. Vat., Sess. III, c. 4, *De fide et ratione*: Denz. 1799; Leo XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: Denz. 1878, 1879; « Est enim humanarum disciplinarum ingenuarumque artium patrona et altrix » *Miranda prorsus,* l. c. p. 774.

[13] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. p. 776 et sqq.

[212]

Caput II

DE ORDINE MORALI OBIECTIVO SERVANDO

12. [*De ordinis moralis primatu*]. Cum sibi proponant declarare rationes quibus bonus vel malus instrumentorum communicationis socialis usus diiudicetur, Patres Concilii praeprimis obiectivi ordinis moralis primatum omnibus tenendum edicunt.[1] Hic enim ordo ceteros ordines cum iisdem instrumentis connexos — sicuti oeconomicum, politicum, ad artem pertinentem — licet praestantes, unus excedit. Solus enim moralis ordo hominem, Dei rationalem creaturam, et ad superna vocatum, in tota

ipsius natura complectitur, atque, si integre fideliterque servetur, [212] eum ad perfectionem et beatitudinem plene assequendas adducit, itemque principia, divinis praeceptis confirmata, ei suppeditat, ad horum etiam instrumentorum usum quod attinet, semper et ubique valitura.[2]

13. [*Quae ad recta iudicia moralia requirantur*]. Ad rectum ergo iudicium morale ferendum in implicatis quaestionibus moralibus ex usu instrumentorum communicationis socialis ortis vel orituris, tria sunt coniunctim consideranda: *ratio* scilicet *agendi* ipsorum instrumentorum propria; *contentum,* quod horum instrumentorum ope communicatur, et *adiuncta,* seu circumstantiae omnes, in quibus ipsa communicatio perficitur.[3]

14. [*Ratio agendi*]. Attendatur ergo oportet imprimis ad rationem agendi horum instrumentorum, quorum vis fascinatoria tanta esse potest, ut homines, praesertim si imparati sint, eamdem animadvertere, dominari ac, si res ferat, reicere, saepenumero non valeant; accedit quod id genus instrumenta potius aptantur ad homines in numerum coacervatim cogendos quam ad singulas personas, suae libertatis conscias, afficiendas.[4]

15. Accedit etiam quod ob sensuum oblectationem et semper nova sciendi cupidinem, quas ipsa in utentibus gignunt, eadem nimiam animorum attentionem ac temporis non modicam partem sibi facile arrogant. Nemo igitur est qui non videat pericula libertati, cultui navitatique, tum singulorum hominum tum [213] societatis, ab immoderato usu istorum instrumentorum timenda, quibus obviam eatur necesse est idoneis auxiliis, quae christianae virtutes, praesertim caritas, prudentia et temperantia suadeant.[5]

16. [*Contentum*]. Deinde attendatur oportet ad *contentum* quod, ope istorum instrumentorum, propria sua forma, communicatur, et ex quo potior et prima honestas seu moralitas communicationis pendet.[6] Dum igitur laude digna sunt ea quae istorum instrumentorum ope, honorem Deo debitum, supernaturales religionis divitias, animi ornatum, scientiarum atque ingenuarum artium merita extollant atque promoveant; amorem Dei et proximi inter homines ac nationes, iustitiam et pacem genuini nominis, castum connubium familiaeque sanctitatem, necnon digna hominibus oblectamenta omniaque veri nominis bona procurent; e contrario semper reprobanda erunt quae istorum instrumento-

[213] rum ope Deum religionemque impetere, veritatem mutilare vel deformare, moralem sensum debilitare, legitimae auctoritati insultare, malam auri potestatem extollere, genus luxuriosum vitae dilaudare, facinora, rapinas, odia inter sociales classes et inter varias stirpes cohonestare audeant.[7]

17. [*Adiuncta*]. Denique attendendum est ad adiuncta, in quibus reapse unaquaeque communicatio socialis perficitur circumstantiae scilicet omnes personarum, locorum, temporum et ceterorum id genus, quae eius honestatem valeant mutare, vel prorsus novare. Maiora enim officia moralia effectoribus incumbunt, si effectio vel divulgatio communicationis sub auctoritate civili perficiatur,[8] vel si aere publico sustentetur; maxime autem si res efficiantur vel vulgentur a catholico instituto seu a persona religiosa.[9]

18. Diversum praeterea erit iudicium morale ferendum de communicatione iuxta gradum praeparationis spiritualis, iuxta culturae evolutionem ac multitudinis sensum, ac praesertim iuxta aetatem lectorum, auditorum et spectatorum;[10] diversum etiam si haec instrumenta intra ipsos domesticos parietes nuntia spectaculaque introducant.[11]

19. [*De nonnullis quaestionibus moralibus hodie agitatis*]. Ceterum minime latet Patres Concilii usum horum instrumento-
[214] rum tum quaestiones psychologicas et sociologicas, tum, et quidem imprimis, morales excitasse novas atque implexas, quae, ut solvantur, in dies acriora studia requirunt. Quare ipsi Patres viros scientiis psychologicis et moralibus vacantes adhortantur ut investigationes in hac materia recte prosequi contendant.

20. Attamen ut fideles, necnon universi cordati homines, rectam sibi conscientiam efformare possint, Patribus placuit tres quaestiones, nostra aetate maxime agitatas, tangere, scilicet: de libertate informationis, de libertate artis, atque de mali moralis tractatione.

21. [*De iure ad informationem*]. Omnes sane norunt hodiernae societatis progressiones et arctiora vincula inter humanae societatis membra, perutilem, atque plerumque necessariam, informationem reddidisse. Publica enim et tempestiva eventuum rerumque communicatione plenior et continua instructio prae-

betur singulis hominibus, ita ut ad bonum commune efficaciter [214] omnes conferre possint, sicque auctiorem totius civilis societatis profectum tueantur.[12] Inest ergo in societate humana ius ad informationem de omnibus quae singulis, vel coetibus, secundum uniuscuiusque condiciones, conveniant; huius tamen rectum iuris exercitium expostulat ut, veritate, iustitia et caritate semper servatis, in suo obiecto communicatio sit integra, scilicet ne substantia rei nuntiatae, in nuntiis seligendis vel supprimendis, iniuste mutiletur vel mutetur; sit etiam, in modo, honesta et conveniens, scilicet sancte leges morales hominisque dignitatem servet, cum in nuntiis promendis tum in quaeritandis. Non omnis enim scientia prodest, caritas autem semper aedificat.[13]

22. [*De libertate artis*]. Continua artium technicarum progressio ac perfectio valde contulerunt sive ad veterum artificum opera aptanda et alte divulganda, sive ad nova, novis adhibitis significandi rationibus, artificia exprimenda. Hinc autem factum est ut arduae controversiae in praesentiarum increbrescerent de rationibus quae intercedunt inter artis iura, ut aiunt, et legis moralis normas, de quibus alii aliter sentiunt, secundum scilicet, tum de ethica tum de aesthetica opiniones, saepe aberrantes, singulorum proprias.

23. Primatu ordinis moralis declarato, Patres Concilii, ad iura Dei animarumque tuenda, haec recolunt: tum artifices in [215] miris operibus effingendis et divulgandis, tum receptores, qui ea sibi comparant iisque fruuntur, homines cum sint, semper legis moralis imperio obstringi. Ea ergo libertate legitime utantur oportet quae est vera hominum libertas, quae scilicet postulat ut *omnes adhibeantur opes et cum ceteris communicentur quae ad virtutem humanaeque naturae perfectionem conferre possint.*[14] Haec autem eo magis valent quo frequentiores imparatioresque erunt receptores quibus artis opera destinentur, insuper quo vehementior erit vis fascinatoria ipsius communicationis, denique quo minus materia communicata splendore verae artis refulgebit.

24. [*De tractatione mali moralis*]. Ad malum morale in argumentis ope instrumentorum communicationis socialis tractandis, narratio delictorum vel errorum hominum potest sane inservire ad hominem penitius cognoscendum explorandumque, ad veri bonique magnificentiam manifestandam atque extollendam,

[215] opportunioribus ceterum effectibus dramaticis obtentis. [15] Mali tamen narratio, descriptio vel repraesentatio, ne damnum potius quam utilitatem animis afferant, legibus moralibus subiaceant omnino oportet, eo vel magis si agatur de rebus quae sibi debitam reverentiam exigant, vel quae hominem, originali labe vulneratum, facilius ad inordinatam libidinem incitent. Ne, ergo, ludicre, aut plus aequo in malo auctor immoretur, neve hoc inhoneste tractet, sive flagitiosas res probando immo celebrando, sive eas dolosis ac depravantibus ornatibus instruendo, sive eas illis praebendo quibus modica vel nulla sit facultas easdem recte intelligendi iisque obsistendi. Huc enim facit Domini monitum: *Vae mundo a scandalis... Vae homini illi per quem scandalum venit.*[16]

NOTAE

[1] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* I-II, q. XXII, a. 1-5.

[2] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: AAS 31 (1939) p. 423; *Nuntius Radiophonicus de conscientia christiana in iuvenibus recte efformanda*: AAS 44 (1952) p. 272; Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2306.

[3] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* I-II, q. XVIII, a. 2, 3 et 10.

[4] Cf. *Vigilanti cura,* l. c. pp. 255-256.

[5] *Film ideale,* l. c. pp. 504-505; *Miranda prorsus,* l. c. pp. 777-780, 782, 804; *Boni Pastoris,* l. c. pp. 184 et 185.

[6] Cf. Mt. XII, 35; XV, 18.

[216] [7] Cf. *Vigilanti cura,* l. c. pp. 255-256; PIUS XII, *Sermo ad Moderatores Societatis Radiophonicae Italiae,* 3 dec. 1944: *Discorsi e Radiomessaggi,* VI, pp. 211-213; *I rapidi progressi,* Adhortatio PII XII ad Episcopos Italiae de televisione, 1 ian. 1954, AAS 46 (1954) pp. 19-20; *Nostra Patris,* l. c. pp. 492-493.

[8] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. p. 773.

[9] Cf. Instructio Pontificii Consilii rem cinemotagraphicam moderantis ad Episcopos Italiae, 1 iunii 1953.

[10] Cf. *Film ideale,* l. c. p. 507 et sqq.

[11] Cf. *I rapidi progressi,* l. c. pag. 20; *Miranda prorsus,* l. c. pp. 794, 801.

[12] Cf. PIUS XII, *Sermo ad Conventum intern. scriptorum ephemeridum cathol.,* 15 febr. 1950: AAS 42 (1950) p. 256.

[13] Cf. 1 Cor. VIII, 1.

[14] *Miranda prorsus,* l. c. p. 773; cf. PIUS XII, *Sermo de Ioanne a Faesulis* qui « Angelicus » appellatur, 20 apr. 1955: AAS 47 (1955) pp. 291-292; PIUS XII, *Sermo ad censores ecclesiasticos librorum,* 13 febr. 1956: AAS 48 (1956) pp. 133-134.

[15] Cf. *Film ideale,* l. c. pp. 822-829.

[16] Mt. XVIII, 7.

Caput III

DE SINGULORUM CIVIUM ATQUE SAECULARIS POTESTATIS OFFICIIS [217]

25. [*Partitio*]. Magni ponderis sunt officia eorum quibus facultas est in rectum usum ipsa instrumenta convertere. Quorum in numero imprimis recensentur omnes qui, in hac rerum parte, in publicas opiniones influere possunt; deinde receptores, parentes, praeceptores, iique omnes qui circa ipsa instrumenta, ex suscepto munere, operam praestant; denique auctoritas civilis: a quibus omnibus ordinis moralis in hac re instauratio navitatem postulat magnanimam atque consociatam.[1]

26. [*De publicis opinionibus recte efformandis*]. Cum opiniones publicae — quae vim et efficaciam hodie exercent maximam in omnium ordinum cives et in vitam sive privatam sive socialem — potissimum efformentur atque magis magisque increbrescant ex istorum instrumentorum suasionibus, omnia societatis membra suis iustitiae et caritatis officiis satisfaciant necesse est, operam navando ad ipsas opiniones, etiam ope istorum instrumentorum, recte efformandas atque pandendas.[2] Ideoque, et in hac parte sibi claras certasque rerum notitias comparent, sese ad rectum iudicium morale exerceant, idemque opportune et fortiter manifestent, omnibus adhibitis auxiliis quae iustae leges praebeant. Nec se a culpa vacuos existimare audeant si, ob sui absentiam, mala in publicas opiniones saepenumero invalescant.

27. [*De receptoribus*]. Procul dubio peculiaria officia obeunda sunt a receptoribus: a lectoribus scilicet, a spectatoribus et ab auditoribus, qui informationes et spectacula his instrumentis diffusa, personali ac libera electione, recipiunt. Recta autem electio expostulat ut ea omnia vitentur quae spiritalis detrimenti causa vel occasio fiant, ne alii per pravum exemplum in periculum inducantur, neve bonis communicationibus obstetur, malis vero faveatur, quod quidem fit pretium exhibitoribus solvendo, qui ob oeconomicas dumtaxat rationes haec instrumenta adhibeant.[3]

Inest ergo receptoribus grave officium sese tempestive certiores faciendi de sententiis quae his in rebus a competenti aucto-

[218] ritate ferantur, atque eisdem, secundum rectae conscientiae normas, fideliter obsequendi.[4] *Vir enim prudens dirigit gressus suos,*[5] *... et qui amat periculum, in illo peribit.*[6] Curent vero receptores ut suam conscientiam excitent atque instituant, ita ut inordinatis suasionibus facilius obsistant, bonis autem, quae virtute, scientia et arte praestant, plene faveant.[7]

28. [*De iunioribus ac de iis quibus eorum cura committitur*]. Iuniores praesertim cohortandi sunt ad disciplinam et moderationem in usu horum instrumentorum, atque ad ea deligenda quae ipsorum mentis maturitati conveniant; deinde studiose ducendi, si opus fuerit, ut res visas, auditas, lectas, penitius intellegant, de iis simul cum educatoribus disserant, ac rectum iudicium proferre ediscant.[8] Huiusmodi autem perutile opus, ad rectam paedagogiam spectans, inter officia recensendum est parentum, magistrorum insuper, institutorum, sacerdotum, quibus iuniorum cura committitur; qui omnes sollicitudinis suae uberem fructum consequentur si, quae alios tenentur docere, ipsi egregie calleant, et si in istorum instrumentorum usu, virtutis exemplo sua praecepta firment.[9]

29. [*De iis qui, ex suscepto munere, circa haec instrumenta operam praestant*]. Attamen praecipuum morale officium in recto instrumentorum usu communicationis socialis respicit diurnarios, scriptores, scaenicorumque apparatuum artifices, actores, praebitores, diribitores, gestores et venditores, criticos ceterosque qui harum communicationum auctores fiunt. Omnino enim patet quales quantasque partes ii omnes sortiti sint in hodiernis hominum consortionibus, scilicet informando, incitando, humanum genus recte vel pessum ducendo.[10]

30. Eorum itaque erit, oeconomicas, vel politicas, vel artis rationes ita moderari ut, Dei Regnum primum quaerentes,[11] bono communi tum religionis tum humanae culturae prospiciant.[12] Quibus arduis sane tamque sacris officiis harum artium viri periti satisfacere nequibunt, nisi iidem prius rectam vitae humanae opinionem sibi efforment ac teneant, quae istis muneribus rite implendis eos ex intimo disponat.[13] Quam ad rem, iidem consociationes ad suam professionem spectantes sibi seligant quae legum moralium reverentiam in suae artis exercitio sibi imponant quaeque omnia incepta et pacta reiciant rectae conscientiae adver-

santia atque civilis auctoritatis debitam vigilantiam salubriter [219] praecurrant.[14]

31. [*De auctoritate civili*]. Doctrina christiana de origine et natura auctoritatis civilis postulat ut eadem auctoritas hac etiam in re peculiaribus officiis obstringatur, ratione boni communis, cui haec instrumenta ordinantur.[15] Eius enim, pro suo munere, est informationis veram iustamque libertatem, qua hodierna societas ad sui profectum omnino eget, defendere atque tutari; religionem, culturam, artes fovere, ut perficiantur et promoveantur; receptoribus, ut suis legitimis iuribus libere frui possint, patrocinari.

32. Praeterea civilis potestas definitum atque in dies amplius obtinet officium optima quaeque communicationis socialis incepta adiuvandi,[16] praesertim vero ea quae, licet necessaria vel maxime utilia — uti sunt quae iuventae conveniant — a mercenariis quidem negleguntur, dum ab aliis, qui boni, veri pulchrique incrementum sibi proponunt, suscipi nequeunt, si congruis careant auxiliis.

33. Denique eadem publica potestas gravissimo tenetur officio per iustas leges vigilanter consulendi, ne ex horum instrumentorum pravo usu gravia discrimina publicis moribus et societatis progressui obveniant;[17] nec licet asserere per hanc vigilem curam iniuste singulorum comprimi libertatem,[18] si saecularis potestas compescat negotia ad morum integritatem evertendam, praesertim si ad iuniorum aut incultorum hominum morale praesidium eius vigilantia exerceatur, et si validae deficiant cautiones ex parte eorum qui, ex suscepto munere, haec instrumenta adhibent. Caveatur tamen ne cives, iniusto vel immoderato civilis auctoritatis interventu, suis iuribus priventur.

NOTAE

[1] Cf. PIUS XII, *Sermo ad Urbis puellas,* 12 maii 1946: *Discorsi e Radiomessaggi,* VIII, p. 77 et sqq.; *Miranda prorsus,* l. c. pp. 775-776.

[2] Cf. PIUS XII, *Sermo ad III Conventum internationalem de prelo catholico,* 18 febr. 1950: *Discorsi e Radiomessaggi,* XI, pp. 365-372.

[3] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 787-788; Nuntius Officii de Ecclesiae publicis negotiis ad Officium Catholicum Internationale de re cinematographica, 6 iun. 1958: *L'Oss. Rom.,* 18 iun. 1958.

[220] [4] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 787, 795-796, 803; Nuntius Officii de Ecclesiae publicis negotiis ad Officium Catholicum Internationale de re cinematographica, 10 iun. 1954: *L'Oss. Rom.,* 21-22 iun. 1954.

[5] Prov. XV, 21.

[6] Eccli. III, 27.

[7] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 780-781, 786.

[8] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 780-782, 791, 802-803; PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: AAS 22 (1930) p. 556.

[9] Cf. *Divini illius Magistri,* l. c. pp. 81-82; *Miranda prorsus,* l. c. pp. 803-804.

[10] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 787-791; PIUS XII, *Sermo ad editores catholicos,* 10 dec. 1950: *Discorsi e Radiomessaggi,* XII, p. 357.

[11] Cf. Lc. XII, 31.

[12] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 779, 789-790.

[13] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 791-792.

[14] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. p. 775.

[15] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 775-776, 792, 798-799.

[16] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 773-774; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: AAS 53 (1961) pp. 415-419.

[17] Cf. *Mater et Magistra,* l. c. pp. 429-430; *Miranda prorsus,* l. c. p. 775.

[18] *Miranda prorsus,* l. c. p. 775.

PARS II [221]

DE ECCLESIAE ACTIONE SEU APOSTOLATU *

34. [*Introductio*]. Huius Sanctae Synodi Patres, ad ea venientes quae propriam Ecclesiae actionem hac in parte respiciunt, decernunt normas proferre de recto istorum instrumentorum usu ad veritatem institutionemque christianam quod attinet, atque de subsidiis quae ad hanc apostolicam navitatem fructuosiorem reddendam conferre possunt.

CAPUT I

DE VERITATE INSTITUTIONEQUE CHRISTIANA PROPAGANDA

35. [*Generalis adhortatio*]. Pastores ac fideles conentur oportet ut instrumenta communicationis socialis diligenter adhibeantur, prout rerum temporumque adiuncta exposcent, in multiplicibus apostolatus operibus, ut eorum quoque ope, in toto terrarum Orbe hominum naturali perfectioni consulatur atque per Ecclesiae vocem, verbum Christi nuntietur. Haec enim instrumenta nostris temporibus a Divina Providentia praebita sunt ut humana familia quae in dies, demographico incremento, multiplicatur, quam latissime spiritualibus bonis ditetur.[1]

36. Est itaque cur Concilium sollicitudinem suam convertat ad singula inceptorum genera quae tam necessarium istorum instrumentorum usum respiciant; scilicet ad ea incepta quae receptores omnes — seu lectores, spectatores, auditores — ad rectum usum erudiant atque instimulent; ad ea praeterea in quibus ipsa instrumenta ad apostolatum exercendum usurpentur; ad ea denique quae sacerdotes et laicos praeparent ad apostolatum, his adhibitis instrumentis, perficiendum.

37. [*De inceptis quae receptorum praeparationem respiciunt*]. Cum rectus instrumentorum usus communicationis so-

[222] cialis, quae receptoribus praesto sunt, aetate cultuque diversis, ut iam dictum est in Parte I, Cap. III, n. 28, accommodatas et proprias requirat istorum receptorum instructionem atque educationem,[2] oportet ut incepta omnia, quae huic fini consequendo sint apta — praesertim si iunioribus destinentur, in familiis, in scholis ceterisque iuventae operis — foveantur, multiplicentur atque iuxta morum christianorum principia dirigantur.[3] Quod ut efficiatur, doctrinae catholicae de hac re propositio ac explicatio in catechismi libris inseratur.

38. Omnino igitur laudanda sunt: consociationes ad honesta scripta evulganda atque ad bona spectacula promovenda; coetus, libri et commentaria ad studium, ad lectionem et ad culturam cinematographicam, radiophonicam, televisificam provehendam, dummodo haec incepta debita prudentia absolvantur nec in damnum vertantur animarum; lectiones in cuiusvis gradus scholis, curricula studiorum ad mentes nostrae aetati in praefatis disciplinis aptandas, ratione eorum praesertim habita qui, ex clero, ex religiosis familiis [4] atque e laicorum coetibus, ad alios educandos deligantur, qui prorsus necessariam cognitionem consequi debent quaestionum omnium, ex usu istorum instrumentorum orientium, quae ad vitam religiosam hominis ac mores attineant.[5]

39. [*De inceptis in quibus ipsa instrumenta ad apostolatum exercendum usurpantur*]. Hortatur praeterea haec Sancta Synodus ut, nulla interposita mora atque maxima adhibita industria, id genus instrumenta ad finem apostolatus convertantur, incepta noxia praeveniendo, illis praesertim in regionibus quarum moralis et religiosus progressus urgentiorem diligentioremque navitatem exposcunt.[6]

40. Sacrorum vero Pastorum erit iudicare, pro locorum ac temporum adiunctis, utrum Ecclesiae bono conveniat suo iure uti propria instrumenta communicationis socialis libere condendi et administrandi, an potius iis instrumentis uti quae ipsi Ecclesiae societas civilis vel privati homines laudabiliter praebent. Omnino autem curandum est ut Ecclesiae facultas fiat voces imaginesque efficaciter promendi, ad doctrinam, ad educationem, ad culturam christianam vulgandam, vitamque religiosam nutriendam.[7]

41. [*De inceptis quae sacerdotes et laicos praeparent ad apostolatum his instrumentis perficiendum*]. Ut praeceptis nuper propositis satis fiat, oportet sacerdotes, religiosos necnon laicos homines tempestive parare, qui congrua polleant technicae artis peritia in his instrumentis ad fines apostolatus moderandis. [223]

Quod ut assequantur, Episcopi et Superiores familiarum religiosarum et saecularium institutorum congruum subditorum numerum eligant, qui peculiariter apti huic apostolatus generi sint, ac studeant, nulli incommodo parcendo, ut opportunis in sedibus rite institui valeant ad munia ecclesiastica in hac rerum parte efficaciter absolvenda.[8]

42. Imprimis autem laici debent arte, doctrina et moribus instrui, multiplicato scholarum, facultatum et institutorum numero, ubi diurnarii, auctores cinematographei et radiophonicarum televisificarumque transmissionum, ceterique quorum interest, integram formationem, spiritu christiano imbutam, praesertim quoad doctrinam socialem Ecclesiae, nancisci possint. Scaenici quoque actores instituendi ac iuvandi sunt ut sua arte humanae societati convenienter deserviant. Maxima vero cura parandi sunt etiam critici litterarii, cinematographici, radiophonici, televisifici ceterique, qui suam quisque scientiam optime calleant, atque talia iudicia ferre edoceantur et incitentur in quibus semper ratio moralis in sua luce collocetur.[9]

43. Ceterum meminerint animarum Pastores eo tutiorem et efficaciorem apostolatum Ecclesiae per id genus instrumentorum fore, quo maior erit copia catholicorum artificum ac peritorum, exquisita diligentia et habilitate praestantium.

NOTAE

* Declaratio: Ad usum preli, televisionis, radiophoniae ceterorumque huiusmodi instrumentorum iuxta christianae doctrinae praecepta instaurandum, festinanter operari expedit. Non agitur enim amplius de quadam minoris momenti causa, sicut ex. gr. erant spectacula praeteriti temporis, sed de rebus quae quotidie ingentem et quam maxime efficacem vim exercent in spiritualem omnium hominum profectum iam a teneris annis.

Tantae causae instructio, ut ad rem deducatur, totius Ecclesiae studium ac consociatam operam postulat.

Saeculo elapso gravissima orta est (atque adhuc perseverat) quaestio cum scholae « sine Deo » multis in nationibus institutae sunt; nostra hac

[224] aetate non minoris momenti ac amplitudinis periculum exoritur ex litterarum, imaginum, vocumque communicatione sociali quae Deum ignorat ac eius legem persaepe conculcat. Quod periculum, nisi, Deo opitulante, aptis mediis avertatur, christianam institutionem subvertet.

[1] « Putamus hac super re necessarium non esse Nos multum immorari; patet enim omnibus quantum diaria, ephemerides ac commentarii valeant sive ad veritatem virtutemque in sua luce ponendas... sive ad fallacias, fucatas veri specie, detegendas... Valde igitur dilaudamus Pastores quibus cordi est eiusmodi scripta... quam latissime pervulgare. Quodsi iam haud parum de causa factum est, multum adhuc superest faciendum » Litt. Encycl. Pii XII *Evangelii praecones*: *Discorsi e Radiomessaggi,* XIII, p. 504; cf. etiam: *Vigilanti cura,* l. c. p. 255; *Miranda prorsus,* l. c. pp. 779-780; Ioannes XXIII, *Sermo de radiophonia ac televisione scholis iuvandis,* 7 dec. 1961: AAS 53 (1961) pp. 815-817.

[2] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 780-782.

[3] Pius XII, *Nuntius radiophonicus ad Moderatores societatis radiophonicae Helvetiorum,* 22 apr. 1949: *Discorsi e Radiomessaggi,* X, pp. 67-68; Nuntius Officii de publicis Ecclesiae negotiis ad Conventum internationalem de re cinematographica S. Christophori Habanensis, 13 dec. 1956: *L'Oss. Rom.,* 5 ian. 1957; *Miranda prorsus,* ut supra nota 2.

[4] Instructio S. C. Religiosorum de apostolatu in re cinematographica, die 11 maii 1953, N. 01666/53; Epistula S. C. Religiosorum ad Pontificium Consilium de re cinematographica, radiophonica et televisifica, die 27 iunii 1957; Instructio S. C. Religiosorum de usu radiophoniae et televisionis in Congregationibus Religiosorum et Religiosarum, die 15 aug. 1957, N. 01762/53; « ... quanti momenti sint partes sacerdoti concreditae, ut in ceteris apostolatus campis, etiam in hoc Ecclesiae necessario opere... sacerdos cui animarum cura demandata est... scire potest ac debet quidquid nostrae aetatis studiis, liberalibus artibus atque technicae progressibus profertur... » *Miranda prorsus,* l. c. pp. 803-804.

[5] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. p. 804.

[6] « Peculiari autem modo exoptamus eos divini verbi praecones hac etiam de causa dilaudare qui... quos suis laboribus excolunt... ad viam veritatis traducunt, cinematographicis etiam, radiophonicis et televisificis artibus recto modo in hanc causam utuntur... » *Miranda prorsus,* l. c. p. 791; cf. etiam: Litterae Encyclicae Pii XII *Fidei donum* de catholicarum missionum condicionibus praesertim in Africa, 18 maii 1957: AAS 49 (1957) pp. 233-234; Pius XII, *Sermo ad II Conventum internationalem de apostolatu laicorum,* 5 oct. 1957: *Discorsi e Radiomessaggi,* XIX, pp. 466-467.

[7] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 798-799.

[8] « Necessarium omnino est ut, sive sacerdotes, sive laici, qui ad hanc tanti momenti navitatem destinentur, recta consentaneaque ratione instituantur » *Miranda prorsus,* l. c. p. 797.

[9] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. p. 787.

CAPUT II [225]

DE SUBSIDIIS AD VERITATEM PROPAGANDAM

44. [*Rei momentum et necessitas*]. Omnibus compertum est quot quantaeque occurrant difficultates superandae ut instrumentorum communicationis socialis usus, qui in dies magis augetur, ad fines apostolatus atque ad populi educationem flectatur, et ut opera inceptaque huius apostolatus propria increbrescant. Patet tamen tantum esse rei momentum, quod quidem maius etiam in posterum praevidetur, ut idonea subsidia ad eorum incrementum invenire omnino necessarium sit.[1] Prorsus enim dedecet Ecclesiae filios desides pati verbum salutis alligari [2] ac praepediri technicis moris vel expensis, ingentissimis sane, quae istorum instrumentorum propria sunt.

45. Propterea Ecclesia, quae inde ab antiquis temporibus, fidelium stipibus collatis, incepta apostolatus eorumque subsidia semper sustinuit, quaeque etiam suis Evangelii praeconibus, ubi novae christianae communitates oriuntur, totius orbis catholici concursu, congrua providere conatur, suos filios hortatur ut, collatis viribus, omnes adlaborent ad opes reperiendas, quibus receptae sui pastoralis ministerii apparationes ope hodiernorum instrumentorum compleri, communicari, substitui possint.

46. [*Adiumenta idonea*]. Fidelium proinde erit in primis Deum, divitem in omnes qui invocant Illum,[3] enixe adprecari, ut his urgentibus necessitatibus subvenire dignetur; postea, pro virili parte, suis facultatibus ad hunc apostolatus finem auxilium ferre. Monet, igitur, haec Sancta Synodus, christifideles officio obstringi sustinendi et auxiliandi catholicas ephemerides, folia periodica, taeniolas atque auditoria cinematographica, stationes transmissionesque radiophonicas et televisificas, quorum finis praecipuus sit veritatem evulgare et defendere, atque societatis institutioni christianae providere.[4]

47. Insimul vero consociationes et singuli viri, qui in rebus oeconomicis maxima pollent auctoritate, magnopere invitantur

[226] ut suis opibus libenter haec instrumenta, quatenus veri nominis culturae et apostolatui inserviant, largiter sustentent.[5]

48. [*Dies quotannis in toto orbe celebranda*]. Ut autem multiformis apostolatus in provincia instrumentorum communicationis socialis efficacius roboretur, suadent Concilii Patres ut in omnibus orbis regionibus dies congruenter statuatur [6] in qua fideles sedulo edoceantur de suis in hac rerum parte officiis, invitentur ad preces pro hac causa fundendas, et ad stipem ad eundem finem conferendam, quae scilicet in instituta et incepta, ab Ecclesia in hac re promota, sustentanda, adstruenda ac ministranda, in quavis orbis parte, sancte impendatur.

NOTAE

[1] « Haud ignoramus equidem officii huius constitutionem non mediocres a christifidelibus postulare labores, postulare sumptus. Nihilo secius magnum huius causae momentum, itemque necessitas... christianae plebis integritatem... tutandi, id impensae atque operae satis superque requirunt » *Vigilanti cura,* l. c. p. 262; cf. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 783-784.

[2] Cf. 2 Tim. 2, 9.

[3] Cf. Rom. 10, 12.

[4] Cf. PIUS XII, *Sermo ad parochos Urbis,* 23 martii 1949: *Discorsi e Radiomessaggi,* XI, p. 15; *Miranda prorsus,* l. c. p. 796.

[5] « Tanti oneris conscientia egregiis eorum inceptis non obest sed potius animos debet confirmare eorum, qui, bona praediti voluntate, pecuniis pollent aut ingenii dotibus ad huiusmodi res efficiendas aptis » *Miranda prorsus,* l. c .p. 790.

[6] « In hanc rem Episcopi... peculiarem per annum diem festum praestituere poterunt, quo christifideles de peculiaribus ipsorum officiis, ad spectacula... quod attinet, sedulo edoceantur, et ad adhibendas Deo supplices preces hac de causa moneantur » *Miranda prorsus,* l. c. p. 787.

PARS III [227]

DE DISCIPLINA ET ORDINATIONE ECCLESIASTICA *

49. [*Introductio*]. Ut Ecclesiae salutiferum opus etiam in hac rerum parte recte alacriterque procedat, normae a Sancta Synodo traduntur quae ecclesiasticam disciplinam circa communicationis socialis instrumenta respiciunt. Usus enim horum instrumentorum, vigilantem, recte dispositam ac constantem navitatem exposcit, ne dispersione profundantur vires quas eorundem instrumentorum proficuus usus instanter postulat.

CAPUT I

DE ECCLESIASTICA DISCIPLINA

50. [*Partitio*]. Optatus in usu istorum instrumentorum progressus prorsus requirit ut aptis normis haec ordinentur: primum incepta a catholicis promota, deinde navitas cleri et religiosorum, denique sedulitas totius populi christiani.

51. [*De disciplina in inceptis a catholicis promotis*]. Pro inceptis in materia instrumentorum communicationis socialis, quae quoquo modo auctoritati ecclesiasticae subiiciuntur, sequentes statuuntur normae:

a) Opera et incepta a personis moralibus iuris ecclesiastici promota, vel quoquo modo ad Ecclesiam pertinentia, sancte servabunt mandata Auctoritatis ecclesiasticae necnon particularia praescripta a competentibus Officiis ecclesiasticis ad rem lata.[1]

b) Operae vero et incepta quae, vel ex nomine quod usurpant vel ex adiunctis, passim catholica existimentur, ut sua appellatione frui possint vel suam operositatem capessant, a competenti auctoritate ecclesiastica peculiari approbatione egent; quae autem approbatio ad tempus et certis condicionibus concedi poterit, vel etiam iusta de causa, ipsius auctoritatis iudicio, revocari.[2]

[228] 52. [*De Cleri et Religiosorum disciplina*]. Ad status ecclesiastici et religiosi decus sanctitatemque tuenda, et ad ordinatam et efficacem tum clericorum tum religiosorum vel religiosarum apostolatus operositatem promovendam, haec statuuntur:

a) Clerici saeculares et religiosi qui in directione partes habent, vel adsessoris seu consulentis ecclesiastici munere funguntur, apud periodica, transmissiones radiophonicas et televisificas, in taeniolis efficiendis, vel alia id genus munera explent, nominatione vel expressa licentia competentis auctoritatis ecclesiasticae egent.[3] Quae quidem nominatio, vel licentia, iuxta clerici vel religiosi congruam praeparationem concedatur. Ipse autem clericus vel religiosus studeat generalibus normis et peculiaribus praescriptis, a competentibus Officiis ecclesiasticis latis, obtemperare.

b) Si a clerico vel a religioso instrumenta communicationis socialis in sui ipsius utilitatem adhibeantur, *eius prudentia, temperantia, necnon recta officiorum conscientia in exemplum christifidelibus omnibus refulgeant.*[4]

c) Ordinarii et Superiores religiosi curent ut subditi, quorum munus id postulet, congruam cognitionem rerum ad haec instrumenta pertinentium adipisci possint, ii praesertim qui apostolatum istorum instrumentorum sibi commissum habent et qui curae animarum, vel puerorum et adulescentium educationi se dederunt, quique, officii causa, pernoscere debent quaestiones quae in rebus communicationis socialis christifidelibus proponuntur.[5]

53. [*De disciplina populi christiani*]. Omnes denique christifideles monentur ut Ecclesiae, magistrae et matri, bono animo fidant, sine cuius ductu haud facile est recto tramite sese dirigere inter ephemerides, diurnaria folia, taeniolas, radiophonicas et televisificas transmissiones, ceteraque id genus, quae in dies erumpunt atque undequaque hominem aggrediuntur.[6] Magni ergo faciant necesse est, atque libenter excipiant, significationes, sancteque custodiant monita ac statuta a competentibus auctoritatis ecclesiasticae Officiis lata circa honestum utilemque horum instrumentorum usum.[7]

54. Fideles autem, qui promovent vel dirigunt incepta ad instrumenta communicationis socialis pertinentia, sese ad doctrinam Ecclesiae conforment atque Officiis a Sacra Hierarchia constitutis operam praestent ut eadem officia, quatenus bonum com-

mune postulaverit, omnia quae a catholicis in hac materia agantur, recto ordine componere valeant.[8] [229]

NOTAE

* DECLARATIO: Catholicorum conamina ad apostolatum in materia instrumentorum communicationis socialis promovendum parum profecerunt usque adhuc, sive propter insufficientem actuositatem, sive, et in primis, propter varias et non ordinatas rationes quibus variae in variis nationibus promota sunt.

Cum autem id genus apostolatus a condicionibus et causis praesertim pendeat quae locorum, ac saepe nationum, limites excedunt, fere nihil proficiet, nisi firma ordinatio in toto orbe perficiatur.

[1] Cf. Instructio S. C. RELIGIOSORUM, 11 maii 1953; Instructio Pontificii Consilii de re cinematographica et televisifica ad Episcopos Italiae, 1 iun. 1953; CIC can. 1336.

[2] Cf. CIC can. 1336; *Boni Pastoris,* l. c. pp. 185-186.

[3] « Tamen viris ecclesiasticis fas non est operam adiutricem auctoribus imaginum cinematographicarum praebere sine peculiari moderatorum suorum mandato » *Miranda prorsus,* l. c. p. 791; « Quod attinet autem ad ecclesiasticos viros, etiam ex religiosorum sodalitatibus exemptis, qui suam navant operam apud radiophonicas vel televisificas stationes, Episcoporum erit opportunas impertire normas... » *Miranda prorsus,* l. c. pp. 797-798; cf. etiam: *Miranda prorsus,* l. c. p. 788.

[4] *Miranda prorsus,* l. c. p. 804.

[5] Cf. Pars I, Cap. I, nota 5.

[6] Cf. *Nostra Patris,* l. c. p. 494.

[7] Cf. *Vigilanti cura,* l. c. p. 261; *Miranda prorsus,* l. c. pp. 794-795; 802-803. « Christifideles... gravi obtemperent officio sese certiores faciendi de sententiis in re cinematographica ab Ecclesiastica auctoritate latis, eidemque fideliter obsequendi » *Miranda prorsus, ibid.,* p. 787; Nuntius ab Officio de publicis Ecclesiae negotiis ad conventum internationalem de re cinematographica Coloniae Agrippinae habitum, 10 iunii 1954: *L'Oss. Rom.* 21-22 iunii 1954.

[8] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. p. 790; *Boni Pastoris,* l. c. p. 185.

[230] CAPUT II

DE ORGANIS AUCTORITATIS ECCLESIASTICAE

55. [*Partitio*]. Ut in tam gravi et implicato campo competenter prudenterque procedatur, peculiaria Officia, cum in Romana Curia, tum in singulis nationibus et, si res ferat, in dioecesibus, operentur oportet.

56. [*De competenti Officio Sanctae Sedis*]. Summus Pontifex supremam suam potestatem in materia istorum instrumentorum exercet non solum suo magisterio sed etiam ope competentis Officii quod Pius XII, imm. rec., constituit [1] atque Ioannes XXIII, f. r., in *stabile ac permanens Officium Sanctae Sedis* evexit, eiusque competentiam rerumque agendarum provinciam auxit.[2]

57. Patres Concilii vero, votum *Secretariatus de Scriptis prelo edendis et de Spectaculis moderandis* libenter excipientes, Summum Pontificem reverenter rogant, ut huius Officii munera et competentia ad omnia communicationis socialis instrumenta, prelo non excepto, extendantur.[3]

58. [*De Episcoporum munere*]. Sicut Sancta Sedes pro universo Orbe, ita Episcopi habent in sua quisque dioecesi ius et officium docendi ac moderandi ut instrumenta communicationis socialis ad rectum usum dirigantur.[4] Episcoporum propterea erit huiusmodi operibus et inceptis in propriis dioecesibus invigilare eademque promovere et, quatenus ad apostolatum publicum spectent, ordinare, iis non exceptis quae religiosi exempti moderantur.[5] Id autem efficacius faciliusque obtinebitur si dioecesana, vel si res ferat, regionalia, de his instrumentis Officia instituantur.[6]

59. [*De Officiis ecclesiasticis nationalibus*]. Cum efficientia instrumentorum communicationis socialis fines plerumque excedat singularum dioecesium, cumque efficax pro tota Natione apostolatus virium unitatem requirat, haec Sancta Synodus statuit et mandat, ut, iuxta normas a Summis Pontificibus latas,[7] in omni-

bus Nationibus Officia nationalia sive pro re cinematographica, [231] sive pro re radiophonica et televisifica actuose operentur, eademque omni ope adiuventur; immo ut etiam de prelo Officium nationale constituatur. Quorum Officiorum in unaquaque natione suprema moderatio peculiari Episcoporum coetui, vel alicui Episcopo delegato, concredatur, qui imprimis curabit ut ista Officia ordinate inter se adlaborent; horum autem Officiorum membra sint praesertim viri laici catholicae doctrinae et harum artium periti, quos aliquis sacerdos moderetur ab Episcopis delectus.[8]

60. Horum Officiorum praecipua munera sunt: operam navare ad efformandam conscientiam christianam fidelium, ut ii recte omnibus istis instrumentis utantur; [9] consulere ut fideles a periculis et damnis moralibus inde orituris arceantur, praesertim eos certiores faciendo de qualitate morali taeniolarum [10] et, quantum fieri possit, foliorum prelo editorum et transmissionum radiophonicarum et televisificarum; [11] publicis opinionibus prodesse prompte notitias veras colligendo atque vulgando, falsas perniciosasque valide infirmando; incepta promovere vel auxiliis sustinere quae utilia reputentur ad catholicorum in hac rerum parte apostolatum augendum; ordinare quidquid ope instrumentorum communicationis socialis a catholicis agitur,[12] diem quotannis celebrandam a competenti Auctoritate ecclesiastica statutam promovere et apparare; [13] praecepta ac mandata Sanctae Sedis, vel ab Episcopis propriae Nationis lata, ad effectum deducenda diligenter curare.

61. Haec autem Officia ab omnibus sese abstineant, quae negotiationis aut mercaturae speciem prae se ferant.

62. [*De Consociationibus Internationalibus Catholicis*]. Cum instrumenta communicationis socialis, sua efficacitate, limites singularum Civitatum et Nationum excedant, atque homines quasi cives efficiant totius consortionis humanae, Officia nationalia operose adlaborent una cum peculiaribus Consociationibus Internationalibus catholicis; quae quidem ipsis Officiis nationalibus prodesse studeant, mutuas consultationes promovendo, experientias et communia incepta cum ipsis communicando ac denique quaestiones tractando, quae in singulis Nationibus congruam solutionem nancisci nequeant.[14]

[232] 63. Consociationes Internationales Catholicae a sola Sancta Sede legitime approbantur et ab eadem Sancta Sede immediate pendent.[15]

NOTAE

[1] « Constituimus Romana Curia peculiare Consilium, cuius, ex credito munere, esset varias de re cinematographica, radiophonica et televisifica quaestiones diligenter perpendere, ad catholicam fidem et christianos mores quod attinet » (*Miranda prorsus,* l. c. p. 768).

[2] Cf. *Boni Pastoris,* l. c. pp. 185-186.

[3] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, vol. III, pp. 29-30, nn. 1, 8, 18.

[4] Cf. *Boni Pastoris,* l. c. p. 185; *Miranda prorsus,* l. c. pp. 770, 783, 792.

[5] Cf. CIC can. 1395 et notam 3 capitis praecedentis; *Miranda prorsus,* l. c. pp. 770, 804.

[6] Cf. Instructio Pontificii Consilii de re cinematographica ad Episcopos Italiae, 1 iun. 1953.

[7] Cf. *Vigilanti cura,* l. c. pp. 261-262; *Miranda prorsus,* l. c. pp. 783-784; *Boni Pastoris,* l. c. p. 185; *Nostra Patris,* l. c. p. 493.

[8] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. p. 783.

[9] Cf. Instructio Pontificii Consilii de re cinematographica, radiophonica ac televisifica ad Consilium Episcoporum Americae Latinae (CELAM), 20 nov. 1957.

[10] Cf. *Vigilanti cura,* l. c. p. 261; *Miranda prorsus,* l. c. p. 787.

[11] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. pp. 794-795.

[12] « ... Nationum Officiis, in quaque regione eo consilio institutis, ut quidquid in re cinematographica, radiophonica, televisifica a catholicis agitur, dirigant rectoque ordine componant » *Boni Pastoris,* l. c. p. 185.

[13] Cf. *Miranda prorsus,* l. c. p. 787.

[14] « Et quandoquidem quaestiones hac de re non paucae haud facile queunt in singulis nationibus enodari ac solvi, perutile profecto erit, si haec singula Officia ad magnas illas ex omnibus Nationibus Consociationes pertinebunt, quas Apostolica haec Sedes, re mature considerata, iam probavit » *Miranda prorsus,* l. c. p. 784.

[15] Cf. notam 14 et etiam: *Boni Pastoris,* l. c. pp. 185-186.

PARS IV [233]

DE QUIBUSDAM COMMUNICATIONIS SOCIALIS INSTRUMENTIS SINGILLATIM CONSIDERATIS *

64. [*Introductio*]. Generalibus praeceptis ac monitis latis, quibus ad morum honestatem et ad universorum hominum utilitatem communicationis socialis instrumenta conformanda sunt, Sacrosancta Oecumenica Synodus peculiares normas atque idonea hortamenta tradit de prelo periodico, de cinematographeo, de radiophonia, de televisione et de aliis quibusdam instrumentis postrema aetate in humanam consortionem invectis et animos fidelium quam maxime moventibus.

65. Concilii Patres fideles tamen hortantur, ut etiam in ceteris communicationis socialis formis, quorum in hac parte nulla mentio fit, Ecclesiae mentem, iuxta ea quae in prima huius Constitutionis parte exposita sunt, prosequantur, praesertim ad theatralia spectacula quod attinet, quae peculiari sollicitudine prosequi oportet ut humanitate floreant ac virtute.

CAPUT I

DE PRELO

66. [*Preli momentum*]. Nomine preli hic appellantur cuiusvis generis folia typis impressa ac periodice edita, sive agatur de diariis, sive de ephemeridibus, sive de commentariis, quae omnia innumerae fere indolis, lectorum aetati, studio ac propensioni accommodantur atque publice veneunt. Haec preli varia genera novis technicae artis inventis in dies magis perficiuntur, imaginibus, coloribus et aliis id genus, atque scite ingenioseque ordinantur cum ad nuntia celerius conquirenda et vulganda, tum ad lectores assidue et ubique alliciendos.

67. Preli igitur varia genera quotidie graves quaestiones ad leges morales atque ad religiosam hominum vitam pertinentes gignunt, quae, ut recte solverentur Ecclesia semper adlaboravit, atque etiam nunc adlaborat.

[234] 68. [*Sollicitudinis Ecclesiae documenta*]. Statim enim ac prelum influxum socialem exercere coepit, Ecclesia magna cum sollicitudine illud prosecuta est, ut innumera documenta testantur.[1] Ex his documentis patet Sanctam Sedem totiusque orbis Episcopos, bonum prelum fovendo, errores arguendo, preli germanam libertatem edicendo, numquam destitisse salutaria monita in hac re tradere. Singularis tamen Ecclesiae sollicitudo hodie spectat praecipua preli genera, quae sunt: *prelum nuntiis vulgandis* (*informativum* quod vocant), *prelum imaginibus ornatum* vulgo dictum *illustratum, commentaria,* et speciali modo prelum quod nomine *preli catholici* designatur.

69. [*De prelo nuntiis vulgandis seu informativo*]. Preli informativi primum officium est lectores de novissimis eventibus certiores facere, veraciter, citissime et definite, ea tamen ratione ut iudicium lectoris proprium non impediatur sed facilius et tutius efformetur. Quod officium nonnisi magna cum prudentia atque arte expleri debet. Quare, omnes qui huic preli generi operam dant, veritatis amore, reverentia erga ordinem moralem et erga hominis dignitatem, non minus quam studio perfectionis technicae, duci debent.

70. Imprimis postulanda est a prelo *informativo* talis eventuum propositio atque interpretatio quae factorum gravitati congruant atque necessitatibus lectorum et societatis apte conveniant.

Absint propterea non tantum mendacium, sed etiam silentii conspiratio aut selectio notitiarum, prava seu factiosa mente praebita. Saepius enim prelum peccat veritatem reticendo, sive lucri, sive pressionis seu sollicitationis politicae aut mercatoriae causa.

71. Quoad nuntia de rebus ad religionem spectantibus, libenti animo Patres Concilii agnoscunt in dies potiorem locum quaestiones et eventus religiosos in prelo obtinuisse. Monentur tamen preli moderatores ut de religione quaestiones personis vere peritis tractandae concredantur ac maxima cum reverentia exponantur.

72. [*De foliis imaginibus ornatis*]. Ad notitias explanandas et amplificandas prelum merito utitur imaginibus, saepe vario colore expressis, quae, diligenter selectae, lectores alliciunt, quo res melius et facilius cognoscant. Attamen nostris diebus multa

folia imaginibus ornata, incredibili prope exemplarium copia [235] edita, imaginum vortice, nimis demulcent sensus lectorum, seu potius spectatorum, et facinorum narratione, pravas cupiditates excitant. Valde insuper dolendum est quod non raro in foliis imaginibus decoratis praetermittantur ex more ea omnia quae ad Deum atque spiritualem hominis vitam spectant.

73. [*De commentariis*]. Quam plurima etiam eduntur folia periodica ad vulgandas doctrinas, opiniones, disciplinas, vel ad fabulas amatorias et res mirificas narrandas atque, non raro, ad consilia impertienda. Monentur omnes qui his foliis edendis operam praestant de gravitate sui officii, praesertim si de commentariis agatur quae in manus iuvenum facile perveniunt vel etiam, de industria, iunioribus destinantur.

Eget enim iuventus nostri temporis prelo sibi consentaneo, scilicet probo, valido, sana doctrina referto, quod ad altiora animos alliciat atque honesta oblectamenta praestet.

74. [*Praebitorum, editorum, scriptorumque officia*]. Praebitores ac editores preli cuiusvis generis, ordinis moralis imperio obsequentes, omnimode enitantur ut lectoribus nuntios veraces honestasque imagines praestent, conscii se gravi obstringi officio servandi ac promovendi bonos mores, civium ordinem atque cultum. Scriptoribus praeterea viam sternant ut libere quidem, sed iuste, munus sibi concreditum expleant.

75. Scriptores diligenter eventus eorumque adiuncta, scilicet quo modo revera acciderint, cognoscere studeant; quae certe cognoverint, lectoribus veraciter proponant simulque eventus, iustitia et caritate servatis, tradant.

76. Nuntiorum exquisitores ac photographi ne audeant occulta consilia propagare, si boni communis ratio vel personae humanae reverentia, vel rei natura postulent ut secretum servetur (cf. Pars I, cap. II, n. 21).

Venditores alacriter curent lectoribus folia eorum aetati et adiunctis apta et omnino honesta tradere. Consociationes autem nationales et internationales eorum, qui prelo edendo dant operam, rectum libertatis informationis usum fulciant ac tueantur.

77. [*Lectorum munus*]. Fugiant et respuant christifideles

[236] folia eorumque venditores quae a veritate avertant vel pravos mores excitent, et sponte ea capessant atque emant, etiam boni exempli causa, quae honestate ac gravitate commendantur. Praecipue parentes omnesque qui curam iuniorum habent, curent ut pueri inde a prima aetate, addiscant foliorum naturam legendorum praecognoscere, ea recte eligere, atque considerate perlegere.

78. Quapropter valde commendanda sunt incepta quae ab Officiis nationalibus de prelo ineuntur eo consilio ut fideles in hac rerum parte erudiantur — praesertim die quotannis celebranda ad hoc statuta — atque comperta habeant apta iudicia prolata de foliorum periodicorum honestate.

79. [*De potestatis saecularis interventibus*]. Praeter ea quae supra dicta sunt de potestatis civilis ambitu (cf. Pars I, cap. II, n. 21 et cap. III, n. 31-33), officium est civilis potestatis ut tales condiciones in civitate ponantur ac serventur in quibus prelum legitima libertate ad publicas opiniones debite formandas frui possit. Cum tamen prelum civium profectui et bono communi consulere debeat, auctoritas civilis officio tenetur pravos preli usus compescere, quibus publici mores laeduntur, iura personae humanae conculcantur, reipublicae denique salus — non vero alicuius politicae factionis — in discrimen adducitur.

80. [*De prelo catholico*]. Ecclesiae filii forti animo contendant ut prelum humanae dignitati omnino idoneum efficiant. Attamen, ad lectores spiritu christiano imbuendos, prelum generice honestum minime sufficit. Quapropter omnino necesse est ut veri nominis catholicum prelum habeatur et provehatur, quod scilicet — sive directe ab ipsa auctoritate ecclesiastica promotum et dependens, sive a catholicis viris — manifeste hoc animo edatur atque diffundatur ut publicas opiniones iuri naturae et catholicis doctrinis praeceptisque consonas efformet, firmet atque promoveat, facta vero, quae Ecclesiae vitam respiciant, pervulget ac recte explanet, cum ad fideles informandos et confirmandos, tum ad eos illuminandos alliciendosque, qui ab Ecclesia discesserint vel adhuc Eam ignorent.

81. Quod si Ecclesiae Christi ius inest omne genus instrumentis communicationis socialis libere utendi, procul dubio ipsa

obtinet ius prelum ad suos fines libere habendi, moderandi et [237] vulgandi, subsidiis ac rationibus adhibitis, quae ipsa suo iure decernat. Ut huic Ecclesiae iuri, ceterum cum eiusdem ordinario munere praedicationis arcte connexo, satisfiat, haec Sancta Synodus Sacris Pastoribus enixe commendat ut ubique terrarum, in sua cuiusque dioecesi, statim ac locorum condiciones id sinant, diurnaria vel hebdomadaria folia catholica edantur, et quam late vulgentur.

82. Cui quidem necessario apostolatus instrumento valde proderunt in primis foliorum ipsorum praestantia, deinde totius Cleri et populi christiani consociata et sedula opera. Quare notitiarum copia, celeritate et diligentia, technicaque arte prelum catholicum non tantum adversarium vel aemulum aequare contendat, sed eidem etiam antecellere.

83. [*De Consociatione Catholica Internationali*]. Quod propositum ut attingatur, virium dispersio omnimode devitetur, atque hominum, rerum inceptorumque — sive singularum sive omnium nationum — concors conspiratio promoveatur. Suadetur deinde Officiis nationalibus de prelo ut competenti Consociationi Internationali Catholicae nomen dent; curent insuper eadem Officia nationalia, ut folia periodica catholica, catholici diurnarii atque *agentiae,* quas vocant, catholicae cum praefata Consociatione Internationali foedere se iungant.

NOTAE

* DECLARATIO: In *Partibus I, II* et *III* harum Litterarum praecepta omnia compendiose proposita sunt quae ministerium pastorale Universalis Ecclesiae in materia instrumentorum communicationis socialis respiciant.

Verumtamen Concilium, ut spiritualem singulorum hominum necnon totius humanae consortionis renovationem perficiat, non potest tantum in generalibus doctrinae ac disciplinae principiis immorari, sed debet etiam, solido principiorum fundamento posito, vigilanti sollicitudine et perspectis rerum causis ad concretas difficultates et singulas instantias attendere.

Nostrorum enim temporum homines ac praesertim horum artifices instrumentorum, a quibus morum atque culturae profectus maxime in hac disciplina pendet, magis rei quotidianae pressum quam principiorum vim experiuntur: hi omnes ergo concretis egent normis, quae in hac *Parte IV* expositae sunt.

[1] Cf. PIUS IX et LEO XIII: Acta relata in parte I, capite I, nota 6

PIUS XI: Sermo in sollemni conventu augurali Expositionis catholica-

[238] rum scriptionum ex universo orbe in Civitate Vaticana, 12 maii 1936: AAS 29 (1937) pp. 139-144; ceteri Sermones eiusdem Summi Pontificis de re diurnaria quoquo modo tractantes systematice collecti inveniuntur in *Documentation Catholique,* XVIII (1936), t. 35, n. 782, pp. 322-356; n. 784, pp. 451-468; n. 795, pp. 707-725; n. 786, pp. 578-619.

PIUS XII: Sermones ac nuntii radiophonici de prelo tractantes ab anno 1939 usque ad annum 1954 prolati, tum secundum seriem chronologicam tum secundum ordinem argumentorum indicantur in *Discorsi e Radiomessaggi, ibid.,* in volumine « Indice », pp. 751-573; praeterea sequentes sermones adiiciendi sunt: Sermo ad Consilium de informatione publica ordinanda Nationum Unitarum, 24 apr. 1956, *Discorsi e Radiomessaggi,* XVIII, pp. 137-138; Sermo ad procuratores nuntiorum preli Europae, 26 oct. 1956, *Discorsi e Radiomessaggi,* XVIII, pp. 609-611; Sermo ad diurnarios Civitatum Foederatarum Americae, 15 apr. 1957, *Discorsi e Radiomessaggi,* XIX, p. 87; Nuntius ad Consociationes de prelo catholico promovendo Civitatum Foederatarum Americae, 17 maii 1957, *Discorsi e Radiomessaggi,* XIX, pp. 197-199.

IOANNES XXIII: Sermo ad diurnarios catholicos, 4 maii 1959, *Discorsi Messaggi,* I, pp. 303-306; Sermo ad viros operam navantes in ephemeride catholica *L'Avvenire d'Italia,* 18 oct. 1959, *Discorsi Messaggi,* I, pp. 483-488; Sermo de preli munere, 29 nov. 1959, *Discorsi Messaggi,* II, pp. 40-42; Sermo ad diurnarios Americae Septentrionalis, 6 dec. 1959, *Discorsi Messaggi,* II, pp. 540-541; Sermo ad iurisperitos catholicos Italiae, 8 dec. 1959, AAS 52 (1960) pp. 45-50; Sermo ad Conventum de prelo agonistico, 2 apr. 1960, *Discorsi Messaggi,* II, pp. 276-278; Sermo ad sodales Piae Societatis S. Pauli, 3 maii 1960, *Discorsi Messaggi,* II, pp. 645-647; Sermo ad diurnarios exteros Romae, 24 oct. 1961: AAS 53 (1961) pp. 722-724.

CAPUT II [239]

DE CINEMATOGRAPHEO

84. [*Eius efficacitas*]. Cinematographei efficacitas, abhinc dimidium saeculum, ceterorum communicationis instrumentorum momentum aemulatur et non raro superat quia, suapte natura, peculiarem vim in hominum mentes moresque exercet, tum ob innumeras multitudines spectatorum quos sua actione pertingit, tum ob delectationem, qua omnis aetatis et condicionis homines ex eius vividarum sonorarumque imaginum concentu fruuntur.

85. [*Vigil Ecclesiae cura*]. Quapropter numquam destiterunt Sancta Sedes et Sacri Pastores sapientissimis doctrinis, instantibus monitis, aptisque institutis, fideles in re cinematographica instruere.[1] Quo autem haec salutaria monita ac praecepta luculentius iis quorum interest innotescant et ad effectum adducantur, et quo facilius difficultates in dies enascentes superentur, Sancta Synodus quae sequuntur normas docet ac servari mandat.

86. [*Effectores et artifices*]. Taeniolarum effectores, auctores et auditoriorum conductores, nonnullarum regionum exemplum imitati, suae conscientiae consulere et publicae auctoritatis operam praevenire contendant, inter se de codice morali observando foedus libere ineuntes; ita ut, remota inhonesti ac immoderati lucri cupidine, finis imponatur pelliculis efficiendis et exhibendis, quae in dies magis sunt bonis moribus infensae.

87. Quotiescumque vero in taeniolis efficiendis quaestiones quoad religionem aut mores oriuntur, auctores et artifices legitimum expetant consilium Officii catholici rei cinematographicae praepositi; quod Officium *iis libenter aderit, etiam negotii huius curam, si oportuerit, viro ecclesiastico huius rei perito, cautione adhibita delegando.*[2]

88. Honestorum effectorum et distributorum opibus et inceptis una simul collatis, criticorum consensu ac praemiis pelliculas laude dignas commendando, proborum exercentium, imprimis catholicorum, auditoria multiplicando ac inter se foedere

[240] consociando, aliisque id genus auxiliis, promoveatur atque in tuto ponatur confectio earum taeniolarum, quae honestati, humano cultui artique favent, ac praesertim quae iuventuti destinantur.

89. Taeniolarum effectores conscii sint suorum officiorum, quibus tenentur non tantum erga spectatores, sed etiam erga actores et eos omnes qui ipsi effectioni taeniolarum sociam dant operam; eorum ergo mores ne audeant in discrimen adducere, praesertim si agatur de adulescentibus. Ipsi autem actores, suae auctoritatis in spectatores conscii, tam in sua arte exercenda, quam in sua vita, studeant bono exemplo aliis praelucere.

90. [*Sententiae de taeniolarum moralitate*]. Ut singulorum spectatorum conscientiae pariterque publicae opiniones recte efformentur, utque omnes probe noscant quae sibi spectacula adire liceat, quaeque vero sint vitanda, haec Sancta Synodus praecepta hac de re iam a Sancta Sede lata renovans,[3] statuit ut in omnibus et singulis nationibus iudicia moralia de omnibus pelliculis publice exhibendis ferantur, atque opportunis prudentiae rationibus explanata, tempestive edantur et quam latissime propagentur. Haec autem iudicia ab Officiis nationalibus dentur per specialem coetum probatorum hominum — qui opportune e laicis praesertim seligantur — ab ipsis Episcopis ad hoc munus ascitorum et sub ductu sacerdotis, pro unaquaque natione.

91. [*Fidelium officia*]. Fideles autem omnes et singuli *gravi obtemperent officio sese certiores faciendi de sententiis in re cinematographica ab ecclesiastica auctoritate latis eisdemque fideliter obsequendi.*[4] Immo, si Episcopi singularum nationum id opportunum duxerint, consociata ac publica necnon quotannis renovanda, Deo facta promissione, incitentur ad spondendum se, omnia quae ad sui animi totiusque societatis salutem in hac re faciant, fideliter esse servaturos.

92. [*Spectatorum institutio*]. Ad perniciosam autem inertiam spectatorum removendam, ad vividarum imaginum nimiam fascinationem moderandam, necnon ad ipsarum suasiones probe admittendas vel respuendas, inter subsidia aptiora commendantur: de re cinematographica institutiones, etiam in scholis, syste-

matice traditae, culturae cinematographicae consociationes, pellicularum publicae ac moderatae disceptationes. [241]

93. [*Civilis potestatis munus*]. Auctoritas civilis leges promulgando et urgendo, quibus publicis moribus consulatur, honestarum decorarumque pellicularum maxime iuventuti destinatarum effectionem exhibitionemque praesertim subsidiis et praemiis fovendo et, si necessarium fuerit, nocentes coercendo, conferat ut auditoria cinematographica a pravis pelliculis purgentur, honestis autem abundent.

94. [*Unitas in actione commendatur*]. Confidit autem Sacrosancta Synodus fore ut, omnium cordatorum hominum conspiratione, cinematographeum magis magisque ad mentes erigendas et ad animos oblectandos conferat. Quo facilius citiusque id obtineatur, omnia hac de re catholicorum opera et incepta ab Officiis nationalibus, Officio catholico internationali de re cinematographica adhaerentibus, instimulentur et recto ordine componantur.

NOTAE

[1] Sanctae Sedis atque Episcoporum documenta, artem cinematographicam spectantia, magna ex parte typis edita sunt in sequentibus commentariis:

— *Bulletin d'Information* de la Commission Pontificale pour le Cinéma, la Radio et la Télévision, Civitate Vaticana, 1952-1960;

— *Le Cinéma dans l'enseignement de l'Eglise,* curante Pontificio Consilio rei cinem. radioph. ac televisificae praeposito, Civitate Vaticana, 1955;

— *Cinema Cattolico,* curante P. Henrico Baragli, S. I., Romae 1959;

— *Report of the Episcopal Committee on Motion Picture,* curante *National Catholic Welfare Conference,* Washington, 1935;

— *Dokumente Katholischer Filmarbeit,* curante *Katholische Filmkommission für Deutschland,* Düsseldorf, 1956.

[2] *Miranda prorsus,* l. c. p. 790.

[3] Cf. *Vigilanti cura,* l. c. pp. 261-263; *Miranda prorsus,* l. c. pp. 785-787.

[4] *Miranda prorsus,* l. c. p. 787.

[242]

CAPUT III

DE RADIOPHONIA ET TELEVISIONE

95. [*Indoles peculiaris*]. Radiophoniae et televisionis peculiare momentum ex eo pendet quod haec instrumenta *singulos homines,* finibus vallisque nationum superatis, totius fere orbis eventis praesentes reddunt, eosque cuiusvis quaestionis vel facti, quae saepe longissime distant, illico participes faciunt.

96. Praeterea, iis instrumentis in usum deductis, personae humanae *pressui collectivo* subduntur; formae enim cogitandi necnon variae vivendi rationes socialium coetuum, quae communitatum nationalium vel internationalium propriae sunt, horum instrumentorum ope patefiunt, eorumque vis eo magis augetur quo ipsae numerosioribus multitudinibus exhibentur, cum singuli homines massae socialis pondere premantur.

97. Insuper eadem haec instrumenta efficacitatem peculiarem magnique momenti in *familiarem* vitam exercent, cum suapte natura intra parietes domesticos intrent, quasi hospites qui malum vel bonum secumferunt, familiare sacrarium erectura vel contaminatura.

98. E pluribus Summorum Pastorum documentis [1] patet quantum curae christifideles impendant oportet ne inconsulte his in rebus se gerant, ut in omnibus bonum sibi eligant malumque respuant, atque suis opibus conferant ut sedes catholicae programmatibus efficiendis constituantur et sustineantur.

99. [*Effectorum et publicae auctoritatis munera*]. Effectores omnes atque artifices transmissionum radiophonicarum et televisificarum, imprimisque civilis auctoritas bono communi consulant, auditiones atque spectacula familiis consentanea sollerter praebendo; curent praecipue ut reverentiae pueris debitae prospiciatur, atque ad grave *periculum diligenter attendant, in quod adduci possent iuvenes qui spectaculis intersint ad provectae aetatis homines pertinentibus.*[2]

100. [*Spectatorum et auditorum partes*]. Monentur fideles [243] ut suam quisque actuosam navitatem, quantum fieri poterit, in transmissionibus radiophonicis et televisificis gerant: scilicet sua aequa optata iustasque reprehensiones (quam positivam criticam vocant) iis qui pro munere transmissionibus praesunt significando, tum de conficiendis programmatibus in genere, tum de qualitate singularum transmissionum, tum denique de reliquis alicuius momenti circumstantiis; idque spectare debent ut in dies augescat, quod bene fit, malum autem coerceatur.

101. Ad iudicium autem recte formandum utiles iudicantur telecirculi, qui dicuntur, quos frequentare studeant quotquot praesertim curam puerorum iuvenumque habent, ita ut, sub ductu viri periti, omnes recta iudicia sibi de visis et auditis acquirant et promant, simulque christianas publicas opiniones constituant.

102. Consociationes autem inter catholicos et alios bonae voluntatis viros ad iura receptorum defendenda atque ad honesta optata sustinenda, valde commendantur.

103. [*De transmissionibus religiosis*]. Peculiare et efficax subsidium ferre oportet transmissionibus religiosis proprie dictis, quibus auditores et televisionis spectatores de vita Ecclesiae ac veritatibus religiosis informentur. Propterea parentur atque adiuventur periti viri qui in hac rerum provincia adlaborant, praesertim si agatur de artificibus christianis qui ipsas transmissiones curant. Sollicite quoque curandae sunt stationes catholicae, ut earum transmissiones convenienti perfectione et efficacitate emineant.

104. [*De Officiis nationalibus*]. Officiorum nationalium erit, in hac disciplina, munera omnia ad religionem et mores spectantia dirigere ac prosequi; itaque eorum erit christifideles de technicis ipsis radiophonicis ac televisificis edocere atque educare, deinde effectores iuvare ad perfectiora usque programmata redigenda, praesertim vero religiosas transmissiones promovere atque eisdem invigilare. Curent etiam eadem Officia ut radiophonia ac televisio scholis destinatae recte promoveantur, quae — praesertim si cetera instrumenta instructionis desint — magnum habent in puerorum ac rudiorum eruditione atque formatione momentum. Ut

[244] vero tanta Officiorum nationalium munera de re radiophonica ac televisifica uberius in toto orbe expleantur, eadem Officia Consociationi Catholicae Internationali sociam operam praestent.

105. [*De auxilio ferendo operibus missionariis*]. Exoptat praeterea Vaticanum Concilium ut radiophonia et televisio in dies maiorem efficaciam adipiscantur ad auxilia praebenda apostolatui missionariorum, atque mandat ut operae radiophonicae et televisificae catholicorum in egenis regionibus degentium, ab iis qui in ditioribus regionibus sunt, impigre liberaliterque his in technicis adiuventur.

Pariter optandum est ut transmissiones aptae provideantur pro illis regionibus, ubi fideles, aerumnis temporum divexati, proprias acroases christianas habere vetantur.

NOTAE

[1] Cf. PIUS XI, Nuntius Radiophonicus *Qui arcano,* 12 februarii 1931: AAS 23 (1931) p. 65 et sqq.

PIUS XII: Sermo ad technicos in Radiophonia Italiae operam navantes, 3 dec. 1944, *Discorsi e Radiomessaggi,* VI, p. 209 et sqq.; Sermo ad viros qui partem habuerunt in Conventu Intern. ad quinquagesimum annum exactum de radiophonia inventa celebrandum, 3 oct. 1947, *Discorsi e Radiomessaggi,* IX, p. 263 et sqq.; Nuntius Radiophonicus ad rationaria radiophonica paranda ab Associatione Helvetica transmissionis radiophonicae, 22 apr. 1948, *Discorsi e Radiomessaggi,* X, p. 67 et sqq.; Nuntius televisificus die Paschatis transmissus a Radiotelevisione Galliae, 17 apr. 1949, *Discorsi e Radiomessaggi,* XI, p. 45 et sqq.; Sermo ad viros qui partem habuerunt in II Conventu Intern. de radiophonica transmissione per altas frequentias, 5 maii 1950, *Discorsi e Radiomessaggi,* XII, p. 53 et sqq.; Litterae Apostolicae quibus S. Gabriel Archangelus Patronus Coelestis telecommunicationibus addictorum declaratur, 12 ian. 1951: AAS 44 (1952) p. 216 et sqq.; Sermo ad instaurandam Stationem radiophonicam catholicam Sutatenzae in Republica Columbiae, 11 apr. 1953, *Discorsi e Radiomessaggi,* XV, p. 57 et sqq.; Pontificia Adhortatio ad Episcopos Italiae de instauranda televisione, 1 ian. 1954: AAS 56 (1954) p. 18 et sqq.; Nuntius televisificus ad instaurandas transmissiones Eurovisionis, 6 iun. 1954: AAS 46 (1954) p. 369 et sqq.; Nuntius Radiophonicus ad III Conventum Intern. de communicationibus, 11 oct. 1955: AAS 47 (1955) pp. 733-736; Sermo ad viros qui partem habuerunt in Conventu generali Unionis Europae de radiophonicis transmissionibus, 21 oct. 1955: AAS 47 (1955) p. 775 et sqq.; Nuntius radiophonicus ad XXV anniversarium *Horae Catholicae* in Civitatibus Foederatis Americae Sept., 4 dec. 1955, *Discorsi e Radiomessaggi,* XVII, p. 419 et sqq.; *Miranda prorsus,* l. c. p. 765 et sqq.; Sermo ad instaurandas novas machinas emittentes Statio-

nis Radiophonicae Vaticanae apud Sanctam Mariam Galeriae, 27 oct. 1957: AAS 49 (1957) p. 961 et sqq.; Litterae Apostolicae quibus Sancta Clara Assisiensis coelestis Patrona televisionis apud Deum declaratur, 14 febr. 1958: AAS 50 (1958) p. 512 et sqq. [245]

IOANNES XXIII: Nuntius Radiophonicus ad X annum exactum *Horae Missionariae* Belgicarum celebrandum, 19 apr. 1959, *Discorsi e Messaggi,* I, pp. 257-258; Nuntius Radiophonicus ad novum apparatum Stationis Radiophonicae Sutatenzae in Columbia instaurandum, 12 iunii 1960, *Discorsi e Messaggi,* II, pp. 403-405; Allocutio habita ad celebrandum tricesimum exactum annum ex quo Radiophonica Statio Vaticana radioelectricas undas emittere coepit, 12 febr. 1961: AAS 53 (1961) pp. 151-153; Nuntius radiophonicus ad instaurandum novum apparatum transmittentem stationis radiophonicae Vaticanae, 6 nov. 1961: AAS 53 (1961) pp. 733-734.

Acta Episcoporum in variis commentariis continentur: magna ex parte publici iuris facta sunt in *Bulletin d'Information* (Commentarium officiale Pontificii Consilii rei cinematographicae, radiophonicae et televisificae praepositi) ab anno 1954 ad 1960; K. BECKER und K. A. SIEGEL, *Rundfunk und Fernsehen im Blick der Kirche,* Francofurti, 1957.

[2] *Miranda prorsus,* l. c. p. 802.

[246]

Caput IV

DE RELIQUIS INSTRUMENTIS

106. [*Generalis descriptio*]. Praeter prelum, cinematographeum, radiophoniam et televisionem, alia quoque hodie fere innumera communicationis instrumenta orta sunt: ut libelli comici et lusorii, disci, taeniolae magneticae ceteraque vocum imaginumque impressioni destinata, tabellae *publicitariae,* quas dicunt, affixae chartulae murales, litterae seu nuntii *publicitarii* vulgo nuncupati, photographicae imagines aliaque huiusmodi, quae quotidie a questuosorum hominum ingeniis proferuntur.

107. [*Libelli lusorii*]. Quam latissime sparguntur hodie libelli, plerumque novis typographicis artibus impressi, qui, narrationes exhibentes quae sensus valde commovent (vulgo *sensationales*) vel fictas scientias — seu *phantascientiam* quae dicitur — intexentes, atque assiduos praecipuosque lectores, seu potius spectatores, sibi adsciscunt praesertim ex pueris et adulescentibus.

108. Id genus libelli honestati sanaeque educationi favere sane quidem possunt, attamen plerumque moribus infensi sunt, animos praesertim iuniorum aura criminum imbuentes, atque oblectamenta praebentes quibus laevitas et vanitas mentis foventur. Quapropter oportet omnes sani iudicii homines horum scriptorum, in universum fere orbem diffusorum, momenti tum psychologici tum moralis et religiosi conscii fiant, atque viribus unitis adlaborent editores, auctores, educatores, religiosae civilesque auctoritates ut eadem hominum cultui virtutique minime noceant, immo prosint. Sacris vero Pastoribus enixe commendatur ut totius nationis nisus, ad hanc rerum provinciam recte moderandam, conferantur.

109. [*Disci et taeniolae magneticae*]. Etiam disci et taeniolae magneticae hodie sine numero excuduntur, quae ad musica oblectamenta, ad quaestiones philosophicas et scientificas enodandas, ad res diurnas, ad sermones, ad nuntios lectionesque conservandas, ceu libri veneunt et procurantur.

110. Magna quidem commoda, dummodo recte adhibeantur, [247] haec omnia secumferunt ad cultum et ad vitam intellectualem excitandam atque amplificandam, necnon ad progressum spiritualem promovendum. Saepe tamen accidit ut discorum ope, cantilenae inhonestae atque lascivi concentus vel noxiae sententiae vulgentur. Omnes igitur de periculis inde orituris edocere oportebit, et invigilare ut horum instrumentorum res significatae, imagines et modi, veritati, honestati cultusque decori semper consulant. Debita ergo vigilantia, in hac rerum parte, ab Ecclesiastica Auctoritate adhibeatur prout singularum nationum condiciones postulaverint, praesertim si textus seu commentarii discis impressi de rebus ad finem et mores pertinentibus agant.[1]

111. [*Tabellae et chartulae laudativae*]. Multiplicantur insuper tabellae murales, picta folia, chartulae, affixae inscriptiones, volitantes pagellae, idque genus reliqua plurima, quibus passim nostra tempora utuntur tum ad rerum operumque venditionem *publicitariam* quae dicitur, tum ad politicas atque « ideologicas » res commendandas, quae *propaganda* passim appellantur. Haec omnia, sed praesertim murales tabellae totius populi, immo et puerorum oculis vi ultroque exhibitae, saepe praeter communem iustitiae caritatis et veracitatis instantiam, publicos mores gravissime tangunt.[2] Omnes igitur christifideles ceterique recti iudicii homines necnon auctoritas civilis attente invigilent ne horum instrumentorum ope morum corruptio diffundatur.

NOTAE

[1] Cf. CIC can. 1385, § 1, n. 1° et 2°.

[2] Cf. Pius XII, *Sermo ad Urbis parochos sacrosque per Quadragesimae tempus oratores,* 5 martii 1957: AAS 49 (1957) p. 208.

[248] ADHORTATIO FINALIS

112. Cum communicationis socialis instrumenta ad hominum spiritualem profectum multum valere constet, Ecclesia, superna luce et saeculorum usu edocta, perenni iuventutis decore praecellens, nova officia novasque institutiones et opera inire atque explere non cunctatur: *Neque enim mittunt vinum novum in utres veteres... sed vinum novum in utres novos mittunt, ut ambo conserventur.*[1]

113. Postulat igitur Sacrosancta Synodus Vaticana a christifidelibus ut, iuxta monita et praecepta de hac re impertita, ad eorum instrumentorum ordinatum progressum adlaborent, scilicet ut eadem conferant ad futuram societatis prosperitatem, ac potissimum ad Ecclesiae dilatationem; ita quidem ut Nomen Domini novissimis instrumentis glorificetur sicut glorificatur priscis artium monumentis, secundum illud Apostoli: *Iesus Christus, heri et hodie, ipse et in saecula.*[2]

114. Ut autem Antistites orbis catholici expeditius rem ad effectum deducere valeant, totius materiae pastorale compendium conficiatur.

NOTAE

[1] Mt. IX, 16-17.
[2] Hebr. XIII, 8.

2 – RELATIO EM.MI P. D. CARD. FERDINANDI CENTO PRAESIDIS COMMISSIONIS DE FIDELIUM APOSTOLATU DE SCRIPTIS PRELO EDENDIS ET DE SPECTACULIS MODERANDIS

Em.me Praeses, venerabiles Patres, Fratres carissimi et desideratissimi,

Dirigo vobis salutationem quae continetur in epistula S. Petri Missae huius diei.

Decimae commissioni Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II, cuius, ex Pontificis Summi benignitate, praeses sum, pertractandi munus incumbit, praeter quam *de fidelium apostolatu,* sicut erat in respectiva commissione praeconciliari, etiam *de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis.*

De hac ultima materia, competens erat usque adhuc specialis secretariatus, cui praefuit exc.mus D. Martinus Ioannes O'Connor (nunc vicepraeses eiusdem decimae commissionis), qui, ut patet, argumentum hodie vobis ad discutiendum propositum plene prae manibus habuit. Porro ille, prorsus me consentiente, felici designatione relatorem nominavit exc.mum D. Renatum Stourm, arch. Senonensem in Gallia, quem vos, venerabiles Patres, benevole certe audietis.

Schema nostrum sereno vestro iudicio subiicitur, paratam se declarans commissio ad idem emendandum iuxta animadversiones quas facturi estis.

Res de qua agitur procul dubio maximi ponderis est, digna proinde ut ad eam Sacrosancta haec Synodus attendat. Nam ex unoquoque instrumento communicationis socialis: nempe prelo, cinematographeo, radiophonia, televisione reliquisque technicae ac scientiae miris inventis, « procedit benedictio et maledictio », ut verbis utar S. Iacobi Apostoli (3, 10). Vehicula, id est, esse possunt immensi mali sicut et peringentis boni.

Utinam, in posterum, causae tantum veritatis et caritatis ubique et semper inserviant! Dixi.

3 – RELATIO EXC.MI P. D. RENATI STOURM
Archiepiscopi Senonensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Consilium praesidentiae, qua pollet sapientia, opportunum iudicavit ut venerabilibus Patribus, post doctas disputationes et diuturnas disceptationes theologicas, schema submitteretur cuius materia speciem aliquam relaxationis prae se ferre videtur!

Prelum, cinematographeum, radiophonia, televisio ceteraque huiusmodi hodierna technica inventa non raro revera oblectamenta praebent. Quae, si sub hoc tantum aspectu considerentur, iam Ecclesiae maxime intersunt, cum ipsa Mater sit...[1]

Cum ergo sit Mater, nihil admodum mirandum est si diversas sani oblectamenti formas receperit atque foverit, praesertim hac nostra tam exagitata aetate, pro hominibus necessarias. Nonne ipsa, Media Aetate vertente, plebes christianas ad Mysteria Fidei initiavit, sacras repraesentationes promovendo atque simul fideles delectando et erudiendo?

Verumtamen, cum Mater sit, vehementer exoptat ut huiusmodi oblectamenta et animi relaxationes hominibus conveniant neve a sua dignitate eos deiiciant neve deprimant, atque ut ipsos recreent, non autem dehonestent...[2]

Novit enim Mater Ecclesia haec oblectamenta, cum his homines utuntur, numquam esse moraliter indifferentia, sed posse in bonum vel in malum usurpari et converti. Haec est ratio cur ipsa suis hortamentis clamorem et vocem periculi ingruentis trepidanter iteraverit.

Quomodo enim quiescet et lente spectabit tot, praesertim iuvenum, animas, quas ipsa baptismate signavit, fidem moresque abiicere tum ob lectiones pravas tum ob spectacula, quibus ipsi tam crebro et frequentissimi intersunt?

In mentem revocare iuvabit hodie tres quartae partes spectatorum auditoria cinematographica frequentantium iuvenes esse.

Verumtamen technica hodierna inventa longe praestant prae oblectamentis, cum vehicula idearum reapse sint.

De ipsis enim singillatim, ac magis de earum efficacitate cumulata, dici potest quod Pius XI de cinematographeo in epistula *Vigilanti cura* edixit: « Ceterum aliud nihil in praesens invenire queas quod tanta efficacitate in multitudines polleat ».

Quod idem declaravit notissimus scriptor qui ait: « A l'heure où, dans un populeux quartier, se ferme l'unique et pauvre sanctuaire, qu'il

soit église, temple, synagogue ou mosquée, à cette heure-là, et presque dans chaque rue, s'allument les feux étincelants et multicolores annonçant l'entrée en scène de ce qui va devenir la première puissance du monde: le cinéma »...[3]

Pellicula enim, seu « film », qui successum bonum obtineat, decies centena milia hominum attingere valet, nuntium pacis aut maestitiae, animositatis aut pavoris, amoris aut odii omnibus hominibus portans atque ita in patrimonium spirituale totius mundi agit et influit.

Idem dici posset mutatis mutandis de singulis instrumentis, si eorum efficacitas in opiniones publicas spectetur atque eorum modus agendi in singulas personas vel totam humanam communitatem consideretur, quod Summus Pontifex Ioannes XXIII feliciter regnans ad amussim proclamavit cum de prelo loqueretur: « Eorum potestas magna est cum possint opiniones publicas (cuius pondus nemo est qui ignoret) efficere et regere ».

Ceterum, cuius mentem non tanget hoc rationarium? Numerantur hodie in universo mundo:

Prelum: Octo milla ephemeridum, quorum exemplaria quotidie sunt ter milies centena milia. Alia folia periodica: viginti duo milia, quorum exemplaria sunt: bis milies centena milia.

Cinematographeum: Pelliculae quotannis: duo milia et quingentae. Auditoria cinematographica: centum septuaginta milia; spectatores annui: septemdecies milies centena milia.

Radiophonia: Stationes: sex milia; scrinia auditionum: quater milies centena milia.

Televisio: Stationes: mille; scrinia televisifica: milies ac vigesies centena milia.

Si hanc nostram aetatem spectemus, nullum vehiculum doctrinarum et opinionum efficacius inveniri potest. Hac de causa in schemate, quod vobis praebitum est, ipsa appellantur *instrumenta communicationis socialis,* quia hodie sunt veluti media, prae ceteris universalissima, efficacissima, quibus cum hominibus communicatur et quibuscum homines inter se communicare valent.

Quomodo ergo poterit Ecclesia res tam graves negligere cum ex sua ipsius missione et natura, debeat unicum nuntium hominibus necessarium, id est, nuntium salutis, patefacere? Quid vero si spectetur miranda haec occasio, quae prima vice in Ecclesiae historia offertur, talem nuntium universo mundo communicandi?

Nonne haec miranda prorsus inventa, quae Deus veluti prae manibus nostris ponere voluit, instrumenta habenda sunt provida, ad christianum nuntium rapidius, universalius, efficacius transmittendum?

Si igitur profundam ac intimam recentissimorum horum instrumentorum significationem scrutemur, plane intelligimus Deum ipsum nos invitare, nos appellare ut vectes et gubernacula eorum nos ipsi sumamus.

Usus ergo harum technicarum est sine dubio inter urgentiora problemata recensendum, quod Concilium Vaticanum II perpendere debet. « Ite docete omnes gentes, docentes eos servare quaecumque mandavi vobis »; nullam Ecclesia, post Domini ascensionem, favorabiliorem occasionem nacta est, his instrumentis adhibitis, ad mandatum Domini exsequendum; attamen numquam Ecclesia sicut hodie in discrimine versatur ut filii, voces Pastorum negligentes, mercenarios sectentur a quibus pagana vel materialistica vitae conceptio scatet...[4]

Praeterea Ecclesia suo officio integre non fungeretur si ad haec instrumenta accederet unice ad munus praedicationis explendum. Ipsi enim onus incumbit praecepta et doctrinam tradendi circa ipsa haec instrumenta; ideoque debet pro fidelibus normas statuere quibus ipsi utiliter frui possint tam mirificis inventis; normas et suasiones etiam proferre quibus hae artes omnes spirituales fructus parere possint et altiorem dignitatem consequi...[5]

Ceterum Ecclesia, spectata horum instrumentorum efficacitate, non semel monuit fideles ut a periculis ex eorum usu tam facile et tam saepe orituris praecaverent; id enim repugnat indoli Ecclesiae, quae est veri progressus vindex et altrix, et undequaque sollicita ut in bonum humani convictus redundent. Ipsa ergo animum omnino positivum et constructivum exhibuit, haec inventa magno cum gaudio salutavit, eaque veluti magnifica Dei dona consideravit, quae in posterum adhuc evolventur et perficientur.

Miranda prorsus... talia sunt verba quibus Pius XII, felicis recordationis, Litterarum Encyclicarum initium facit ad cinematographeum, radiophoniam et televisionem illustranda et commendanda; in quibus animum revera *optimisticum* demonstrat.

Novit enim Ecclesia hodiernas atque futuras generationes his artibus nutriri, erudiri, formari; ideo a suis fidelibus exposcit ut secum adlaborent ad ea perficienda et in rectum et honestum usum deducenda, ea ratione ut, his adhibitis instrumentis, conceptio christiana vitae et mundi altius et vividius propagetur.

Hae eaedem rationes, hic idem animus, nostrum secretariatum praeparatorium moverunt ad istud schema vobis exhibitum exarandum.

In studiis perficiendis atque in communibus votis tria prae oculis semper habere conati sumus:

a) affirmandi inesse Ecclesiae ius et officium docendi, neque eam

hoc officio fungi posse, praesentibus circumstantiis et adiunctis, nisi alacriter prelo ceterisque hisce instrumentis utatur (Ecclesia magistra!)...[6]

b) affirmandi inesse Ecclesiae ius animos efformandi (missionem educatricem), scilicet inesse Ei onus et officium, adiuvantibus omnibus cordatis viris tum fidelibus tum etiam non fidelibus, promovendi prelum, cinematographeum, radiophoniam, televisionem ac cetera quae hominem et christianum deceant; insuper omnes eos invitare opportune et importune qui, quavis de causa, his instrumentis operam navant, effectores scilicet et utentes, ut se sentiant gravi officio obstringi, nec minus gravibus muneribus se esse sponsuros si his instrumentis male utantur (Ecclesia Mater!)...[7]

c) affirmandi necessitatem componendi et ordinandi operas Ecclesiae in hac rerum parte; quod si negligatur, duplex eius missio, docendi scilicet et educandi, nequaquam servari custodirique poterit.

Huiusmodi organizatio triplici ratione seu linea curanda est: in linea internationali, nationali et dioecesana. Praeterea vehementer exoptandum est ut competens Sanctae Sedis officium roboretur, itidemque ut quotannis dies dominica quaedam, in universo mundo celebranda, instauretur, cuius sit haec instrumenta commendare et promovere...[8]

Praeter haec, omnibus instrumentis communia, quidam particulares aspectus, singulis instrumentis proprii, considerandi sunt, prout apostolatui directe intersunt; haec est ratio cur ea singillatim etiam tractavimus...[9]

Non me latet quasdam difficultates huic schemati motas esse: quidam Patres existimant schema longius esse, haberique repetitiones.

Quoad primum: Verum est textum longum esse; attamen, fortasse de hac re non est dolendum, quia examen huius textus nobis praebebit facultatem commode et iucunde consequendi finem huius sessionis. Quidquid est, de industria voluimus in schemate exarando extensionem textui tribuere quae a materia, totaliter nova, postulari videtur. Pauci insuper sunt qui has artes novas apprime calleant: artifices tantum et quidam sacerdotes, his in artibus periti; theologi vero nondum suam desideratam partem in hac rerum provincia praebuerunt, quae tantopere premit Ecclesiam. Equidem exstant gravia documenta pontificia in hac materia; attamen prima vice Ecclesia, evidenterque Ecclesiae Concilium, nunc de his instrumentis quatenus instrumentis communicationis socialis, et quidem coniunctim, pertractat.

Hoc totum, ut mihi videtur, rationem reddit de structura schematis. Fortasse, tamen, ipsa disceptatio occasionem praestabit breviandi textum, si id opportunum videatur.

Quoad secundum: Si revera repetitiones exstant, certe eas supprimere

oportebit. Sed si quando, ad singula instrumenta illustranda, quaedam species repetitionis occurret, revera non erit repetitio; valde enim differunt inter se singulae tractationes et ipsae artes, et quod uni applicatur nequit alteri vel ceteris accommodari.

Venerabiles Patres, mundus in quo hodie vivimus in novum historiae cursum flectitur; sed Ecclesiae historia et causa, a mundi causa et historia non separatur.

Novus orbis, novus rerum ordo prae stupentibus oculis nostris fabricatur, qui rhythmo celeri evolvitur. Huiusmodi autem mundi nota reponenda est in extraordinaria facilitate communicandi inter homines et conceptiones et cogitata propagandi.

Communitas enim humana instrumentis audiovisualibus et prelo, vincula, quibus totum genus humanum inter se compaginatur et divincitur, renovata potioreque conscientia hodie agnoscit. Cras alia nova subsidia haec vincula communis societatis stringent.

Hic est mundus noster qui, dum hodie funditus permeatur, magis cras permeabitur et imbuetur communicationis socialis instrumentis: hic mundus materialismum, feritatem, paganitatem sapiet, vel secus auram christianam respirabit. Res a nobis pendet; nam certum est populos et nationes ab opinionibus et ideologiis conduci quae super faciem mundi dominantur, ideoque ex his instrumentis, a quibus opiniones huiusmodi quam maxime pendent.

Hac de causa, Ecclesia, sub ductu Summorum Pastorum, ad has artes animum convertit, cum probe noverit eas maxime valere ad novum rerum ordinem instaurandum.

Venerabiles Patres, mundus, nobis luce Evangelii erudiendus, non amplius, sicut Media Aetate fiebat iure meritoque, theologicis disputationibus attendit.

Iam desivit, proh dolor, talis aetas. Nobis onus incumbit evangelizandi in aetate quae nos premit, scilicet hunc nostrum mundum hodiernum, mundum technicum; qui salvari nequit nisi nos ad illa instrumenta accedamus libere et fidenter ad gloriam et laudem Evangelii. Omnis enim doctrina quae hodie mundum sibi lucrari cupit, debet his validis instrumentis, idearum et opinionum communicatoriis subsidiis, uti, quae sunt prelum, ceteraeque artes audiovisuales.

Evangelium hanc legem universalem effugere nequit.

S. Paulus certissime non haesitaret, ulla interposita mora, ad haec subsidia confugere ut christianum nuntium, tam sibi urgentem, propagaret.

Pro certo facultas nobis non dabitur Evangelium tot animabus no-

bis concreditis ferendi, iis praesertim « qui in tenebris et in umbra mortis sedent » nisi nos quoque his instrumentis fidenter utamur.

Regnum enim Dei in causa est: cuius regni nos, vitam, gloriam et pacem propagare, corde et animo, Dei gratia opitulante, studemus: regnum iustitiae, amoris et pacis! Dixi.

In textu typis impresso: [1] cf. prooemium n. 2. [2] cf. prooemium n. 3. [3] (Pierre l'Ermite, 1934). [4] cf. pars I, cap. I n. 7. [5] cf. pars I, cap. I n. 8. [6] cf. schema, Pars I. [7] cf. schema, Pars II. [8] cf. schema, Pars III. [9] cf. schema, Pars IV.

Praeses card. CAGGIANO: Et nunc ad disceptationem schematis *de instrumentis communicationis socialis* in genere procedamus.

4 – PATRUM ORATIONES

1

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Patres,

Recte et iuste in Sacro Concilio Vaticano tractantur communicationis socialis instrumenta, quorum vim maximam sive pro bono sive pro malo, omnes homines cordati agnoscunt. Placet hoc schema in quantum bene exponit ius Ecclesiae his instrumentis utendi et rationes, quibus ipsi competunt praesertim veritatem et institutionem christianam propagandam et explicandam. Item placet quatenus gravissimum auctoritatis civilis officium affirmat, rationes boni communis ordinandi et iustas leges vigilanter consulendi, ne ex horum instrumentorum pravo usu publicis moribus obveniat.

Instrumenta communicationis socialis propter technicae artis inventa cotidie progressum faciunt et facile modificantur, evolvuntur et transformantur. Concilii Oecumenici non est his de rebus quaestiones nimis particulares pertractare, quae ad adiuncta hodierna ita pertinent, ut decreta Concilii in posterum non diu valeant.

Schema tractat [1] de disciplina et ordinatione ecclesiastica in usu instrumentorum communicationis socialis. Harum maior pars relinqui posset peculiari consilio in Curia Romana a Pio XII constituto et a Ioanne XXIII in stabile et permanens officium evecto cum competentia

aucta...[2] Agitur de quibusdam communicationis socialis instrumentis singillatim consideratis, nempe de prelo, de cinematographeo, de radiophonio, de televisione, et de reliquis instrumentis; *quae* [3] nimis longa *apparent,*[4] res particulares nimis *evolvunt,*[5] et repetitionibus *abundant.*[6]

In prooemio huius schematis optime proposita est omnibus hominibus bonae voluntatis invitatio. Experientia nostra in Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus docet homines cordatos tam catholicos quam acatholicos collaborare posse ut nova haec inventa in hominum utilitatem et in societatis bonum unice flectant. Videtur peropportunum esse reiterare hanc invitationem in adhortatione huius constitutionis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In parte tertia tractatur. [2] Quae hac de re in schemate servanda esse reputantur, poni possent in parte I vel II. In parte IV. [3] Haec pars. [4] est. [5] evolvit. [6] abundat. Moles eius reduci posset et partes servandae poni possent in parte I et II.

2

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

Quae in hoc schemate legimus optima mihi videntur, perite et scienter tractata: omnia suffusa sunt spiritu vere pastorali et ardenti studio salutis animarum. Quapropter, gratiae et laudes *multae* [1] agendae sunt commissioni quae tantopere laboravit ut eximiam doctrinam nobis subiiceret.

Dubito vero an sit opportunum in constitutione conciliari tam fuso sermone dicere. De singulis enim communicationis socialis instrumentis plura *evidenter,*[2] etsi locutionibus diversis, iterantur: verbi gratia, de momento instrumenti, de ...[3] usu in sacro ministerio apostolatus, de normis moralibus *servandis,*[4] et ita porro.

Deprecor, venerabilissimi Patres, ut mihi parcatis si nimium audeo.

Forsan, recensitis talibus instrumentis, posset paucis *et universe* [5] declarari *momentum eorum instrumentorum,*[6] immo ...[7] necessitas ad celerius et efficacius diffundendam veritatem evangelicam, ad errores contra fidem et mores refutandos, necnon ad ...[8] cultum civilem fovendum.

Dicendum insuper esset breviter de iure et officio Ecclesiae in hac re, *de ordine morali obiectivo servando,*[9] de officiis potestatum civilium,

de disciplina tenenda et curis adhibendis ab omnibus fidelibus, maxime a sacerdotibus (plus minusve ut in schemate ...[10] habentur).

Reliqua autem in epitomen facile esset conferre.

Extra constitutionem conciliarem, ampla instructio de hoc ipso gravissimo argumento, maximae quidem utilitatis, postea edi poterit. **Dixi.**

In textu scripto tradito: [1] plurimae. [2] deest. [3] eius. [4] quae semper servari debent. [5] deest. [6] instrumentorum omnium communicationis momentum. [7] hodierna. [8] rectum. [9] deest. [10] ipso.

3

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCÓN

Episcopus Celsonensis

Venerabiles Patres,

Ad hoc schema *de instrumentis communicationis socialis* quaedam in genere notanda censeo...[1]

1. Schema breviari oporteret. Communia lineamenta persequi proprium Concilii videtur, non vero minima et singula quaerere.

Omnia praeterea haec instrumenta communicationis socialis continuo progrediuntur. Praevideri nequeunt novae quaestiones quas secum afferent, nec ea sunt stabilitate ut normae arctae et definitae stabiliantur. Secretariatui iam constituto concredatur normas et dispositiones determinare prout tempora et adiuncta postulent.

2. Perspicue exponitur in schemate ius Ecclesiae his subsidiis utendi. Expediret forsitan eorum usus finem pastoralem etiam significare. Cui fini pastorali duplex aspectus est: *negativus*: incommoda compescere quae ex his instrumentis oriri possunt, maxime hominibus parum institutis; et *positivus*: rectae ipsorum institutioni consulere.

Spectacula et oblectationes praecipue, Ecclesia non potest praebere nisi pastoralis causa; eius missio certe non est delectationi esse hominibus. Iustificari admodum possunt cum ex eis pericula ordinis doctrinalis vel moralis fidelibus vitentur, vel quando profecto informationi vel institutioni positivae quam Ecclesia efficere tenetur, faveant, vel ut filiis suis ludicra sana offerat quae interdum sunt quidem necessaria. Hoc indicium mihi opportunum videtur quia lusus atque lascivia talem praeeminentiam tulit in vita populorum, ut non numquam seria et gravia ludorum causa praetermittantur. Nimia praeterea oblectamenta nociva sunt. Interdum

officiosa sedulitas sacerdotum eo ducit quo immoderata oblectamenta parent, nimietati favendo, quae certe nociva est.

Non [2] desunt sacerdotes qui pluris hunc actum faciant, quam exercitium ministeriale et sacramentarium, quod quidem sine detrimento animarum fieri non potest.

3. Haec cuncta instrumenta communicationis socialis diversas species habent quae singillatim sunt perpendendae, cum de eorum usu ab Ecclesia adhibendo et de in eis interventu sacerdotum agitur: speciem sive adspectum pastoralem et apostolicum; atque speciem technicam et oeconomicam.

Ut subsidia sunt apostolatus liquet Ecclesiam eis plane et libere uti posse. Certis conditionibus eis sacerdotes nitentur.

Sed etiam in hoc sensu apostolico necessarium duco patefacere hanc actionem aptiorem laicis quam sacerdotibus esse. Nunc, cum laici conscientiam suorum munerum erga Ecclesiam efformarunt, et Ecclesiae ad apostolatum sese offerunt, quam *maxime* [3] opem ex eis recipiamus, ut sacerdotes ministerio sacro expeditius vacent, in quo nempe a laicis suppleri est nefas. Haec notanda, credo, in schemate.

His cunctis instrumentis communicationis socialis opus est fundamento oeconomico. Ad hoc praevalere debet ratio oeconomica; ista enim subsidia peculiaribus legibus sunt sancita, quae semper teneri debent, si corruere nolumus; quamvis finem apostolicum persequamur. Potest Ecclesia formaliter horum instrumentorum officio teneri, maxime non urgente gravi necessitate? Possuntne sacerdotes iis periculis oeconomicis implicari, quae, experientia teste, exercitium sacerdotale postea praepediet?

Non parva detrimenta oeconomica ad hoc quod dicimus — non rara autem cum moderator sacerdos est, institutionis necessariae expers ideoque iudicio mere oeconomico aut *mercatoris* [4] procedere nequit — insigne damnum animabus intulerunt.

Est adhuc et species technica: de qua etiam dicendum maxime ad laicos attinere. Haud infitior sacerdotes, quibus apostolatus sit in hoc medio exercitandus, certis cognitionibus technicis indigere, quibus opus erit etiam ut in principia moralitatis inducant.

Sed non sequitur, nec consentaneum est, ut omnes sacerdotes ius sibi aut etiam officium sumant horum mediorum technicam cognoscendi, aut ex hoc removeant culpam spectacula adeundi; immo credo non multos sacerdotes fore, qui his actibus incumbant, praesertim cum aliquibus locis Ecclesiae magna sit penuria sacerdotum.

Providentialem puto hanc laicorum ad apostolatum adnumerationem. In schemate proprio indoles eorum actionis definietur. Sed necessarium

existimo ut in hoc schemate, ubi de auxiliis agitur, quae etsi pastoralia, necessario quaestionibus oeconomicis et technicis — humanis nempe — cohaerent, statuatur eorum usum, etsi pastoralem et apostolicum, laicis praesertim esse relinquendum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et qua par est reverentia Patribus Conciliaribus submitto. [2] Nec. [3] maximam. [4] mercatorio.

4

Exc.mus P. D. ALBERTUS SANSCHAGRIN

Episcopus tit. Bagensis, coad. c.i.s. Amosensis

Venerabiles Fratres,

Omnino commendabile videtur schema de instrumentis communicationis socialis. Cum enim sibi ac nobis proponat ad Evangelium omnibus gentibus annuntiandum usitatis vel saltem obsoletis mediis nova atque efficaciora inventa substituere, nullum est dubium quin suffragia nostra mereatur. Hac autem in materia, mihi liceat quoddam votum exprimere.

Iam ab exordio constitutionis, scilicet n. 1, lin. 7 necnon et sequenti, instrumentis « quae non modo singulos homines, sed ipsas multitudines totamque humanamque societatem attingere valent » laudes efferuntur. Ab istis verbis praesens votum vobis submittitur: « ut in praedicta societate, illis mediis communicationis gratificanda, etiam episcopi designati veniant ». Pressius vero exoptatur ut episcopi per orbem dispersi ex illis instrumentis, praesertim ex vulgo dicta « posta aerea », maiorem adhuc fructum ab ipsa Sancta Sede percipere valeant. Sicque romani magisterii documenta, quae episcopis ad fideles suos regendos maxime inserviunt, citius et (ut vehementer desideratur) in tempore opportuno illos in posterum attingerent.

Hucusque, ut omnes norunt, nonnisi mediante periodico *Acta Apostolicae Sedis* dicto, vera ac certa mens huiusce venerabilis Sedis nobis aperta facta est. Accidit autem ut illud periodicum modo seu intervallo plus minusve stabili typis exscriptum fuerit; quinimmo ut, semel exscriptum ac per vias consuetas directum, vix intra triginta dies — ad nos saltem in America Septemtrionali — pervenerit.

Interim vero, statim ut Sancta Sedes hic Romae quemcumque nuntium publici iuris facit, festinant internationalia officia, quae prelo nutriendo dant operam, illum nuntium revera ubique terrarum at suo

modo singulari spargere. Officia illa, ut constat, praesertim, sin unice, nuntiorum exquisitores sunt. Nil igitur est mirum, si veritatem non raro offendunt, cum textus truncatos vel deformatos vel modo nimis subiectivo interpretatos praebere satis habent.

Quae cum ita sint, non solum ab obiectiva veritate aversi sunt quandoque fideles nostri, sed ad tempus in conscientia serio turbati esse potuerunt. Eodem tempore nobis ipsis episcopis, pariter ieiunis etsi pastores positi simus, prorsus impossibile fuit dubia dirimere, et animos confortare, errores ex auctoritate detegendo ac genuinam Sanctae Sedis mentem aperiendo.

Exemplum sint Litterae Encyclicae *Mater et Magistra*: ubi primum per viam illorum officiorum internationalium nobis nuntiatae sunt. De « socializatione », ut ita dicam, in hoc textu sermo habitus est. Sine mora, in foliis periodicis, praeterquam in emissionibus radiophonicis et televisificis, cum laetitia vix dissimulata firme pronuntiatum esse Summum Pontificem feliciter regnantem « socialismum » tandem monstrare tamquam ingruentium malorum remedium. Sed quid? nonnisi post dies — immo hebdomades plures —, videlicet quando authenticus Encyclicarum Litterarum textus ad nos usque pervenit, nobis datum est praedictam aequivocationem corrigere.

Alterum sit exemplum inter alia: abhinc paucis annis, ieiunium eucharisticum legislationem modificatam accepit. De quo innumera, alia credibilia alia sane incredibilia, in prelo statim nuntiata sunt. Exinde magna confusio in mente fidelium orta est. Quomodo autem, textu decreti absente et sat diu desiderato, veritatem restaurare ac commentari poteramus?

Concludo. In art. 21 praesentis constitutionis, opportune vindicatur et exacte definitur « ius, quod in societate humana inest, ad informationem de omnibus quae singulis, vel coetibus, secundum uniuscuiusque conditiones, conveniant ». Nonne episcopi, qua pastores animarum, pariter iure quodam apud Sanctam Sedem fruuntur ad informationem, rapidam quidem, immo ceteris priorem, ad omnia quae ad dioeceseos administrationem spectant? Si enim vere omnium priores instruuntur de iis quae ab Apostolica Sede interdum decernuntur, constanter parati erunt episcopi fideles suos illuminare atque contra fallacias sponte defendere ubi istae in prelo vel in nuntiis radiophonicis ac televisificis fortuito exhibentur.

Pag. 230, n. 56 et n. 57, rogatur ut Officium, a Pio XII constitutum et nuperrime stabile ac permanens a Ioanne XXIII feliciter regnante pronuntiatum, competentiam et munera sua extendere possit « ad omnia communicationis socialis instrumenta ». Fortasse inter praedicti Officii

munera adnumerari posset illud: episcopos universos quamprimum instruendi — prae ceteris equidem — de omnibus Romani Magisterii documentis et de omnibus decretis indolem sive canonicam sive pastoralem sibi vindicantibus. Quo aptius servetur interim secretum, insimul episcopis dies indicetur in qua Sancta Sedes quodcumque novum documentum publici iuris facere sibi proponit.

Hoc, salvo meliore iudicio, medium vere efficax nobis videtur ut generalis ipsius constitutionis scopus sedulius obtineatur. Dixi.

5

Exc.mus P. D. GEORGIUS BECK
Episcopus Salfordensis

Venerabiles Patres,

Sodalis fui secretariatus *de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis,* qui vero hoc schema praeparavit, quique modo cum commissione *de fidelium apostolatu* sociatus est. Hodie loqui volo nomine meo, non ut sodalis illius secretariatus. Sermo igitur meus nullo modo enuntiat sententiam secretariatus neque exprimit iudicia alicuius sodalis.

Hoc schema, iudicio Patrum conciliarium propositum, magno cum labore, ex ingenti studio et argumentatione a sodalibus et peritis secretariatus elaboratum fuit. In manibus nostris, mea humili sententia, documentum habemus finibus pastoralibus plene adaptatum, quod vero delineat quibus modis Ecclesia mediis communicationis nostrae aetatis uti valeat in quocumque campo, necnon fideles exhortans ut conscientiam sibi efforment de recto usu eorumdem. Gratias igitur peragere debemus iis qui tam strenue laboraverunt. Tractatum pastoralem maximi valoris expoliti sunt.

Attamen, praecise quia fructus huius investigationis tam copiosus est, praecise quia collaboratores huius studii funditus rem examinaverunt, hoc documentum se praebet, meo iudicio, omnino ineptum ut de eo fiat disceptatio in congregatione generali Concilii Oecumenici.

Nemo enim est qui non est corde inquietus quod usque adhuc tam pauca in Concilio absolvimus. Plurimi Patres onerantur rebus gerendis in eorum dioecesibus. Sibi conscii sunt rationis eorum praesentiae in isto Concilio quae adscribenda sit generositati fidelium. Desiderant opus dignum in hoc Concilio perficere.

Propterea, deliberationes nostrae tales debent esse ut tempestive ad

finem practicum attingant, ut exigentiis vitae fidelium quotidianae satisfaciant. Tali enim modo isti fideles in vita christiana confirmabuntur.

Unde omnino necesse est ut deliberationes nostrae non sint nimis protractae quando agitur de materia quae facilius et perfectius determinari possit alio modo. Multae enim remanent quaestiones maximi momenti quae adhuc examinandae sunt.

Iam notavi schema nobis propositum non esse, meo iudicio, aptum ut res dirimi posset in aliqua congregatione generali, et hoc propter duas rationes.

Prima: relate ad materiam in schemate contentam. Omnia quae hic inveniuntur iam omnino adaequate illustrantur in documentis pontificiis recentioris aetatis, praesertim in litteris encyclicis *Vigilanti cura* Papae Pii XI et *Miranda prorsus* Papae Pii XII editis, necnon Motu Proprio *Boni Pastoris* Papae nostri Ioannis XXIII feliciter regnantis, mense februario, anno 1959 publicato.

Iam vero, in his documentis inveniri possunt non solum omnia principia quae observanda sint in usu mediorum communicationis socialis, sed etiam id quod in praxi faciendum est ad pericula vitanda et ad veritatem diffundendam pro bono totius Ecclesiae.

Secunda ratio: quoad formam praesentationis. Schema est nimis longum et diffusum; tractat sine necessitate de minimis. Si vero comparetur cum illis constitutionibus quas adprobavit Concilium Vaticanum I, facile patet hoc schema minime aptum esse quatenus laboret indole nimis historica, didactica et hortativa.

Ne dicam non adesse pericopas magni valoris. In cap. II, partis I, verbi gratia, dantur disceptationes utilissimae de libertate informationis, de libertate artis, et de mali moralis tractatione. Spectant vero ad peritos, in aspectibus technicis publicitatis bene instructos necnon in principiis moralibus eis applicandis institutos, huiusmodi problemata communicationis et spectaculorum dirimere. Minime prorsus ut opinor tractanda sunt coram universis Concilii Oecumenici Patribus.

Igitur, ad res citius tractandas, ne per hebdomadas tempus inutiliter perdatur, hoc praecise propono ut hac ipsa die, vel saltem non tardius quam sabbato crastino, Patres interrogandi sint utrum hoc schema illis *in genere* placeat an non. Tale suffragium, utpote — uti sperandum est — positivum, certe ostenderet nos omnimode gratos esse erga Sanctam Sedem ob multa bona iam consecuta ex illo Officio stabili et permanente ipsius Sanctae Sedis, iam constituto, ut notatum est in art. 56, pag. 230, necnon in sequenti voto postulanti munera et competentiam huius Officii ad omnia communicationis socialis instrumenta, prelo non excepto, extendenda esse. Tale igitur permanens Officium munus haberet in praxim

deducendi plurimas propositiones in hoc schemate contentas. Non nobis sit munus in Concilio singula capitula in specie considerare.

Forsan omnes commissiones praeparatoriae schemata nimis longa, nimis prolixa ediderunt. Una cum Doctore gentium tamen confiteri possint: « Ignoranter peccavimus ». Nemo inter nos, ne quidem ille ceteris nobis aetate provectior *gratulandus* [1] — Pater centenarius — experientia practica Concilio Oecumenico gaudet. Solummodo decursu sat multarum congregationum generalium experti facti sumus quomodo protractae deveniant deliberationes de schematibus nimis longis apud duo milia Patrum et quingentos.

Peccatum, ut ita dicam, iam commissum est. Nunc ergo agitur de proposito firmo nostraemet emendationis. Schemata hucusque nobis delata, illa quoque nobis mox proponenda, iterum redigenda sunt, si fieri possit, ab illis commissionibus nuper creatis. Restringenda vero sit materia, posthabitis omnibus praeiudiciis, illis rebus quae congrue penes Concilium Oecumenicum considerari possint, omni materia minoris momenti prorsus exclusa. Hoc modo Concilium faciliter finem deliberationibus suis tempore rationabili imponere poterit. Res gestae numero et natura dignae quoque erunt Concilii Oecumenici. Alioquin, si ulterius procedamus ut hucusque procedimus, minime nos, sed successores nostri suffragia ferre debebunt super constitutionibus quarum schemata a nobis prius considerata fuere. Cum psalmista ergo dicamus: « Dixi, nunc coepi ». Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

6

Exc.mus P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA
Episcopus Cauriensis-Castrorum Caeciliorum

Venerabiles Patres Conciliares, Fratres carissimi,

Inter aptissima media communicationis socialis, Concilium Vaticanum II specifice numerat in hac parte IV, cap. II, cinematographeum.

Mirifico modo a commissione pontificia in hoc capite recoluntur omnia illa, et quidem maxima praecisione, pro studio huius instrumenti, attentis peculiaribus necessitatibus hodiernis.

Nemo non videt progressum cinematographicum decursu temporis, quin alia instrumenta ut radiophonia et televisio illud reliquerint in secundum terminum nostris diebus.

Ex alia parte nos omnes, venerabiles Patres, conscientiam habemus gravissimae missionis educativae iuventutis, immo et totius populi christiani, ad quam omnibus mediis quae ingenium humanum nobis praebet, cooperari debemus. Maxime si attendamus ad hoc: quod sana recreatio, ut aiebat Pius XI, est urgens et imperiosa necessitas pro illis, nempe pro omnibus, qui agitantur in occupationibus vitae.

An ignoramus pericula quae cinematographeum infantiae, adulescentibus, et omnibus spectatoribus proportionat, quando pelliculae fiunt solum cum animo mercenario, cum fine politico, propagandistico, et — quod deterius est — fine nefario, ordini morali totaliter opposito?

E contra, quam maximae utilitatis et quam praeclarum medium educativum et formativum nobis offert illas vividas repraesentationes impressas in mente singulorum spectatorum in harmonia cum ordine morali.

Post triginta annos a prima encyclica pontificia circa cinematographicam artem, evolutivus progressus huius medii communicationis crescit in diem, modo acceleratissimo.

Cinematographeo successit cinemascope et hodie ita celeriter evolvitur ut intra breve tempus cinerama relinquet in viam desertionis ipsum cinemascope. Post paucos annos, realitas ita erit: nullus desiderabit assistere proiectioni pellicularum nisi sub forma cinerama.

Et nos omnes, venerabiles Fratres, conscientes nostri officii pastoralis, parati esse debemus, si in hora omnino inefficaci, non intendamus accedere huic processui.

Ad hoc enim, inter principia quae a commissione pontificia exponuntur in hoc capite secundo, invenimus sub n. 94, illud in quo statuitur: « Commendatio unionis in actione ».

Et bene quidem. Necessarium omnino est quod Ecclesia Christi una in regimine, una etiam sit in hoc medio diffusionis, nam, ut experientia nos docet, effectum intentum cum hoc medio, non consequitur.

Sed mihi videtur, quod satis non est, nostris temporibus ut unio commendetur. Necesse est et Concilium talem unionem consequatur, alioquin res in eodem statu, cum gravi periculo, manerent.

Propter hoc, et iuxta meam aestimationem, cum non sit tempus amplius demorandi in hac materia, Concilium mediante commissione ad hoc designata, elaborare debet normas concretas:

1. Ad consociationem foederatam nationum, sive ratione linguae, vel propinquitatis, vel maioris adiutorii requirentium, ita ut pro ipsis una vel plures sint, communes domus effectorum teaniolariorum.

2. Concilium iubeat etiam multiplicationem auditoriorum, inter ipsas, ita ut modo effectivo consolidetur maior numerus repraesenta-

tionis, et consequenter illa summa nummularia obtineatur quae requisita sit pro ampliori sustentatione talium effectorum taeniolariorum.

3 et ultimo. Istae confoederationes inter plures nationes insimul confoederentur cum effectoribus taeniolariorum in ambitu supremo internationalitatis, explicite a Concilio designato, ad hoc ut ex ipso iuvamen recipiant; et in brevi tempore vera realitas sit pro ipsa Ecclesia Christi repraesentationes cinematographicae, pro omnibus nationibus, sub novo progressu cinerama vocatum.

Si ita consequamur, venerabiles Patres, mihi videtur, exercitium nostri officii pastoralis circa diffusionem verae doctrinae, in magna parte, obtentum seu assecutum esse, quatenus vivide pertingeret ad omnes qui ad Ecclesiam non accedunt. Dixi.

7

Exc.mus P. D. HERBERTUS BEDNORZ

Episcopus tit. Bullensium Regiorum, coad. Katovicensis

Venerabiles Patres,

In Concilio inter res magni momenti, quae habent valorem non unius diei sed longorum temporum, instrumenta communicationis socialis etiam pertinent. Sine dubio habemus ad tractandas res maioris momenti, ut e. g. de Liturgia, de Ecclesia. Attamen instrumenta communicationis socialis rem vere actualem constituunt.

Ante ultimum bellum organisationibus catholicis et unionibus ab iis convocatis *magnum valorem* [1] attribuimus. Hodie maiorem valorem instrumentis communicationis socialis, i. e. prelo, cinematographeo, radiophoniae et televisioni, concedimus, quia sine interruptione novum hominem educant. Schema quod de hac re tractat generaliter placet. Demonstrat enim positivam relationem Ecclesiae erga notabilem progressum ultimis temporibus acquisitum, specialiter in cinematographeo, radiophonia et televisione.

Quando schema aliquas animadversiones negativas facit, methodis indicis librorum prohibitorum non utitur. Habet enim in mente, ante omnia, actionem positivam, educativam, pastoralem, qua omnes catholici et homines bonae voluntatis, praesertim autem iuvenes, amplectantur. Incipit autem annis quando liber catechismi explicatur, ut hoc constat e parte II, cap. I, par. 38 schematis. Normae generales huius schematis debeant fieri regula conscientiae nostrae, nostrorum sacerdotum, omnium parentum necnon magistrorum.

Usque adhuc, enim, valorem practicum preli recognoscebamus, aliquo modo radiophoniam aestimabamus. Sed minimam animadversionem cinematographeo et televisioni attribuebamus. Secundum nostrum iudicium alii similiter procedebant, quod non erat rectum. Nostri enim temporis homo, praesertim iuvenis, aliter sentit. Educatus et formatus specialiter per imaginem cinematographicam et televisificam, mentalitatem novam acquisivit, in qua maximi momenti sunt concretae imagines et non abstractae ideae, *ut egregie em.mus card. Léger dixit in oratione ad Congressum Internationalem de cinematographeo.*[2] Debemus hoc in memoria retinere ut possimus magis magisque contribuere ad divulgandam doctrinam catholicam in hac materia exsistentem.

Nonnullae partes schematis mihi nimis longae videntur. Propterea debeant abbreviari, ut ex. gr. in parte I, capp. I et II. Etiam alterae partes, excepta quarta parte, abbreviari possint, quia amplectuntur multitudinem particularium notitiarum quae in unaquaque regione differentes *exsistunt.*[3]

Quia hodierni spectatores nimis frequenter passive assistunt pelliculis valde fatuis superficialibusque, omnes qui vim exercent in novis pelliculis producendis petuntur, ut novae pelliculae contineant elementa meliora profundioraque, in quibus valor religiosus et moralis numquam abesset. Haec adnotatio pertinet ad partem IV, cap. II.

Praeterea propono ut actio photographica in ecclesia divinis officiis durantibus ad minimum necessarium reducatur. Disturbat enim non solum celebrantem sed etiam christifideles. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] sunt.

8

Exc.mus P. D. FRANCISCUS CHARRIÈRE

Episcopus Lausannensis-Genevensis et Friburgensis

Em.mi ac exc.mi Domini,

Gratias ago Summo Pontifici nostro Ioanni et consiliariis eius pro insertione, inter schemata in Concilio Oecumenico disputanda, propositionum de mediis technicis divulgandi veritatem et errores.

Quasdam animadversiones omnino generales de momento praesentis schematis in limine disceptationis facere intendo, ratione habita mei muneris protectoris associationis internationalis vulgo « Unda » dictae.

1. Diffusio preli, cinematographei, radiophoniae et praesertim televisionis hominibus praebet amplissimas possibilitates acquirendi scientiam de omni re scibili. Et quidem si de radiophonia, cinematographeo et televisione agitur, non solum notiones abstractae praebentur et assimilantur, sed omnes vires sensibiles animi, per vocem loquentis directe perceptam, magis adhuc per imagines, simul moventur et ita influxum maximum exercent.

Sunt ergo, per se, illa instrumenta media mirabilia instructionis et etiam educationis hominum; eo magis quod in singulas domos et per totum fere orbem penetrare possunt.

Ex alia parte illa mirabilia instrumenta devenire possunt media, quibus homo, facilitate attractus, desinit iudicare per seipsum, iudicio personali, de rebus descriptis et argumentis prolatis. Tot nostri temporis homines absque ulla vel fere ulla personali perscrutatione, caeco modo ea ut vera et iusta admittunt quae folia diurna vel hebdomadaria proferunt. Tot adhuc numerosiores qui delectantur ita imaginibus ut non amplius perseverantiam sufficientem habeant notiones abstractas acquirendi. Multi non tam ideis, *notionibus,*[1] quam imaginibus ducuntur. Ducuntur, dico: iam non amplius se ipsos determinant ad agendum, et fiunt sic instrumenta quibus aliqui viri audaces utuntur ad finem suum attingendum.

Unde de istis instrumentis dici potest quod apostolus Iacobus de lingua...[2] Ex his iam apparet Ecclesiam non posse praescindere ab istis mirabilibus instrumentis. Debet eis uti ad fideles suos informandos, simulque vitandum ne erroribus imbuantur.

2. Accedit *tamen*[3] ad haec ratio magis propria christianis. Nam religio nostra est *revelata.* Numquam homo potuisset per seipsum scire quomodo Deus nos diligit. « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret »...[4] Hoc solummodo *revelatione* innotescit; ideoque tales veritates homo tantum praedicatione Ecclesiae cognoscere valet. « Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? »...[5] Necessitas ergo mediis communicationis utendi maior est pro nobis quam pro philosophis vel moralistis mere humana docentibus.

Unde qui mediantibus prelo, radiophonia, televisione doctrinam et vitam Ecclesiae declarant, indigerent, per se, ad instar praedicatorum verbi divini, missione quadam canonica.

3. Quid autem haud raro accidit? Quia instrumenta illa pericula « depersonalisationis », prout dicitur, admixta habent, multi adhuc inter nos quadam diffidentia affecti, ea media non ut necessaria adhibenda reputant. Et hoc non obstantibus monitis Summorum Pontificum, prae-

sertim per Encyclicas *Vigilanti cura, Miranda prorsus* et Motu proprio Sanctissimi Papae Ioannis nostri. Cum iure meritoque dictum fuit apostolum Paulum, si hodie vixerit, prelo procul dubio usum fuisse, quanto plus dicendum est ipsum et radiophoniae et televisionis usum nequaquam neglexisse. Unde ista instrumenta non secundaria vel quasi « facultativa » sunt, sed necessaria omnino Ecclesiae hodiernae. Proinde adiuvandi sunt, et materialiter quidem, ii omnes qui se dedicaverunt divulgationi Evangelii per radiophoniam et televisionem, praesertim cum, ut statistica docet, media humanitatis nostrae pars artem legendi nondum calleat.

Plura alia dicenda essent, quae secretariatui generali in scriptis tradam.

Per modum conclusionis, dicam magni omnino nobis faciendum esse schema propositum — etsi forsan brevius redigendum, distinguendo nempe, ut proposuit em.mus card. Ruffini, inter constitutionem brevem et regulas practicas — *sed etiam* [6] invigilandum ut sedulo in praxim deducatur ab omnibus qui rationem Deo reddere debent de deposito eis commisso ad salvandas animas. De praepositis in Ecclesia, Scriptura dicit: « Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri »... [7]

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (cf. *Iac.* 3, 1-6). [3] deest. [4] (*Io.* 3, 16). [5] (*Rom.* 10, 14). [6] et. [7] (*Hebr.* 14, 17).

9

EXC.MUS P. D. EMMANUEL FERNÁNDEZ-CONDE
Episcopus Cordubensis

Venerabiles Patres,

In schemate *de instrumentis communicationis socialis,* si historiam Conciliorum attendimus, de rebus vere novis agitur, quia in superioribus, aut nondum erant talia media, aut influxu et praepotentia hodierna carebant. Quam ob rem, animadvertendus est nisus commissionis praeviae, ut constitutionem ad praesens ignotam nobis proderet.

Nemo non videt quaestiones ordinis moralis quae ex usu horum instrumentorum communicationis derivantur; et christifideles a Concilio exspectant ordinationes claras et efficaces quibus haec materies difficilis et subtilis moderetur.

Nescio tamen, submisse dico, utrum finis propositus sit plane adeptus. Non pauca profecto erunt in schemate emendanda. Schema enim, ex documentis pontificiis superioribus est collectum, maxime ex Litteris

Encyclicis *Vigilanti cura* Pii XII, *Miranda prorsus* Pii XII, aliarumque orationum huius Pontificis fragmentis.

Rei expositio primo obtutu apparet facta vaste et prolixe, nocent saepius repetita; maioris ergo vis esset, si clare et concise colligeretur, quo brevius schema fieret.

Nec modus dicendi Concilii negligi potest, nec prospectus unde cuncta sint ei prospicienda. In textu enim schematis praetermittendae essent introductiones — interdum « partitiones » vocantur — ad diversas partes in quibus solummodo quaestiones tractandae innuuntur.

Inventaene sunt aliquando in textu conciliari, vel in ipsis notulis, istae « declarationes » quas ad finem articulorum videmus?

Non semel, sed saepius — ex. gr. nn. 12, 19 et 23 conferantur — loquitur schema de Patribus Concilii; quare haec *distinctio* [1] introducitur? An idem significat *aeque ac* [2] Concilium? Si ita sit, causa nulla est ut haec differentia stabiliatur.

Aliqua praecisius enucleanda sunt. In n. 53, exempli causa, cum sermo sit de clericis saecularibus et regularibus quibus adlaborandum est in apostolatu instrumentorum communicationis, ut moderatores et consiliarii, indicat licentiam auctoritatis competentis requiri, quin amplius significetur. Nunc vero, quis confusionem possibilem non videt in foro externo, cum alii credant necessariam esse licentiam episcopi, alii vero sufficientem existiment superioris religiosi? Minus hoc intelligitur, maxime si cum n. 54 conferimus, ubi in notula propria, pag. 229, nota 3, Encyclica *Miranda prorsus* definite loci Ordinarium designat, in textu vero negligitur. Immo hoc pugnat cum n. 58, ubi expresse dicitur haec in muneribus episcoporum esse.

Modus quaerendus vitandi iterationes quae profecto magnitudinem schematis augent. In nn. 21 et 31 ad 33 de iure ambitus potestatis civilis loquitur, quod iterum et expresse exaratur de unoquoque instrumentorum communicationis, exempli gratia in nn. 79, 93, 99.

Iura etiam Ecclesiae et eius missio ad haec relata in schemate exponuntur. Sed possemus quaerere, quid ait mundus de nostro schemate? Quae est eius vis persuasionis circa eos qui adlecti horum mediorum blanditiis neque aspectum religiosum vident, neque speciem moralem puri ordinis naturalis?

Lamentari admodum possumus conscientiam catholicorum non simpliciorem esse quoad lectiones et spectacula. Quid vero dicere deberet Concilium eis qui auctoritati Ecclesiae non parent, vel censent eius iuris non esse? Lugendus est modus quo negantur — et negantur quidem — iura Ecclesiae ad hanc materiam, sed maiori afficimur dolore, cum inopiam qua Ecclesia laboratur ad ea apostolatus instrumenta perspicimus.

Ideo maximi ponderis est quod in n. 46 asseritur de obligatione christifidelium in hac re.

Ad hoc fere tempus magnanimitas et caritas fidelium beneficentiam et docentiam fere complectebantur, hodie autem fidelibus patent magnae indigentiae et novae facultates quae immensum commodum essent animis — potissimum ubi plus impugnantur — et Ecclesiae.

Quidquid fiat ut fideles sua officia erudiantur in hoc sensu, satis non erit. Huius laboris efficientia non solum pendet ex coadunatione virium, officiorum *dioecesanorum et* [3] nationalium ope, de quibus in n. 59, sed cum quaestiones hodiernae fundamentis universalibus nitantur, plerumque necesse erit animum vertere ad consociationes internationales, de quibus in n. 62.

Fructus earum opimi essent. Ipsae copias morales Ecclesiae Catholicae pandent coram mundo et efficienter succurrent divisioni et unionis defectui inter catholicos, ex quo tam pravi effectus quoad usum horum instrumentorum communicationis socialis proveniunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] dictio. [2] acque. [3] deest.

10

Exc.mus P. D. IOSEPH D'AVACK
Archiepiscopus Camerinensis

Venerabiles Patres,

Fortassis mea vox aliquantulum extra chorum; velitis tamen ignoscere et benevolo attenti animo audire.[1]

Schema *videtur* [2] quasi redolere *quemdam* [3] nimium ingenuum optimismum. Obliviscendum non est quod instrumenta communicationis socialis, vel ratione qua hodie adhibentur — ut prelum —, vel — ut cetera — quasi ex ipsa natura sua:

1. Sunt etiam et simul instrumenta oblectationis et saepe agitur de oblectamentis moraliter deterioribus;

2. Operantur super sensus et phantasiam; blandiuntur visum per imagines saepe saltem immodestas, auditum per musicam mollem vel excitantem;

3. Egent mediis oeconomicis peringentibus; unde vinciuntur cum negotiis immanibus, in ordine nationali et internationali, necessario connexis cum vinculis et seductionibus, immo et corruptelis quae vel prospicere difficile est, impossibile moderari;

4. Egent opera cultorum artis, praesertim scenicae; et omnes norunt quod ii qui dicuntur « artisti », praediti cum sint exquisita sensibilitate et artis amore ferventes, aequali volubili facilitate rapiuntur argumentis optimis, et turpibus et obscenis, licet — ut aiunt — sub specie pulchri, sub specie artis.

Quae cum ita sint, haec sequuntur:

1. Inadaequatum et quasi illusorium remedium est « cineforum » et similia, cum generatim et invincibiliter animus spectatorum tendat non ad disceptandum, sed potius ad oblectamenta, ad evasionem a labore et fatigatione intellectuali et spirituali.

2. Impossibile videtur quod catholici praevalere possint per suam quam dicunt « produzione », per copiam et virtutem suorum operum.

3. Valde periculosum est immittere catholicos in artem cinematographicam et televisivam (quis nostrum, quaeso, tranquilla conscientia immitteret proprium alumnum, filium aut filiam spiritualem in tales artes?).

4. Extrema prudentia exigitur quoad sacerdotes et religiosos, propter tutelam suae vocationis et salutis spiritualis, et propter admirationem, immo scandalum pusillorum et non tantum pusillorum.

Deducendumne [4] igitur omnino deesse remedia? Utique catholici, quandoque et sacerdotes et religiosi, nonnumquam poterunt operam dare in producendis nonnullis spectaculis: attamen cum extrema exquisita cautela, tantummodo si praediti fortissimo, quasi dicam duplicato spiritu christiano, sacerdotali, religioso, ...[5] et mortificatione et oratione; quae omnia *explicite* [6] proclamanda et rigorosissime exigenda sunt...[7]

Videntur autem [8] urgenda quae sequuntur:

1. Suscitare ubique aliquid simile ei quae dicitur liga seu legio decentiae, de qua referuntur, ni fallor, felices fructus. Exc.mi episcopi Americae Septemtrionalis possent fortasse plura nos docere in proposito. Est argumentum practice validum erga productores...[9]

2. Ut patresfamilias, explicite et notorie quatenus tales, socientur in paroeciis, in pagis, ut instituant loca, auditoria pro spectaculis cinematographicis, televisivis. Nam eorum munus et officium, — dico munus et officium, eheu hodie nimis oblivioni et contemptui traditum —, est comparare oblectamenta honesta suis filiis. Patresfamilias inquam: non sacerdotes, non parochi, quorum munus est non oblectare, sed docere, educare, sanctificare; unde facile est dicere: « si meus parochus in suo cinema talia mihi ostendit, ego eadem agere et peiora possum! ». Sacerdotis, parochi erit excitare, adiuvare, et inspectionem et custodiam habere quoad sanitatem moralem spectaculorum.

Sed supremum et fundamentale remedium *videtur esse*: [10] revocare opportune et importune doctrinam christianam circa naturam, finem, li-

mites oblectamenti et recreationis, et circa necessariam mortificationem sensuum et phantasiae, circa occasiones effugendas: uno verbo, de cruce vitae christianae. His omissis vel non satis praedicatis et inculcatis, cetera remedia inutilia, illusoria, immo periculosa et damnosa evadunt, et impossibilia.

Quocirca, ut alias dixi et rursum *dolens dico,*[11] valde dolendum mihi videtur in schematibus hucusque nobis traditis parum vel fere nihil contineri de vera essentia vitae christianae, de mortificatione, de Cruce, praecise illic ubi dicendum fuisset: « ubi de ordine morali christiano », « de satisfactione Christi », etc.

Si tales veritates, vere vitales, positae fuissent quasi fundamentum totius Concilii, praecise quia pastoralis, disceptationes superiorum dierum ...[12] fuissent *fortasse*[13] omnino faciliores, simpliciores, fecundiores. Deficiente tali fundamento, valde timendum est ne etiam futurae disceptationes evadant difficiles, vagae, inadaequatae ad gravissima problemata hodierna in vita christiana, religiosa, sacerdotali. Pro felici exitu et fecundo huius Concilii, quod omnes perardenti animo cupimus, faxit Deus ut tandem aliquando explicite et firmiter condatur fundamentum ad universa Concilii decreta, revocando scilicet essentiam vitae christianae, Crucem vitae christianae, cum per ipsam et tantummodo per ipsam ad caritatem pervenire possimus, et caritatem in actum adducere. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] inter egregias dotes doctrinae, copiae notitiarum, zeli pastoralis, videtur tamen. [3] deest. [4] Dicendumne. [5] duplicata vocatione. [6] perexplicite. [7] (nonne usque modo interventus in cinema et televisione saepe fuit quasi larvata, quasi simulata evasio ab oneribus vitae christianae, sacerdotalis, religiosae?). [8] Sed potius videntur. [9] qui licet non mali, plerumque non turpi voluntate moti, sed vincti urgentia negotiorum, efficaciter tanguntur argumento oeconomico (incassi). [10] est. [11] dicam. [12] de Liturgia, de Revelatione. [13] deest.

11

Exc.mus P. D. EUGENIUS D'SOUZA

Archiepiscopus Nagpurensis

Venerabiles Patres Concilii,

Res, quam aggredimur, certe maximi momenti est, et omnino digna seria consideratione huius Concilii. Attamen, omnino oportet ut schema sit brevius et res contracte et astricte proponantur. Ut iam pluries

dictum est, schemata longiora sunt quam par est, et plures Patres sentiunt in his minutissimis Concilium fere inutiliter tempus terere. Revera, quid vult Concilium praebere in hac materia? Certe non catechismum exarare de hac re, vel tractatum conscribere!

Schema clare et firmiter statuit quaenam sint iura Ecclesiae circa usus instrumentorum communicationis socialis. Patet, hoc statuit quia in pluribus regionibus iura Ecclesiae laeduntur. Attamen, nonne sunt alia entia (privata ac publica) quae etiam sua iura habent? Non sufficit ut Ecclesia ea non neget; oportet ut ea positive agnoscat, quia vera iura sunt, et etiam quia talis agnitio illis entibus stimulus erit ut et ipsa strenue laborent pro praeservatione dignae moralitatis et pro propagatione veri boni cuiusvis generis.

Concilium occasionem nactum est universum mundum de re alloquendi et omnes homines ...[1] invitandi ad collaborationem contra malum et pro propagatione et defensione valorum moralium et spiritualium. An schema tamen sicut nobis proponitur ad finem intentum dirigit? Nonne nimis apparet ut mera repetitio idearum ac principiorum quae iterum ac iterum proposita fuerunt, et quidem optimo modo, in pluribus litteris encyclicis Summorum Pontificum? Nonne Concilium utilius mundo patefaceret extraordinarias potentialitates usus horum instrumentorum communicationis socialis, non tantum ad protegendam integritatem moralem et spiritualem, sed etiam ad communes et humanitati dignas solutiones inveniendas plurium problematum quae hodie genus humanum affligunt? Nonne Concilium optimum quid praestaret toti mundo indicando quomodo instrumenta communicationis socialis adhiberi possint ad solutionem problematis, v. g. famis et miseriae quibus tot nationes evolvere incipientes opprimantur? Problematis *denique*[2] belli et pacis, totque aliorum problematum, quae mentes rectorum nationum persistenter occupent? Omnino oportet Concilium de his rebus verba facere. Quae problemata, quamvis in aliis schematibus tractentur, etiam hic agitari debent sub respectu huius schematis proprio. Nonne enim, Patres toto animo desiderant ut Concilium, potius quam ad haec parva et nulla in schemate proposita descendat, haec magna problemata excudat et omnibus christianis aeque ac non-christianis quae haec instrumenta communicationis in sua potestate habent, indicent modum quo responsabilitati quam habent satisfacere possint.

Denique tandem loco continuae insistentiae in auctoritate Ecclesiae, nonne melius esset exhortare laicos nostros ut fidenter procedant in usu horum instrumentorum, semper quidem audientes vocem magisterii Ecclesiae, sed non semper a clero exspectantes ut in omnibus dirigantur? Nonne melius quam timorosa insistentia in periculis variis, de-

monstratio boni quod ope usus horum mediorum efficere possumus et debemus?

Venerabiles Patres,[3] Concilium hic optimam opportunitatem nactum est omnibus *christianis et non-christianis*[4] suggerendi ac proponendi ideam collaborationis universalis in usu horum instrumentorum ut simul inveniamus solutionem problematum humanitatis hodiernae, ideoque et promovendi *fraternitatem et*[5] unionem pro bono inter omnes homines *bonae voluntatis.*[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] bonae voluntatis. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] christianos et non christianos.

12

Exc.mus P. D. PETRUS CANTERO CUADRADO
Episcopus Huelvensis

Licentia vestra, venerabiles Patres, quaedam exponere intendo tum circa conspectum generalem huius schematis, tum circa fundamentalia quaedam eiusdem, in prima parte...[1] Ne ergo tempus praescriptum excedam, non loquar de qualitatibus et meritis schematis, quae quidem sunt dignissima laude...[2]

1. De forma externa schematis. Iam dictum est ab em.mo card. Ruffini, et aliis Patribus. Multa in ipso fusius exponuntur, iterata saepius exhortatione. Tanguntur praeterea res adeo singulares et concretae quae mihi videntur committendae esse « secretariatui de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis », de quo mentio fit sub n. 57 huius schematis. Ni fallor, schema conciliare neque codex debet esse, neque tractatus quidam moralis professionalis in quo minima enucleentur de natura et usu instrumentorum communicationis socialis, sed tantum doctrinalia principia inter se cohaerentia eaque modo pastorali exposita.

2. De interna huius schematis structura. Etsi materia tota clare tractata et in partes distributa apparet, quarta pars, — in qua agitur « de quibusdam communicationis socialis instrumentis singillatim consideratis » — mihi videtur posse tollere, et principia doctrinae eiusdem suo quaeque loco in tres primas partes schematis, praesertim in tertia, transferenda; normae autem practicae inter munera supradicti secretariatus numerarentur. Ex alia parte, amplius fortasse dicendum esset de momento earum quae « nuntiorum agentiae » dicuntur, internationalium praesertim, a quibus radicitus omnis informatio mundialis procedit, et

via insuper demonstranda erit ut agentia quaedam internationalis catholica nuntiorum quamprimum a catholicis constituatur.

3. Circa naturam instrumentorum communicationis socialis. Quando in prima parte schematis de recto usu horum instrumentorum sermo fit, nulla distinctio inducitur utrum scilicet haec instrumenta ad catholicos vel ad non catholicos viros pertineant. Omnes quidem, sive catholici sive non-catholici, tenentur normas obiectivi ordinis moralis servare, immo primatum ipsis concedere. Sed alius est usus horum instrumentorum cum ea sint sub proprietate iuridica et responsabilitate directa Ecclesiae, vel Actionis Catholicae, vel Instituti cuiusdam religiosi, vel societatis privatae laicorum catholicorum; et alius vero cum eadem instrumenta penes non-catholicos sint.

Aliquatenus haec distinctio prae oculis habetur in ipso schemate sub n. 40, ubi dicitur « Sacrorum vero pastorum erit iudicare, pro locorum ac temporum adiunctis, utrum Ecclesiae bono conveniat suo iure uti propria instrumenta communicationis socialis libere condendi et administrandi, an potius iis instrumentis uti quae ipsi Ecclesiae societas civilis vel privati homines laudabiliter praebent ».

Iamvero, si haec instrumenta, inquam, catholicorum sint iuridice propria et sub responsabilitate Ecclesiae usurpentur, non satis est ut obiectivum ordinem moralem servent; loquantur necesse est tali modo, sicut dicitur sub n. 35: « per Ecclesiae vocem verbum Christi nuntietur ». Sentiant praeterea cum Ecclesia; eius principia ubique asserant, et evulgent; normis denique a competenti magisterio ecclesiastico traditis dirigi se sinant, in rebus quae religionem et mores cuiusque nationis attingunt.

4. Circa ambitum instrumentorum communicationis socialis. Ratione contenti preli, sub qualibet modalitate technica eiusdem, sive *scripta,*[3] sive radiophonica sive televisiva, *ratione contenti preli,*[4] non identici nec identificandi sunt conceptus preli catholici et preli specifice religiosi. Materia preli catholici est, *et debet esse,*[5] tota actualitas non solum actualitas religiosa. Actualitas quidem non tantum, ut ita dicam, epidermica (*narratio eventuum externorum* [6] cuiusque generis) sed etiam actualitas circa evolutionem systematum idearum, tendentiarum, etc., quae constituunt quasi centrum intelligentiae, voluntatis et attractionis hominum et populorum.

Iamvero, pleraque ex his quibus hodierni homines agitantur, liberrimis hominum disceptationibus permissa a Deo et ab Ecclesia sunt; licitum est ergo catholicis haec vel illa sequi, licet inter se saepe contraria. Habeantur ergo haec prae oculis ut opportunae normae eruantur quae semper et ubique et pro omnibus valeant.

Ideo proponere auderem haec instrumenta posse *et convenire*[7] relinqui conscientiae et officio laicorum, et Ecclesiam hierarchicam ut talem « scholis ephemeridis », eorum informationem doctrinalem, technicam et psychologicam curare, ut divulgare rapidius et defendere efficacius sciant veritatem atque pulchritudinem *moralem*[8] Nuntii salutis.

B. - *Circa aliquas paragraphos schematis.*

1. In prooemio, sub n. 2, dicitur « quibus rationibus Ecclesiae intersint »; et primo capite, sub n. 8, agitur quoque « de Ecclesiae agendi ratione ». Nonne haec melius coadunarentur ita ut principia doctrinalia utriusque paragraphi in unum, eumque opportuniorem locum, transferrentur?

2. Sub nn. 7 et 9 « de fontibus, natura et ambitu iurium atque munerum Ecclesiae », latet, mea quidem sententia, totus cardo huius quaestionis, tum ratione ipsius materiae, tum praecipue propter hodiernam periculosam tendentiam omnia Statui vel factionibus politicis concedendi, monopolio in hac re, vel quasi monopolio, inducto.

In schemate proposito mihi videtur, sub aspectu iuridico et pastorali, non satis patere statum quaestionis. Distinguere oporteret: munus pastorale Ecclesiae et ius Ecclesiae circa usum horum instrumentorum. Tandem aliquando, in hoc problemate, *meo iudicio,*[9] positio iuridica et pastoralis Ecclesiae est eadem ac positio iuridica et pastoralis Ecclesiae quoad materiam institutionis et educationis.

Re vera, in hac quaestione, agitur de his instrumentis praesertim ut vehicula idearum, et quaeritur docere — *docere*[10] — opinionem publicam de mente et sensu Ecclesiae circa graviora problemata nostrorum temporum; praedicare *sub alia*[11] forma, tamquam ex una cathedra quae orbem terrarum amplectitur, doctrinam moralem christianam relate ad haec problemata.

Prae oculis semper habendum est opinionem publicam, Ecclesiae faventem, esse de facto fortius et perennius propugnaculum iurium Dei, Ecclesiae et humanae societatis. Iamvero...[12]

Praeses: Exc.me Domine, quaeras, rogo, opportunitatem finem dissertationi tuae imponendi, quia tempus loquendi iam transivit.

Orator: Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Res magni momenti, procul dubio. [2] A. - Circa schema in universum. [3] in scriptis. [4] deest. [5] deest. [6] eventus externi. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] praesertim. [11] nova. [12] munus praecipuum Ecclesiae est docere et praedicare Evangelium omni creaturae. Hoc munus est Ecclesiae concreditum a Christo Domino. Unde ius magisterii ecclesiastici ad usum horum instrumentorum non solum est ius inviola-

bile, ut dicitur in schemate n. 9, sed etiam ius nativum, ipsi divinae constitutioni Ecclesiae intrinsecum. Non est ius concessum et recognitum a Caesare aut a Statu. - In adimplendo hoc munere Ecclesia habet ius et libertatem eligendi et adhibendi haec instrumenta, ut eius vox ad universum mundum perveniat. Haec praesertim valent cum ab aliis, per haec ipsa instrumenta, impugnantur iura Dei, Ecclesiae, conscientiae moralis et familiae, ac praeterea saepissime veritas et eventuum obiectivitas mutilantur et deformantur coniuratione silentii.

13

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

De necessitate abbreviandi schema iam alii Patres locuti sunt: quaedam mihi videntur addenda relate ad hodiernum usum instrumentorum communicationis socialis, quae « neutra » dicuntur.[1]

Verum enim est quod hodierna instrumenta communicationis socialis, sive folia impressa, sive radiophonicae aut televisivae transmissiones, sive cinematographica spectacula, immensum influxum habent in homines vel rudiores. Dici omnino potest quod instrumenta hodierna socialis communicationis mentes hominum conformant, seu homines hodierni stylum habent vitae, modum nempe cogitandi, sentiendi et volendi formatum ad instar instrumentorum communicationis socialis quae frequentant, scilicet ephemeridum quas saepe legunt, transmissionum radiophonicarum aut televisivarum, vel spectaculorum cinematographicorum quae fere quotidie aut audiunt aut vident. Neminem autem fugit hodie instrumenta communicationis socialis potius in malum diffundendum adhiberi quam in bonum. Nihil dicam de campo honestatis seu decentiae, ubi omnes norunt sordities instrumentorum communicationis socialis in dies crescere, animosque ad voluptates allicere, beatitudinem in oblectamentis quaerendam inculcare.

...[2] Profundius malum videtur naturalismus, qui generatim disseminatur ab instrumentis socialis communicationis quae neutra dicuntur. Etenim, talia instrumenta de religione agunt tamquam de re omnino libera, quae ad singulorum conscientiam pertinet ita ut unusquisque quamcumque fidem acceptare possit, vel etiam nullam profiteri. Religio, ergo, consideratur uti *activitas*[3] quaedam privata, *ad quam constituendam homines inire societatem possunt pro libitu, plus minusve sicuti v. g. societatem constituunt ad exercendas artes vel ad vacandum ludicris.*[4] Ex alia parte, de activitate humana culturali notitias et com-

mentarios faciunt, quasi de re a religione omnino aliena, ...[5] principia habente quae a fine ultimo hominis absolute abstrahunt.

Huiusmodi indifferentismus ita callide diffunditur ...[6] ut etiam in campum catholicum irrepserit. Ephemerides catholicae, v. g. saepe res cinematographicas publicant simpliciter inhonestas, et de eis commentarios faciunt nulla ratione habita ad moralitatem. Immo officia cinematographica quae catholica vel paroecialia dicuntur, frequenter nihil differunt a profanis in pelliculis quas exhibent, cum magno scandalo fidelium.

Praeterea,[7] habitus apud plures fideles invaluit fere quotidie spectacula cinematographica adire, magis adhuc domi transmissionibus televisivis adsistere. Qui habitus vitiosus est, utpote memoriam imaginibus fere semper romanticis implet, sicque voluntatem emollit, et ad levitatem animum inclinat. Nonne frequentia hodiernorum instrumentorum socialis communicationis causa est hodierni naturalismi et sensualismi de quibus omnes conqueruntur?

Itaque propono:

1. *Schema melius attendat ad inordinatum et generalem usum*[8] instrumentorum communicationis socialis. Factum denuntiet; fideles admoneat ut sese abstineant a nimis huiusmodi instrumentorum profanorum frequentatione, eosque exhortetur ut spiritum poenitentiae mortificationibus *aliisque piis operibus*[9] foveant, ne in naturalismum et sensualismum incidant.

2.[10] Moneat ut clerici, religiosi et laici quibus incumbit apostolatus in campo radiophonico, televisivo et similibus, modo speciali et solidissime efformentur, ne in mentes et voluntates influxum nocivum patiantur qui communiter eos afficit qui in talibus officiis laborant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 1. Schema, de quo nobis modo disceptatur, nimis longum videtur. Si schema de fontibus revelationis, quod de re magni momenti et universali agebat, nempe de fundamento religionis christianae, hodie a pluribus exegetis fere eversum, longum apparuit et abbreviandum est, a fortiori schema hoc de quaestione pastorali, proinde necessario diversas habens aptationes secundum diversa adiuncta locorum, breve esse debet, nonnisi altiora principia enuntiare quae ab Ordinariis postea propriis eorum locorum circumstantiis accommodentur. - 2. Schema videtur laborare quodam iraenismo. Admonet certe fideles de malo usu possibili instrumentorum socialis communicationis, non est tamen ausum abusus denuntiare qui in hac materia dominantur. [2] Aliud. [3] societas. [4] quam homines inire possunt ad placitum, ut aliae societatis v. g. artes exercendi vel ludicris vacandi. [5] proprias normas et. [6] ab hodiernis instrumentis socialis communicationis. [7] 3. [8] Schema retractetur ut brevius fiat. - 2. Rationem habeat hodierni usus. [9] et renuntiis. [10] 3.

14

EXC.MUS P. D. IOSEPH HEUSCHEN
Episcopus tit. Druensis, aux. Leodiensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Schema constitutionis *de instrumentis communicationis socialis* modo generali mihi placet, etsi aestimo illud, non obstantibus iis quae dixit exc.mus relator, ad *multo* [1] breviorem formam esse reducendum. Verba facere vellem de iis quae in parte IV dicuntur, et modo magis speciali, de iis quae ibi exponuntur relate ad prelum.

Optima plura ibi habentur de prelo informativo et de regulis servandis in diffundendis nuntiis et notitiis. At omnes scimus etiam ephemerides et diaria tendentiae catholicae, quae absolute necessaria sunt, ideoque sustentanda, ad informationem actualem et currentem quod attinet, magna ex parte dependere a sic dictis « agenzie d'informazione » (uti Associated Press, United Press, Agence France Press etc.). Iam vero, pauci tantummodo scriptores seu correspondentes harum institutionum, *saltem in nostris regionibus,*[2] catholici sunt. Quo fit ut in diffundendis *primis* notitiis alicuius eventus — quod suscitat problema sive ordinis moralis sive vitae catholicae — saepissime parum attenditur ad aspectum sub quo mundus catholicus idem problema considerat et diiudicat.

Scriptores, rei catholicae ignari, plerumque bona fide notitiam res unilateraliter exponentem spargunt. Sed haec notitia taliter qualiter statim in fere omnibus diariis totius mundi, etiam in diariis catholicis, diffunditur, *et est prima notitia quae maximi momenti est,* quae conscientiam percutit, quaeque facilius in memoria retinetur. Rectificationes postea ex parte catholica prolatae impressionem minus bonam, ne dicam funestam, partim tantum sublevare possunt. Maximi ergo momenti est, venerabiles Patres, ad hunc rerum statum attendere. Tempus est remedia proponere ad praeveniendas res tam tristes.

Primum remedium certo consistit in iis quae sub n. 41 huius schematis dicuntur: oportet quam primum peritos catholicos, ante omnia laicos, parare qui, aptis studiis peractis, tali polleant preli artis peritia ut a magnis illis agentiis tamquam scriptores seu correspondentes conducantur. Sed cum talis penetratio individualis semper difficilis remaneat, nonne opportunum erit officium quoddam catholicum constituere quod non ipsum notitias spargeret, sed cum diversis agentiis existentibus relationes amicales instituere conetur — quod, occasione huius Concilii, facile, ni fallor, fieri potest — eisque scriptores seu correspondentes in re catholica peritos suppeditet.

Quae methodus, meo iudicio, melior est quam illa quae consisteret in creatione magni cuiusdam instituti ad divulgandas notitias mere catholici. Nam ephemerides neutrales et non-catholicae quae longe maiorem partem diariorum constituunt, quaeque a multis catholicis leguntur, numquam suas notitias ex hoc ultimo fonte haurient. Ideoque primus nuntius de eventibus supra descriptis fere semper erit nuntius a nobis corrigendus. Penetrare debemus in instituta existentia, non nova creare. Secus plerumque confiteri debebimus: notitiae nostrae serius advenerunt. In hac materia mora unius diei aequivalet praelio deperdito.

Secunda mea animadversio ad hoc tendit ut in schemate sublineetur necessitas, ad rectam populi christiani institutionem morumque renovationem, ut omnes divitiae Evangelii — quod est nuntius salutis et gaudii vitaeque christianae — positivo modo, ope instrumentorum communicationis socialis in universum mundum diffundantur, simulque in lucem proferantur et commendentur ratio agendi actusque generosi eorum omnium, catholicorum sive non-catholicorum, qui per exemplum vitae suae ostendunt ad quodnam culmen abnegationis observatio legis moralis *etiam naturalis* [3] homines conducere possit.

Omnes experti sumus, venerabiles Patres, durantibus his diebus, quam pauca ab invicem scimus, quam saepissime, etsi idem credentes, alia et alia lingua loquimur, alia et alia mentalitate idem problema solvere conamur. Quam perutile fuisset si ex utraque parte melius novissemus modum proprium problemata theologica tractandi. Si maius exstitisset commercium articulorum, librorum, publicationumque omnis generis.

Quod valet pro litteratura theologica et biblica, magis adhuc valet pro informatione generali circa vitam catholicam in variis et diversis regionibus nostris. Qua in re informatio nostra saepenumero reducitur ad relationem de aliquibus eventibus festivis vitae catholicae aliorum populorum, de caeremoniis religiosis, congressibus et cetera. Quae omnia certo certius valorem habent, sed non sufficienter manifestant vitam quotidianam populi christiani eiusque modum agendi et cogitandi in medio mundi, ut dicitur, mixti, immo, quandoque hostilis. Quae vita continuo componitur cum diversis et quandoque difficillimis problematibus ordinis moralis et religiosi, in quibus solvendis fideles non tantummodo subeunt influxum nostrum beneficum sed etiam influxum ambientis indifferentis vel hostilis. Haec est etiam realitas cotidiana vitae christianae, ad quam attendere debet noster zelus pastoralis.

Pulchritudo et decor vitae christianae eminenter illustrantur modo quo fideles nostri has difficultates superant, modo ergo eorum cogitandi et agendi christiano. De hoc testimonio fidei et caritatis, in adiunctis

vitae cotidianae, religiosae, moralis, civilis, professionalis, informatione indigemus. Haec sunt problemata, ut ita dicam, vitalia fidelium nostrorum...[4]

Praeses: Exc.me Domine, quaeras, rogo, opportunitatem finem imponendi dissertationi tuae. Tempus enim elapsum est.

Orator: Gratias ago eminentiae vestrae et finem impono. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] Quae hac de re scribuntur, modo vere adaptato et sufficienti arte technica, semper attentionem retinent conscientiasque percutunt. Multa hac in re, in variis regionibus, utilia iam pervulgata sunt, sed plerumque a solis fidelibus unius regionis leguntur et legi possunt. Nonne perutile esset, si meliores hac in re articuli ab editoribus vel a personis ab episcopatu ad hoc deputatis, ad institutum quoddam centrale mitterentur, ubi translatio fieret in varias linguas vehiculares, et expeditio ad agencias informationis catholicae. - Colligenda quoque essent in hoc centro ab eoque transferenda in linguas vernaculas et ad catholicas agencias expedienda ea quae in varis diariis et ephemeridibus non catholicis publicantur ad laudandam rationem agendi exigentiis vitae christianae vel legi naturali conformem, ad praemiandam virtutem vel ad celebrandos actus generosos et exemplares. Nimis lamentamur quod diaria, etiam catholica, locum excessivum concedant relationibus homicidiorum, iudiciorum, cultui sic dictarum divarum etc. Qui quotidie paginas et paginas diarii complere debent, facile huic tentationi succumbunt, praesertim si non habent notitias actuales, quae alio sed reali modo populum movent libenterque ab eo leguntur. Suppeditando eis materiam, supradictam operam eis praebeamus simulque occasionem eis offeramus ad eorum munus missionarium melius exercendi omnibusque hominibus bonae voluntatis monstrabimus populum christianum, quia in Deum credit fratresque omnes amat, propugnatorem esse omnium valorum humanorum, quos Deus concredidit eis quos gratia sua paulo minores angelis fecit.

15

Exc.mus P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, coad. Kaunensis

Em.me Princeps, venerabiles Patres, carissimi Fratres Observatores,

Post hucusque dicta, saltem pauca verba alicuius characteris practici.

Spero omnibus nobis gaudii esse et etiam cultoribus scientiarum, quaestiones in hoc schemate contentas praesentes esse inter labores Concilii Oecumenici et quidem tam ampli modo tractandas.

Schema in genere mihi placet; cum tota reverentia erga personas, quae adlaboraverunt in eo conficiendo, duas animadversiones audeo humiliter facere.

1. Saltem mihi verba videntur non satis exprimere significationem eorum, quae hic continentur sub nomine « instrumentorum communicationis ». Prelum, radiophonia, televisio revera sunt iam instrumenta plus formationis seu educationis quam communicationis, sive in bonum, sive in malum. Revera, illa media iam pro innumeris iuvenibus maiorem vim influxus habent quam parentes in familia. Quot iuvenes plus temporis et pecuniae dedicant ad inspiciendas taeniolas seu pelliculas et programmata televisionis, quam ad libros vel periodicos legendos. Radiophonia et televisio in scholis incipit tenere locum magistri personaliter praesentis (putamus de nonnullis regionibus Africae, vel televisio adoperata in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis). Et haec nova tentamina in dies ampliantur. Hodie dantur regiones (reminiscamur illarum sub dominatione communistarum), ubi nec verbum Dei nec aliqua alia veritas habet aliquam aliam viam perveniendi ad aures populi, nisi per radiophoniam et quidem ex regionibus longinquis extraneis.

Propterea, ubi sermo in schemate est de iure et officio Ecclesiae, pagg. 208 et 209, desideratur clarior enuntiatio iurium et Ecclesiae et civium (putamus de guberniis ubi tendentia est monopolizare radiophoniam et televisionem). Propter valorem instrumentorum sub hoc schemate, iura Ecclesiae et populi in ea sunt eadem ac iura habendi scholas privatas ac debitum locum religioni et doctrinae morali in scholis publicis.

2. Etsi in parte secunda de hoc loquitur, in hac tamen parte de principiis, mihi videtur non esse satis clare enuntiatum officium Ecclesiae his instrumentis uti. Iam satis intelligimus parum iuvare prelo ab aliis edita sententiare, si non darentur libri, periodica, ephemerides ab ipsis catholicis edita. A fortiori hodie iam non est satis taeniolas, programmata radiophonica, televisiva sententiare esse mala, peiora vel pessima, si nos ipsi non habemus nostra programmata, taeniolas, bona, meliora et optima.

Hodie hoc nostrum officium iam non est minoris momenti, quam curare de scholis et prelo. Et iura et principia in vitam deducuntur si apta media sufficienter adaptantur, et in hoc campo non valet dictum: « festina lente ». Quia persaepe lente festinantes numquam ad propositum perveniunt. Nec utile neque honorificum esset Ecclesiae solummodo condemnare, sententiare, male utentibus his scientificis inventionibus. Si sumamus praeterita tempora, est honoris Ecclesiae catholicae, quod ipsas scholas prius instituere curavit quam necesse evenit reminisci guberniis et populo principia moralia de scholis. A pari, hic est Ecclesiae officium pronuntiare principia moralia ab omnibus servanda, hoc

tamen non est satis. Ecclesiae officium est haec nova instrumenta formationis possidere in propriis manibus et in usum vertere. Opinor hanc obligationem claris verbis enuntiandam esse in prima parte ubi sermo est de principiis. Dixi.

Textus scripto traditus:

Opinor ab omnibus venerabilibus Patribus Concilii et scientiarum cultoribus valde favorabiliter acceptum esse quaestiones in hoc schemate contentas propositas esse ad tractandum in hoc Concilio et quidem tam ampli modo. Sunt enim quaestiones nostris temporibus tam vitales, ut silentio praeteriri non possunt.

Schema placet mihi in genere. Si quibus videtur eam nimis amplam esse, facile erit eam condensiorem reddere. Cum tota reverentia erga personas, quae adlaboraverunt in ea conficienda, duas animadversiones audeo humiliter exprimere.

1. Saltem mihi videntur verba: *instrumenta communicationis* non satis exprimere significationem eorum, quae his verbis in schemate vocantur. Etenim prelum, radiophonia, televisio, taeniolae revera sunt iam potius instrumenta formationis, quam communicationis; formationis sive in bonum sive in malum. Revera illa media iam pro innumeris iuvenibus maiorem influxum exercent quam parentes in familia. Quot iuvenes plus temporis et pecuniae dedicant ad inspiciendas taeniolas et programmata ope televisionis tradita, quam ad libros vel periodicos legendos. Radiophonia et televisio incipit in scholis tenere locum magistri personaliter praesentis (cogitamus de adoperatione radiophonii in Indonesia, in nonnullis regionibus Africae; de inceptis televisionis in scholis Americae Septemtrionalis). Haec nova tentamina in dies ampliantur. Dantur hodie regiones (cogitamus de regionibus sub regimine communistarum), ubi nec verbum Dei nec alia veritas habet aliam viam perveniendi ad aures populi, nisi per radiophonicas emissiones ab exteris regionibus.

Propterea, ubi sermo in schemate est de iure et officio Ecclesiae (pagg. 208, 209), desideratur clarior enuntiatio iurium et Ecclesiae et civium. Propter valorem hodiernum eorum, quae hic vocantur instrumenta communicationis socialis, iura Ecclesiae et civium in ea sunt eadem ac iura habendi scholas privatas ac debitum locum doctrinae fidei et morum in scholis publicis.

2. Etsi in parte II fusius de hoc sermo est, in hac tamen parte de principiis, mihi videtur, clariori modo enuntiandum esse officium Ecclesiae his instrumentis uti. Iam satis intelligimus parum iuvare prelo ab aliis edita sententiare, si non darentur libri, periodica, ephemerides ab ipsis catholicis edita. A fortiori hodie iam non est satis taeniolas, programmata radiophonica, televisiva sententiare esse tolerabilia, mala vel pessima. Nobis necesse est habere propria bona, meliora et optima. His temporibus hoc nostrum officium iam non est minoris momenti, quam curare de scholis et prelo. Et iura et principia in vitam deducuntur in tantum, in quantum apta media sufficienter adaptantur. Hic non est utile sequi dictum: Festina lente. Lente festinantes persaepe nunquam ad propositum perveniunt, et si perveniunt, hoc fit cum magno damno animabus. Nec satis utile nec satis honorificum est solummodo condemnare bonarum rerum malum usum. Bona dona naturae et scientiae nos debemus adoperare ad bonum priusquam illa bona cadant in manus non satis prudentium. Honoris est Ecclesiae catholicae, quod ipsa curavit

instituere scholas priusquam necesse evenit reminisci guberniis et populis principia moralia de scholis. A pari in casu de sic dictis instrumentis communicationis socialis. Utique, Ecclesiae est officium pronuntiare principia moralia ab omnibus servanda, hoc tamen non sufficit. Ecclesiae officium est haec nova instrumenta communicationis seu potius formationis possidere et propriis manibus vertere in usum pro salute animarum, ubi nunc illis mediis non satis prudentes homines utuntur vel ad malum vel saltem ad non satis honestum. Videtur mihi hanc obligationem clarioribus verbis enuntiandam esse.

Ad part. III, cap. II § 57, pag. 230. Omnes catholici uti bonum nuntium acceperunt institutionem secretariatus de scriptis prelo edendis et spectaculis moderandis. Ad uberiorem activitatem huius secretariatus magnae utilitatis erit ipsius character internationalis, i. e. adsciscere peritos ex variis regionibus.

16

EXC.MUS P. D. ALBERTUS SOEGIJAPRANATA
Archiepiscopus Semarangensis

Venerabiles Patres Conciliares, Fratres Observatores in Christo carissimi,

In hoc schemate placet nobis textui subiacere aestimationem positivam mediorum technicorum communicationis socialis. Insuper placet quod — non obstante horum mediorum abusu frequenti — exprimitur tamen fiducia in bonam voluntatem hominum et quidem tum eorum qui huic operi vires suas dedicant, tum eorum qui in potestate civili constituti, ad humanitatis profectum ea ordinant.

Vivimus nos in natione Indonesiae ubi catholici minoritatem parvam efformant. Constituimus tantum unum pro cento populationis. Tamen valde contenti sumus de opportunitatibus quae nobis sub hoc respectu praebentur a gubernio indonesiensi. Caute loquamur igitur de sic dictis iuribus Ecclesiae quae in hoc schemate tantopere premuntur.

Ius habet Ecclesia, potius dicam vocationem, ad annuntiandum Evangelium Christi. Ex hoc autem non evidenter sequitur Ecclesiae etiam ius strictum competere ad omnia media concreta quae in schemate enumerantur. Agitur hic de quaestione ubi ius divinum inseri debet in ordine iuridico profano. Quare non tantum loquamur de iure Ecclesiae, sed etiam — immo potius — de iure democratico civium catholicorum.

Inde duo sequuntur: 1) ius proprium laicorum catholicorum hisce in rebus clarius in lucem ponatur; 2) etiam iura non-catholicorum ab Ecclesia agnoscantur. Dixi.

17

Exc.mus P. D. RENATUS BOUDON
Episcopus Mimatensis

Venerabiles Patres,

Iam multa dicta sunt et optime quidem de maximo momento instrumentorum communicationis socialis pro vita Ecclesiae et pro suo munere adimplendo. Attamen fas sit mihi breviter triplicem considerationem afferre.[1]

1. Dum de praecedentibus schematibus disceptabatur, evidens factum est nobis, duce Spiritu Sancto, quam urgens sit Evangelium Christi *omnibus*[2] hominibus in universo mundo annuntiare. Mediante sacra Liturgia et per praedicationem verbi Dei sancta Mater Ecclesia filios suos *qui sunt*[3] « ad intra » docere potest. Ad illuminandum autem illos qui extra sunt et longe versantur, necesse *omnino*[4] est ut illis instrumentis communicationis socialis utatur, quae ex dispositione Providentiae ad talem perfectionem in nostra aetate pervenerunt, ut cum eorum auxilio sancta Ecclesia potest et verbum salutis omnibus hominibus proponere et caritatem Christi inter eos diffundere et proprium vultum in sua veritate ostendere.

2. ...[5] Homines et gentes, quorum animas Ecclesia ad Deum conducere debet, influxum artium communicationis socialis profundissime sentiunt; sive pueri, sive adulti, sive ruri sive *qui in civitatibus*;[6] sive in novis sive in perantiquis regionibus, omnes et semper sub illo influxu vivunt, qui — proh dolor! — eos ad malum vel in errorem inducit. Non agitur autem de solo malo denuntiando sed de *bono summopere promovendo.*[7] Et ideo debet Ecclesia determinare et proclamare quomodo instrumenta illa in auxilium veritatis evangelicae adhibenda sint.

3. Artes communicationis socialis homines ac nationes, olim inter se prorsus differentes et ab invicem valde distantes, nunc ad humanam communitatem magis ac magis reducunt, eam efformant et omnino dirigunt. Quapropter debet Ecclesia non extra illam communitatem, sed e contrario in ipsa et cum ipsa vivere et laborare, ministerium suum evolvere et ad fines mundi extendere, quia Ecclesia Corpus Mysticum est Christi et Mater omnium filiorum Dei.

Concludendo, liceat mihi hoc duplex votum exprimere:

1. Ut in schemate pressius invitentur omnes operarii apostolici ad adhibendum omnimodo et maxima parte instrumenta communicationis socialis in auxilium gratiae Christi.

2. Quia per instrumenta illa sancta Mater Ecclesia melius ab universo videtur et omnibus vicinior efficitur (« spectaculum facti sumus, *vere,*[8] mundo »), debet eadem Ecclesia invigilare ut effulgeant et veritas et puritas et benignitas proprii vultus in testimonium amoris Christi pro hominibus...[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quaestio de « instrumentis communicationis socialis » maximi est momenti, et ut hoc omnibus melius appareat, triplicem vellem hic afferre considerationem. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] Insuper certum est quod. [6] in civitate. [7] de malo summopere debellando. [8] deest. [9] et appareat valor testimonii eius.

Praeses: Reponetur nunc S. Evangelium.

Secretarius generalis: Proxima congregatio generalis erit crastina, hora nona.

CONGREGATIO GENERALIS XXVI

24 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXVI

24 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis S. Concilii*:

Praeest hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis.

Cum crastina recurrat dies natalis amatissimi Summi Pontificis, proponitur coetui huic amplissimo, ut haec vota et omina mittantur: « Summo Pontifici Ioanni XXIII. Tibi, Pastor amantissime, Natalem Tui Diem fauste celebranti, Patres universi Sacri Concilii, quod, Te auctore, celebratur, oculos, mentes, corda convertunt simulque ominantur, ut ad multos annos adhuc Ecclesiam sospes gubernes, unitatis ac pacis fructus locupletissime edas in gloriam Sponsae Dei. Pater Sancte, Nos Nostrosque labores Tua paterna apostolica benedictione, quaesumus, confirmes ».

[*Plausus Patrum*].

Prosequitur disceptatio de principiis generalibus et de singulis quaestionibus coniunctim, data arcta necessitudine inter varias quaestiones, de schemate constitutionis *de instrumentis communicationis socialis*.

Petierunt loqui hac die em.mi ac rev.mi DD. cardd. Stephanus Wyszyński, arch. Varsaviensis; Villelmus Godfrey, arch. Vestmonasteriensis; Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus; Augustinus Bea; Leo Suenens, arch. Mechliniensis; exc.mi DD. Iacobus Ménager, ep. Meldensis in Gallia; Andreas Perraudin, arch. Kabgayensis in Ruanda; Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia; Lucianus Bernacki, ep. aux. Gnesnensis in Polonia; Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus in Hispania; Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis in Italia; Vitus Chang, ep. tit. Cyanitanus in Germania; Antonius Nwedo, ep. Umuahiaensis in Nigeria; Marcellus Gonzalez, ep. Asturicensis in Hispania; Michaël Browne, ep. Galviensis in Hibernia; Marius Castellano, arch. Senensis in Italia; Paulus Gouyon, ep. Baionensis in Gallia; Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia; Antonius Ona, ep. Lucensis in Hispania; Bonaventura De Uriarte, ep. tit. Madaurensis in Peruvia; Vincentius Zazpe, ep. Raphaëliensis in Argentina; Carolus Nežić, ep. Parentinus in Iugosla-

via; rev.mus D. Benedictus Reetz, archiabbas Beuronensis in Germania; Stephanus László, ep. Sideropolitanus in Austria; Leo Lommel, ep. Luxemburgensis.

1

Em.mus P. D. STEPHANUS card. WYSZYŃSKI
Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis

Relate ad cap. III, quod inscribitur *de radiophonia et televisione,* quaedam animadvertenda habeo ad punctum 103, in quo agitur de transmissionibus religiosis. Rem maximi momenti esse censeo, ut hic ponatur *obligatio* pro dictis transmissionibus religiosis praedicandi Evangelium Christi. Omnium relationum, tractatuum vel orationum de argumentis religionis, de vita Ecclesiae, primum locum et quidem constantem tenere deberet lectio Evangelii. Haec est obligatio princeps, data ab ipso Domino: « Praedicate Evangelium omni creaturae ». Necesse est omni ope atque opera eniti, ut in istis transmissionibus religiosis impleatur vere, quod dicitur in psalmo: « In omnem terram exivit sonus eorum ».

Motiva utendi opera radiophoniae et televisionis ad praedicandum Evangelium haec sunt:

1. Dato quod homines nostrae aetatis non raro indifferentes, negligentes, incuriosi ad quamlibet religionis formam se habeant neque proinde Ecclesiam frequentent, nullimode occasionem habent audiendi verba Evangelii.

2. Vis et efficacia radiophoniae multum creverunt nostris temporibus, cuius auctoritas maior est quam studium librorum. Notum est hominem modernum pauca legere, malle audire vel spectare in televisione.

3. Minime vel saltem insufficientes inveniuntur libri Evangeliorum in domibus etiam catholicorum, neque solito leguntur.

4. Non desunt nostris diebus regiones ubi deest occasio audiendi verbum Dei, neque editio librorum de argumentis religiosis, eo magis librorum Novi Testamenti, permittitur. In hisce conditionibus usu et tempore venit ut Christus eiusque doctrina ignoretur. At Deus omnipotens et misericors largitus est nostrae aetati modum, quo ipse, Dominus spatii, vincat limites distantiae, spatii et temporis.

5. Proinde necesse est ut ope Stationis Radiophonicae Vaticanae necnon omnium stationum catholicarum fiat lectio Evangelii in unaquaque lingua, eo magis in lingua nationis vel regionis, ubi praedicatio Evangelii impeditur ex toto vel in parte. Dixi.

2

EM.MUS P. D. VILLELMUS CARD. GODFREY
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Em.mi, exc.mi, venerabiles Fratres,

Imprimis dicere velim me dubium habere de idoneitate includendi hoc schema in Concilio Oecumenico, quia melius esset, uti puto, publicare hanc materiam in documento separato. Non omnia debent habere locum in Concilio.

Attamen, si decisum fuerit schema huius generis debere includi, equidem putarem id ad formam multo breviorem reducendum.

Ratio est quod principia solida sunt et de iis vix fructuose in hac aula disceptari potest.

1. *Exempli gratia,*[1] omnes concordes erimus, instrumenta communicationis, esse bona, inordinatum usum esse malum. Ergo munus Ecclesiae est evidens: nempe fovere bonum, restringere malum, quantum potest.

...[2] « Quantum potest », dico, quia potestas mali est fortis et influxus ...[3] et munera Ecclesiae breviter indicari debent quia documenta conciliaria non sunt tractatus theologici. *Influxus Ecclesiae, uti dico, in potestatem civilem evidenter valde limitatur.*[4]

2.[5] Ac proinde non necesse est diffuse loqui de scandaloso effectu qui habetur a narrationibus et spectaculis quae per aures oculosque facile coinquinant homines. Ideoque in scholis et officinis magna pericula exoriri possunt. Omnia haec sunt evidentia sed, quantum video, vix perveniunt, ut ita dicam, ad staturam Concilii.

...[6] Hinc Ecclesiae actio apostolica habet campum sat latum ubicumque possit exerceri. Speciale documentum pontificium indicare posset quibus modis pastores ad mentem Sanctae Sedis, actione apostolica efficaciter utantur. Diversae nationes autem et diversae circumstantiae media magis efficacia indicabunt...[7]

...[8] In pag. 226, n. 48 sermo est de stipe colligenda ac ministranda. Sperandum tamen episcopatum loci habiturum iudicium de dispositione argenti sive pro propria natione sive in quavis orbis parte, v. gr. in missionibus vel in nationibus recenter independentia gaudentibus, et etiam pro expensis necessariis ad stipem colligendam et administrandam.

De prelo catholico. De nomine « catholici ». Difficultates habemus quandoque de certis foliis et inceptis (*loquor de nostro populo, etiam*)[9] quae sibi dant nomen « catholici », sed in Anglia quando venit ad regi-

strationem alicuius diarii vel incepti cauti sunt officiales, *feliciter,*[10] et ad nos se recipiunt ad informationem habendam de iure ad illud nomen « *catholici* »[11] assumendum. Certo periculum est, ne fideles decipiantur.

Aliud liceat dicere, antequam concludam, de iis, quae dicuntur sub n. 82, pag. 232, lin. 5 ubi legitur: « Haec Sacra Synodus enixe commendat ut ubique terrarum in sua cuiusque dioecesi (*id est episcopus*) [12] statim ac locorum conditiones id sinant diurnaria vel hebdomadaria folia catholica edantur, et quam late vulgentur ».

De his verbis aliquid dicere habeo, nempe quod si populus solet legere istas publicationes locales, sepositis diariis nationalibus catholicis et aliis, mentes facile avertentur a rebus maioris momenti in campo nationali vel internationali. Qua de causa insistere deberent pastores ne fideles negligant diaria, diurnaria vel hebdomadaria maioris momenti, ne ignorantes maneant eventuum in *campo generali,*[13] campo mundano. Aliter esset si ista diaria dioecesana notitias etiam publicarent generales, sed generatim, *ni fallor,*[14] est quaestio de notitiis stricte localibus.

Haec pauca dicere volui, quia alia iam ab aliis dicta sunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] 2. [3] Ecclesiae in potestatem civilem evidenter valde limitatur. Iura. [4] deest. [5] 3. [6] 4. [7] 5. De auxiliis in veritate propaganda nullum dubium ephemerides catholicas, stationes radiophonicas et televisificas etc. magni esse momenti. [8] 6. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest.

3

Em.mus P. D. PAULUS AEMILIUS card. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Interventio mea sequentem habet rationem: timeo ne sufficiens sollicitudo a nobis praesenti schemati praebeatur, neque praesens constitutio a nostra congregatione accipiatur quin quaedam magni momenti emendationes de illa fiant. Sicut iam heri ab exc.mo relatore optime dictum est, materia de qua agitur momentum magnum habet. Praeterea res de qua tractatur, quia refert ad concreta quae ab omnibus hominibus, christianis vel non, cognoscuntur, facilius mentem omnium admovebit quam constitutiones magis doctrinales. Denique memorandum est textum nostrae communi approbationi propositum, non esse simplicem declarationem ecclesiasticam, sed auctoritatem solemnem Concilii Oecu-

menici sollicitare. Ob illas rationes, mihi videtur schema de instrumentis communicationis dignum esse nostra accurata consideratione.

Commissio praeparatoria multum, sine dubio, laboravit in praesenti schemate conficiendo. Munus eius arduum erat, cum considerationes theologicae et philosophicae de illis novis rebus, usque nunc, non multum elaboratae fuerint.

Tres considerationes generales exponam:

1. Votum exprimam, iam ab em.mo card. Ruffini et aliis Patribus expressum, ut schema valde abbrevietur et, meo iudicio, non tantummodo in sua parte technica, sed etiam in sua parte doctrinali, quae saepe saepius ad rem non pertinet.

2. Votum proponam ut mens schematis mutetur, ubi in parte doctrinali agitur de iure et officio Ecclesiae. Modo enim nimis iuridico describitur missio Ecclesiae de instrumentis communicationis. Sane, iura habet Ecclesia ab omnibus agnoscenda. Sed dubium merito oriri potest, utrum proprius et opportunus modus in schemate adhibeatur illa iura affirmandi. Vellem ut melius ostendatur sollicitudo pastoralis Ecclesiae. Magis appareat Ecclesia ut Mater quae adiumenta suae doctrinae suaeque caritatis hominibus omnibus proponit, quam sicut institutio quae iura sua primum vindicat.

3. Votum proponam ut doctrina, qua in schemate instrumenta communicationis considerantur, maiori studio perspiciatur; etenim ex incompleta consideratione realitatum, de quibus agitur, quandoque fit ut mens praevalenter negativa proponatur quae ipsam doctrinam afficit. Hanc affirmationem illustrabo ex artt. 14 et 15, qui ad ipsam partem doctrinalem pertinent. Illis in articulis, qui, ad doctrinam moralem exponendam, effectus instrumentorum communicationis describere intendunt, tria dicuntur:

a) vis instrumentorum communicationis tanta est ut homines *nequeant* illam dominari nec reiicere;

b) illa instrumenta *potius* aptantur ad homines *cogendos;*

c) illa instrumenta ad immoderatum usum ducunt.

Ubi ergo in schemate instrumentorum communicationis ratio agendi expresse describitur, consequentia damnosa et ea sola, sicuti ex ipsorum natura necessarie exsurgentia, exponuntur. Attamen doctrina schematis veriorem et rectiorem inspirationem hauriri posset ex verbis quibus schema ipsum incipitur, ubi enim « mirifica » dicuntur instrumenta communicationis et quidem merito. Sunt dona Dei quae secundum ipsius providentiam inventa sunt ad sana ludicra hominibus praebenda, ad eorum informationem et culturam augendam, ad unitatem et amorem inter

nationes fovendam, ad Evangelium Christi commodius latiusque praedicandum.

Iure praecavendum est ab inordinato usu illorum instrumentorum. Ecclesiae enim sapientiae pertinet semper revocare peccati originalis vulnus.

Ne tamen in doctrina christiana praevaleant timor et negativa consideratio!

Approximatio magis positiva et optimista illorum instrumentorum melius, meo iudicio, adiuvaret ad ipsos abusus repellendos, quia fidelium actionem lucidam et fructuosam magis foveret.

Duabus propositionibus concludo:

1. Ex eo quod a multis partibus desideratur ut schema substantialiter abbrevietur, difficile erit congregationi generali de illo diu disputare quin prius reducatur ideoque reficiatur. Propono ergo ut illa abbreviatio et refectio competenti commissioni committatur, ita ut postea textus examini congregationis generalis noviter submittatur.

2. Audeam etiam competenti auctoritati proponere ut ad perfectius elaborandam praesentem materiam, quae laicos immediate respicit, ex illis seligantur periti qui de unoquoque instrumento experientiam vitalem habeant. Dixi.

4

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Fratres,

Schema nostrum non est doctrinale, sed pastorale...[1] Non possumus, *mihi videtur,*[2] eodem modo tractare schemata nobis proposita varii generis.

Quando agitur de schemate doctrinali[3] unumquodque verbum schematis...[4] crisi subiciendum est, siquidem totum pondus auctoritatis Concilii secum trahit. Tractatio, vero, schematis pastoralis, v. gr. nostri, non requirit eandem methodum. Proinde ab initio determinanda essent *quaedam*[5] principia methodologica adaequate hac in materia applicanda *nunc et deinceps.*[6] Opinantur, *puto,*[7] fere omnes *Patres*[8] schema esse nimis longum sed in praxi quid faciendum? Schema mihi apparet optimum quoad substantiam et agit de re valde momentosa. Forsan textus ipse posset adhaesionem aliquam globalem Concilii obtinere quoad partem declarativam. Et in futuro, textus ipse edi posset ut documentum pertinens ad magisterium ordinarium Ecclesiae. Commissio autem praepararet

ex textu prouti iacet seriem votorum ordinis directe pastoralis sicut fit in congressibus qui vota emittunt circa quaedam puncta maioris momenti per modum conclusionis. Methodus haec posset esse nostra in tractando quodvis schema eiusdem generis.

Nunc vero ad schema nostrum quod attinet: schema placet, ut dixi, *sed* [9] sublineandae videntur conclusiones pastorales. Et quoad istas conclusiones *pastorales* [10] vellem tria vota emittere:

Primum votum. Agitur in schemate sub n. 21 de iure ad informationem; et optime quidem. Sed ab illo iure *ad informationem* [11] excludenda sunt ea, quae vitam privatam tangunt. Quaestio haec pertractatur in schemate *ulteriori pagina,*[12] sed nimis breviter...[13]

Mihi videtur quod « ius ad respectum vitae privatae, ad secretum vitae privatae » esset sublineandum, ita ut scriptores (tum scriptores, tum photographi) clare sciant tales violationes esse contra iustitiam, ne loquar de caritate.

Multa et optima quidem a lege civili statuuntur contra perturbatores domicilii privati...[14], « violation de domicile », item contra violatores secreti epistolarum vel collocutionis telephonicae. Sed nemo curat in legislatione civili de iniustitia maxima illata praesertim auctoritatibus civilibus, quos revera persequuntur indiscretiones scriptorum et photographorum.

Opportunum esset « ius ad vitam privatam sancte ab omnibus agnoscendum » in luce ponere et legislatores de carentia illa monere ut studeant quomodo finem imponant talibus abusibus. Aliud est crisi submittere acta et gesta publica auctoritatum, aliud vitam eorum privatam sine illorum consensu publici iuris facere et quidem saepe quin possibilitatem habeant sese defendendi contra illas sic dictas indiscretiones vel inventiones. Perutile esset ius illud personae...[15], tam pro viventibus quam pro mortuis, explicite affirmare. Optandum esset legislationem hac in re compleri, perfici institutione alicuius Ordinis scriptorum ephemeridum. Qui Ordo ipsemet normas statueret et varios casus violationis illarum regularum iudicaret uti iam statuerunt et iudicaverunt apud varias nationes, v. gr. Ordines medicorum, Ordines advocatorum et sic porro.

Secundum votum. Ut aiebat Pius X sanctae memoriae: « Minus nocet Ecclesiae oppositio adversariorum quam inertia et passivitas fidelium ». In materia de qua agimus passivitas haec est maxime damnosa. Parum utilitatis est si fideles privatim vel inter se doleant de spectaculis incongruentibus in televisione, vel de articulis et emissionibus perversis. Oportet eos partes activas hac in re agere. Conscientia fidelium ita efformetur...[16], ut proprio nomine vel collective, prout casus fert, reac-

tiones sciant ostendere adaequatas. Invitare oportet tum laicos singulos tum associationes apostolatus *cuiuscumque* [17] generis ut publice exprimant, et modo coordinato, quid revera sentiunt de omnibus istis abusibus. Potius quam lamententur de malignitate temporum, active interveniant apud directores praesertim emissionum. Scio ex experientia mea in hoc campo pastorali, ut praeses nationalis technicarum diffusionis, quod directores stationum maximam attentionem praebent reactionibus publici. Oportet ergo ut necessitas istius reactionis clare conscientiae fidelium appareat. Quae reactio utiliter manifestatur non tantummodo, modo negativo, contra abusus, sed modo positivo laudando programmata laude digna. Opinio publica non est fatum *quoddam,*[18] sed est in manibus nostris, saltem pro parte. Conscientia fidelium efformanda est ut magis conscii fiant de eorum responsabilitate sociali.

Tertium votum. Informationes de re religiosa, saepe saepius, nihil aliud praebent nisi relationes *valde extrinsecas* [19] processionum vel benedictionum campanarum *et sic porro.*[20] Indigemus quam maxime informationibus, quae simul visionem et fidem christianam fidelium nutriunt. In praxi deducatur quaedam theologia, ut ita dicam, actualitatis. Actualitas est factum aliquod et nudum factum. Sed etiam quam saepissime fit occasio *ad optimam instructionem dandam.*[21] Exemplum maximum est Concilium ipsum.

Scriptores possunt factum illud tantummodo describere, secundum ea, quae apparent, et quidem modo superficiali. Sed numquam posset scriptor catholicus omittere significationem religiosam factorum proponere. Quae facta ei praebent occasionem ad medullam rerum prosequi ita ut modo suo proprio testis sit fidei. Quod nullo modo significat, scriptores officio praedicatoris fungi debere. Scimus et audivimus in hac aula, quod nec episcopi praedicatores debent esse episcoporum. Sed scriptores debent omni qua par est ingenio tradere Evangelium Domini per facta cotidiana, per tramitem actualitatum.

Scientia haec, etsi difficilis, est valde optanda. Ergo votum sit ut laici scriptores authentice catholici, et directores ephemeridum intelligant se habere debitum evangelizandi mundum ope technicarum suarum...[22] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quod bene notandum est; etenim. [2] deest. [3] deest. [4] doctrinalis. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] quoad substantiam, sed expositio reducenda esset ad summa principia et. [10] deest. [11] deest. [12] sub n. 76. [13] et quasi per transennam. [14] sensu physico. [15] humanae. [16] oportet. [17] omnis. [18] deest. [19] deest. [20] deest. [21] quam optima instructionem dandi. [22] Ita pro parte sua collaboraturi sunt consecrationi mundi quae est in votis Ecclesiae.

5

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres,

Non erat meae intentionis loqui de hoc schemate, cum non proxime spectet ad *munus mihi commissum.*[1] Sed...[2] in sessione nostri secretariatus varia proposita sunt, quae mihi videntur alicuius momenti esse *in hac re. Non loquor nunc de modo emendandi et adaptandi schema, neque de directorio practico conficiendo, qua in re omnino consentio cum iis, quae em.mus card. Ruffini heri dixit.*

Liceat notare tantum quae sequuntur.[3]

1. Imprimis insistendum videtur non adeo in iure et *officio*[4] Ecclesiae interveniendi in materia communicationum, *uti fit in schemate,*[5] sed magis positive in magno beneficio et servitio, quod Ecclesia in hac re praestare potest non tantum fidelibus suis sed omnibus qui christiano nomine insigniuntur, immo omnibus hominibus bonae voluntatis.

...[6] Hoc beneficium plura comprehendit:

a) Ac primum quidem: ut Ecclesia edoceat et *instruat*[7] filios suos *proprios,*[8] ne caece sequantur tendentiam hodie adeo vulgatam potius videndi quam ut assuescant audire. Imagines, quidem, possunt multum iuvare, sed, ut hoc fiat, debet accedere reflexio et explicatio.

Ecclesia semper fideles adiuvit *etiam*[9] imaginibus, ut v. gr. in bibliis pauperum, picturis in ecclesiis, « mysteriis » quae dicuntur, et similibus. Sed *notemus*[10] imagines per se solae non totam essentiam rei praebent, sed debent explicari verbis. Hoc valet iam in ordine naturali et multo magis *valet*[11] de imaginibus, quae repraesentant facta et res religiosas supernaturales, *quae non possunt simpliciter imaginibus proponi.*[12] Quare fideles inde a prima pueritia instruendi et adiuvandi *erunt,*[13] ut non cedant pruritui illi videndi qui hodie viget, sed etiam assuefiant audire et instrui, *etiam si hoc ut iam heri dictum est*[14] aliquam abnegationem et mortificationem requirit. Secus periculum est, venerabiles Patres, ne ipsi ministri Ecclesiae iuvent *et conferant*[15] ad educandam generationem superficialem, quae profundiore sensu et rerum penetratione careat.

2.[16] Similiter beneficium, de quo locutus sum, in eo habetur, quod haec media adhibeantur ad divulgandam et explicandam doctrinam *nostram*[17] catholicam omnibus qui his mediis communicationis utuntur, sive catholicis, sive non catholicis. Multae enim difficultates, etiam in quaestione oecumenica inde oriuntur, quod veritas catholica, immo veritates magni momenti *etiam*[18] ordinis naturalis, non satis cognoscun-

tur. Ecclesia igitur *hoc medio uti potest ut illuminet mentes non tantum suorum fidelium sed etiam omnium, qui interesse religiosum habent. Et sic, etiam conferat,*[19] ut haec media, quae hodie nimis « humanizata », *ut ita dicam, nimis*[20] materializata sunt, in sphaeram altiorem humanam et christianam elevet.

3. Neque obliviscendum est, nos catholicos, maxime etiam *nostros*[21] laicos catholicos, fide plene salva, in hac re collaborare posse primo cum reliquis fratribus *nostris*[22] christianis. Cum iis enim non tantum communes habemus leges iuris naturalis, sed etiam multas doctrinas fidei et multas normas morales. Collaborando cum eis possumus igitur his mediis influere in « opinionem publicam » et in eas organizationes, quae haec media praeparant et diffundunt, eosque nostro communi conatu quasi *cogere* ut abstineant ab iis, quae legibus moralibus humanis et legi *evangelii*[23] contradicunt. Ne obliviscamur *christianos,* in hoc mundo, esse fere 900 milliones, ergo potentiam adeo magnam, ut, si omnes christiani concorditer egerint, haec eorum actio *etiam a non christianis vel non practicantibus, ut ita dicam,*[24] neglegi *omnino*[25] non possit.

Immo, 4. Comparari poterit — et in hac re tanti momenti fere debebit — *etiam*[26] collaboratio omnium hominum, qui bonae voluntatis sunt et in Deum creatorem et Dominum credunt. Etiam ipsi, praesertim in quibusdam regionibus, efficaciter iuvare poterunt, ut media communicationis dignitatem vere humanam servent.

Ut concludam: ni fallor, hae ideae, quas expressi, in schemate emendando *et adaptando*[27] diligenter proponendae et explicandae erunt, ut res *nostra*[28] non habeat aspectum, quasi fere technicum et materialem, sed momentum christianum, momentum authentice humanum, totius huius laboris efferatur.

Liceat unum addere. Heri sermo fuit de centro vaticano preli catholici condendo (« agence de presse Vaticane »). Haec necessitas mihi — et innumeris aliis qui de bono Ecclesiae solliciti sunt — urgentissima et summa esse videtur. Multa mala evitari possunt si S. Sedes tali organo *officiali*[29] bene instructo *fruitur*[30] et in eo administrando utatur etiam laicis huius *rei saepe omnino*[31] peritissimis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] res mei muneris. [2] heri. [3] deest. [4] munere. [5] deest. [6] 2. [7] educet. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] sunt. [14] etsi hoc. [15] deest. [16] b) [17] deest. [18] deest. [19] in id tendere debet. [20] ne dicam. [21] deest. [22] deest. [23] evangelicae. [24] deest. [25] deest. [26] deest. [27] deest. [28] deest. [29] deest. [30] frueretur. [31] saepe.

6

EXC.MUS P. D. IACOBUS MÉNAGER
Episcopus Meldensis

Venerabiles Fratres,

Schema duos aspectus magni momenti studio subiecit.

1. Ius Ecclesiae inventa modernae technicae artis adhibendi, ut Evangelium Christi omnibus hominibus annuntietur.

2. Ius Ecclesiae normas definitas in ordine morali edicendi ut christifideles a malo protegat.

Duplex illa fundamentalis directio his verbis huius schematis resumitur: « Ius Ecclesiae docendi et moderandi ». Hoc verissimum est, et proclamari debebat. Talis autem proclamatio non plene sufficit. Schema etenim quaestionem considerat solummodo sub aspectu iuris Ecclesiae et episcoporum. Non satis respicit statum actualem rerum in mundo, ita ut directionem positivam adaptatam et efficacem in actione pastorali indicare possit. Nunc autem « civilisatio » omnino nova et universalis hodie evolvitur, extra omnem influxum christianum, spiritu pagano imbuta, naturalismo et materialismo practico valde laborans. Hoc autem gravissimum apparet, tum sub aspectu humano, tum sub aspectu christiano.

Oportet igitur actionem efficacissimam et *positivam* ita promovere ut haec civilisatio ab intus dirigi possit. Ad hunc finem attingendum, non sufficit doctrinam christianam verbis vel concionibus exponere et docere. Non sufficit normas morales, quantumque opportunas, publicare. Non sufficit ad auctoritatem civilem recurrere ut leges et praescriptiones proclament ad publicam moralitatem protegendam. Nec agere quidem sufficit per institutiones christianas, quamquam necessariae sint, speciatim si a solis clericis et non a laicis reguntur.

Oportet ergo praeter haec omnia quae dixi — et hoc est maximi momenti in nostris diebus — ut actio positiva et acerrima promoveatur a laicis christianis in omnibus illis institutionibus et organismis, in quibus instrumenta communicationis socialis producuntur et suam activitatem evolvunt, ut sunt prelum, cinematographeum, radiophonia, televisio. In illas institutiones debent penetrare et omnino crescere valores humani authentici, v. gr. dignitatem hominis a Deo creati, respectum libertatis personalis, veritatis, vitae, pacis, iustitiae socialis et ita porro.

Aliunde in mentem revocandum est quod valores illi humani a Christo et Ecclesia ad dignitatem valorum christianorum et evangelicorum elevati sunt. Oportet ergo ut laici christiani huiusmodi valoribus hu-

manis et evangelicis testimonium reddant, in ipso mundo hodierno, suis operibus et verbis, et sic spiritum christianum efferant novae illi humanitati audio-visuali et technicae.

Hoc autem in schemate non modo claro, sed tantum passim indicatur, quod valde insufficiens est.

Rogo ergo, ut in articulo speciali vel saltem in paragrapho explicita, v. gr. ad finem n. 4, haec gravissima quaestio ex professo pertractetur his vel similibus verbis:

a) Oportet laicos vere idoneos praesentes esse et partem activam habere in omnibus organismis inventorum artis technicae modernae: prelo, cinematographeo, etc.

b) Tales laici accurate informandi sunt, in sensu propriae responsabilitatis humanae et christianae. Debent menti Ecclesiae plene subiecti et fideles permanere.

c) Vitam interiorem cum Christo in fide et caritate semper foveant et alant.

d) Oportet denique ut inter se ordinati et coniuncti sint, in coetibus bene constitutis adnumerati, ut missionem suam melius perpendant et intelligant, eam non in eo solo consistere ut vitam socialem spiritu christiano imbuant, sed etiam ut testes Christi et Ecclesiae, in medio mundo, verbo et opere existant. Dixi.

7

Exc.mus P. D. ANDREAS PERRAUDIN
Archiepiscopus Kabgayensis

Venerabiles Patres,

Episcopi continentis africani, Madagascar et Insularum gratias agere cupiunt commissioni praeparatoriae et commissioni centrali, quae in exarando schemate *de instrumentis communicationis socialis* appositis verbis de terris sic dictis Missionum curaverunt. Unde nunc instantissime declarare etiam desiderant, quantum eis cordi sint et quantae sollicitudinis dignas agant, quaecumque ad radiophoniam et mox ad televisionem pertinent. Putant enim has technicas artes, non solum suam sed et totius Ecclesiae curam attentam et actuosam mereri.

Schema, quod in genere placet, sententia tamen nostra ubi de radiophonia tractat nec satis actuosa, nec satis nova loquitur.

In nostris imprimis regionibus, incolae generatim sumpti, docilis et intelligentis ingenii inveniuntur. Apud eos ergo radiophonia et televisio

maximae utilitatis sunt et mox in apostolatu catholico primas partes habebunt. Ecclesiae ergo in Africa non sufficit ut homines de periculis depravatarum emissionum moneat, nec ut fideles admoneat de eorum officio actuose interveniendi in emissiones radiophonicas, ne istae sanis moribus offensivae evadant.

Necesse potius est ut Ecclesia, directe, vel indirecte, curam huius instrumenti apostolatus ipsa sibi assumat, sive proprium locum obtinendo in emissionibus nationalibus cuiuscumque regionis, sive etiam, ubi possibile erit, proprias stationes radiophonicas creando. Quae stationes sub auctoritate unius vel plurium episcoporum conferentiarum subiici possunt.

Attamen, iam nunc et in posterum, hoc instrumentum tamquam necessarium habemus. Nec minus iam de televisione curandum est, quia omnes istae artes technicae, tempore nostro quod Telestaris dicitur, etiam in Africa velocissime crescunt. Libri, diarii et periodica omnis generis ubique inveniuntur et leguntur, non tantum ab eruditioribus sed etiam a multis aliis, qui et indoctis lecta commentantur. Cinematographea quocumque invadunt, et raro laude digna sunt. In nonnullis locis urbanis nefastum influxum exercent. Ubi autem prudenti iudicio adhibentur, bonum et profundum influxum in turbas permagnas efficiunt.

Concludo ergo iteratim in nomine episcoporum continentis africani, Madagascar et Insularum, anxie ad vos appellans, venerabiles Patres, ut nos in augendis instrumentis communicationis socialis adiuvare velitis.

Sine adiutorio vestro urgentissimo et fidelium vestrorum, nihil facere poterimus, praesertim ubi de radiophonia agitur.

Cum vobis vero et vestris pro certo habemus Ecclesiam Africae opus magnificum efficere posse et pro saeculis futuris decisivum.

Notetis tamen quod vobis non aliquod ordinem ad quinquennium proponimus. Sine mora ulla incipiendum est, quia necessitas quam maxime urget. Dixi.

8

EXC.MUS P. D. ALEXANDER RENARD
Episcopus Versaliensis

Venerabiles Patres,

Pauca verba facere vellem de necessitate preli catholici (et spiritu christiano imbuti). Pauca verba, quia experientia ductus, perbene novi quantum sit difficile ad longas orationes attendere...[1]

1. Mundus hodiernus ab opinione publica prorsus regitur. Omnes homines fortiter sentiunt influxum modi cogitandi qui per folia prelo impressa, sive hebdomadaria sive praesertim cotidiana, per longum et latum divulgatur. Haec est autem missio Ecclesiae et eius membrorum, ut universam humanitatem ad veritatem christianam perducat...[2] Culpa esset omissionis si inventa artis technicae et speciatim instrumenta preli non ad id dirigentur, ut per illa procurentur formatio humana necnon institutio christiana nostrae generationis. « Omnia autem probate, quod bonum est eligite ». Necesse est igitur ut sacerdotes et laici omnibus his conatibus cum spiritu christiano intersint, et sic ad formandam opinionem publicam concurrant.

2. Certo mirandus est apostolatus qui hodie in Ecclesia omnibus modis evolvitur quoad praedicationem Evangelii, quoad catechismum et doctrinam christianam, ad scholam catholicam sustinendam, ad actionem laicorum promovendam et alia. Hic autem labor ingens paucos maturabit fructus, nisi adiuvetur et prorogetur per inventa artis technicae et, ante omnia, per prelum catholicum.

Nunc autem fatendum est quod nobis...[3] deest structura solida apostolatus ad opinionem publicam informandam. Id quod sacerdotes et eorum socii in actione catholica...[4] efficiunt, saepius impeditur, vel etiam ad nihilum reducitur sub influxu potentiae illius quae propria est foliorum prelo impressorum. Omnes formae apostolatus adhiberi debent, et quidem in solidum. Timeo virum unius libri, magis etiam timeo virum unius methodi, quia nulla methodus per se solam valorem absolutum obtinet, et quia methodi apostolatus diversae esse debent et simul...[5] adhiberi ut libertati Spiritus Sancti respondeant; « ubi vult spirat ». Respondere etiam debet variis necessitatibus hominum et diversis inventis artis technicae, quae in quaque aetate humanitatis inveniuntur.

Propterea hoc esset votum meum: ut locis debitis e. gr. n. 11, ...[6] cap. I haec addantur verba: « Concilium rogat ut apostolatus opinionis publicae laicorum sacerdotumque attentionem retineat, et ut apostolatus veri nominis et quidem magni momenti habeatur. Omnes catholicos scriptores necnon illos qui in diversis inventis artium technicarum implicati sunt, hortatur, ut quisque in suo laboris loco eventus vitae cotidianae et varias quaestiones sub luce christiana attente perpendant...[7] Concilium optat praeterea, ut folia, prelo impressa, sive cotidiana sive hebdomadaria, in mente catholica edantur. Omnes baptizatos insuper rogat, praesertim sacerdotes et apostolos laicos, ut folia veri nominis catholici, speciatim cotidiana, foveant et eorum divulgationem procurent ».

Sic exemplum sequemur S. Pauli, qui de necessario fine apostolatus

et de opportunissima varietate eiusdem methodorum sic loquitur: « Dum omnimodo Christus annuntietur ». *Omnimodo!* [8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Duos conceptus exprimere optarem. [2] et praesertim hominibus determinati temporis evangelium Christi annuntiet. [3] omnino. [4] collatis viribus. [5] in solidum. [6] pars I. [7] atque, in quantum fieri potest, publice illustrent. [8] deest.

9

EXC.MUS P. D. LUCIANUS BERNACKI
Episcopus tit. Melensis, aux. Gnesnensis

Venerabiles Patres,

Paucissima verba dicere mihi liceat de iure Ecclesiae circa instrumenta communicationis socialis relative ad pag. 208, n. 7 schematis constitutionis, ubi agitur de iure et officiis Ecclesiae erga illa instrumenta. In quo textu aliquid magni momenti omissum mihi videtur; etenim nihil dicitur de ipso iure Ecclesiae haec instrumenta possidendi. Vindicatur solummodo — ut schematis verbis utar — « proprium munus (Ecclesiae) circa hodierna communicationis socialis instrumenta », quae verba magis respiciunt moralem influxum in usum memoratorum instrumentorum quam Ecclesiae ius ea possidendi.

Omnibus profecto patet invigilare tantum, ut memoratis instrumentis convenienter aliquis utatur, non sufficere, quia talis censura...[1] vel directio moralis, sine potestate exsecutiva conveniente, in praxi non multum prodest. Ideoque pro fructuoso apostolatu Ecclesiae, magni momenti est possidere propria instrumenta communicationis socialis, imprimis officia radiophonica et televisifica saltem per nationes singulas repartita.

Quod ius, talia instrumenta possidendi, non satis in schemate sublineatum mihi apparet.

Implicite tale Ecclesiae ius fundatur certe in verbis Christi Salvatoris, dicentis: « Docete omnes... ». Exstat adhuc alius textus sacer, cui optime et problema nostrum applicari potest, scilicet: « ... quod in aure auditis, praedicate super tecta... ». ...[2] Quae verba Christi maximam actualitatem suam, etiam hodie, retinent exhortando nos ut omnia media ad...[3] verbum salutis praedicandum apta adhibeamus.

Insuper nemo ignorare potest Ecclesiae talia instrumenta possidendi ius, per Concilium generale expresse statutum magnam importantiam

habiturum, quando pro rerum temporumque adiunctis hoc ius nobis vindicandum vel tuendum fuerit.

Quapropter, rev.mis Patribus Concilii proponere audeo ut in memorato textu schematis (pag. 208, lin. 16) post verbum « profitebatur » propositio continuanda sit sequentibus verbis: « Ecclesiae catholicae proprium et nativum ius qualiacumque instrumenta communicationis socialis possidendi vindicat necnon proprium circa illa instrumenta munus, scil. nuntium salutis, his instrumentis adhibitis, praedicandi et homines de eorum recto usu docendi ».

Ad quod consequenter in textu schematis, sub n. 9, pag. 209, lin. 11, ad verba « libere uti » addenda proponere audeo sequentia: « eaque libere possidere et ita homines docere ... etc. », uti in schemate iam continentur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] seu invigilatio moralis. [2] *Mt.* 10, 27. [3] officium.

10

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ
Archiepiscopus Caesaraugustanus

Venerabiles Patres Conciliares, Observatores dilectissimi,

Quidquid dicatur de praestantia pastorali quae Ecclesiae mediis socialibus diffusionis continetur, maxime ad mundum nobis imminentem et de omnibus cautelis et decisionibus circa ea adhibendis, iure meritoque probandum.

Attamen, ut praesens schema dignum et perfectum evadat, quasdam annotationes significandas censeo.

Praetermissis quibusdam, exempli causa, quod schema nimium protendatur, quod plura repetantur, quod minima in eo curentur, quod speciem praebeat probabilis textus de theologia morali, quae omnia facile corrigi possent, contrahendo, omittendo, perpoliendo, maiora quaedam designabo quae alicuius momenti videntur.

De iis dico in quibus schema exponit doctrinam circa subsidia communicationis in vita civili. Nimis enim insistit in conceptu libertatis: ita ut hic conceptus, velut synonimus iuris adhiberi videatur...[1] In hac instantia de libertate, ius a iuris usu distinguitur. Sed quaerendum esset an limites usui iuris stabiliti in schemate non essent limites ipsius iuris, cum dictio « non omnis scientia prodest »...[2] ius ipsum attingat, non

vero eius usum. Nam, ut Leo XIII asserit in Encyclica *Libertas,* « omnis libertas legitima putanda, quatenus rerum honestarum maiorem facultatem afferat, *praeterea numquam* ». Affirmanda esset, saltem ut principium, relativitas essentialis iuris ad informationem et libertatis preli, radiophoniae, cinematographei et televisionis.

Haec instantia in libertate et in civium iure efficit ut, cum de Statu agitur, non sufficienter nec clare eius munera et iura quoad auxilia diffusionis declarentur; nimis enim instantur munia Status erga libertatem diffusionis, iura vero Status circa bonum commune solummodo adumbrantur; quod quidem pugnat cum instantia schematis in tot abusibus et tantis periculis contentis in subsidiis diffusionis enuntiandis...[3] Si haec ita maneant, videbimur nos imbui habitu quodam defensionis et diffidentiae erga Statum quod, etsi saeculo hoc nostro aequum forsitan videatur propter totalitarismum statalem, non tamen adeo valere debet ut Concilium in exponenda Ecclesiae doctrina non aequo rectoque pede procedat.

Denique, cum loquitur de muneribus Status circa subsidia diffusionis, fundamentum huius officii stabilitur bonum commune, vel rationes mere civiles (mores, iura personae humanae, reipublicae salus), vel ratio naturalis (religio, cultura, artes)...[4] Nusquam tamen dicitur iudicare et statuere normas iuridicas de bonis moribus, de iuribus hominum et de salute reipublicae ad auctoritatem civilem ex munere pertinere. Et sane id dicendum esset, ne videamur tenere libertatem et ius diffusionis esse quid absolutum; opportunum nihilominus erit addere auctoritatem civilem teneri lege naturali a Deo posita, ut expresse id in Encyclica Leonis XIII *Libertas* asseritur.

Aliunde semel tantum schema loquitur de bono communi religionis...[5] et quidem cum sermo fit de officiis privatorum. Expediret hoc principium etiam de Statu stabilire; immo et rationem fidei etiam exprimere ita ut veluti fundamentum iurium et officiorum Status et personarum non tantum appareant rationes naturales et dignitas personae humanae, sed etiam dignitas christifidelis et bonum Ecclesiae commune. Ita perspicue docuere Leo XIII, in praefatis Litteris, ...[6] et Pius XII, in allocutione ad iurisconsultos ex Italia anno 1953.

Continua religionis omissio quoties de Statu in schemate sermo fit, efficit ut doctrina Ecclesiae mutila et incompleta praebeatur, quod Concilio dedecet ne quemquam in errorem inducat, tum ne principia doctrinalia Pontificum ignorare videatur.

« Quapropter, sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere... eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset »...[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (n. 20 et 21). [2] (n. 21). [3] (nn. 14-19 et passim). [4] (cf. nn. 31, 79, 93 et 99). [5] (n. 30). [6] *Libertas.* [7] LEO XIII, *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere..., eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere... omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle... Id et civibus debent, quibus praesunt.

Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui iudicium prudens sincerumque adhibuerit...: ... veram, quam Christus Iesus et instituit...

... Neque profecto sine singulari providentis Dei consilio factum esse censendum est, ut haec ipsa potestas principatu civili, velut optima libertatis suae tutela, muniretur.

Sic illa quidlibet sentiendi *litterarumque formis quidlibet exprimendi facultas,* omni moderatione posthabita, non quoddam est propria vi sua bonum, quo societas humana iure laetetur: sed multorum malorum fons et origo.

Libertas, ut quae virtus est hominem perficiens, debet in eo quod *verum* sit, quodque *bonum* versari... Quaecumque sunt igitur virtuti veritatique *contraria,* ea in luce atque in oculis hominum ponere non est aequum: *gratia tutelave legum defendere, multo minus...*

Huiusmodi doctrinas, quae nec humanae rationi probantur, et plurimum habent *in civilem disciplinam* momenti, Romani Pontifices decessores Nostri, cum probe intelligerent quid a se postularet apostolicum munus, impune abire nequaquam passi sunt. Sic GREGORIUS XVI... PIUS IX...

Ex iis autem Pontificum praescriptis illa omnino intelligi necesse est... immoderatam sentiendi sensusque palam iactandi potestatem non esse in civium iuribus neque in rebus gratia patrocinioque dignis ullam rationem ponendam.

LEO XIII, *Libertas,* 20 iun. 1888: Iam aliquid consideretur *de libertate loquendi, formis litterarum* quodcumque libeat *exprimendi.*

Huius profecto non modice temperatae sed modum et finem transeuntis libertatis *ius esse non posse,* vix attinet dicere. Est enim ius facultas moralis... Quae *vera,* quae *honesta* sunt ea libere prudenterque in civitate propagari ius est... opinionum *mendacia...* item *vitia...* aequum est *auctoritate publica diligenter coerceri...*

De ea, quam *docendi libertatem* nominant, oportet non dissimili ratione iudicare...

... pro arbitratu docendi... licentiam civitati dare *publica potestas, salvo officio, non potest...* Quamobrem hanc quoque libertatem, ut honesta sit, certis finibus circumscripta teneri necesse est... *Veri* autem, in quo unice versari praecipientium doctrina debet, unum est *naturale genus, supernaturale* alterum... divini magisterii *Ecclesiam* fecit Deus ipse participem...

Nihilominus materno iudicio Ecclesiae aestimat grave pondus infirmitatis humanae... His de causis, nihil quidem impertiens *iuris* nisi iis quae *vera* quaeque *honesta* sint, non recusat quominus quidpiam *a veritate* iustitiaque alienum *ferat tamen publica potestas...*

PIUS XII, *Adlocutio ad Iurisconsultos Italos,* 6 dec. 1953.

11

Exc.mus P. D. SALVATOR BALDASSARRI

Archiepiscopus Ravennatensis

Venerabiles Fratres,

...[1] Meo *humili*[2] iudicio, schema, quamvis optima contineat, tamen iisdem defectibus laborat quibus alia schemata iam examinata, id est nimia prolixitate.

De cetero, sit mihi venia, si occasione huius schematis testor nimiam materiam suppositam esse huic Sacro Concilio, quod est contra experientiam conciliarem, quam, si non habemus personalem, tamen ex historia Conciliorum desumere possumus: vetera Concilia tractaverunt de uno vel de quibusdam punctis magni illius momenti *et*[3] saepe saepius forma synthetica, non de omnibus rebus *et forma nimis analytica*[4] sicut in hoc Concilio mihi *humiliter*[5] videtur fieri.

Quod attinet praecise huic schemati, reputo esse materiam conciliarem, sed forma diversa ab illa qua exaratum est.

Proponerem equidem simpliciter tria puncta:

1. *Dicatur*[6] momentum theologicum, *quod est maximum.*[7] Materia huius schematis pendet *praecipue*[8] ex « docete omnes gentes ». Fit itaque ista *praecisa affirmatio.*[9]

2. Momentum iuridicum, *in quo*[10] non tantum insisterem *ob rationes iam dictas nuper ab em.mo card. Bea.*[11]

3. Momentum pastorale: in hoc momento variae sunt necessitates secundum varias gentes, et etiam variae difficultates...[12] Et nunc in Concilio, dicatur simpliciter de momento pastorali magni ponderis *huius quaestionis,*[13] relinquendo episcopis, si volumus Conferentiis episcopalibus, commissionibus *peritorum,*[14] normas practicas, *uti bene dixit card. Ruffini.*[15]

In momento pastorali non tacerem, *etiam insisterem*[16] hoc opus esse melius accommodatum, si exerceatur a laicis, *formatis vel efformandis,*[17] potius quam a sacerdotibus. Et hoc ob rationes iam...[18] dictas.

Puto *quidem brevi et claro*[19] prooemio et per paucos canones posse compleri hoc schema. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Humiliter peto loqui de schemate communicationis socialis. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] adfirmatio theologica praecisa. [10] sed in hoc momento. [11] ad mentem eorum quae nuperrime dixit card. Bea. [12] e. g. oeconomicae. [13] deest. [14] variis. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] ab aliis. [19] brevi.

12

EXC.MUS P. D. VITUS CHANG TSO-HUAN
Episcopus tit. Cyanitanus

Venerabiles Patres,

Quod tractare intendi, tractavit iam exc.mus Lucianus ex Polonia [*exc. Lucianus Bernacki*].

Ne tempus teratur, scriptum tradam et dicam... Dixi.

[*Risus et plausus Patrum*].

Textus scripto traditus:

In cap. I, *de iure et officio Ecclesiae,* sub n. 9 (pag. 209), linn. 7-11, dicitur: « Ius munusque esse Ecclesiae inviolabile... libere uti », etc. Tenore textus intelligendum est Ecclesiam necessitate quadam libera teneri uti instrumentis communicationis socialis. Ius enim praebet potestatem et munus obligationem. Verbis tamen « libere uti » non exclusive talis necessitas exprimitur. Posset quis dicere: « libere uti » idem esse ac « libere non uti ». « Libertas tamen utendi instrumentis communicationis socialis, ne quis impediat usum » non est idem ac « libertas non utendi, si displiceat ».

Revera iam auditum est hic in Concilio: « Ius utique est Ecclesiae instrumentis communicationis socialis utendi; non tamen adest necessitas omnibus modis iure competentibus utendi ».

Si igitur Concilium praecipere velit instrumentis communicationis socialis utendi necessitatem, clarius quam verbis istis « libere uti » mentem suam exprimere videtur teneri. Si obligatio non imponitur instrumentis communicationis socialis utendi, nihil proderit decisio Concilii. Textus vero « libere uti » non videtur urgere.

13

EXC.MUS P. D. ANTONIUS NWEDO
Episcopus Umuahiaensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Episcopi continentis africani, Madagascar et Insularum, una voce, laudant maximam apostolicam sollicitudinem quae praeparationi schematis de instrumentis communicationis socialis praefuit.

Unanimiter huius sollicitudinis participes, desiderant ut eis liceat vos, venerabiles Patres, hic undique terrarum congregati, certiores fa-

cere de ratione sub qua hodiernam quaestionem instrumentorum communicationis socialis considerant.

Terrae africanae per multa saecula cultura orali fruitae sunt. Quod ne tamquam defectum habeatis! Sufficit enim recordari quanta facilitate populi africani Evangelio assensum dederint, et quidem sine ullo dubio, propter methodum audio-visualem, qua religio christiana eis oblata fuit: non tamquam religio libri, sed religio Incarnationis.

Atqui, nostro quidem tempore, quo populi africani societatem populorum actuose ingrediuntur, inventiones et artes technicae totum orbem terrarum circumsedere instituunt: prelo, cinematographeo, radiophonia, televisione et aliis.

Ecclesiae inde nunc officium grave imponitur et opportunitas singularis praebetur apud populos africanos, ipsi introductioni, organisationi et directioni instrumentorum communicationis adesse et, si potest, praeesse. Unde, instanter oramus ut tota Ecclesia conscia sit munus esse pastorale omnium episcoporum, ut problemati huic novo revera studeant. In cuius favorem sufficit ut frequentes interventus Summorum Pontificum in mentem revocentur, et quid ad effectum ducendum sit breviter innuatur.

1. Primum nostrum munus, nempe praedicandi, urget nos ut huic problemati studeamus.

2. Usus instrumentorum communicationis socialis, modo revera efficaci, supplere potest inopiae sacerdotum et catechistarum.

3. Eorumdem instrumentorum usu usque ad illos fideles praedicatio nostra pervenire poterit, quos, nimiae distantiae causa, alio modo attrectare non possumus. Nam radiophonia nostris diebus usque ad ultimos pagos pervenit, ibique, scriniis auditionum vel opera instrumentorum quae dicuntur « transistores », commode auditur.

4. In pluribus nostris regionibus, rerum publicarum moderatores Ecclesiis nostris stationum suarum radiophonicarum aditum libenter concedunt. Sed, saepe saepius, oblata opportunitate frui non possumus quia nobis desunt instrumenta, praesertim operarii, clerici vel laici, huic peculiari apostolatui, studio apto profecti, quibus munus nostrum praedicandi committere *possumus.*[1]

Rogamus ergo vos et deprecamur, venerabiles Patres, ut nos in hoc agro apostolico, modo definito et efficaci, adiuvare velitis.

Commissio africana sibi proponit ut descriptionem conficiat de his quae, in hac re, ad effectum deducenda sint, vobisque et commissioni conciliari « de instrumentis communicationis socialis » documentum mittet informatorium. Urget enim multiplex necessitas:

necessitas obtinendi et tenendi locum qui magisterio nostro in radiophonia nostrarum regionum offertur;

necessitas ineundi apostolatum apud ipsos viros technicos artium radiophonicae et televisificae;

necessitas constituendi institutum, sive religiosum sive laicale, e clericis et laicis exsistens, canonice huic apostolatui praefectum sub auctoritate episcoporum;

necessitas apparatus technici in servitium verbi Dei;

necessitas copiae pecuniarum tam pro continente africano, tam pro singulis huius continentis regionibus;

necessitas, tandem, alicuius instituti pontificalis novi, quod, ad instar Congregationis de « Propaganda Fide », congruentibus mediis exstructum, conferentias episcopales africanas adiuvet in organisatione et exsecutione huius apostolatus. Hunc apostolatum enim episcopi continentis africani, Madagascar et Insularum, pro regionibus suis, inter urgentissimas formas praedicationis habent, et forsitan, pro temporibus futuris, praecipuam.

Sperant *enim* [2] episcopi quod vos, venerabiles Patres, eos adiuvare non dubitabitis.

Si enim liberalitas vestra et fidelium vestrorum facit ut nos, in africanis regionibus, emissiones radiophonicas catholicas instituere valeamus, regiones etiam vestrae, quae forsitan tales emissiones usque adhuc non possident, nostris emissionibus internationalibus gaudere *possunt.*[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] possimus. [2] eidem. [3] poterunt.

14

Exc.mus P. D. MARCELLUS GONZÁLEZ MARTIN
Episcopus Asturicensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Schema plausum omnium meretur; tamen ad maiorem perfectionem, forsan aliquae animadversiones opportunae sint.

1. Ad quosnam dirigitur? primario respicit fideles Ecclesiae catholicae; tamen propter indolem problematis, quod tractat, quod quidem afficit mundum universum, certi possumus esse quod quam plurimi scriptores omnium tendentiarum, immo et ipsae sic dictae « agentiae internationales », maximam attentionem praestabunt iis quae hic dicantur.

Inter hos scriptores adsunt etiam multi, qui sunt fratres separati, quos oportet appropinquare ad nos, sicut nos etiam ad illos. Ideo [1] melius esset alloqui imprimis ad omnes homines bonae voluntatis: illis enim interest hoc, *multo* [2] magis quam declarationes theologicae.

2. *De eius contento seu materia*: *propter hoc,*[3] praecisione facta a non paucis praescriptionibus tertiae partis, forsan aptum esset maius momentum concedere expositioni quorundam problematum maximi momenti, quae respectum dicunt ad omnes, exempli gratia: *de modo acquirendi informationem,*[4] de iuribus fundamentalibus personae humanae respectu istius informationis *et accessus ad illam,*[5] de opinione publica eiusque munere sociali, de eius relatione cum potestate civili, *normae morales de publicitate in genere, et* [6] de publicitate commerciali *in concreto,*[7] etc.

3. De eius structura. Propter eamdem rationem, melius esset incipere a quadam declaratione generali, exclusive attendentes ad legem naturalem circa huiusmodi problemata; transire postea ad expositionem doctrinalem, in qua iura Ecclesiae clare...[8] affirmentur; et finem imponere statuendo normas iuridicas, modo generali, quarum maior explicatio extra Concilium posset offerri.

4. De redactione et fontibus. Desideraretur etiam redactio minus ampullosa, magis concisa, clarior, absque repetitionibus et synonimis.

Item, inter fontes qui citantur, non unice deberent apparere documenta pontificia. Adsunt etiam utiles declarationes collectivae episcoporum, immo et collectiones non ecclesiasticae de materia publicistica, quae magnum momentum habent, ex. gr. quae eduntur ab organismis internationalibus et U.N.E.S.C.O.

5. Quidam defectus in concreto. Titulus cap. I dicit: « De iure et officio Ecclesiae », tamen in articulis *istius capitis,*[9] tantum iura, non officia apparent. E contra, cum postea agitur de civibus et de potestate civili, amplius exprimuntur obligationes quam iura.

In nn. 31, 32 et 33, non bene apparet arcta relatio exsistens inter bonum commune, de quo curare debet Status, et religionem et Ecclesiam.

In tota quarta parte, nimis abundant prohibitiones; melius esset hic exponere omnibus hominibus, et praesertim catholicis, amplum et positivum programma strenuae actionis pro communitatibus et populis non sufficienter evolutis, *sicut nuperrime audiebamus.*[10]

6. Ultimo. De informatione inter catholicos. Denique, unum dicam de quodam puncto valde practico. Schema clare loquitur de probitate necessaria in informatione, et de officiis quibus omnes subsunt in hac re. Sed ne nimium praedicemus aliis obligationes suas et obliviscamur nostras, opportunum videtur proclamare necessitatem istius probitatis

et veracitatis inter catholicos, nimirum cum catholici quidam scribunt et iudicant de rebus et institutionibus aliorum catholicorum. Desideratur frequenter maior prudentia et magis exacta ponderatio in iudiciis quae proferuntur, ne divisiones et odia surgant inter nos, cum e contra unio tam necessaria sit. Cum catholici in suis scriptis agunt de aliis catholicis, quorum exsistentia evolvitur non in iisdem circumstantiis, habent normam securam ad errorem devitandum: quaerere iudicium hierarchiae eorum catholicorum de quibus scribitur.

Hoc exigit certe ut talis hierarchia prompta sit ad informandum, utpote conscia de mentalitate et exigentiis hominis hodierni, *et prompta ad non colendum quasi systematice secretismum forsan non necessarium.*[11] Si *ageremus ita,*[12] melius esset pro omnibus in eadem vinea laborantibus. Sic attingitur problema de opinione publica in Ecclesia. En magnum problema, de quo etiam Concilium deberet loqui cum praecisione et claritate.

Pius XII primus locutus fuit de hoc, sed problema exigit etiam nostram attentionem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Propter quod. [2] deest. [3] Eius contentum. Ideo. [4] normae morales de publicitate in genere, de acquisitione informationis. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] et integre. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] ita ageretur.

15

Exc.mus P. D. ISMAEL MARIUS CASTELLANO
Archiepiscopus Senensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Schema *de instrumentis communicationis socialis* mihi placet et opportunum ac dignum Concilii Oecumenici mihi videtur, sive quia agitur de re magni momenti pro vita christiana, sive quia ad compendium rediguntur quae magistraliter, de hac re, dicta sunt a Summis Pontificibus, praesertim a Pio XI, Pio XII et Ioanne XXIII.

Breviandum tamen schema etiam ego censeo; sed necessarium puto indicare criteria huius abbreviationis; criteria autem clare apparent, si punctum fundamentale constitutionis conciliaris statuatur.

In nn. 56-57, pag. 230, sermo est de « Officio Sanctae Sedis » competenti in materia instrumentorum communicationis socialis. Meo humili iudicio quae hic dicuntur sunt emendanda, ita ut nova Sacra Con-

gregatio vel sectio alicuius Sacrae Congregationis apud Sanctam Sedem pro hac materia instituatur et haec institutio sit ut punctum centrale totius schematis.

Rationes autem sunt quae sequuntur:

1. Iuxta terminologiam canonicam, hucusque receptam, apud Sanctam Sedem tria inveniuntur: Congregationes, Tribunalia et Officia...[1] Congregationes sunt pro rebus deliberandis, Tribunalia pro rebus iudicandis, Officia pro rebus exsequendis. Si ergo instituatur Officium, habebitur organum mere exsecutivum; dum, e contra, necessarium videtur organum bene instructum quod, mature et collatis peritorum consiliis, possit deliberare circa hanc materiam et, magna cum auctoritate, dare normas praeceptivas pro clero et fidelibus laicis.

2. Concilii Oecumenici est examini subicere sub lumine principiorum fidei, quae sunt in realitate mundi nostri temporis, et normas statuere ad errores coercendos, ad pericula praecavenda, ad vitam christianam roborandam et ita porro.

Concilium Tridentinum examini subiecit prelum nuper inventum, et ad pericula praecavenda, quae ex illo oriebantur, haec statuit: principia de prohibitione librorum et organum aptum ad illa exsequenda, seu S. Congregationem Indicis. Postea S. Congregatio Indicis reducta est ut sectio S. Congregationis S. Officii; nunc vero, mutatis omnino circumstantiis, aliqui putant Indicem librorum prohibitorum abolendum esse.

In realitate nostri temporis sunt instrumenta communicationis socialis, quorum influxum nemo negare potest. Ergo, post accuratum examen huius realitatis, in nostro schemate duo praesertim inveniri debent: principia ac normae directivae, organa apta apud Sanctam Sedem et apud episcopos; et apud Sanctam Sedem aliquam S. Congregationem esse instituendam Concilium Tridentinum docet.

3. Agitur de re magni momenti, non solum pro Evangelii praedicatione (sub aspectu positivo), aut propter pericula moralitatis (sub aspectu negativo), sed praesertim propter alienationem, ut ita dicam, alienationem libertatis humanae, quae ab inordinato usu horum instrumentorum provenire potest.

Sunt enim ista instrumenta efficacissima suggestionis, seductionis, dominationis: ideae communicantur et imponuntur, iudicia practica suggeruntur, conceptio vitae et mundi introducitur et inculcatur. Unde habetur hominum educatio vel perversio, eorum libertas vel servitus, perfectio vel amissio personalitatis humanae.

En ergo, venerabiles Patres, momentum huius schematis: agitur de homine, de ipso homine. Ecclesia Filii Dei, qui propter nos homines

descendit de caelis, defendere debet etiam nunc, sicut semper fecit, hominem eiusque libertatem; et ad hoc opportune, strenue, constanter obtinendum, non est supervacanea aliqua S. Congregatio vel sectio alicuius S. Congregationis, instrumentis communicationis socialis praeposita. Immo ipsa institutio erit maximum argumentum ad demonstrandam sollicitudinem Ecclesiae eiusque voluntatem suo iure utendi ac suo officio in hac re explendi.

Criteria ergo abbreviationis schematis haec proponuntur: examen instrumentorum, sollicitudo Ecclesiae, principia ac normae directivae, organa apta ad deliberandum et agendum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (can. 242).

16

Exc.mus P. D. PAULUS GOUYON
Episcopus Baionensis

Venerabiles Patres,

Nn. 80, 81, 82 de nostro schemate, qui prelum catholicum commendant, nequaquam vi et claritate sufficienter pollent. Sine timore etenim proclamandum est quod prelum catholicum, praesertim quod ad folia quotidiana et hebdomadaria attinet, saepius non intelligitur. Non intelligitur eius missio propria. Non intelligitur modus quo adiuvari debeat.

1. *Eius missio propria.* Immensa manet eius efficientia. Verum est quod eadem missio a radiophonia et televisione adimpletur. Attamen quotidie diarium emere et legere solemus. Diarium illud, quod domum ingreditur et ibi permanet et ab omnibus perlegi potest, mentem format vel deformat informando. Assimilandum est guttulae aquae ex alto quotidie in eumdem locum cadentis et terram paulatim efforantis. Dum eadem principia semper et eodem modo repetit, diarium eadem inscite in mentem inducit, ita ut appelletur prelum « schola adultorum ».

Folia catholica, quae eventus vitae quotidianae describunt, etiam sub luce christiana illustrant et iudicant. Sic christifideles adiuvant in eorum iudicio efformando, et eos disponunt ad colluctationem adversus carnem et mundum et spiritualia nequitiae; etiam hoc modo prelum catholicum « schola catholica adultorum » efficitur. Propterea apostolicum vocandum est et missionarium:

a) *Apostolicum « ad intra »*: in hoc mundo ubi scepticismus,

laicismus et atheismus practicus grassantur, sensum christianum apud catholicos retinet; quod autem, non iam amplius efficere possent hodie contiones in nostris ecclesiis. Ipsi debemus quod sal terrae non evacuatur.

b) *Apostolicum « ad extra »*: omnibus veritatem christianam proponit in sua pura luce et immunem ab omni interpretatione quae sectam sapit. Haec autem pura veritas christiana corda hominum bonae voluntatis necessario commovebit, ea tamen conditione ut ita exponatur, ut ab omnibus intelligatur, verbis scilicet quibus quotidie utamur. Prelum catholicum debet etiam, si opus est, necessitatibus hodiernis rite adaptari, sicut dixit Summus Pontifex: « deve fare il suo aggiornamento ».

Nos autem, qui de his libere loquimur, etiam nosmetipsos adaptare debemus quoad folia catholica. Num terribiles difficultates intuemur, in quibus hodie intricatur, et bonam voluntatem illorum sacerdotum vel laicorum qui suam vitam et vires causae preli dedicant?

2. *Modus quo prelum catholicum adiuvare possumus.*

a) Hic modus est, primo, *materialis*. Diarium missionem suam adimplere non potest si exigentiis artis technicae non plene respondet. Ars autem technica graves expensas exigit, eodem modo ac scholae catholicae. Cur autem expensas minores faceremus pro scholis adultorum quam pro scholis puerorum? Attamen periculum notandum est, quod in n. 47, pag. 225, indicatur, id est: recursus ad *associationes* [1] et viros, qui in rebus oeconomicis maxima pollent auctoritate. Etenim timeo ne hoc nos in servitutem redigat.

b) Hic modus est etiam *moralis*. Nimiam severitatem exhibemus erga scriptores catholicos. Omnes errare possumus, etiam cum tempus habemus ad res bene cogitandas. Cur autem non indulgemus illis qui ex officio suo constringuntur veritates hic et nunc subito discernere et typis mandare? Eos iudicamus, eos reprehendimus, et sic eos deprimimus, dum obligatio nostra esset eos confortandi et adiuvandi.

c) Hic modus est *apostolicus*. Persuadendum est christifidelibus quod obligationem habent veram, si non gravem, ephemerides catholicas legendi et divulgandi. Haec autem obligatio non satis clare in schemate nostro affirmatur. Dum optamus ut ex his observationibus brevior exaratio huius capitis fiat, proponerem ut art. 70 substituatur, sive in constitutione, sive in epitome, de quo locutus est em.mus card. Ruffini, textus ut sequitur: « Christifideles obligatione strictissima tenentur ephemerides non legendi et non fovendi quae a veritate divina et a bonis moribus avertunt; in hac materia gravatur speciatim conscientia parentum erga proprios filios. Insuper, non debent christifideles parvi facere

periculum quod, pro eorum recto iudicio christiano et pro fide integra, in lectione habituali diariorum non nominis catholici provenit: sese obligatos considerare debent ad lectionem ephemeridum catholicarum et ad illarum usum tamquam instrumentum efficacissimum pro diffusione veritatis evangelicae ».

Proponerem etiam ut tollatur n. 47.

Hoc tantum addere vellem: quod illa quae de prelo catholico dixi, minime in oblivionem me ducit quoad influxum qui in foliis acatholicis exercendus esset: « Haec oportet facere et illa non omittere ». Hoc etiam missionarium est. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] consociationes.

17

Exc.mus P. D. IOSEPH RUOTOLO

Episcopus Uxentinus-S. Mariae Leucadensis

Venerabiles Patres,

Peto ut attendatis ad n. 22, pag. 214, schematum propositorum. Opiniones aberrantes circa artis libertatem etiam apud nonnullos catholicos vigent, ideoque necessarium aestimo haec verba adiungere: « Haec Sacrosancta Synodus tenet quod in qualibet artis confectione, artifex non subtrahitur a legibus moralibus, quae ipsius actiones regunt. Insuper artifices catholicos hortatur ut arte utantur potissimum ad perfectionem animorum societatis ».

Ut meam sententiam explanem, aliqua dicam de artis notione tempore hodierno.

1. Plures auctores sentiunt artem intelligi tamquam hominis opus, quod peculiaribus qualitatibus pollet, quae non inveniuntur in aliis actionibus humanis, scilicet independentia a materia praeexistente, unde dicitur esse creatricem; insuper independentia a qualibet lege morali: sic communiter significatur sermone vulgari « l'arte per l'arte ».

Haec notio derivat a duabus opinionibus modernis, *scilicet* [1] ab idealismo et a positivismo... [2] Idealistae ita explicant intellectus operationes: actus cogitationis se ipsum ponit seu creat, est thesis; postea ponit obiectum, est antithesis; demum operatur synthesim suipsius cum obiecto. In primo momento actus cogitantis creat artem, in secundo religionem colit, in tertio fit philosophus.

Secundum hoc systema, artifex nequit legibus moralibus subiici quia

creationem artis operatur in primo actu, antequam leges moralitatis condat.

Positivismus...[3], e contra, ponit artem in spontaneitate, quia legibus moralibus impedimentum haberet in aestu et fervore ingenii. Ceterum, secundum *positivistas,*[4] lex moralis nullum valorem habet, quia homo est malus vel bonus natura sua.

2. Paucis verbis refellam *istas opiniones.*[5] *Contra idealistas*[6]: artifex est sui conscius quando operatur; saltem res faciliores cognoscit per causas, unde dicitur aliquomodo philosophus. Ipsum Deum invisibilem per visibilia intelligit, cultum illi debitum, et saltem praecipuas leges *morales*[7] ab Ipso Deo conditas. Quando opus artis complet, nequit ignorare suam subiectionem legi naturali, tamquam libertatis restrictivae...[8]

Praeses: Excellentia Vestra loqui velit de materia schematis, non de philosophia artis!

Orator: *Pauca alia dicam.*[9] Considerandum est quod media aetate, quando nemo extollebat artem ut creationem, opera pulcherrima effecta sunt, sive in poesi, sive in architectura, sive in pictura, dum nostris temporibus opera sic dicta creata ab artificibus, comparari nequeunt ipsis et aliquando risum vel miserationem commovent. Quaenam ratio? Duo praecipua motiva: defectus inspirationis et abusus libertatis; exempli gratia: legimus in ephemeridibus quod mense septembris huius anni, in civitate Wiesbaden, aliquod sic dictum « festival » *artis musicae sui generis* celebratum est. Agebatur de musica incomprehensibili, electronica, quae unicum finem habebat, scilicet oppositionem ad traditionem. Inter alios participantes, fuit aliquis qui musicam trahebat ex poculis, vel ex capsulis, vel ex vasis quae saliebant circum nervia cymbali. Ista esset creatio dum creationes non essent ecclesiae gothico-romanicae, neque tabulae beati Angelici, neque carmina Dantis Alighieri...[10]

Praeses: Iterum rogare vellem Excellentiam Vestram, ut loquaris de schemate.

In textu scripto tradito: [1] praesertim. [2] vel materialismo. [3] vel materialismus. [4] istos scriptores. [5] opinionem libertatis absolutae, quae aliquando etiam a catholicis admittitur. [6] deest. [7] deest. [8] Unde: si est causa moraliter bona, etiam effectus est moraliter bonus; si causa est moraliter mala, opus artis aliquo defectu laborat, ut evidens est. - 3) Si quaeratur utrum media aetate notio *artis creatricis* admissa sit, respondendum est negative. S. Thomas, qui in ostensione pulchritudinis ponebat artis naturam, non loquebatur de creatione et de consequenti identitate, ut aiunt idealistae, expressionis et materiae in actu operis artificis, sed affirmabat *unitatem elementorum,* quae, secundum suam doctrinam, tria essent. Ipse enim docebat: « Ad pulchritudinem tria

requiruntur: primo quidem integritas, sive perfectio; secundo debita proportio; et iterum claritas » (S. Th., pars I, q. 39, art. 8 c). - Synthesis horum elementorum tanquam materiae et formae est *unitas,* non identitas, unde excluditur conceptus creationis. Tamen nihil vetat ut artis operi tribuamus conceptum creationis sensu analogico. - 4). [9] deest. [10] Quid dicendum de spectaculis televisivis hodiernis? Aliquando apparent sic dictae mulieres divae, quarum diversa divortia magnificantur cum funestis effectibus in animis spectatorum. - Concludo optima omina faciendo arti christianae. Sancta Catharina Senensis aiebat sui spiritus directori Raimundo de Capua: « si vidisses pulchritudinem animae in statu gratiae exsistentis, plura martyria velles pati, ut peccatores a culpa liberares, gratiam conferendo una cum absolutione ». Artifices et qui opera artis transmittunt, diligant pulchritudinem doni gratiae ut claritatem animarum, quae consortes fiunt divinae naturae, exaltent, et ad progressum spiritualem societatis concurrant, protegente Maria Virgine Immaculata, quae a primo suae conceptionis momento electa fuit ut sol fulgens, quia dono gratiae Dei plena.

18

Exc.mus P. D. ANTONIUS ONA DE ECHAVE
Episcopus Lucensis in Hispania

Venerabiles Patres,

Quamvis hac in aula conciliari summum momentum schematis constitutionis *de instrumentis communicationis socialis* agnitum fuit, visum tamen est mihi nonnullos Patres velle pondus exercitationis seu usus huiusmodi instrumentorum ab humeris sacerdotalibus depromere ut supra humeros laicorum exclusive reponatur. En ratio mei humilis interventus.

Necessarium existimo limites signare sacerdotes inter et laicos in usu instrumentorum diffusionis, cum de mundo luce Evangelii erudiendo quaestio sit.

Interventio laicorum est mere subsidiaria. Ecclesiae, episcopis et eorum sacerdotibus directe spectat — « Euntes docete omnes gentes... » — munus et officium adhibendi personaliter mira diffusionis instrumenta quibus Providentia Divina, technica humana in dies progrediente, apostolos nostri temporis praeditos esse voluit, ut mirifice aiebat in suis Litteris Encyclicis *Miranda prorsus* Pontifex Pius XII, felicis recordationis.

Apostoli, teste Ecclesiae historia, olim, sollertia actuosa, nullum non moverunt lapidem et a nullo utili praedicationis adiumento fugerunt ut opportune et importune lux Evangelii in toto orbe terrarum claresceret.

Quid non debeant apostoli hodierni, cum Deus illis tradat instrumenta talia, ut singulos homines dioeceseos, immo totius *fere* [1] orbis, finibus vallisque nationum superatis, praesentes reddant? Sed non sine sensu in usu ingeniorum diffusionis procedi potest. Quid faciendum?

Liceat mihi, brevitate temporis constringente, ac diversitate methodorum pro diversitate instrumentorum suadente, de uno tantum loqui: de methodo radiophonica.

Radiophonia visa est mihi quasi servus quem Paterfamilias Deus nobis, lugentibus gentium absentiam, misit, technica et progressu hominum invalescente, ut vox Domini terram repleat, cum nos Evangelii ministri invisibili modo usque ad ea loca pervenire efficaciter possimus in quibus inveniuntur et ii qui agendi modo a Deo alieni sunt; ad intimitatem domus ubi familia, iuxta instrumentum radiophoniae receptivum, congregatur; ad relaxationis locum ubi iuvenes radiophoniam auscultant; ad cauponas et cetera loca ubi homines congregati radiophonice audire solent, etc.

Sed nondum, proh dolor!, Evangelii praecones vim specificam apostolatus, ab hoc quasi servo Dei traditam, acceperunt. Nempe, apparuit in terra radiophonia. Potentes ac divites eam adhibuerunt pro suis finibus temporalibus. Cum sacerdoti datum fuit scalam ascendere ubi radiophonia sedebat, summe contentus ac zelo apostolico motus, verbum Dei gentibus tradidit ac tradit, ipsissima methodo qua laici radiophonia utuntur. Sed non recte, ut existimo.

Dum olim sola voce naturali homines inter se communicare potuerunt, ars dicendi inventa fuit. Sed Ecclesia magistra, ad communicationem verbi Dei suam sacram dicendi artem seu oratoriam sacram, vicissim composuit. Ergo nunc quando surgit radiophonia, sicut laici suam fecerunt, Ecclesia novam methodum creare debet in arte dicendi, nempe: « artem dicendi sacrum radiophonice ».

Psychologia abundantius hoc patefecit. Usus linguae diversimode haberi debet in radiophonia ac in simplici phonia, seu locutione inter praesentes; secus radiophonia sterilitate laborat. Et quam maxime, a fortiori, si locutio sit de religiosa materia apud eos qui ab Ecclesia animo et agendi modo distant.

« Faciam vos piscatores hominum », apostolis dixit Christus. Pro diversis adiunctis, diversis instrumentis piscationis utuntur homines. Nova et mira diffusionis media, novam methodum suadent ut perabundans sit captura; id est ut homines istius temporis ad viam salutis efficaciter conduci valeant.

Ad hunc scopum sequentia propono:

a) Erigatur in dioecesibus, in quibus adhuc non est, commissio

episcopalis pro cinematographeo, radiophonia et televisione, cuius munus etiam sit in dioecesi studium accuratum fovere, et experientias constanter adstruere de « arte dicendi sacrum radiophonice ».

b) Fructus in singulis dioecesibus hac de re obtenti communicentur cum Officio internationali in quo examinentur et integrentur in nova arte sacrum dicendi radiophonice. Et inde vicissim fructus ac experientiae totius mundi transmittantur unicuique nationali Officio ut ex eo ad Officia dioecesana tandem perveniant, ut solidario labore et communi experientia, et ars efformetur, quae omnibus utilis evadat. Internationale Officium, ut mihi videtur, pontificia commissio esse debet de cinematographia, radiophonia et televisione, quae in hac alma est Urbe Romana; etiamsi Officium hoc internationale specialem sectionem in hunc finem creare debeat.

c) Interea, et dum haec ars dicendi sacrum radiophonice maturitatem acquirat, erigatur in Pontificia Universitate schola quaedam seu institutum, quo e singulis dioecesibus nonnulli sacerdotes mitti possint, qui specialiter hac in re instruantur, ut de cetero alumnos instruant in seminario dioecesano, in cuius studiorum ratione, et tamquam nova pars sacrae eloquentiae, « ars sacrum dicendi radiophonice », hoc vel alio simili enunciato, necessario includatur.

Liceat mihi, venerabiles Patres, antequam discedam, meam sententiam exponere de his duobus quae in hac aula dicta sunt, scilicet:

1. Dolendum est — dictum fuit — quod sacerdotes adhibeantur ad technice paranda et movenda et in activitate servanda ingenia seu instrumenta diffusionis, cum sacerdotes non sufficiant pro ecclesiasticis ministeriis.

Respondeo. Plane, nec debent sacerdotes ad hoc mitti. Olim, cum sola voce naturali praedicatio exercebatur, faber lignarius suggestum seu cathedram conficiebat, et sacerdos eis utebatur. Sint laici sane qui operam dent constructioni, motui technico, etc. instrumentorum. Sed ipsi sint sacerdotes, qui missionem et sacramentum ordinis acceperunt, etiam qui, talium instrumentorum ope, ministerio verbi fungantur.

2 denique. Dictum est etiam, magna dispendia ac periculum lapidationis secumferre dioecesanas stationes radiophonicas ad emissiones producendas et a sacerdotibus erectas.

Respondeo. Non debet esse sacerdos qui dioecesanas stationes construendas determinet, sed Ordinarius; et Ordinario concedenda est prudentia sufficiens. Loquitur vobis Ordinarius qui stationem nondum paravit.

Ex alio capite, occasio talis constructionis non erit in dioecesibus ac nationibus plurimis. Natio siquidem est ubi Ecclesia triginta stationes

ad emissionem radiophonicam faciendam proprias habet. Utinam haec iura Ecclesiae in omnibus agnoscerentur nationibus, sicut in praedicta catholica natione agnita sunt!

Sed ubi Ecclesia non habeat stationes proprias et proinde facultatem locutionis religiosae radiophonicae ea hora opportuniori ad auditionem capessendam, si non habeat stationes proprias, spatia radiophonica postulet in stationibus alienis. Et alia etiam spatia curet ut ipsi laici, magno apostolatu, oblectamenta et relaxationes morales reddant et fructus sacerdotalis actionis confirmare valeant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

19

EXC.MUS P. D. LEO DE URIARTE BENGOA
Episcopus tit. Madaurensis, vic. ap. S. Raymundi

Em.mi, exc.mi, venerabiles Patres Conciliares, dilecti Observatores in Christo,

De sacerdote et de instrumentis eius apostolatus.[1] Inter omnia opera omnipotentiae Dei primum occupat locum sacerdotium catholicum; nam sacerdos est alter Christus, ex hominibus assumptus, pro hominibus constitutus in his quae sunt ad Deum, ut offerat sacrificia et dona pro peccatis; quod ergo numquam oblivisci debet sacerdos: ante omnia et super omnia vitam suam adaequare teneri sacro muneri suo. Quia, ut ait principium philosophicum, modus essendi indicat modum operandi. Conqueritur universus mundus de exiguo numero sacerdotum, qui de die in diem pauciores sunt, quia habitantes crescunt rhythmo acceleratiore quam vocationes quaeque in minore numero apparent ubique terrarum. *Et semper erit verum illud dictum Christi*: « *Messis quidem multa, operarii autem pauci* ».[2] Et si sacerdos operibus non muneris sui propriis incumbit, tunc opera vere sacerdotalia diminuta etiam apparebunt. Proindeque sacerdos primo in his quae immediate muneris sui sacerdotalis non sunt, non directe sed indirecte intervenire debet, seu tantum ad directionem; quod quidem non semper fit. Nam instrumenta equidem bona sunt, sed sunt tantum instrumenta, quod non raro obliviscitur.

In magnis civitatibus abundant sacerdotes, sed sunt pauci sacerdotes pro ministerio sacerdotali, quia multi sunt activitatibus non vere neque mere sacerdotalibus dediti, et pauci pro sacro ministerio. Praeterea populi sunt ubi desunt sacerdotes pro dicenda missa neque in diebus festivis, sed in civitatibus sunt aliquoties, in una eademque ecclesia, de-

cem et quindecim missae; et non in una unica ecclesia, sed in diversis, ac mane et vespere. Populus christianus ex Concilio Oecumenico remedium huius et aliorum malorum sperat.

Faxit Deus, ut haec iustitia distributiva etiam in spiritualibus aliquando in praxim deducatur!

Ministerium sacrum confessionum est ministerium quod saepe saepius derelinquitur pro curis et laboribus non ita sacris, *ut est cinema, televisio et ludi sportivi, etc.*;[3] et sunt sacerdotes qui sub praetextu libertatis conscientiae aliis onus confessionum imponunt, quod quidem valde onerosum est, praesertim cum in eadem die per decem et amplius horas ad confessiones audiendas in confessionario esse debent. Nescio cur praesertim in magnis civitatibus curam animarum gerentes nolunt audire confessiones ovium suarum...[4]

Praeses: Excellentia Vestra rogatur ut loquaris de schemate.

Orator: Denique, aliud ministerium *sacerdotale*[5] est praedicatio verbi, *quod non fit.*[6] Nisi ut summum loquantur de operibus in populo faciendis, quod sacerdoti nomen laboriosi et progressisti attrahet; vel de novis domibus faciendis vel de societatibus syndicalibus catholicis fundandis, quae ut sacerdotem nostrorum temporum manifestabunt; vel de cooperativis ruralibus, quae ut sacerdotem caritativum exhibebunt; vel de cinema et televisione acquirenda vel fundanda pro progressu populi, quae ut sacerdotem modernum et omni plausu dignum ostendet iuxta horum fidelium ita evangelizatorum.

Conclusio. Sacerdos ante omnia et super omnia debet esse sacerdos, memor semper illorum verborum quae dixit ei Pontifex in sua ordinatione: « Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare ».

Instrumenta sacerdotis sunt spiritualia, et quae spiritualia non sunt debent *equidem*[7] pervadere, invigilare et dirigere, *quia*[8] anima nostri apostolatus est spiritus supernaturalis: quaerere primum regnum Dei et iustitiam eius et cetera omnia adiicientur nobis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] cum agnitio conscientiarum maxime contribuat ad regimen animarum, quod est ars artium. Scimus praeterea fideles maxime aedificari quando vident suos pastores ad omnes horas et omnibus diebus cum magna caritate confessiones audire; nam ipsi intelligunt maxima caritate indigere pro hoc ministerio rite adimplendo. [5] sacerdotum. [6] Dei, non animadversiones quasdam quae non sunt ad aedificationem sed aliquando ad defensionem suiipsius de his quae locuti sunt contra ipsum fideles, et praedicatio, si quae est, relinquitur praedicatoribus festorum, qui de mysterio vel de aliquo sancto vel de circumstantiis loquuntur. [7] deest. [8] deest.

20

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS ZAZPE
Episcopus Raphaeliensis

Patres Conciliares, Fratres Observatores,

Tria animadvertere velim circa praesens schema.

1. Magna pars animadversionum priorum schematum notaverunt necessitatem hoc Concilium Vaticanum II eminere nota pastorali et visione positiva atque optimista huius mundi. Quod quidem in hoc schemate servare conatum est.

Actitudo tandem pastoralis non debet confundi cum actitudine exclusive connexa cum conversione gentium, et secundum quam res vel activitates valorantur tantum per relationem ad conversionem obtinendam. Mihi videtur hoc schema non satis superare hoc periculum. Ecclesia, sicut et Iesus, praesens est in hoc mundo ad eum salvandum et consecrandum. Ad hoc autem faciendum Ecclesia incarnari debet, aspiciendo magna cum sympathia valores huius mundi, quin eo, eius transcendentiam amittat. Hi autem valores huius mundi authenticitatem habent antequam ab ipsa Ecclesia sumantur ut instrumenta eius missionis. Usus enim horum valorum multum inservit ad evolutionem et perfectionem hominum. In hoc schemate animadversio haec non sufficienter in lucem ponitur. Et ad hoc, maxime prae oculis habendum est, Concilium Vaticanum II debet loqui non tantum pro catholicis, sed pro non-catholicis, qui sunt magna pars humanitatis et qui quamvis non ut matrem, saltem ut magistram, saepe eam agnoscere volunt.

2. Haec consecratio mundi in casu instrumentorum communicationis socialis, sicut in ceteris activitatibus humanis, generatim a laicis debet fieri. Hoc modo, laici non tantum opus sic dictum profanum efficiunt, sed vere sacrum quamvis non religiosum stricto sensu. Schema, de quo agitur, hoc deberet dicere modo magis claro, et quidem alliciendo laicos ad hanc praesentiam in mundo, quae est vera praesentia Ecclesiae.

3. Praesens schema abundat etiam considerationibus practicis quae saepe non sunt necessariae et reducunt constitutionem conciliarem ad quamdam speciem ordinationis sive regulamenti. Propter hoc desideratur brevior redactio huius schematis, quae clare proponat praedictas animadversiones. Dixi.

21

Exc.mus P. D. DRAGUTIN CAROLUS NEŽIĆ
Episcopus Parentinus et Polensis

Venerabiles Patres,

Schema constitutionis *de instrumentis communicationis socialis* mihi valde placet. Est revera codex materiae tam novae, tam magni momenti. Sed video, aliquibus Patribus infantem hunc ratione eius pinguitudinis non placere. Nimis longum schema esse dicunt, et propterea contrahendum, ut infans gracilior ac magis elegans, sicuti decet nobilitati familiae originis, id est Concilii Oecumenici, evadat, desiderant.

Quae consilia contrahendi schema hoc, mihi non placent. Agitur enim hic de materia novissima, utilissima, tam sollerter collecta ac disposita, pretiosis notis suppedita. Damno esset huius schematis membra resecare idque contrahere. Pro casu propterea, si venerabiles Patres sat numerosi sint quibus schema hoc tam gratum non esset propter longitudinem ac propter modum loquendi non conciliarem, ut aiunt, sequentem *solutionem* [1] proponere audeo.

Constitutio haec uti iacet, publicetur a consilio (non: Concilio), *a consilio pro cinematographeo, radiophonia et televisione,*[2] iam apud Sanctam Sedem existente, a Sanctissimo Papa nostro Ioanne stabilitate ac permanentiae praerogativa praedito. Sed editio illa nomine huius sacrosancti Concilii Oecumenici fiat. Concilium autem Oecumenicum unum decretum vel nuntium exaratum iri...[3] per modum exhortationis ad producentes, ad actores, ad possessores horum instrumentorum, ad parochos, ad parentes, ad educatores, ad receptores, ac insimul *hunc codicem de instrumentis communicationis socialis,*[4] a consilio praedicto, auctoritate autem Concilii huius, publici iuris factum esse, declaret.

Maneant, quaeso, in tali editione notae omnes quibus singula capitula huius schematis adornata sunt, quia in ipsis materiae valde pretiosae ac utiles collectae inveniuntur.

Desideratur, audivimus, editio codicis de Sacra Liturgia. En etiam codex de instrumentis communicationis socialis!

Ut talis editio huius constitutionis per consilium praedictum, nomine huius Sacrosancti Concilii facta esse dici possit, necessarium esset ut singuli Patres qui volunt aliquid adhuc dicere, animadversiones suas scriptas ad textum huius schematis secretariatui Concilii tradere ne omittant. Tunc, visa brevitate temporis, a disceptationibus ulterioribus oralibus nos abstinere possemus.

Quod autem ad me attinet, ego schema propositum, uti iacet, tamquam constitutionem huius Sacrosancti Concilii propriam, recipio.[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] propositionem. [2] pro his rebus moderandis. [3] (humiliter propono). [4] talem dicamus codicem (Normas *de instrumentis communicationis socialis*). [5] In fine, liceat mihi etiam timorem exprimere, quod de longitudine ac materiarum gravi mole, etiam schema constitutionis de apostolatu laicorum etiam increpanda futura erit. Cum nempe commissioni centrali proponebatur, paginas 167 continebat. Etiam illa materia, etsi paulisper longa, ex integro servanda est, si non in forma constitutionis conciliaris, saltem modo praedicto, ut illa e. g., nomine et auctoritate huius Concilii Oecumenici, a Congregatione Concilii, publici iuris fiat.

22

Rev.mus P. D. BENEDICTUS REETZ, O.S.B.

Praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.

Venerabiles Patres, Fratres patientissimi,

Miramini valde de eo quod etiam monachi dicendum habeant aliquid de schemate discutiendo de instrumentis communicationis socialis. De eremo monasterii utique venio, sed, proh dolor!, monasteria nostris temporibus medio in mundo collocata sunt et nullo modo in deserto, cum loca deserta non amplius inveniuntur. Neque clausura papalis, neque quaevis alia clausura impedire potest ne instrumenta communicationis socialis etiam muros monasteriorum transgrediantur. Immo saepe saepius — mirabile dictu — monachi invitantur ad contemplata tradenda in radiophonia vel etiam in televisione. Expertus ergo loquor quasdam animadversiones Patribus conciliaribus exponendo.

1. Diversa instrumenta communicationis socialis de quibus optime, praesertim positive, loquitur schema, tot sunt viae et vehicula ad annuntiandum verbum Dei non tantum fidelibus christianis sed etiam nonchristianis. Et verificantur verba Domini: « Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, praedicate super tecta », et illud Psalmistae: « In omnem terram — *uti iam dictum est* [1] — exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum ». Propono ut hoc schema optime exaratum, in genere tantum disceptationi subiiciatur, non vero singuli canones. Cum non agatur de dogmate definiendo vel explanando, sufficit ut globatim accipiatur, et postea a commissione de fidelium apostolatu revideatur, abbrevietur et in compendium redigatur ad modum codicis Iuris Canonici. Praemittatur brevis constitutio de iure et officio Ecclesiae, *de iure et officio* [2] fidelium, et *de iure et officio* [3] Status civilis in hac materia.

2. Omnia instrumenta communicationis socialis in schemate enumerata, non tantum sunt educatores, formatores morum et paedagogi iuvenum, sed etiam ad mentalitatem hominum maturae iam aetatis maxime conferunt, vel in bonum vel in malum. Sunt educatores et etiam corruptores. Actores et actrices in scaenis et in taeniolis sunt idola iuventutis nostrae etiam si bis, ter vel quater matrimonium inierunt. Mos se vestiendi (vel etiam non vestiendi) et mos se gerendi in theatro et in cinematographeo imitatur a iuvenibus, ut omnes norunt. Et ita factum est ut non amplius de moralitate publica sermo esse possit. Prae manibus habui pluries folia imaginibus illustrata ex Russia oriunda, et fateri debeo in his nullum haberi periculum pro iuvenibus. Nobis omnibus rubor confusionis est, quia in Occidente qui christianus dicitur, sed liberalismo et materialismo infectus est, omnia sunt possibilia sub praetextu libertatis false intellectae, id est, libertatis quae neque legem naturalem neque *conscientiam humanam* [4] ut vinculum agnoscit. Dixit mihi aliquis se vidisse saltatrices russicas (Ballett) ita artes suas protulisse, ut sacerdotes et monachi assistere potuissent. Ea autem quae in Hollywood primo ministro Krustschew ostensa sunt, petra scandali ei fuerunt.

3. Quid faciendum contra influxum, *optimum sed etiam* [5] diabolicum, horum instrumentorum? Psalmi exsecratorii, etiam ps. 108, novum sensum sibi vindicant, et deleri non debent ex breviario, quia et ipsi sunt textus inspirati. In schemate opportuna enumerantur remedia, sed adhuc intentius insistendum erit in eo quod ibi habetur campus praecipuus et quasi interminatus pro laicis in actione catholica, cuius nomen in schemate non invenitur. Exhortandi sunt sine intermissione fideles *ut protestentur — in hoc puncto debemus omnes nos esse protestantes* [6] — ut protestentur apud auctores, effectores, actores et editores in omni casu quo sensus catholicus offenditur. Moleste enim ferunt criticam negativam, et *valde grati sunt si accipiunt* [7] criticam positivam, *et utrumque fieri debet.* [8] Haec protestatio et laudatio non tantum fieri debet a sacerdotibus, sed ante omnia a laicis. Scribatur brevis epistola vel carta ad illos qui responsabiles sunt. Insufficiens actuositas, *de quo in schemate,* [9] a parte laicorum valde deploranda est... [10]

4. Ultima animadversio haec est. Per radiophoniam et alia instrumenta huius generis, habemus medium pulcherrimum et efficacissimum praedicandi verbum Dei christianis catholicis qui non modo catholico vivunt et ecclesias non frequentant. *Illi qui ecclesiam frequentant, semper ante nos sunt, sed illi qui ecclesiam non frequentant, eos attingere possumus per radiophoniam.* [11] Et etiam fratribus non catholicis et non christianis *praedicatur verbum Dei.* [12] Permultas accepi epistolas auditorum meorum in radiophonia, praesertim a protestantibus, qui valde

grati erant pro verbo Dei more catholico ipsis dato. Volunt audire quid credant catholici, volunt audire catholica, sed cum amore et caritate prolata. Veritas enim quae porrigitur sicut alapa, intellectum non attingit sed voluntatem obstinatam *facit.*[13]

5. Ad radiophoniam vaticanam quod attinet, desiderantur tria: *a*) Ut programma melius fiat; *b*) ut oratores optime eligantur et *c*) ut lingua latina pluries adhibeatur, et cursus linguae latinae liturgicae pro fidelibus et pro clericis detur.

Locutus est monachus, qui saepius ea, quae ex Deo hausit, hominibus *tradidit* [14] per radiophoniam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] normam conscientiae humanae. [5] deest. [6] deest. [7] magni faciunt. [8] qua labor eorum laudari debet. [9] deest. [10] Quae bona sunt, laudanda erunt. [11] deest. [12] deest. [13] reddit. [14] tradit.

23

Exc.mus P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

Venerabiles Patres et Fratres,

Quia plurima horum quae pro hodierna congregatione generali praeparavi iam dicta sunt, vos, venerabiles Patres et Fratres, cum meo textu non fatigare volo. Omnibus membris secretariatus praeparatorii ad gaudium valet quod schema in genere placet, multis observationibus adauctum est et etiam ut dignum pro Concilio censetur. Abbreviationibus etiam ego consentio, peto tantum ut hac occasione valor schematis non deminuetur. Tantum unam ex causis pro hac propositione liceat mihi proferre. Hodiernus mundus, ita dici potest, exspectat ut Ecclesia, praeprimis Concilium, de his mediis seu instrumentis tractet et suam relationem ad ea clare determinet. Magno cum gaudio nuntius receptus fuit, Concilium non tantum de rebus theologicis, quae secundum opinionem multorum non de hoc mundo sunt, tractaturum fore, sed etiam de talibus quaestionibus quae ad eorum vitam quotidianam et modernam pertinent et hanc vitam implent. Ne in errorem deducti se putent.

Praeterea, liceat mihi tantum aliquam experientiam ibi proferre ex mea dioecesi. Est una e dioecesibus Austriae et quidem minima. In uno tantum omnes alias relative supero, nempe in numero aularum publicarum cinematographicarum et, ut statistica usque ad annum praeteritum demonstrabat, etiam omnes alias dioeceses totae mediae Euro-

pae. Testis sum forte plus quam alii quam intima connexio inter has aulas, nempe cinematographicas, et nostras ecclesias adest. Quod mane multo cum labore aedificatur et construitur, vespere non raro destruitur. Qua in situatione sacerdotibus meis aulas cinematographicas nunquam aut fere nunquam adeuntibus respondeo, ut in hoc eos laudare non possim quia imprimis apud iuvenes eorum aestimatio etiam ab hoc dependet, in quantum ad ea media bonam relationem habent. Ideo etiam in his quaestionibus Ecclesia, Concilium, sit nobis, ut iam pluries dictum est, Mater, quae etiam haec instrumenta maternis suis manibus libenter excipiat sed non minus Magistra, et forte hoc magisterium fusius nobis necesse est (quia de nova et novissima materia agitur) quae viam securam in recto usu horum instrumentorum nobis demonstret. Gratias vobis. Dixi.

Textus scripto traditus:

1. Verbum petii, non ut schema propositum iterum laudem, quia ad hoc ut membrum commissionis praeparatoriae pro his mediis minime ius haberem. Ut exc.mus Beck iam optime dixit, opus cum optima intentione factum est, sane sine experientia conciliari, quam nunc nobis acquisivimus. Si possibilitas exstitisset, schema certe iam a nobis reformatum fuisset.

2. Etiam non contra eos aliquid dicere intendo, qui emendationes proposuerunt, quia illis tantum prae oculis habitis opus bonum perfici potest.

3. Consentio etiam iis, qui abbreviationem schematis cupiunt. Talis iam pro anteriore schemate desiderata fuit et forte etiam pro aliis desiderabitur. Quae abbreviatio autem ita tantum sit, ut schema in suo valore non deminuatur. Et hoc propterea

a) quia etiam in hoc campo clara principia doctrinalia sicut et moralia necessaria sunt,

b) praeter principia schema etiam viam ad eorum realizationem et ad activitatem Ecclesiae in hoc campo ostendere debet,

c) quia hodiernus mundus, ita dici potest, exspectat, ut Ecclesia, praeprimis Concilium, de his mediis seu instrumentis tractet et suam relationem ad ea clare determinet. Magno cum gaudio nuntius receptus fuit, Concilium non tantum de rebus theologicis, quae secundum opinionem multorum non de hoc mundo sunt, tractaturum fore, sed etiam de talibus quaestionibus, quae ad eorum vitam cotidianam et modernam pertinent et hanc vitam implent. Ne in errorem deducti se putent.

Ergo mea petitio et propositio est:

1. Ut a Concilio disceptato hoc schemate textus conficiatur, qui velut Magna Charta pro usu horum instrumentorum haberi potest.

2. Ut restituatur pristina divisio huius schematis sicut commissioni centrali proposita fuit, nempe divisio in duas partes, ut

Pars I. De communicationis socialis instrumentis in universum sumptis.

Pars II. De quibusdam communicationis socialis instrumentis singillatim consideratis.

3. Ut Patres voto in n. 56 expresso consentiant et non tantum competentia extendatur sed novo Officio etiam necessaria auctoritas tribuatur.

Petitionem meam sicut et propositionem ex aliqua experientia in mea dioecesi probare velim. Est una e dioecesibus Austriae et quidem minima. In uno tantum omnes alias relative supero, nempe in numero aularum cinematographicarum, et ut statistica usque ad annum praeteritum demonstrabat, etiam alias dioeceses totae mediae Europae. Testis sum forte plus quam alii, quam intima connexio inter has aulas et nostras ecclesias adest. Quod mane multo cum labore aedificatur et construitur, vespere non raro destruitur. Qua in situatione sacerdotibus meis aulas cinematographicas numquam aut fere numquam adeuntibus respondeo, ut in hoc eos laudare non possim, quia imprimis apud iuvenes eorum aestimatio etiam ab hoc dependet, in quantum ad ea media bonam relationem habent.

Ideo etiam in his quaestionibus Ecclesia, Concilium, sit nobis, ut iam pluries dictum est, Mater, quae etiam haec instrumenta maternis suis manibus libenter excipiat, sed non minus Magistra, et forte hoc magisterium fusius nobis necesse est (quia de nova et novissima materia agitur), quae viam securam in recto usu horum instrumentorum nobis demonstret.

24

Exc.mus P. D. LEO LOMMEL
Episcopus Luxemburgensis

Venerabiles Patres Concilii,

Schema constitutionis *de instrumentis communicationis socialis* placet. Tria tamen desiderata proponere liceat.

1. Ad prooemium: De inserenda in eo brevi consideratione de valore generali et humano horum instrumentorum. Tenor generalis schematis nimis exclusive ad bonum ipsius Ecclesiae *contractus* [1] apparet. Unice fere quaeritur: possuntne haec instrumenta Ecclesiae eiusque mandato evangelico utilitati esse? Quaenam eorum usum moralitatis bonum vel malum fideles facere possunt? Nonne in aliqua praeliminari propositione, v. g. in prooemio, universaliorem ideam exprimi praestaret, nempe talia instrumenta imprimis dona Dei esse, de quibus summopere Ecclesia gaudet, non tantum quia magnam *utilitatem* sibi aut fidelibus suis afferre possunt, sed simpliciter quia *sunt,* id est, quia *omnibus* [2] hominibus acquisita sunt? Sunt nempe gressus novi qui fiunt ad perfectius in dies cognoscendum mundum creatum quem investigandum Deus hominibus praestitit, necnon ad dilatandam unionem socialem in tota familia generis humani. Immo, ut apte dixit rev.mus D. relator — sed in ipso schemate hoc non legitur — quia novam aliquam formam relaxationis et iucundae delectationis offerunt hominibus tot et tam acribus huius irrequieti temporis laboribus oppressis.

2. Ad primae partis cap. III: de saecularis potestatis officiis erga iuventutem protegendam. Optime omnino schema officia potestatis civilis universali forma complectitur. Omissio tamen quaedam in eo esse videtur quod praesertim in tractanda re cinematographica non fit explicita locutio de quodam peculiari officio potestatis civilis erga iuventutem protegendam, de officio, nempe, leges ferendi circa admissionem iuniorum spectatorum ad aulas cinematographicas. Iamvero nuper editus census statisticus omnes totius orbis nationes, una sola excepta, tales leges edidisse docet. Insuper officia catholica de re cinematographica instituta, ubique in elaborandis, promovendis atque exercendis huiusmodi legibus activam operam praestiterunt. Nonne quis silentium de hoc peculiari officio potestatis civilis interpretari posset ac si Ecclesia tales leges minoris faceret, quod certe non est in mente Patrum?

3. Ad tertiae partis cap. II: de dependentia officiorum ab auctoritate ecclesiastica. Si quis Patrum opinioni faveret transferendi officia nationalia de *re cinematographica,*[3] de radiophonia ad actionem catholicam, tali opinioni consentire nequeo. Ratio est: ista officia ab ipsa auctoritate ecclesiastica immediate pendeant.

Etsi in Litteris Encyclicis *Vigilanti cura...*[4] de horum officiorum cum actione catholica coniunctione mentio fit, tamen in omnibus et singulis subsequentis temporis documentis, praesertim in Litteris Encyclicis *Miranda prorsus...*[5], officia ista semper et clare ut institutiones ecclesiasticae autonomae proponuntur, nempe ab episcopis cuiusvis nationis instituendae, ab episcopis mandatum accipientes et sub eorum immediato regimine atque responsabilitate munus suum gerentes. Talis immediata coniunctio horum officiorum cum auctoritate ecclesiastica, probari videtur etiam ex eorum fine pastorali, v. g. moralis classificatio pellicularum.

Neque tandem patet cur prosperam institutionem perturbemus et aedificium tot annorum labore constructum sive dioecesanum sive nationale aut internationale praepropere labefactemus. Patet, tamen, nos omnes libenter concedere laicos aptiores in adiutorium opus responsabilitate plenum esse adhibendos. Sed ipsa officia, institutiones stricto sensu ecclesiasticae et autonomae permaneant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] coarctatus. [2] deest. [3] cinematographo. [4] (anni 1936). [5] (anni 1957).

Praeses: Nunc reponatur Evangelium.

Secretarius generalis: Proxima sessio habebitur feria secunda proxima, hora nona; in ea prosequetur et finem habebit discussio de constitutione *de instrumentis communicationis socialis.*

CONGREGATIO GENERALIS XXVII
26 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXVII

26 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, S. Concilii secretarius generalis*:

Hodiernae congregationi generali praeest em.mus ac rev.mus D. card. Eugenius Tisserant, Decanus.

Ad nostra vota atque omina, die ipsius natali oblata, Summus Pontifex his verbis respondere dignatus est:

[*Omnes Patres surgunt*]

« Suavissime affecti votis atque ominibus vestris, Fratrum Filiorumque amore nitentibus, quae, Nostro redeunte natali die, inter tot pietatis significationes Nobis longe gratissima obvenerunt, de novo huiusmodi humanitatis officio plurimas persolvimus gratias. Testato obsequio vicem reddentes, reciprocante caritate permoti a Deo enixe imploramus, ut, quae Nobis percupiistis bona, in unumquemque vestrum et in vobis commissos greges effuse redundent; quorum munerum auspicium sit et pignus apostolica benedictio, vobis laboribusque vestris amantissime impertita.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXV mensis novembris anno MCMLXII.

IOANNES XXIII PP. »

[*Plausus*].

Ex mandato em.mi praesidis haec venerabilibus Patribus communico.

In primis, calendarium mensis decembris hoc erit: omnibus diebus, excepta dominica, erit congregatio generalis; die autem octava decembris solemne sacrum, cui ipse Summus Pontifex praeerit.

Communico pariter haec. Expleta discussione de constitutione *de instrumentis communicationis socialis,* tractabitur decretum *Ut unum sint,* quod erit quasi praeludium alius constitutionis. Multi enim Patres enixe flagitaverunt ut iam in hac prima periodo studium fieret constitutionis dogmaticae *de Ecclesia.* Quapropter post decretum *Ut unum sint* incipiet relatio et discussio constitutionis dogmaticae *de Ecclesia.* Constitutio *de Beata Maria Virgine Matre Dei et Matre hominum,* cum sit

pars — gravissima pars — constitutionis *de Ecclesia,* cum eadem constitutione tractabitur; Maria enim consideratur tamquam membrum sanctissimum et electissimum Corporis Christi Mystici, quod est Ecclesia. Rogantur propterea Patres ut iam ab hac die velint sua nomina dare ad loquendum, si hoc cupiunt, circa constitutionem *de Ecclesia.*

Communico etiam de unitate christianorum alia etiam documenta haberi, ut vidistis in constitutione *de Ecclesia,* et ut videbitis quando prodibit decretum *de Oecumenismo,* redactum a secretariatu ad unitatem christianorum fovendam. Nunc sufficiat primum tantum documentum examinare; suo tempore alia examinabuntur.

Repeto, igitur, ad claritatem: ordo rerum tractandarum hic erit: decretum *Ut unum sint,* deinde constitutio dogmatica *de Ecclesia* et, coniuncta cum ea, constitutio dogmatica *de Beata Maria Virgine, Matre Dei et Matre hominum.*

Nunc, lego nomina eorum, qui loqui postulaverunt circa constitutionem *de instrumentis communicationis socialis*: exc.mi DD. Aloisius Civardi, ep. tit. Thespiensis in Italia; Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis in Germania; Leo Duval, arch. Algeriensis; Sanctus Moro, ep. Abulensis in Hispania; Villelmus Kempf, ep. Limburgensis in Germania; Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis in Rhodesia; Michaël Browne, ep. Galviensis in Hibernia; Aemilius Tagle, ep. Vallis Paradisi in Chilia; Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis in Mozambico; Aurelius Del Pino, ep. Illerdensis in Hispania; Andreas Sana, ep. Akrensis Chaldaeorum in Irak; Alexander Fernandez, ep. S. Christophori in Venetiola; Franciscus Simons, ep. Indorensis in India; Ioannes Petrus Zarranz, ep. Placentinus in Hispania; Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Paulus Kinam Ro, arch. Seulensis in Corea; Ioseph Goupy, ep. Blesensis in Gallia; Ioseph Souto Vizoso, ep. Palentinus in Hispania; Ioseph Vairo, ep. Gravinensis in Italia; Georgius Manrique, ep. Orurensis in Bolivia.

Et ita explicit elenchus eorum qui loqui postulaverunt circa schema constitutionis *de instrumentis communicationis socialis.* Post expletam discussionem, sed crastina, praesentabitur aliqua motio, seu propositum, quae tamen distribuetur typis impressa, circa quam fiet suffragatio; crastina, non hodie.

1

Exc.mus P. D. ALOISIUS CIVARDI
Episcopus tit. Thespiensis

Venerabiles Patres,

Quod scriptum est in hoc schemate de instrumentis communicationis socialis, mihi videtur bonum, valde utile et opportunum. Mihi etiam videtur materia Concilii, quia est res pastoralis summi momenti.

Liceant mihi duae animadversiones.

Prima est circa *officium et ius Ecclesiae,* de quibus in parte I, cap. I.

Instrumenta communicationis hic considerantur tantummodo tamquam vehicula idearum; ac proinde bene probatur ius Ecclesiae circa ea. Hoc ius evidens est et ab omnibus in Christo credentibus agnoscitur.

Sed praefata instrumenta saepissime adhibentur, uti scimus, nonnisi ad animum relaxandum et recreandum; etiamsi relaxando aliquid doceant. De usu huiusmodi instrumentorum, delectationis causa, nihil dicitur in hoc capite. Atqui Ecclesia quamdam potestatem habet etiam circa oblectamenta et solatia, quia ipsa oblectamenta normis legis moralis conformanda sunt, ne corruptionis et ruinae spiritualis occasionem praebeant.

Hanc Ecclesiae potestatem, aliqui fideles, laicismi principiis imbuti, non agnoscunt. Ecclesia — ipsi aiunt — non potest sese immiscere in quaestionibus de spectaculis, de ludis et de ceteris aliis oblectamentis, quia agitur de rebus profanis. Ergo Ecclesia sileat.

Quae cum ita sint, opportunum mihi videtur ut in hoc capite affirmetur, modo explicito, ius Ecclesiae circa instrumenta communicationis etiam cum delectationi inserviunt.

Propono igitur hanc additionem ad par. 10: « Praecipue ad Ecclesiam omnino pertinet, immo sui muneris est, de his instrumentis iudicare etiam cum — uti saepissime accidit — tantummodo ad animum relaxandum et recreandum adhibentur. Quaelibet enim forma animum relaxandi ad normas legis moralis dirigenda est, ne perversionis et ruinae animarum occasionem praebeat. Ecclesia autem, quemadmodum legis moralis est magistra, ita vitae moralis est custos et vindex ».

Secunda animadversio est potius votum; votum quod oritur ex mea personali experientia.

Per aliquot annos, munere functus sum consiliarii Commissionis Italicae pro pelliculis cinematographicis revisendis. Et in adimplendo munere meo, habui non desiderabile privilegium, quod perpauci Patres

Conciliares habuerunt, privilegium scilicet videndi omnia quae in publicis aulis cinematographicis quotidie prospiciuntur. Omnia, bona et mala, et interdum pessima.

Haec dolorosa mea experientia, magis adhuc mihi persuasit artem cinematographicam permagnam partem habere in corruptione vitae moralis et praesertim in deformatione conscientiae moralis. Hoc saltem in aliquibus nationibus. Revera, cinematographeum saepe saepius docet notionem vitae non christianam sed paganam, hedonisticam. Vita prospicitur non ut officium et sacrificium, sed ut voluptas et oblectamentum. Gaudeamus per fas et per nefas: hoc est monitum quod saepe promanat ex fabulis cinematographicis, etiam quando obscena non praebent.

Hoc dicendum est, mutatis mutandis, etiam de aliis hodiernis instrumentis diffusionis.

Proinde, clerus et laicatus catholicus, unusquisque pro munere suo et pro parte sua, insudare debent ad solvenda gravissima problemata moralia, quae ex hodierna arte diffusiva oriuntur; quoniam, etiam circa hanc artem, vera sunt verba Domini nostri: « Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt ».

Meo iudicio, ad solvenda praedicta problemata necessitas prima haec est: in instituendis scholis christianis, efformare artifices et auctores spectaculi, vel scenici, vel cinematographici, vel radiophonici, vel televisivi. Hae scholae efformare debent validos et habiles artifices, qui sint simul integri christiani.

Talium artificum, proh dolor!, hodie habetur lacrimosa penuria. Etiam quidam qui catholici vocantur, non semper christiano modo procedunt, principia nimis laxa amplectentes.

In hoc campo aliquod inceptum iam laudabiliter perfectum est; sed oportet rapidius progredi, adhuc longa restat via.

Votum pro huiusmodi scholis christianis insertum est in Synodo Dioecesana Romana, ab episcopo Romae Ioanne XXIII promulgata. Peto humiliter ut inseratur etiam in hoc schemate, modo explicito et instanti. Faxit Deus ut, omnibus nobis opitulantibus, hoc votum in rem feliciter convertatur! Dixi.

2

Exc.mus P. D. IOSEPH HOEFFNER
Episcopus Monasteriensis

Venerabiles Patres,

Ad schema propositum...[1], quod mihi generatim placet, haec animadvertere velim:

1. Nostris temporibus omnes fere gentes in plures religiones et in plures sibi oppositas doctrinas vel sic dictas ideologias de mundo, de homine, de ordine morali divisae sunt. Ecclesia non iam vivit — sicut in Medio Aevo — in societate catholicorum, sed in dispersione sic dictae diasporae spiritualis. Haec autem diversitas et oppositio doctrinarum et ideologiarum praesertim in instrumentis communicationis socialis cotidie apparet et etiam in catholicos sensim sine sensu influxum suum exercet. Ecclesia autem suam doctrinam de recto usu horum instrumentorum aliis vi imponere neque valet neque vult, ex quo sequitur quod non sufficit hac in materia tantummodo iura Ecclesiae pronuntiare. Schema modo magis practico et positivo in hoc puncto loqui oportet.

2. Modernis societatibus in diversas et sibi oppositas doctrinas et ideologias divisis, tamen quoddam commune fundamentum legis moralis non deest, quod si omnino deesset, *ipsae societates diruerentur.*[2] S. Paulus in ep. ad Romanos docet: « Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt, faciunt »...[3]

Ex his dictis sequitur quod catholicis in societate sic dicta pluralistica viventibus duplex munus incumbit.

Primum munus: ex eis quae in periodicis, in taeniolis, in transmissionibus radiophonicis et televisificis offeruntur, fideles pro se et pro suis familiis onerata conscientia ea eligant oportet quae fidem legemque moralem non offendunt.

Secundum munus: et propono, quod hoc munus in n. 12 expresse inculcetur nempe: Laici catholici qui in hodierna societate pluralistica munus senatoris vel deputati exercent vel qui commissionibus publicis vel privatis ad instrumenta communicationis socialis critice diiudicanda et invigilanda intersunt, in cooperatione cum membris non catholicis fortiter et prudenter curent, ut saltem illa principia fundamentalia ordinis moralis, de quibus S. Paulus ad Romanos loquitur...[4] ab omnibus agnoscantur et ut in instrumentis communicationis socialis ea evitentur et

legibus civilibus prohibeantur, quae fundamenta ordinis moralis — in detrimentum praesertim iuventutis — destruunt.

Libertas instrumentorum communicationis socialis non est idem ac libertinismus horum instrumentorum. His ultimis annis in non paucis regionibus experientia probatum est talem cooperationem inter catholicos et non catholicos ad invigilanda instrumenta communicationis socialis institutam, efficacitate practica non carere et bono communi reipublicae necnon saluti animarum optime inservire posse. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] de instrumentis communicationis socialis. [2] ipsa societas dirueretur. [3] (*Rom.* 2, 14). [4] (*Rom.* 2, 14).

3

Exc.mus P. D. LEO DUVAL
Archiepiscopus Algeriensis

Venerabiles Patres,

...[1] Vellem indicare quaedam de aspectu missionario huius quaestionis.

Unitas imperii romani, ut omnes norunt, faciliorem reddidit propagationem Evangelii in primis saeculis et tamen imperium romanum erat paganum, saepe persequens christianos. Nostris diebus, unitas generis humani de die in diem magis manifestatur, ope praesertim artium technicarum « diffusionis ». Omnes homines efficiuntur viciniores omnium hominum. Nonne hoc est signum novae Pentecostes, quam Deus parat populo suo?

Diversis modis haec instrumenta possunt et debent inservire veritati evangelicae

1. (et dicitur primo in ordine intentionis, non *necessario* [2] exsecutionis) praedicatione explicita Evangelii.

2. (et hoc maximi momenti est) parando vias Evangelio. Quod fit praebendo omnibus hominibus informationes utiles ad solvenda gravia problemata hodierna, verbi gratia, sicut iam optime dictum est, problemata panis, pacis, adiumenti erga regiones insufficienter evolutas... Solutio istorum problematum est praeparatio ad Evangelium, quia problemata vere humana non habent solutionem nisi christianam. Maxime interest ut vox Ecclesiae hodie sonet ut vox conscientiae generis humani, adhortans omnes homines ut hae « mirandae prorsus » technicae artes promoveant bonum commune omnium, praesertim pauperum.

In hoc opere magni aestimanda est actio laicorum; certe, ut pluries dictum est, malus usus istorum instrumentorum communicationis secumfert periculum alienationis libertatis. Remedium sistit in formatione conscientiarum: ad hanc obtinendam non sufficit ministerium sacerdotum, sed requiritur influxus familiae christianae et omnino necessaria est veri nominis actio catholica.

Denique attendendum est quod in usu istarum artium technicarum pro bono communi, filii Ecclesiae debent libenter accipere et etiam provocare, cum debitis cautelis, cooperationem omnium hominum bonae voluntatis. Spiritus Sanctus per gratiam suam operatur in cordibus omnium hominum. Nihil mirum si homines nondum in sinu Ecclesiae recepti operam dent ad parandas vias Domini. Haec est illorum dignitas. Haec est etiam dignitas Ecclesiae, quia Spiritus Sanctus non datur nisi per Ecclesiam. Et ut veniamus ad puncta particularia, dicendum est quod in materia istorum instrumentorum, multae sunt quaestiones quae solvi non possunt nisi cum adiumento non-christianorum, v. g. quaestio de decentia tam pro prelo quam pro cinema, radiophonia et televisione, requirit collaborationem omnium civium. In art. 80 et sequentibus huius schematis, valde et merito commendatur prelum catholicum. Sed quando catholici sunt in infima minoritate, difficile est ut habeant commentaria periodica; in his adiunctis possibile et perutile est ut catholici edant aliquos libros, opuscula circa iustitiam socialem, culturam, *alia huiusmodi,*[3] cum collaboratione hominum non christianorum. Experientia constat plures ex ipsis valde aestimare beneficia spiritualia istius collaborationis et amicitiam quam fovet zelus communis. Sicut dixit Augustinus: « Dilatentur spatia caritatis »!...[4] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Adhaereo his quae nuper dicta sunt de laudibus huius schematis; votum tamen faciens ut, quantum possibile est, abbrevietur. Schema magis condensum erit maioris efficaciae. [2] deest. [3] deest. [4] Très heureusement, en plusieurs articles, le schéma recommande la collaboration entre catholiques, non catholiques et même non chrétiens pour ce qui concerne les « techniques de diffusion ». Dans le schéma definitif, il est à souhaiter que cette idée soit maintenue, qu'elle soit affirmée avec netteté, mais avec les nuances nécessaires; avec prudence et discrétion (il y a lieu d'éviter le mot « missionnaire », qui est interprété par les hommes du dehors comme l'expression d'un prosélytisme qui les offusque, ou même quelques fois d'une propagande politique).

4

Exc.mus P. D. SANCTUS MORO BRIZ
Episcopus Abulensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Verbis amplissimis laudanda commissio praeparatoria, quae feliciter praesens hoc schema exaravit, schema profecto per antonomasiam pastorale, cuius gravissimum momentum nemo nostrum non videt. Si hyperbolem non redoleat, dicere auderem opportunum fuisse Oecumenicum Concilium convocare vel ad hoc solum thema accurato considerandum studio et ad praxim deducendum.

Perutiles iam animadversiones « ad schema perficiendum » audivimus. Easdem nullatenus repetam. Liceat mihi tamen, Patrum Conciliarium infimo, breviter nonnullas addere, aliasve, forte iam in hac aula propositas, *quasdam etiam hac ipsa sessione,*[1] laetanter sublineare ac subscribere.

1. Circa modum exhibendi hanc doctrinam « de instrumentis communicationis socialis », *duo*[2] adnotarem:

a) Proponatur quidem « modo positivo et optimista », i. e. non quasi negative — uti modus sese defendendi et mala praecavendi ex his instrumentis oritura —, sed uti servitium et collaboratio Ecclesiae circa ingens hoc problema humanitatis hodiernae et tamquam opportunum et laudabile Dei beneficium ad Evangelium universo orbi praedicandum.

b) Hinc schematis prooemium sit profecto, ante omnia, veluti Ecclesiae nuntium et invitamentum fidelibus (qui sal terrae et lux mundi esse tenentur), ut, Christo Domino parentes, strenue adlaborent in hoc fertili campo activitatis humanae, qui tanta virtualitate pollet ad bonum commune promovendum. Sed insimul, nuntium hoc respiciat et amplectatur cunctos homines — etiam infideles —, quos profecto alloqui oportet sermone ipsis consentaneo et prae oculis habita, non praecise christiana moralitate, sed sola lege naturali...[3]

2. *Alias animadversiones praeterea, defectu temporis Concilii secretariae tradam. Attamen*[4] duas omissiones, *ni fallor,*[5] quae in schemate apparent, concinne indicabo.

a) Ubi agitur « de iure et officio Ecclesiae » circa praefata instrumenta, complura quidem de iuribus Ecclesiae adnotantur, dum e contra silet schema de Ecclesiae officiis.

b) Secunda omissio: desiderabile esset in schemate, sin minus studium prolixum de « opinione publica » in genere, ...[6] saltem mentio-

nem facere de gravi illa quaestione circa efformationem « legitimae opinionis publicae intra Ecclesiam », de qua tam opportune Pius XII, sanctae memoriae, locutus est, v. g. an liceat clericis, immo et laicis, commentare (« criticare ») problemata temporalia, concreta Ecclesiae.

3.[7] Si schema hoc a commissione competenti reformetur, optabilis esset, humili meo iudicio, haec nova structura:

a) In prooemio, unica sit introductio, omissis quae initio quatuor partium (nn. 6, 34, 39, 64) inducuntur.

b) Proponatur doctrina generalis ex lege naturae circa instrumenta communicationis socialis.

c) Postea doctrina circa instrumenta communicationis in Ecclesia seu iuxta moralem christianam.

d) Postremo, quam brevissime enuntientur normae iuridicae.

Deinde, in « epitome », seu directorio vel speciali catechismo, quasi « vade-mecum fidelium, de mandato Sacrosancti Concilii digesto, et promulgato », proponantur normae ampliores hac de re, modo quidem positivo et allicienti exaratae, qui fidelium animos suaviter movere valeat.

4.[8] Tandem, nonnulli Patres locuti sunt de urgenti necessitate collaborationis et foederationis catholicorum, immo et christianorum omnium, ad efformandam magnam « agentiam publicitatis » et societates pro prelo christiano, cinematographeo, radiophonia et televisione promovendis. Votum hoc libentissime subscribo. Utinam, Deo bene opitulante, ante finem secundae periodi Concilii offeratur approbationi Patrum serium studium (vulgo « progetto ») a competenti Sanctae Sedis officio, peritorum ope, rite confectum, in quo inceptum hoc exsecutioni mandetur. Incuria forte nostra, et clericorum et laicorum, qui hortationibus Romanorum Pontificum tam alacriter, uti par erat, et viribus unitis, non obtemperavimus, proh dolor!, prelum et cinematographeum nata sunt et adoleverunt sine Ecclesiae, Matris et Magistrae, salutari ductu. Quasi impune inimicus homo zizania in orbe terrarum seminavit. Optandum profecto ne id quoque in posterum contingat, tam in his quam in ceteris communicationis socialis instrumentis.

Faxit Deus ne diutius Ecclesiae sanctae obiiciatur filios huius saeculi prudentiores esse filiis lucis, etiam in instrumentis communicationis socialis adhibendis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] haec. [3] *c*) Schema igitur, sive nuntium hoc Ecclesiae — en alii destinatarii — ne obliviscatur, inter alios, artifices illos validissimos, praecipuos, « opinionis publicae » mundialis (v. g. directores agentiarum et moderatores ephemeridum amplissimae circulationis, ut dicitur; immo et eorum veluti dominos, i. e. illi qui « pressura sua » (vulgo pressione)

in agentias ipsas et in directores ephemeridum, cinematographei, radiophoniae et televisionis... Horum omnium immensam vim moralem et influxum, ideoque gravissimam responsabilitatem schema respiciat oportet. Hos, sine dubio, principia moralia ex lege naturali dimanantia, e. g. circa « informationem » et problemata moralia sic dictae publicitatis, edocenda sunt. Et ipsos aliosve... alloquamur! Hos quoque schema nostrum sive nuntium hoc Ecclesiae illuminare et dirigere intendat! 2. Fideles utique monentur de periculis et damnis quae illis obvenire possunt ex prelo ceterisque instrumentis communicationis socialis et ex quibusdam spectaculis etc.; sed monendi quoque essent de gravissimis malis, ut ita dicam, invisibilibus, v. g. ex sic dicta « massificatione », frivolitate, conceptione pagana vitae... Haec sunt forte mala pessima quae humanae communitati instrumenta praedicta inferre valent. [4] 3. [5] deest. [6] (i. e. de eius natura, de functione sociali, de relatione cum auctoritate publica, de actuatione [« manipulationem » vocarem] in opinione publica, creanda ex parte sic dicti « gruppi di pressione »). [7] 4. [8] 5.

5

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF
Episcopus Limburgensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Liceat mihi, qui sodalis fui *in gremio praeparatorio,*[1] a quo hoc schema *de instrumentis communicationis socialis* exaratum est, consentientibus aliis quoque sodalibus supradicti gremii, Patribus Conciliaribus quae sequuntur proponere circa modum, quo materia huius schematis apte expediatur. Triplici enim propositione omnia in unum complecti posse videntur, quae in nostra disceptatione a Patribus hucusque et affirmanda et emendanda censentur:

1. Schema...[2] quoad substantiam placet. Et quidem maxime convenit, ut Ecclesia in magisterio Conciliari de re tanti momenti pastoralis expresse pertractet.

2. Perpensis observationibus a Patribus Conciliaribus factis, extrahantur e schemate essentialia principia doctrinalia necnon generaliora lineamenta pastoralia per competentem commissionem conciliarem eo fine, ut — servata rei integritate — in breviorem formam redigantur et suo tempore suffragio Patrum subiiciantur.

3. Cetera vero, quae potius ad praxim et exsecutionem pertinent, de expresso mandato Concilii, in forma instructionis pastoralis edantur, cura officii de quo in n. 57 schematis, adiuvantibus ex variis nationibus rei peritis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] gremii praeparatorii. [2] propositum.

6

EXC.MUS P. D. ADAM KOZLOWIECKI
Archiepiscopus Lusakensis

Circa art. 21 (pag. 214): de iure ad informationem. Puto hoc ius ad informationem aliqua explicatione indigere, scl. ad quamnam praecise informationem homines generatim ius habent?

Homines hodie nimis frequenter motivo suae « velleitatis » moveri scimus: aliqua scire simpliciter non volunt — cum scire deberent —, ergo ius habent ad informationem, immo etiam obligationem informationem quaerendi et accipiendi; aliquando tamen homines certa scire volunt, et quia « volunt », putant se ius ad informationem habere, dum nullum ius ad informationem habent. Ex. gr. ego vehementer scire vellem quantum pecuniae em.mus Pater nostrae congregationis hodiernae praesidens habet; *proh dolor!,*[1] puto tamen me nullum ad hanc informationem ius habere. Hac de re loquor, quia praecise ius ad informationem aliquomodo clarius declarandum puto ad conscientiam eorum qui folia periodica edunt dirigendam.

Puto etiam ius, immo etiam obligationem ad informationem *supprimendam* admittenda esse. Card. Suenens (*omitto hoc « em.mus... exc.mus... », quia card. Suenens ipse nos invitavit ut haec omittamus*)[2] rectissime de obligatione silentii circa actiones privatas individuorum in publicationibus locutus est. Liceat mihi hic addere aliqua de actibus vere criminalibus individuorum. Permulti hodie dicunt publicationem criminis in ephemeridibus pertinere ad poenam pro crimine. Ego tamen puto talem publicationem, in maioritate saltem casuum — forte in 90 casibus pro 100 — poenam esse nimis severam, immo sic dictam « rehabilitationem » eius qui crimen commisit impedire. Peccatum detractionis in eo consistit, quod defectum mei proximi, *crimen,*[3] sine necessitate divulgo. Estne necessitas ut ego in Africa per periodicum certior factus sum aliquem hominem in Australia in rixa alium occidisse? Puto publicationem criminis persaepe iniuriam secum ferre, cum etiam homo sic dictus criminalis ius ad bonam famam totaliter non perdit. Valde gauderem si in praesenti schemate, hoc clare in memoriam revocetur cum gravi admonitione ad editores ephemeridum ut peccatum non tantum calumniae, sed etiam detractionis evitent, eo magis quia per hodiernam facilitatem communicationis, iniuria famae illata per publicationem criminis fere semper gravis fit.

Deinde,[4] non una, sed ambabus manibus subsigno eis quae a card. Léger de laicis inter peritos hac in re adhibendis dicta sunt, quos

card. Bea etiam peritissimos vocavit. Discussionem de laicis anticipare nolo, — unum tantum hic mihi dicere fas sit, nempe laicos non tantum obligationes, sed et iura habere —, et hic campus est ubi certe laici periti ius suum habent. Non semel in hac aula audivi aliquos Patres de iuribus Ecclesiae ex una parte et de iuribus laicorum ex altera loqui. Nonne melius loqueretur de iuribus et obligationibus hierarchiae et de iuribus et obligationibus laicorum? *Quia hierarchia et laici una Ecclesia sumus.*[5] Identificatio hierarchiae cum Ecclesia — tam ex parte cleri quam ex parte laicorum — damnosam esse puto.

Tandem,[6] aliqui Patres votum expresserunt, ut schema praesens abbreviaretur. Cum tamen schema summopere mihi placet propter indolem eius pastoralem, i. e. propter eius conamen ut conscientiam et vitam christianam eorum, qui servitio communicationum socialium incumbunt, dirigat, nescio utrum hoc sine damno possibile sit. Tamen minutissimam abbreviationem suggero, nempe ut in art. 8, pag. 208... — *ita legimus, versu 23 et sequentibus*: « *Verbum enim salutis non tantum per sacrorum praeconum voces, sed etiam Apostolorum, Pontificum Doctorumque scriptis evulgare sategit; immo vero, praesertim ut rudiores per sensibilia ad superna raperentur..., etc.* »: *puto — dico de verbis illis* « *praesertim ut rudiores* » — *ut haec verba omittantur. Deinde, art. 104, pag. 243, versu 34*: « *Curent etiam eadem Officia ut radiophonia ac televisio scholis destinatae recte promoveantur, quae — praesertim si cetera instrumenta instructionis desint — magnum habent in puerorum ac rudiorum eruditione atque formatione momentum* »: *haec verba*: « *rudiorum...* ».[7] Ratio vere duplex est:

1. *Quia* [8] ego ipse per sensibilia ad superna rapior, v. g. per pulchra cantica, per bona scaenica, immo vero etiam cinematographica spectacula (gratias ago Hollywood pro « Film » « Ben Hur »!!) — et quamvis non puto me esse successorem alicuius valde sapientis apostoli, ut Ioannis vel etiam Matthaei, *sed* [9] tamen forte successor Bartholomaei *qui neque Evangelium neque unam epistolam scripsit,*[10] nollem tamen ut me, Patres Conciliares, inter « pueros et rudiores » annumeretis!

2. Quia quamvis utpote filius S. Ignatii Loyolae Officium divinum non cantando sed murmurando persolvo, numquam tamen auderem filios S. Benedicti, qui cantando tam pulchre Officium divinum persolvunt, « pueros et rudiores » vocare. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] v. 26, verba illa « praesertim ut rudiores » et in art. 104, pag. 243 v. 36 et 37, verba illa « in puerorum ac rudiorum » eruditione, omittantur. [8] deest. [9] sum. [10] deest.

7

Exc.mus P. D. AEMILIUS TAGLE COVARRUBIAS
Episcopus Vallis Paradisi

Venerabiles Patres,

Conferentia episcopalis Chiliensis, opinione generali perpensa, nimis longum schema considerans, observationes ac emendationes concretas, brevitatis causa, secretariae generali directe protulit.

Interessantissimis observationibus, a Patribus propositis, auditis, nunc pauca dicam.

Quoad cinematographum.

1. Omnibus nota est ingentium oeconomicorum coetuum existentia, a quibus cinematographica industria controllatur, tam in eius productione quam distributione, ita verum imponentes monopolium.

Nostra efficax actuatio urgens apparet, quae ipsam problematis radicem attingens vere christianam efficiat productionem. Omnes nostri nisus in unum sunt redigendi, omnes nostras vires et nationales et internationales, si opus fuerit, unientes, ad hoc ut consortium christianum efformemus quod cinematographicam industriam, quae alias digne et adaequet et superet, ita ut in commercio mundiali contendere possit.

Sane certum est hoc ingentes involvere difficultates, attamen praestans cinematographi influxus postulat ut ne quidem maxima sacrificia omittantur ad efficacem actionem obtinendam.

2. Productio cinematographica ea efficitur quam spectator sua assistentia postulet, ideoque indispensabile apparet clare et profunde fidelium conscientiam et responsabilitatem efformare ad hoc ut classificationes morales christianas revereantur, ita ut bonorum operum productio sponte exigatur et inconvenientium impediatur.

Hac de causa, conveniens est ut salva, pro unaquaque regione, ratione propriarum conditionum in classificatione, tamen servetur ubique terrarum criterium commune pro classificationibus, ita ut de facto applicetur classificatio internationalis quae iam adest.

Quoad prelum.

Hic successus a virium unione dependet; inter catholicos autem lamentabilis harum virium dispersio nunc reperitur. Dum laboramus carentia publicationum quae maximam partem hominum attingant, parvae consociationes ac societates disperse innumeras publicationes minimi momenti edunt.

Praecipuus scopus officiorum et dioecesanorum et nationalium est

coordinationem et, si opus fuerit, suppressionem vel fusionem diversarum publicationum promovere, quoties efficacitas ita postulet.

Hac in re praesertim est momentum unionis virium. Spes in successu usus instrumentorum communicationis socialis et in eorum efficacitate realitas evaderit, si inter nos in reali unione laboramus. Dixi.

Animadversiones additae:

Quae sequuntur emendationes potissimum respiciunt schematis ad breviorem formam redactionis.

Prooemium.

§ 2 sic mutanda proponitur: « Haec instrumenta humano generi valida praebent subsidia. Homines tamen ea etiam adhibent contra divini Conditoris consilium in nostra praesertim aetate nimis saeculum sapiente, in qua atheismus, existentialismus et, in genere, naturalismus, vivam Dei in historia praesentiam ignorant ac supremam stirpis humanae salutem quam maxime obnubilant ».

§ 3 sic mutanda proponitur: « Matri Ecclesiae vero instrumenta ista plurium intersunt, quia ipsa est Corpus Christi Mysticum, salvificam sui Capitis vocationem ardenti animo prosequens in saeculis sive per ineffabilem incarnationem, qua omnia in Christo assumit naturae ac artis bona, sive per mysteriosam redemptionem, qua homines ab omni malo eripere conatur ».

§ 4 sic mutanda proponitur: « Huius ergo Sanctae Synodi Patres, ad proposita sibi praestituta attendentes, quaestiones praecipuas cum instrumentis communicationis socialis connexas, expendendas esse censent indeque doctrinam tradere et generales normas statuere decernunt, quae spectent ad rectum istorum instrumentorum usum promovendum et ad eorum inhonestum usum praecavendum ac damnandum ».

Ratio: Emendatio § 2 vult dissertis verbis pericula hodierna significare quae, utpote communissima, communicationis socialis mediis grave damnum afferre solent. In nova § 3 redactio munus Ecclesiae circa haec instrumenta ita cum Christi Domini salvifica mysteria coniungitur ut clarius pateat nihil aliud Ecclesiam velle aut facere quam quod ipse Dominus voluit et fecit.

Pars I. *De Ecclesiae doctrina.*

Caput I. *De iure et officio Ecclesiae.*

§ 8. Pag. 208 s. Omittatur. *Ratio*: Non videtur necessarium in hoc capite, quod inscribitur « De iure et officio Ecclesiae » agere de historica adimpletione officiorum. Res etenim et nota est et, si in ea immoretur, sapit elationem, quod maxime nonnullis displicet.

§ 9. Pag. 209, lin. 5, sic incipiat: « Unde Ecclesiae praxi et... ». *Ratio*: Patet ex omissione § 8.

Lin. 9, ante verbum « quatenus » addatur « praesertim ». *Ratio*: Ad vitandam interpretationem limitativam orationis.

Lin. 16, oratio brevietur, omissis verbis a « cuiusvis » usque ad « utendi ». *Ratio*: Quia ius Ecclesiae sufficienter in lin. 8 exprimitur.

§ 11. Totus omittatur et pro eo novus textus proponitur: « Ecclesia libenter et Status et privatorum partes in bono communi promovendo agnoscens, eorum etiam ad instrumentorum communicationis socialis usum ius declarat, et quidem ea ratione ut eius exercitium revera ad hominum societatisque profectum confe-

rat ». *Ratio* omissionis est quia textus schematis iam sufficienter in § 5 prooemii invenitur, saltem quoad substantiam. Pro novi textus introductione ratio est ne Ecclesia semper videatur de suis iuribus tantum loquens.

Caput II. *De ordine morali obiective servando.*

Omnia quae in §§ 12 ad 18 edicuntur breviori hoc textu declarari possunt: « In diiudicando bonum vel malum instrumentorum usum, Patres Concilii praeprimis obiectivi ordinis moralis primatum omnibus tenendum edicunt. Ad rectum vero iudicium morale ferendum in implicatis quaestionibus moralibus ex usu instrumentorum communicationis socialis ortis vel orituris, tria sunt coniunctim consideranda: *ratio* scilicet *agendi* ipsorum instrumentorum propria, ex qua vel propter vim fascinatoriam vel propter eorum potius ad homines in numerum coacervatos aptationem, libertati, cultui, navitatique, tum singulorum hominum tum societatis, pericula oriri possunt; *contentum* deinde horum instrumentorum ope communicatum, quod dum laude dignum sit si Dei honorem colat, salutem animarum faveat et humanae familiae profectui inserviat, erit e contra reprobandum si iisdem sese opponat vel vitia cohonestare audeat; *adiuncta* denique seu circumstantiae omnes, in quibus ipsa communicatio perficitur ».

§ 21. Pag. 214, lin. 14 ad 16: Videntur posse omitti verba a « Publica » usque ad « hominibus », brevitatis causa.

Post § 21 textus sequens addendus proponitur: « (De munere formativo artistico et sociali). Principium altissimum in mediis communicationis socialis utendis est hominum quoad spirituales valores efformationem procurare, ita elementa eisdem recta proponendo ut et aesthetice et ethice pulchrum ac bonum quaerere discant. Sola ergo lucri spes ratio esse non potest haec instrumenta adhibendi quin eo ipso et passiones stimulentur et eorum usus in educationis atque culturae detrimentum vergat ». *Ratio*: Opportunum videtur principium edicere de munere etiam naturali usus horum instrumentorum nec non de vera formatione et non tantum informatione procurandi.

§ 22 et § 23. Ita breviari possunt: « Cum factum sit ut arduae controversiae in praesentiarum increbrescerent de rationibus quae intercedunt inter artis iura, ut aiunt, et legis moralis normas, primatu ordinis moralis declarato, Patres Concilii haec recolunt: tum artifices tum receptores, homines cum sint, semper legis moralis imperio obstringi. Ea ergo libertate legitime utantur oportet quae est vera hominum libertas, quae scilicet postulat ut omnes adhibeantur opes quae ad virtutem humanaeque naturae perfectionem conferre possint ».

§ 24. Omittatur periodus a « Ne ergo, ludicre » usque ad « scandalum venit » scilicet, finem paragraphi. *Ratio*: Quia enumerationes et exempla in documento conciliari minus placent.

Caput III. *De singulorum civium atque saecularis potestatis officiis.*

§ 25 tota omittatur. *Ratio*: Brevitatis causa et quia alias iam idem dicitur.

§ 26. Pag. 217: Omittantur orationes a lin. 16 (« Ideoque ») usque ad finem paragraphi.

§ 27. Pag. 218: Omittatur a verbo « Vir » (lin. 2) usque ad finem.

§ 28. Omittantur verba a « qui omnes » usque ad finem paragraphi (linn. 16 ad 19).

§ 29 et 30. Sic breviari possunt: « Attamen praecipuum morale officium in recto instrumentorum usu communicationis socialis respicit eos qui, ex suscepto munere, circa haec instrumenta operam praestant. Eorum itaque erit, oeconomicas,

vel politicas, vel artis rationes ita moderari ut bono communi tum religionis tum humanae culturae prospiciant ».

§ 31 ad 33 sic breviari possunt: « (De auctoritate civili). Civilis auctoritas hac etiam in re peculiaribus officiis obstringitur ratione boni communis cui haec instrumenta ordinantur. Eius enim, pro suo munere, est informationis veram iustamque libertatem defendere atque tutari; religionem, culturam, artes fovere; receptoribus in suis legitimis iuribus patrocinari; optima quaeque communicationis socialis incoepta adiuvari, praesertim ea quae a mercenariis negliguntur; et horum instrumentorum disciplinae per iustas leges vigilanter consulere, ita tamen ut civium iura tueantur.

8

Exc.mus P. D. SEBASTIANUS SOARES DE RESENDE
Episcopus Beirensis

Em.me Praeses, praeclarissimi Patres, amplissimi Observatores,

Aliquas et brevissimas mihi liceat observationes facere relate ad nn. 66 et 68 et simul ad n. 83 huius schematis *de instrumentis communicationis socialis.*

1. Nemo non videt quod folia diaria ab Ecclesia edita et directa, maximi momenti sint in omnibus terrae continentibus, sed specialissimo modo in territoriis missionum Africae quae magna et profunda attinguntur evolutione. Attamen, folia sustinere diaria cum aspectu moderno, et universalem et semper actualem praebentia informationem, ita ut technice illa inferiora non sint aliis diariis Ecclesiae non pertinentibus, revera munus difficillimum est. Ego loquor experientia personali.

Etenim, non semper maxima difficultas est in pecuniae insufficientia neque in personarum penuria aptarum talibus officiis, sed praesertim in organizationis deficientia alicuius entitatis, quae opus illud revera complexum efficaciter constituere debeat. Propterea vobis propono, Patres Conciliares, quod de hoc consors conspiratio diligenter promoveatur. Tempus non perdamus cogitando quid de hac re fecisset S. Paulus si nunc in *mundo* [1] rediisset, quia verum hoc est futuribile. Sed, e contrario, attente perpendamus quid hodie a nobis faciendum est.

De obiecto hoc, iam vobis postulatum est auxilium materiale pro missionibus, sed modo valde generico et abstracto. Nunc mihi liceat aliquid concretum et determinatum praesentare vobis ut valde desiderandum et urgentissime efficiendum pro territoriis missionum, relate saltem ad aliqua instrumenta communicationis socialis.

In his locis Ecclesiae valde interest quod internationalis catholica stabiliatur organizatio, quae de prelo, scl. de foliis typis impressis, sive

diariis, sive periodicis agat et efficaciter et rationabiliter auxilium praestet praesertim missionibus, his modis sequentibus:

a) Agentiam catholicam constituere vel aliam iam exsistentem perficere pro universali informatione communicanda, quae, eodem modo ac magnae agentiae actuales, informationes illas universo mundo transmittat, directe et de se, ita ut illae ubique orbi terrarum recipi possint per illud quod lingua vulgari « teletype » vocatur. Si ex hoc Concilio talis agentia oriretur, discussio de hoc schemate iam perutilis esset.

b) Technicos mittere qui per aliquot tempus mechanicos in loco efforment ac perficiant ita ut hi de modernis machinis typographiae et imaginum praeparandarum agere discant.

c) Immo, peritos emittere qui, in variis locis, alios peritos praeparent ut bene et sapienter et progressive administrent res oeconomicas illius entitatis quae de magnis expensis cum istis foliis occupatur. Saepe saepius organisationes istae difficultates materiales inveniunt et post brevem et dolorosam existentiam pereunt non tantum quia possibilitates oeconomicas non habebant sed quia tales possibilitates efficere et lucrative administrare omnino ignorabant.

2. Nunc de prelo loquendo prosequor, sed relate tantum ad ephemerides hebdomadarias, mensiles et alias eiusdem generis. Valde frequenter publicationes istae multiplicantur et per veram generationem spontaneam reproducuntur, ita ut omnibus conditionibus necessariis careant pergendi et cum profectu progrediendi in futurum longinquum. Magnae et insuperabiles difficultates oriuntur, tum ex parte materiali tum ex parte scriptorum et aliorum peritorum de quibus supra iam dixi.

In hoc autem affirmando, prae oculis non habeo ephemerides paroeciales et alias similes, quae de se et propter suum finem apparatum magnum non habent, sed tantum illas ephemerides, v. g. de rebus missionariis tractantes. Uniuscuiusque coetus missionarius, vel ad missiones quocumque modo respiciens, ephemeridem propriam edere volunt. Attamen, quid melius esset: typis dare multas et multissimas ephemerides sed, ut ita dicam, vera et profunda phthysi affectas, quoad chartam, scripta, informationes, imagines et ita porro; vel, pro unoquoque territorio vel natione, paucas, fortasse unam edere, tamen cum apparatu valde actuali et accurato, et simul cum forma pulcherrima et vi apostolica? Nonne Pius XII, veneratissimae memoriae, exhortando catholicos, illos incitavit ut non solum vita et moribus, sed etiam in suis professionibus optimi esse deberent?

Ergo vobis propono, Patres conciliares, Concilium Vaticanum II votum emittat ut omnes responsabiles pro parvis ephemeridibus de ea-

dem re tractantibus, cum magno animo aciem unicam, quidem ordinatam, constituant, tales publicationes ad unam vel paucas reducentes, et ita *ut,*[2] spirituum unione et instrumentorum communicationis socialis fusione, in omni orbe terrarum, revera efficientius veritatem faciant in caritate. Et iam dixi.

In textu scripto tradito: [1] mundum. [2] deest.

9

Exc.mus P. D. AURELIUS DEL PINO GÓMEZ
Episcopus Illerdensis

Em.me Praesul, venerabiles Patres Conciliares,

Non sine gaudio agnoscendum est in congregationibus diebus anteactis celebratis exstitisse magnam concordiam in sinceris laudibus schemati tributis, quibus non obstantibus, unanimiter eiusdem profusio visa est. Quapropter prudentissime proposita fuit distinctio inter fundamentales quaestiones et alias quibus accidentalia attinguntur, ut illae a Concilio accurate tractarentur et haec alicui commissioni mittantur. Omnes libenter audivimus optata statim ad praxim reduci.

Ante omnia a Concilio proclamandum est certissimum Ecclesiae ius in his quae ad possessionem instrumentorum communicationis socialis necnon ad rectitudinem et moralitatem in eorum usu sine ulla limitatione pertinet. Hoc ius evidentissime apparet: primo ex instrumentorum communicationis socialis origine. Plena ratione id dici potest quod nostri apologetae, primis saeculis, sapientibus paganis dicebant: nostra est scientia vestra, peculiariter ad nos pertinet, quia attigistis lumine rationis, quod e Verbo accepistis, Verbumque, caro factum, est Christus, conditor atque caput invisibile huius Ecclesiae, quam vos persequimini. Humilitate, discrimine sancto, sinceroque amore, sapientes omnes trahere ad eam mentem debemus, ut clare perspiciant omnia inventa ab eis adepta esse facultatum ope ex Deo acceptarum; his, inquam, facultatibus sunt consecuti, quas Deus servat, et quibuscum ut prima causa omnibus actibus cooperatur, ideoque haec inventa scientifica et technica offerenda, animo grato et generoso, Deo Domino nostro, Verbo Incarnato, Sanctae Ecclesiae, ...[1] neque unquam pati debent haec inventa immoralitate et scandalo foedari vel diabolo eiusque sequacibus inservire, deplorabili animorum damno et universorum totius humanitatis bonorum incredibili detrimento.

Idipsum patet si ad indolem instrumentorum communicationis socialis sedulo attendamus. Sunt etenim splendidissima media mirae efficaciae ad fraternam societatem universorum hominum inter se fovendam necnon individuorum, familiarum et multitudinum populorum et totius orbis nationum bonum et veram pacem obtinenda et firmanda, et nemo est qui non videat talia media curae et sollicitudini Ecclesiae esse subiecta, quae diligentia et summo zelo intendere debet animarum salutem et gloriam Dei, propter quam omnia condita sunt.

Et fatendum est hac in re solas normas Ecclesiae, in eo quod ad rectitudinem et moralitatem pertinet, esse suprema auctoritate suffultas et ab omnibus observandas. Quia sola Ecclesia in rebus fidei et morum est magistra infallibilis. Propterea omnibus hominibus, non exceptis auctoritatibus civilibus, cum prudentia, suavitate et paternali caritate suadendum est ut normas illas reverenter adimpleant. Si exhortationes nostrae non audiantur, hoc factum lugendum iudicio Dei magnanimiter relinquatur et pro certo habeamus quod hic agendi modus non erit sine ineffabilibus apostolicis effectibus.

Non desunt qui affirmant Ecclesiae non esse finem recreationis seu oblectationis in usu instrumentorum communicationis socialis fovere. Quibus respondendum est recreationem honestam et moralem ad ordinatam vitam christianam iuvare, ut videre est in seminariis, collegiis, novitiatibus religiosorum. Proinde etiam pro fidelibus cum omni zelo fovenda est.

Agnita libentissime instrumentorum communicationis socialis efficacitate in limine formationis moralis et in apostolatu, omni cura cavendum est ne negligantur media principalia muneris pastoralis, ut oratio, praedicatio, Missa et participatio sacrificii, sacramentum poenitentiae, devotiones quotidianae, exercitia spiritualia, opera caritatis et alia huius generis. Sacerdotes qui ita agerent, inferrent magnam offensam suo sacerdotio, cum scandalo et magno damno spirituali fidelium et non sine periculo suae supernaturalis salutis. Ad haec permagna mala vitanda multum conferret constitutio commissionum specialium ex fidelibus selectis, quae de hac re curarent, sub sacerdotum prudenti tutela et opportuno labore.

Maximi momenti censemus Concilium urgere ut in unaquaque paroecia, dioecesi et natione coetus adsit cui cura sit perficiendi omnia quae ad rem pertinent, prout in approbatione huius schematis statuantur. Hic coetus deesse non debet in civitate quae eligatur ut sedes apostolatus internationalis. Haec civitas, humili animo iudico, Romam esse debere sexcentis ex causis, quas enumerare supervacaneum est; unam tantum adducam: Romam Summi Pontificis sedem esse; quae ratio super

omnes eminet et omnes comprehendit. Quis, ut decet, aestimare poterit opus immensum quod exsequi possemus, si nos omnes fide, caritate et spiritu sacrificii necessario hoc officium aggrederemur? Quis ponderare poterit, ut exemplo utar, eventa quae consequi possent in ordinatione morali et spiritu christiano cinematographei, si omnes episcopi expresse convenirent ut, quavis ratione, in nulla dioecesi orbis terrarum prospiceretur in cinematographeis catholicis ulla pellicula expers conditionum moralitatis et spiritus christiani ab Ecclesia insiti?

Etiam meminisse iuvat de exemplo nobis, sacerdotibus, religiosis, seminaristis dando in hac materia; nobis vitandum est profecto maxima cautione quidquid his dictis repugnet, scandalo esse possit sive iustae admirationi fidelibus aliisve personis.

Fatendum est iudicia esse devia quae in frugem viam sunt adducenda. Nec desunt qui sine ulla intermissione libertatem atque iura personae memorent. Clamandum est peccato nullam libertatem moralem esse. Libertate physica peccandi homines fruimur, et talis libertas validius argumentum est propriae imperfectionis, propriae miseriae. Deus libertate peccandi sive physica sive morali caret, quia est bonitas summa, sanctitas infinita, talisque in eo libertas, negatio sui ipsius esset. Deum igitur imitemur hanc nostram peccandi libertatem compescendo; hoc modo Deum...

Praeses: Habe me excusatum, Pater, tempus tibi concessum elapsum est.

Orator: ... Deum sequemur, similes ei erimus, quae imitatio et similitudo vividior gloria erit, maxima nostrae personae sublimatio.

In textu scripto tradito: [1] (Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei).

10

Exc.mus P. D. ANDREAS SANA
Episcopus Akrensis

Vénérables Pères Conciliaires, chers Observateurs,

D'abord je m'excuse de parler en français, parce que je ne peux pas m'exprimer bien en latin.

Il s'agit de *de instrumentis communicationis socialis*. Tout de suite, je m'empresse de dire que ce schéma me paraît *bon* [1] et que je ne veux nullement le critiquer. Qu'il me soit permis de faire seulement quelques remarques générales, sur le sujet.

1. *Position d'un problème.* Ce sujet n'a pas été traité tel quel dans aucun Concile œcuménique, pour la simple raison que la plupart des moyens dont parle le schéma n'existaient pas. C'est donc un terrain nouveau, d'ailleurs tout différent des autres parties à traiter dans le Concile.

Il est très bien, il est même nécessaire de prouver le droit de la Sainte Eglise dans ce domaine, et de donner de très sages directives. Mais le domaine est, par excellence, un domaine d'action; il ne suffit pas d'en prouver le droit et même de donner des directives. Il s'agit de descendre réellement à l'action et de disputer aux moyens de communications sociales profanes, les âmes et les cœurs de nos fidèles. En effet, nos fidèles, nous le constatons tous les jours, abandonnent nos églises et nos sanctuaires, pour aller au cinéma ou pour assister à la radio ou à la télévision. Le sujet que nous traitons est donc très important par rapport au temps actuel; parce qu'il y va de l'attachement des fidèles à leur Eglise et à leurs pasteurs et par là au Pasteur Suprême, le Christ. Quoique le fait de traiter ce sujet, comme disait l'exc.me Rapporteur, est un repos pour les Pères Conciliaires, cependant cela ne diminue nullement son importance capitale.

2. *Les faits.* Les chiffres que l'exc.me Rapporteur donnait, parlent mieux que tous les discours: plusieurs milliers d'auditoires cinématographiques, ou postes d'émission de radio et de télévision, avec des centaines de millions d'auditeurs chaque jour. Et presque tout cela en dehors de la religion et très souvent contre la religion et les bonnes mœurs. Pourtant, là où Dieu ne règne pas, c'est satan qui règne. Nous avons, il est vrai, un enseignement religieux dans les églises et dans les écoles; et encore cet enseignement est loin d'être suffisant; les familles et les masses nous échappent presque totalement. Il est temps de les conquérir, je peux dire qu'il devient même tard. Par rapport à ces centaines de millions d'auditeurs des moyens profanes, le nombre de ceux qui bénéficient de nos moyens religieux est insignifiant. Par ailleurs, nos savons combien les scènes et les discours entraînent les auditeurs au bien ou au mal.

3. *Le remède.*

a) Dans le domaine du cinéma, un bon travail se fait dans divers pays, cependant il laisse encore à désirer; en effet les films religieux pourraient être multipliés et même plus souvent exposés. Le monde a soif des choses religieuses; même dans notre pays, l'Iraq, où la grande majorité des habitants ne sont pas chrétiens, les salles du cinéma sont archipleines quand des films religieux y sont exposés, tels que « Quo Vadis » et « Le Roi des Rois ».

b) J'espère que les responsables de la Radio Vaticane encourageront le reste du monde catholique en portant à cette émission quelques améliorations. En effet, le travail fait par ce poste d'émission est excellent, mais à mon humble avis il peut être amélioré. Il est vrai que la Radio Vaticane donne les résumés des lettres et des discours du Très Saint Père; comme aussi elle diffuse les nouvelles du monde catholique en des dizaines de langues chaque jour; de même elle fait entendre quelquefois de petites instructions religieuses; mais ce programme peut être élargi, afin qu'il embrasse tous les côtés religieux, par exemple: présenter des scènes de la Bible — il y en a tant à présenter —, faire connaître aux fidèles l'histoire de l'Eglise, surtout la vie des Saints, parler de la liturgie de l'Eglise, etc.

c) Les responsables de la diffusion radiophonique dans le Vatican pourraient penser à créer aussi un poste d'émission télévisionique avec un programme identique ou différent de celui de la radio.

d) Chaque diocèse, n'ayant pas les possibilités requises, ne peut pas remédier, tout seul, au mal; mais dans chaque pays chrétien, la Hiérarchie ecclésiastique pourrait étudier le problème et y porter remède. Ainsi tous les diocèses d'une nation chrétienne pourraient s'entendre et créer un poste d'émission de radio ou encore de télévision. Et ces postes d'émission marcheraient dans la même ligne que celle du Vatican. Et alors les fidèles qui ne voudraient pas perdre leur temps à entendre une émission profane qui leur ferait du mal, pourraient profiter de leurs loisirs pour entendre ou voir quelque chose de religieux qui leur serait profitable aussi bien corporellement que spirituellement. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] excellent.

11

Exc.mus P. D. ALEXANDER FERNÁNDEZ FEO-TINOCO
Episcopus S. Christophori in Venezuela

Venerabiles Patres,

Nomine Praesulum Conferentiae episcopalis de Venezuela, ut eorum mentem aperiam, loquor.

1. Omnia quae in schemate exponuntur, profecto laudanda et probanda videntur. Nihilominus, quemadmodum a pluribus Patribus iam dictum est, exoptamus ut brevitati consulatur.

2. Itaque, nobis placebit si, facta declaratione de momento et efficacitate instrumentorum communicationis socialis in Ecclesiae et civilis societatis vita, reliqua schematis materia, non singulatim sed simul summatimque pertractetur, instituendo nempe principia moralia quibus horum instrumentorum usus ordinari oportet et concise et perspicue definiendo iura et officia tum Ecclesiae, tum civilis potestatis, tum singulorum civium fideliumque, necnon eorum qui his instrumentis operam praestant.

3. Insuper, personae humanae dignitas, quae saepissime horum instrumentorum usu laeditur, aperte doceri decet. Dixi.

In textu scripto tradito: [*Subscripserunt etiam*] J. Humbertus card. Quintero, archiepiscopus Caracensis; José Alì Lebrun, obispo de Valencia; Chrysanthus Mata Cova, episcopus Cumanensis; Dr. Crispulo Benítez Fontúrvel, obispo de Barquisimeto; A. Ramirez, obis. Maturin; Felicianus Gonzales, ep. Maracayensis; Angelus Perez C., episcopus Barcinonensis; Iosephus Leo Rojas, episcopus Truxillensis; Dominicus Roa Perez, episcopus Maracaibensis; Aloisius Henriquez, episcopus aux. Caracensis.

12

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Venerabiles Patres,

Breviter unum tantum animadvertere velim, sed, ni fallor, magni momenti practici. In hoc schemate, Ecclesia ius sibi vindicat praedicandi et promulgandi veritatem, quod quidem ius...[1] saepe nomine catholicorum, ut civium, vindicare debemus. Ius tale hodie facilius urgeri potest et nomine iurium fundamentalium hominis ab Organizatione omnium Nationum agnoscitur.

Sed *non oblivisci possimus*[2] usque in ultimum hoc tempus nobis obiici quod Ecclesia sibi utique haec iura vindicat ubique terrarum, sed quod eadem Ecclesia aliis iura haec deneget si ipsa in possessione est. Bona fides Ecclesiae in hac re multis in suspicione est. *Haec suspicio fortasse solummodo sollemni declaratione Concilii*[3] removeri potest. Ideo, perutile esse puto si huic schemati aliqua addantur de libertate exprimendi suam convinctionem quae omni homini ex titulo liberae suae personalitatis, vel ex obligatione et iure sequendi suam conscientiam etiam erroneam, agnosci debet. Tractatio huius materiae facilis certe non est, sed mundus hodiernus merito a nobis exspectat ut iura fun-

damentalia omni personae inhaerentia sub hoc respectu clare formulemus et praedicemus.

In hac re anxietatem nimiam a nobis abiiciendam esse videtur. Sacra Ecclesia[4] primis saeculis christianis magnam partem mundi occidentalis ad Christum *duxit*[5] sine ulla protectione auctoritatis civilis et *eadem Ecclesia*[6] saeculo XII et XIII *floruit*[7] cum libertate expressionis liberaliter concessa...[8] Si Ecclesia positive bonum promovet, plus facit ad praeveniendum et vincendum malum quam si malum supprimere conatur. *Nam*[9] malum in bono vincitur. Omne praevenire malum nec possumus nec debemus. Ipse Christus in parabola zizaniorum nos admonet ne, zizania eradicantes, bonum semen simul eradicemus. Conari debemus ut omnibus mediis, quibus Ecclesia in suis membris praesertim laicis disponere potest, totaliter utamur pro bono generis humani, quod mundus iure a nobis *exspectare potest*[10] et quo, modo efficaciori, veritas et caritas in mundo promoventur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (uti arch. Djakartensis iam bene notavit). [2] ne obliviscamur. [3] Solummodo solemni documento Concilii haec suspicio. [4] De cetero, nec oblivisci debemus sacram Ecclesiam. [5] duxisse. [6] eandem Ecclesiam. [7] floruisse. [8] Anxietatem nimiam a nobis abiiciamus. [9] deest. [10] exspectat.

Secretarius generalis: Rogantur universi Patres ut ad sua loca redeant, quia prope em.mus card. praeses aliquid rogandum habebit. Igitur rogantur omnes ut ad sua loca redeant.

13

EXC.MUS P. D. IOANNES PETRUS ZARRANZ Y PUEYO

Episcopus Placentinus in Hispania

Venerabiles Patres,

Schema magnopere placet. *Eius argumentum est maximi momenti, maximae actualitatis, ut iam dictum est, maximae utilitatis, immo urgentissimae necessitatis, praesertim nostris temporibus. Quippe quod intimam relationem dicit ad quaestiones vitales et transcendentes, ut sunt quae respiciunt dignitatem et integritatem spiritualem humanae personae, immo totius generis humani.*

Audivimus hoc mane de laudibus instrumentorum. Adhaereo his

laudibus ex corde, sed nunc audietis de periculis horum instrumentorum.[1]

Nemo est qui ignoret quot et quam immanes iniuriae et vexationes *contra dignitatem*[2] personae humanae nimis frequenter obvenerint, occasione mirifici progressus technici instrumentorum socialis communicationis: non quidem ex eorum usu legitimo, ut palam est, sed ex lugendo abusu, unde, per pressuras seu pressiones ideologicas, per subtiles influxus psychologicos, per obsessivas suggestiones publicitarias, per informationes fallaces vel partiales, per *multiplicata spectacula,*[3] per exacerbationem « propagandae », quae dicitur...[4], practice subsequitur apud multos, ne dicam semper, illa horrenda « cerebri lotio », sed utique deminutio *evidens*[5] et quandoque fere totalis abdicatio personalitatis et conscientiae. Tristissima *nimis*[6] testimonia nobis offert huius saeculi historia, ut in hac re amplius immorari teneamur...[7]

Schema nostrum in diversis numeris explicite...[8] mentionem facit de vi psychologico-sociali horum instrumentorum, et de periculo quod secum ferunt (nisi prudens usus illorum fiat), efficiendi hominem-massam, homines gregarios, potiusquam personas propriae dignitatis ac libertatis conscias et compotes. Inde explicari potest cur possessio horum instrumentorum tam *avide*[9] ambiatur ab his qui in multitudines influxum exercere cupiunt; quique, de facto, illa possidere exclusive curant diversis modis monopolisticis, ut non raro Status, asserentes illis uti « ad educationem populi »; et alii quoque potentes coetus ad fines ideologicos *diversos,*[10] vel publicitarios, vel oeconomicos, vel politicos, vel sociales...[11] prosequendos, quandoque veram et gravem aggressionem committentes contra iura et dignitatem essentialem humanae personae.

Sed notandum est quod in schemate...[12], adducitur tamquam fundamentum officiorum Status hac in materia eius functio relate ad « leges morales, ad publicos mores, ad morum integritatem, ad bonum commune, ad profectum civium, ad salutem reipublicae, ad progressum societatis, ad ...[13] praesidium iuniorum aut incultorum, ad reverentiam pueris et iuvenibus, ad religionem, ad culturam, ad artes ». Et tantummodo *semel* loquitur, et quidem veluti obiter et per transennam, « de dignitate hominis » et de « iuribus personae humanae » (in nn. 21 et 79)...[14] *Unde, mea opinione,*[15] desideratur explicitior declaratio hac in re.

...[16] Cum dignitas et integritas *spiritualis*[17] personae humanae sit de facto fundamentum ultimum, radix et origo « iurium personae humanae », *immo*[18] quam maxime opportunum *videtur*[19] ut haec integralis dignitas personae non modo proclametur explicite, sed etiam, prout re-

vera est, proclametur fundamentum et radix et finis *et limes*[20] totius boni communis et Reipublicae salutis; et proinde finis iurium et officiorum potestatis civilis, etiam relate ad instrumenta diffusionis, quae nonnisi ad fovendam, et iuvandam, et defendendam, et protegendam personam humanam possunt adhiberi et debent adhiberi.

Adde, *ut concludam,*[21] quod in titulo cap. III dicitur solummodo « De singulorum civium atque saecularis potestatis officiis », dum melius dici deberet: « De ... *iuribus* et officiis ».

Concludo: Mea humili opinione, interest quam maxime ut huiusmodi dignitas, integritas et iura (simul cum officiis) humanae personae omni vigore, et ut ita dicam, omni solemnitate, in hoc schemate, explicite proclametur a Concilio.

Sic novum ac pretiosum doctrinale fulcimentum haberemus hac in materia tam actuali ac momentosa, non solum adversus conceptionem totalitariam Status (nostri saeculi gravissima lues), sed etiam adversus conceptiones liberalismi, qui, quantum potest, e contrario intendit devitare interventum Status in personae humanae iuribus defendendis et tutandis.

Itaque, qua par est reverentia, proponere auderem ut in schemate inseratur, veluti primarium principium, in n. 25, haec vel similia verba: « Cum persona humana sit fundamentum et radix totius ordinis moralis, de eius dignitate et spirituali integritate colenda, fovenda ac tutanda, quam maxima cura necesse est habeatur ab omnibus in usu instrumentorum socialis communicationis ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] leves imperfectiones quae in ipso observantur, de facile corrigi possunt. Sic — ut alias omittam — ipse titulus, qui forsan magis placeret si diceret: « de instrumentis socialibus diffusionis », cum vox diffusio aptior videatur ad exprimendam communicationem idearum. Schema continet, et doctrinam solidam et locupletem, et plurima feliciter expressa: praesertim vero talem prae se fert opportunitatem, ut omnino dignum existimari debeat quod in hoc Concilio Oecumenico proponatur atque de ipso sedula cura et attentione disceptetur. Schematis argumentum est maximi momenti, nostris praesertim temporibus; eius proinde pertractatio dicenda est maximae actualitatis, maximae utilitatis, immo urgentissimae necessitatis. Si unumquodque Conciliorum peculiaribus sui temporis erroribus et moralibus periculis obsistere, et remedium apponere debuit, hoc Vaticanum II Concilium non potest quin gravem attentionem praebeat argumento de quo in schemate nostro: argumento, inquam, quod intimam relationem dicit ad quaestiones tam vitales, tam actuales, tam transcendentales, ut nimirum respiciant dignitatem et spiritualem integritatem humanae personae, immo generis humani totius. [2] (hisce nostris temporibus) dignitati. [3] spectacula cinematographica. [4] etc. etc. [5] deest. [6] deest. [7] nec deest experientia quotidiana. [8] (cf. 14-19, 24, 66-67, 84, 95-97, 107-109). [9] se-

dulo. [10] deest. [11] etc. [12] (cf. n. 21, 31-33, 79, 93 et 99). [13] morale. [14] in eadem linea seu modo parallelo. [15] deest. [16] Nunc vero. [17] deest. [18] non satis expressa apparet in schemate. [19] videretur, mea opinione. [20] quoque. [21] deest.

Secretarius generalis: Cum materia constitutionis *de instrumentis communicationis socialis* satis illustrata et enucleata videatur, em.mus card. praeses proponit amplissimo huic coetui an placeat a disceptatione cessare. Illi, quibus placet, surgant.

[*Post aliquantulum*]

Sedeant omnes. Ut iam dixi, crastina proponetur aliqua motio circa schema disceptatum. Nunc fit transitus ad aliud decretum, iam praenuntiatum *de Ecclesiae unitate*: *ut omnes unum sint*.

Pag. 251 ita incipit: « (*Opus Redemptionis*). Conditor et restitutor generis humani, Deus verus et unus, elegit nos (in Christo) ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate, id est in communione cum ipso et inter nos homines, quia Deus caritas est, et reliqua... ».

Relator erit em.mus ac rev.mus D. card. Hamletus Ioannes Cicognani, a publicis Ecclesiae negotiis.

DISCEPTATIO

1 – SCHEMA DECRETI
[251] DE ECCLESIAE UNITATE « UT OMNES UNUM SINT »

1. [*Opus redemptionis*]. Conditor et restitutor generis humani, Deus verus et unus, « elegit nos (in Christo) ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate » (Eph. 1, 4), id est in communione cum Ipso et inter nos homines, quia « Deus charitas est » (1 Io. 4, 16), « et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum » (1 Io. 4, 21). Per peccatum, quod est odium (Io. 15, 22-25), homines seiuncti sunt a Deo et ab invicem, sicut testatur historia generis humani, in Libris Sanctis enarrata. Per mortem et resurrectionem Iesu Christi facta est « nova creatura » (2 Cor. 5, 17; Gal. 6, 15), « ubi non est Gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus » (Col. 3, 11; cf. 1 Cor. 12, 13; Gal. 3, 28). Induentes Christum ut Novum Hominem per baptismum (Gal. 3, 27; Eph. 4, 24; Col. 3, 10), fideles in unitatem cum Christo et inter se renovantur: omnes enim unum sunt in Christo Iesu (Gal. 3, 28). Fiunt « corpus Christi et membra de membro » (1 Cor. 12, 27).

2. [*De Ecclesia terrestri et caelesti*]. Hoc Corpus Christi est Ecclesia (Eph. 1, 22-23; 5, 23, 29-30; Col. 1, 18, 24; cf. 1 Cor. 12, 27-28), societas electorum qui cum Christo uniuntur et ab eo salutem consequuntur.

3. Salus autem nondum plene consummata est. Christus ipse « sedet ad dexteram Dei » (Mc. 16, 19, etc.), plenus gloria aeterna et consummata: « Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur » (Rom. 6, 9). Fideles autem Christi peccato et morti adhuc subiiciuntur, quia mundus hic nondum per secundum adventum Christi absolutus est.

4. Hinc et duplex Ecclesiae status. Ex una parte, iam cum Christo in caelis consummatur, tamquam « Ierusalem nova »

(Apoc. 3, 12), « quae sursum est, libera » (Gal. 4, 26), « Sponsa [251]
Agni » (Apoc. 21, 9 ss.). Ex altera vero parte, ut adhuc in hoc [252]
mundo constricta, construi debet « in templum sanctum in Domino » (Eph. 2, 21), crescere ut corpus « in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (Eph. 4, 13). Oportet proinde ut structuris societatis humanae utatur, cum ordine rerum temporalium conectatur, et contra elementa mundi (Gal. 4, 3) certet. Ad hoc autem eget iuncturis, nexibus et coniunctionibus ad compaginem et subministrationem corporis Christi (Col. 2, 19; Eph. 4, 16). Hic remanent ad tempus auctoritas et iurisdictio, hierarchia, inaequalitas superiores inter et inferiores, leges et poenae.

5. [*Ecclesia hierarchica*]. Christus prospiciens et volens hanc aedificationem visibilem suae Ecclesiae in terris, providit ei ministros qui eam suo nomine ducerent et gubernarent. Super apostolos Ecclesia aedificatur tamquam « super fundamentum » (Eph. 2, 20). Et inter apostolos Christus elegit Petrum tamquam principem et caput, super quem aedificaret Ecclesiam (Mt. 16, 18), per eum ceteros apostolos in fide confirmans (Lc. 22, 31-32), illosque una cum universo grege pascens (Io. 21, 15-17). Ille qui promisit se cum suis « usque ad consummationem saeculi » futurum esse (Mt. 28, 20), manifeste voluit ut ista auctoritas permaneret quamdiu Ecclesia in terris versaretur. Unde doctrina catholica tenuit et tenet, Christum ipsum voluisse potestatem apostolis datam transmittendam successoribus seu episcopis.

6. [*Unitas visibilis Ecclesiae sub Petro*]. Graviter autem erraret qui ex dictis concluderet Petrum vel eius successorem Christum aliquo modo supplantare. Christus est Caput omni modo, in omni ordine, sub omni respectu: est fons gratiae (Io. 4, 14; 7, 37 ss.; Apoc. 21, 6), « lumen vitae » (Io. 8, 12), dator Spiritus Sancti (Io. 7, 39), rex (Apoc. 19, 16), legislator (Mt. 5, 17; Iac. 4, 12), iudex (Mt. 25, 31 ss.; Act. 10, 42). Petrus vero, vel eius successor, est caput modo vicario, et quidem in ordine iurisdictionis, seu Ecclesiae visibilis; ubi gubernat, leges fert, iudicat in nomine Christi. In ordine gratiae, ipse Successor Petri eam recipit sicut omnes fideles Christi, et communicat ut instrumentum sacramentale sicut omnes ministri cultus. Ordinat tamen quae ad exercitium temporale pertinent rerum spiritualium, ut sunt sacramenta et praedicatio verbi, de usu potestatis ordinis disponendo per potestatem iurisdictionis. Item de formulatione

[253] fidei iudicat et decernit, sive solus sive cum collegio episcopali, per magisterium infallibile a Christo concessum.

7. [*Unitas Ecclesiae indivisibilis*]. Sic acquisita per sanguinem Christi (Act. 20, 28) et super Petrum et Apostolos fundata, sancta Ecclesia voluntati sui divini Fundatoris non respondebit nisi una permaneat. « Rogo ... ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint » (Io. 17, 21). His verbis, Dominus noster Iesus Christus non intendit tantum unitatem Ecclesiae consummatae in coelis, sed etiam construendae in terris; nam addit: « ut credat mundus quia tu me misisti ». Unitas vero haec Ecclesiae non perficitur nisi sub aspectu etiam visibili vel temporali, quem voluit Christus, et quidem per submissionem auctoritati ab eo institutae in terris, scilicet episcopis eorumque capiti, Petri successori. Heic autem, proh dolor! lamentatur Mater Ecclesia divisiones et schismata, quae in sinum suum per iniuriam temporum et fragilitatem hominum irrepserunt. Sicut saepe accidit in rebus humanis, dissensiones mentium vel cordium, oppositiones individuales vel regionales, ignorantia vel alienatio, post se traxerunt separationes in ipso grege Christi, ita ut partes quaedam Ecclesiae se ab auctoritate Vicarii Christi subtraxerint et in coetus independentes se constituerint. Haec est calamitas nimis dolenda, qua Ecclesia Christi crudeliter laesa est et laeditur. Itaque, ob fidelitatem erga Christi voluntatem, profitemur et declaramus unam tantum esse Ecclesiam, etiam secundum conditionem eius terrestrem, et istam veram Ecclesiam eam esse quae a Petri successore gubernatur. Alia proinde non datur Ecclesia quae seipsam veram et unicam profiteri valeat. Necessaria est communio cum sede Petri, ita ut quaecumque Ecclesia terrestris ab hac Sede separata, non certe eodem modo ad eamdem Ecclesiam invisibilem et caelestem vere pertineat. Error multo perniciosior habetur, quando regimini temporali cuiusdam civilis gubernii agnoscitur indebitum ius sese ingerendi in gubernium Ecclesiae, quasi civitas christianorum mere terrestris, non autem in primis caelestis (cf. Phil. 3, 20).

8. [*Unitas in diversitate*]. Erraret tamen qui unitatem in capite cum nimia uniformitate in corpore confunderet. Corpus unum diversa membra habet, et non parum suae fortitudinis et pulchritudinis ex ista diversitate trahit. Sic Ecclesia Christi, se circumstantiis locorum et temporum aptans, debet et vult ser-

vare traditiones, consuetudines, necessitates proprias uniuscuiusque regionis terrae ubi filii sui degunt, praesertim illarum ubi venerabiles Ecclesiae Orientales florescunt. Talis autem opportuna diversitas non impedit, sed e contra postulat auctoritatem unicam quae omnia coordinet, coadunet et coniungat. [254]

9. [*Damna ex divisione*]. De cetero neminem latet omnes qui bona fide in separatis Ecclesiis vivunt et a Vicario Christi materialiter tantum et quasi per traditionem seiunguntur, ab Ecclesia vera quodam modo alienos non esse. Privantur tamen multis mediis salutis quae in vera Ecclesia inveniuntur, praecipue institutionibus et directionibus Magisterii, sine quibus fides et mores christiani non perfecte praeservantur. Et quidquid est de salute individuorum, certum est divisionem in sinu societatis christianae nocumentum secum ferre nec non magnum damnum, tam in expansione interiore et exteriore familiae Christi quam in eius contra adversas Portas Inferi certamine. « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (Io. 13, 35).

10. [*Vestigia unitatis*]. Unde fraterna sollicitudine permota exoptat Sacrosancta Synodus ut Fratres christiani dissidentes perfectae unitati gregis Christi consulant et in « unum ovile » conveniant. Certo non ignorat vincula spiritualia, in praeteritis saeculis arcta, quae calamitas divisionis totaliter solvere non potuit. Immo cum intimo gaudio de communi cogitat patrimonio, cuius fratres Orientis simul ac Occidentis heredes facti sunt, necnon de traditionibus peculiaribus, quibus a Sanctis Patribus locupletati sunt, ut ex eis haurientes se invicem exornent. Haec sunt communia bona vi quorum fratres, etsi separati, remanent fratres.

11. [*Opera Ecclesiae de unitate instauranda*]. Fraternitatis in Christo et communis historiae luctarum victoriarumque pro Eius Regno in terris instaurando memor, Ecclesia catholica veritatem in charitate promovens, nunquam ab opere cessavit ut communionem omnium in Christum credentium ubique instauraret, mediis divinis ac humanis adhibitis; Dei in unitate et trinitate adiutorium incessantibus adprecata est orationibus, Concilia oecumenica sacrorum Domini gregis pastorum adunavit, dubia declaravit, credenda proposuit, obnubilata illustravit. Romani

[255] vero Pontifices, quibus a Christo Domino expressum mandatum fuit impertitum in Beato Petro ut agnos ovesque Ipsius pascerent (Io. 21, 16-17) et fratres confirmarent (Lc. 22, 32), nunquam ab hoc officio charitatis et veritatis saeculis labentibus cessabant nec cessant, paternis monitis fraternaque invitatione et hortamentis adhibitis, confisi voluntatem Domini eiusque testamentum « ut omnes unum sint » (Io. 17, 20-21) tandem aliquando Deo Domino dante consummatum iri « sicut in caelis, et in terra », ut credat mundus Verbo incarnato a Patre misso (Io. 17, 21).

12. Sancta proinde haec Oecumenica Synodus ex toto orbe terrarum adunata, muneris sui esse censuit enixa hortatione mentes et corda omnium qui christiano gloriantur nomine ad hoc adducere ut iunctis precibus et opere, instantius Deum exorent de ea unitate, quam Christus Dominus, antequam transiret ex hoc mundo (Io. 13, 1) a Patre exoravit (Io. 17, 11) et efficaciora adhibeant media, quibus omnia quae obsunt auferantur, quaeque prosunt promoveantur.

13. [*Media supernaturalia*]. Sursum imprimis habenda sunt corda mentesque et manus nostras extollamus in Sancta unde veniet adiutorium nostrum (cf. Ps. 120; 133). Etsi enim hoc coniungendi disiuncta opus non paucos hucusque attulerit fructus fatendum tamen est tentaminum exitum spem omnem non implevisse. Quinimmo, tot et tanta adhuc remanent obstacula unitati verae et firmae adversantia, ut de felici successu illis qui tot viribus in sedanda controversia elaborant, desperandum sit, nisi Dominum Iesum in Evangeliis dicentem audiamus: « Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt » (Mt. 19, 26) et iterum: « Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis et evenient vobis. ... Omnia possibilia sunt credenti » (Mc. 11, 24; 9, 23).

14. Si ergo ad tollendum lamentabile discidium quod a saeculis inter Ecclesiam catholicam et Ecclesias orientales invaluit et adhuc perdurat, media humana sint omnino imparia, orationi tamen, dummodo fidem invictam habeat sociam, omnipotentia quaedam inest, iuxta ipsius Christi promissum, ad ea efficienda quae videntur hominibus impossibilia vel ardua. Omnes igitur qui unitati christianorum restituendae operam navant, ad hoc supernaturale medium recurrant imprimis necesse est. Instauratio enim

pacis et concordiae inter christianos opus est non humanum, sed [256] gratiae, opus utique supernaturale in quo exsequendo in vanum desudabant operarii, si Deus cooperator non exstiterit (Ps. 126). Unde iubet haec Sancta Synodus ut preces non solum privatim, sed et publice fundantur ut Deus in Ecclesia sua omnes in unum congregare dignetur.

15. Ad huiusmodi spiritualem conspirationem omnium obtinendam, commendat haec Sancta Synodus, ut preces pro christianorum unitate concinnatae et commendatae ubique instituantur terrarum; imprimis vero promantur supplicationes novendiales ante diem Pentecostes, a Leone Pp. XIII decretas « ad maturandum christianae unitatis bonum »[1] et perdurante « octavario orationum pro unitate » mensis Ianuarii, prout iam usu inter christianos venit.

16. Cum autem « permagnum unitatis christianae praesidium divinitus oblatum est in Maria »,[2] ad hanc adiutricem populi christiani potentem et clementissimam, Virginem et Dei et hominum viatorum Matrem maiore cum fiducia oportet occurratur. Eam nempe sanctus Germanus Constantinopolitanus hisce vocibus orabat: « Christianorum memento, qui servi tui sunt; omnium preces commendanda, spem omnium adiuva, fidem solida, tu Ecclesias in unum coniunge ».[3] Deiparae Mariae igitur fidendum, humani generis Protectrici supplicandum. Et cum de Orientalibus agatur Ecclesiis, specialis de eius mediatione et protectione militat titulus: egregia scilicet quae in ipsam fuerunt earum Ecclesiarum merita. Hisce multum sane debetur de veneratione eius propagata et aucta; in orientalium Ecclesiarum plagis memorabiles dignitatis eius fuerunt assertores et vindices, pietate et scriptis gravissimi, laudatores ardore et suavitate eloquii insignes. Repleatur Oriens et Occidens in Dei Genitricem et Matrem et refugium omnium christianorum laudationum et deprecationum vocibus, ut Ipsa fiat felix et diuturnum unitatis christifidelium vinculum et columen, cuius firma lenique materna vi eorum omnium qui sunt Christi quique diligunt Dominum Iesum, unus fiat populus fratrum.

17. Meminerint tandem omnes christifideles orationes eo efficacius suos effectus obtinere, quo ex puriore humilioreque procedunt corde. Unde morum integritas et ardens charitas in

[257] deprecantibus Deum eiusque Matrem eluceant. Sciant insuper omnes qui in catholica vivunt unitate haud parvo pro fratribus procul degentibus offendiculo esse irreligiositatem illorum qui hoc excelso catholico nomine decorantur, et e contra, sanctitatem vitae catholicorum spem esse et germen futurae omnium christianorum concordiae et unitatis. Quare haec Sancta Synodus iterum enixe commendat christianae vitae renovationem.

18. [*Media theologica*]. Ad hanc ecclesiasticam unitatem omnium christianorum instaurandam multum praeterea confert recta de divinis et ecclesiasticis rebus cogitatio. Methodo enim diversa Oriens et Occidens ad divina cognoscenda et contemplanda protenduntur. Non tamen necessarium est ut mordicus defendatur externa et temporibus locisque accommodata expressio, dummodo veritas revelata recte intelligatur et exponatur.

19. Multum sane ad unitatem conferet, si in terminis, in ratione dicendi, immo in ipsa methodo res theologicas tractandi ingenio etiam orientali plus tribuatur et debitus habeatur respectus. Divinarum rerum studiosi igitur, qui non causas dissidii et differentiarum arte studioseque quaerunt, sed potius pro unione adlaborant, caveant ne proprios scribendi loquendique modulos aliis imponere velint, sed sacra quadam harmonia in rebus creatis prae oculis habita, communia immo eadem ostendant sacrae de divinis scientiae lineamenta et dogmata.

20. Ad hanc vero concordiam et harmoniam in re theologica obtinendam magnopere refert recursus ad fontes communes scientiae sacrae. Quare praeter assiduam diligentiam in Sacris Libris excolendis, studium quoque Patrum tum orientalium tum occidentalium, quod nostris diebus magno quidem in honore iam est, magis in dies adhuc promoveatur, ut commune Ecclesiae occidentalis orientalisque patrimonium clarius pateat communisque ostendatur origo.

21. Curent etiam sacrae scientiae cultores ut in tractandis quaestionibus theologicis ab acerbis verbis, quae ad discidium augendum animosque alienandos non parum contulerunt, abstineant et methodum positivam merae apologiae anteponant. Quod potissimum valeat, in exponenda doctrina de Ecclesia. Quapropter exoptat Sacra haec Oecumenica Synodus, ut in universitatibus,

athenaeis, facultatibus et Seminariis sacrorum studiorum argumenta ecclesiologica de Ecclesiae unitate assidue tractentur, verus oecumenismus clare explicetur, catholica veritas a variis systematibus accurate distinguatur. [258]

22. Caveant tamen theologi et qui unitati ecclesiasticae adlaborant, ne falso irenismo quodam ducti, doctrinam catholicam ita conforment vel quodammodo accommodent doctrinis dissidentium, ut puritas doctrinae catholicae eiusque claritas detrimentum patiatur vel eius sensus genuinus et certus obscuretur.

23. [*Media liturgica*]. Omnibus quoque notum est quanto cum amore christiani orientales sacra liturgica peragant, quibus fidem suam roborant, Deum hominum amatorem filiali prosequuntur devotione, Domino Iesu debitum exhibent obsequium Eiusque Genitrici amorem pietatemque ostendunt, pro necessitatibus suis aliorumque quam plurimas ardentes et incessantes exhibent supplicationes. Sacramentorum vero usu animarum regenerationem, refectionem et perseverantiam in vita christiana quaerunt atque inveniunt. In hisce utuntur peculiari quodam patrimonio liturgico et spirituali, a maioribus tradito, et linguis propriis laudes canunt Deo. Quae omnia Sacra haec Oecumenica Synodus non solum aestimatione debita et laude iusta amplectitur, sed etiam tamquam patrimonium commune universae Christi Ecclesiae considerat, commendat et custodiri iubet. Haec enim rei liturgicae orientalis iure probata varietas et peculiaritas nec non et « augusta antiquitas et praeclaro est ornamento Ecclesiae omni, et fidei catholicae divinam unitatem affirmat ».[4] Propterea eadem ratione et modo quo in Concilio Florentino declaratum est, etiam haec Sancta Synodus declarat ritus et caeremonias Orientalium, quae fidei catholicae integritatem et mutuam coniunctionem nequaquam impediunt, esse retinendas et maxima diligentia colendas.

24. Idque sciant ac secum reputent tum qui in catholicae Ecclesiae gremio sunt nati, tum qui desiderio ac voto eidem assequendae velificantur, se nunquam coactum iri proprios legitimos ritus relinquere, qui quidem aequali aestimatione aequalique decore habendi communem matrem Ecclesiam exornant. Maxima igitur religione praeprimis ipsi Orientales suos ritus liturgicos observent in eisque cognitionem semper maiorem usumque

[259] semper perfectiorem capiant, si ab iis ob temporum vel personarum adiuncta aliquomodo defecerint, ad avitas venerandasque memorias redire gaudeant.

25. « Quo loco illud apte cadit animadvertisse, quod sacri ritus, tametsi per se instituti non sunt ad dogmatum catholicorum evincendam veritatem, eadem tamen viva propemodum exprimunt splendideque declarant. Quapropter vera Christi Ecclesia, sicut magnopere studet ea custodire inviolata quae, utpote divina, immutabilia accepit, ita in usurpandis eorumdem formis nonnunquam concedit novi aliquid vel indulget, in iis praesertim quae cum venerabili antiquitate conveniant ».[5]

26. Haec tandem S. Synodus verba a Paulo Pp. V prolata sua facit de omnibus sacris ritibus et caeremoniis, quibus Orientales iuxta SS. Patrum instituta in divinis officiis et sacrosanctae Missae sacrificio, ceterorumque Sacramentorum administratione aliisque sacris functionibus utuntur, quae, « dummodo veritati et doctrinae fidei catholicae non adversentur, et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per Unionem tollere aut extinguere Ecclesiae Romanae intentionem, mentem et voluntatem non fuisse, nec esse neque id dici vel censeri potuisse nec posse ».[6] Nulli proinde criminationi aut timori dari potest locus apud Orientales, quasi in Ecclesia catholica non propriam sed alienam inventuri sint domum. Ad hanc enim Ecclesiam ipsis late reserata patet ianua, in qua « orientalium dignitas Ecclesiarum, pervetustis rerum monumentis eisque insignibus commendata, magnam habet toto christiano orbe venerationem et gloriam ».[7]

27. [*Media canonica seu disciplinaria*]. Quod de ritibus dictum est, idem valet etiam de legitimis populorum moribus et consuetudinibus, SS. Patrum institutionibus et ecclesiastica disciplina sancitis, quas Ecclesia catholica semper retinuit, exceptis illis « quae periculum generant animarum et ecclesiasticae derogant honestati »,[8] vel unitati obstant. « Quippe rei catholicae valde nimirum interest eam omnino tolli ac dilui opinionem quae quosdam ex Orientalibus antehac tenuit, perinde ac si de ipsorum iure, de privilegiis, de rituali consuetudine vellent Latini detractum quidquam aut deminutum ».[9]

28. Sancta haec Oecumenica Synodus vestigiis hisce inhae-

rens plane agnoscit et confirmat ius, quo Orientalis Ecclesia pollet se secundum propriam ac peculiarem disciplinam regendi, utpote moribus suorum fidelium magis congruam, atque bono animarum consulendo aptiorem. Id tamen minime obstare debet unitati quae inter occidentalem et orientalem Ecclesiam vigere debet, cuius mutuam cognitionem hoc Concilium promovere intendit, unde et mutuus amor provenit et mutua aestimatio. [260]

29. [*Media psychologica*]. Iam necessitas urget ut novis quibusdam rationibus Oriens et Occidens intueantur se invicem animosque disponant. Cum omnes quorum « unus est magister Christus », fratres simus (Mt. 23, 8), charitas fraternitatis, monente Apostolo, maneat in nobis (Hebr. 13, 1). Veri enim Christi agnoscimur discipuli si dilectionem habuerimus inter nos (Io. 13, 35). « Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? » (1 Io. 4, 20). Omnes igitur Ecclesiae Catholicae filii eadem erga fratres separatos se gerant fraterna et sincera charitate. Magnam aestimationem ac dilectionem fratribus eodem pretiosissimo Sanguine Christi redemptis mente et corde sincere exhibeant. Sermo cum fratribus separatis sit simplex et rectus, quo « cogitationes pacis et non afflictionis » (Ier. 29, 11) manifestentur, corda demulceantur et suavi vinculo pacis et concordiae adstringantur. Qui modus cogitandi quam diligentissime observetur in libris de fide, de liturgia, de historia ecclesiastica fratrum dissidentium scribendis, in quibus animus auctoris irenicus et solo studio veritatis et charitatis ductus luce solis clarior eniteat.

30. A vera et sincera charitate quam longissime falsus et perniociosus zelus abest. Quem Dominus in discipulis suis ignem de caelis minitantibus, verbis non ambiguis reprobavit: « Nescitis cuius spiritus estis » (Lc. 9, 55). Spiritus enim veritatis est spiritus charitatis et verbis utitur blandis et benignis. Verba autem dura et acerba animum produnt illum, quem Dominus duro iudicio damnavit: « Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennae ignis » (Mt. 5, 22). Caveant igitur quam studiosissime omnes christifideles ne ullo modo et quovis praetextu animis fratrum dissidentium offensas, quantulaecumque sint, qua loquendo qua scribendo inferant. Nemini liceat iudicio contendere cum fratribus, cum omnium nostrum unus iudex sit Deus, « scrutans cor,

[261] et probans renes » (Ier. 17, 10); « Homo enim videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor » (1 Reg. 16, 7). Abstinendum igitur deinceps erit ab illis verbis, quae iudicium aliquod malevolum exprimunt vel secundum aestimationem fratrum dissidentium exprimere reputantur, quamvis iam diu usu venerint. Veritas historica obiective et irenice statui potest et debet.

31. In documentis quibus historia scissionis Ecclesiae illustratur, multa proh dolor! inveniri possunt quae spiritui charitatis fraternae et mutuae comprehensionis contraria esse videntur. Qua in re qui intra et extra Ecclesiam sunt ante omnia verba orationis Dominicae corde compuncto et humiliato iterum atque iterum repetant: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ». Illud etiam Domini nostri Iesu Christi in memoriam revocare iuvat: « Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat » (Io. 8, 7). Gravissimum etiam illud Apostoli animo trepido volvamus: « Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum eius non est in nobis » (1 Io. 1, 10). Non tumidum pharisaeum, sed humilem secuti publicanum, pectora percutiamus, misericordiam divinam supplici voce implorantes: « Parce, Domine, parce populo tuo » (Ioel 2, 17). Erroribus tempore acto utrimque commissis, unius populi christiani fratres in varias abierunt partes. Spiritu poenitentiae et expiationis omnium christianorum tandem fiat, ut in una paterna domo seu Ecclesia iterum adunentur.

32. Unitas in necessariis esse debet, ut docet Apostolus: « Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis » (Eph. 4, 5-6). In ceteris vero praeluceant verba eiusdem Apostoli: « cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis » (Eph. 4, 2-3), omni spiritu contentionis, falsae aemulationis et amoris proprii reiecto, ut revera « super omnes, et per omnia et in omnibus » sit Deus et quaerantur quae sua sunt.

33. Quoniam inter causas diuturnae separationis, qua adhuc hodie christiani scinduntur, peculiari modo recensetur mutua ignorantia, plurimum iuvabit, si viri rerum controversarum periti cum

fratribus separatis amica instituant colloquia, in quibus opiniones [262] diversas animo sereno et christiana charitate inter se discutiant.

34. Ipsi sacri locorum Praesules et Antistites quibus portio gregis Christi commissa est, colloquia et conversationes cum fratribus dissidentibus opportune foveant et promoveant. Pastor enim bonus non solum oves in caulis cubantes, sed ad instar Pastoris Boni etiam extra ovile vagantes inquirit. Qua in re si negligens fuerit, meminerit antiqui Prophetae acerbis verbis pastores carpentis: « Vae pastoribus Israël! ... Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis; quod confractum est non alligastis, et quod abiectum est non reduxistis, et quod perierat non quaesivistis » (Ez. 34, 2 ss.).

35. Potestas tenebrarum et « princeps mundi huius » magnam partem generis humani iugo suo subegit. Divina et humana iam periclitari videntur. Commune patrimonium christianae civilitatis nobis defendendum est non solum in religione, sed etiam in modo et ratione vivendi sociali et civili; in litteris, in artibus, in oeconomia, in re politica, domestica et familiari. Libertas et dignitas personae humanae nisi collatis viribus omnium christianorum efficaciter vix defendi poterit. Exhortatur proinde haec Oecumenica Synodus omnes qui Christi nomine gloriantur ut aciem communem contra gliscentem atheismum et materialismum constituant. Virulentus hostis qui commune omnibus christianis et in Deum credentibus machinatur et minatur exitium et ruinam, viribus unitis sustinendus et repellendus est. Qua in pugna spirituum, homines civitatesque christianae solo auxilio divino freti, armis spiritualibus confligere debent, « quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in caelestibus » (Eph. 6, 12).

36. In via hac, qua « peregrinamur a Domino » (2 Cor. 5, 6), non semel fratres, qui tenuitate rerum aguntur, obviam habebimus. Absque ulla « acceptione personarum » (cf. Iac. 2, 1) effuso corde manus porrigamus adiutrices omnibus in Christo fratribus, Apostolo graviter monente: « Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?

[263] Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate » (1 Io. 3, 17).

37. Sed et antiquorum promeritorum grata memoria multum conferre solet ad emulcendos animos amaritudinibus discidii exacerbatos omnino constat. Monet proinde haec Sancta Synodus omnes Ecclesiae fideles ut fratribus orientalibus dissentientibus ea libenter agnoscantur in historia, traditionibus et institutis propriis, quibus de universa Ecclesia bene meriti fuere, prout clare testantur documenta. « Apud illas enim, inita benignissimo Dei consilio humanae redemptionis primordia, celeriter ad ea properavere incrementa, ut laudes apostolatus et martyrii, doctrinae et sanctitatis primo honore floruerint, primam saluberrimorum fructuum laetitiam ediderint. Ex illis autem perampla beneficiorum vis in caeteros late populos mire profluxit ».[10] In illis etiam plagis primi illi magni floruerunt fidei et veritatis indefessi propugnatores, quam inviolatam servarunt, quam ipsam « splendore virtutum, magnitudine ingenii, excellentia doctrinae certatim illustravere Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, uterque Cyrillus, aliique magni complures, quorum gloria ad Orientem atque Occidentem, tamquam communis haereditas aeque pertinet ».[11] Orientales etiam Ecclesiae appellari solent « Ecclesia septem Conciliorum »; in quibus quidem Conciliis fides et doctrina christiana praeclaras obtinuit de errore victorias. De his omnibus Ecclesia Christi gratam servat memoriam, cuius testes saeculorum decursu Romani exstant Pontifices et Sancta haec Oecumenica Vaticana Synodus suam sociat solemnem vocem.

38. [*Media practica*]. Hoc spiritu et hac animorum dispositione Ecclesia Catholica nunquam cessabit ea omnia adhibere media ut tandem Christi Domini testamentum de uno ovili et de uno Pastore suam plenam nanciscatur exsecutionem (Io. 17, 23). Deo proinde agens debitas gratias de desiderio ecclesiasticae unitatis in variis orbis terrarum regionibus excitato in animis fratrum separatorum, Sancta haec Oecumenica Synodus omnibus enixe commendat ut media efficaciora adhibeant ut desiderium hoc exoptato coronetur fructu.

39. Sacri imprimis Antistites, quos Spiritus Sanctus « posuit regere ecclesiam Dei » (Act. 20, 28), in propriis dioecesibus non

solum oecumenicae advigilent actioni, sed eam promoveant, dirigant et evolvant, congruis adhibitis mediis et debita duce prudentia, idque sui episcopalis esse muneris reputent. Venerabilia vero Ecclesiarum orientalium catholicarum Capita, qui patriarchali condecorantur titulo, meminerint sibi primas in hoc labore spectare partes, quas explebunt si, propriis communitatibus invigilando eorumque patrimonium spirituale, theologicum, canonicum et liturgicum conservando et promovendo, fratribus separatis persuadeant in Ecclesia Catholica non solum nihil detrimenti sibi esse timendum, sed potius incremento spirituali frui se posse.[12] [264]

40. Sacri dein ministri, episcoporum in cura animarum cooperatores, gravitatis et necessitatis huius negotii memores, omne adhibeant studium ut ad hoc parati accedant. Immo, valde optandum est ut in unaquaque dioecesi et Religione quidam constituatur coetus virorum in rebus orientalibus peritorum, qui aliis in sacro ministerio confratribus possint esse consilio et auxilio. Eidem vero coetui suppeditentur a propriis Superioribus necessaria media et auxilia.

41. Hunc in finem iam Seminariorum Collegiorumque tum saeculares tum regulares alumni, futuri in vinea Domini operarii, debite et sufficienter instruantur in iis quae ad rectam methodum in actione oecumenica pertinet eorumque mentes et ingenia rerum orientalium convenienti cognitione imbuantur.

42. Pro clericis praesertim orientalibus vel iis qui in Oriente iussu Superiorum navabunt operam, erigatur quoddam Institutum superiorum theologicorum studiorum, praesertim in Urbe et ubi necessitas idem postulaverit, in quo plenum curriculum disciplinarum theologicarum ad mentem et secundum methodum Orientalibus magis respondentem instituatur. In aliis vero theologicis facultatibus et Seminariis maioribus habeantur sufficientes lectiones de rebus orientalibus, ut mutua cognitio aptius promoveatur. Cuius rei causa etiam clericis dissidentibus orientalibus, si id petant vel a propriis mittantur pastoribus, aditus pateat ad athenaea catholicorum.

43. Omnes christifideles vero ne sese excusatos considerent a debita sollicitudine ad procurandam ecclesiasticam unionem om-

[265] nium qui christiano condecorantur nomine. Meminerint se teneri reditum fratrum separatorum ad unitatem catholicam verbis, opere et potissimum precibus procurare. Quare de damnis scissionum et dissidiorum nec non de bonis unitatis et concordiae rite edoceantur.

44. Hunc in finem, occasione data, per eparchias, paroecias, seminaria religiosasque vel pias domos habeantur « dies pro Oriente », cum aptis conferentiis vel collationibus, ecclesiasticis caeremoniis et ad Deum supplicationibus, ut animi melius ad ecclesiasticam exoptandam christianorum unitatem disponantur et gratia Dei operi huic sancto abundantior procuretur.

45. Placet apprime huic Sanctae Oecumenicae Synodo hoc in loco laude condigna extollere conamina et merita plurimarum in orbe catholico vigentium tum clericorum tum laicorum consociationum, quae ad unitatem ecclesiasticam christianorum restituendam conditae sunt. Quas ut impensiorem adhuc promoveant operam, haec Sancta Synodus valde hortatur, ut collatis consiliis et viribus quantum fieri potest unitis, in unionem procurandam una manu adlaborent, exemplo ob oculos habito eorum qui pro Ecclesiae unitate usque ad sanguinis effusionem bonum certamen certarunt, quorum nomina gloriae sunt Ecclesiae, quae nonnullos ex iis in catalogum Sanctorum suorum adnumeravit. Sancta haec Oecumenica Synodus enixe commendat ut causa eorum qui pro Unitate Ecclesiae sancte adlaboraverunt, optimis quibusque mediis promoveatur, pro bono totius Ecclesiae et unionis omnium christianorum promovendae.

46. Ut in unione instauranda maiore cum efficacia procedatur, apud Sedem Apostolicam constituatur de unitate Ecclesiae promovenda Sacrum Consilium seu Congregatio virorum peritorum ex orientali et occidentali Ecclesia delectorum, cuius erit, sub auctoritate Romani Pontificis, negotium hoc moderari, et pro necessitatibus locorum et regionum omnibus auxilio adesse.

47. Nobile in devotione erga Sedem Apostolicam manifestanda certamen, quo omnes Ecclesiae Catholicae filii orientales aeque ac occidentales flagrant et ardent, Patres huius Oecumenicae Synodi ingenti afficit gaudio. Quae filialis erga Patrem Communem amoris inter fratres aemulatio procul dubio magnum sor-

tiri poterit incrementum, si in regimine Ecclesiae etiam ex Oriente [266] fratres maiorem adhuc nanciscantur portionem. Universalis vero Ecclesiae indoles ad oculos etiam fratrum separatorum apprime demonstrari poterit, si qui Apostolicae Sedis in variis nationibus vices gerunt ex omni quae sub caelo est natione seligantur. Id autem quam maxime exoptat haec Oecumenica Synodus, ut omnes partes aequales Ecclesiae sub uno coalescant Capite, qui neque orientalis sit neque occidentalis, sed Pater Communis.

48. [*Unitatis conditiones et modus*]. Si tandem gratia Dei omnipotentis et misericordis movente, hominibus vero bonae voluntatis cooperantibus eveniat ut fratres nostri orientales ad unitatem universalis Ecclesiae accedere et locum ipsis in paterna domo spectantem occupare exoptent, Sancta haec Oecumenica Synodus animo pervolvens « quod non ingenti discrimine seiunguntur: immo, si pauca excipias, sic cetera consentimus, ut in ipsis catholici nominis vindiciis non raro ex doctrina, ex more, ex ritibus, quibus Orientales utuntur, testimonia atque argumenta promamus »,[13] ut communi desiderio occurrat, sequentia statuere decernit.

49. Imprimis a redeuntibus nihil plus exigatur, quam quod necessarium revera est, ut membra unius, sanctae, catholicae et apostolicae Ecclesiae Christi reapse fiant. Quare, iis redeuntibus, qui bona fide extra societatem Ecclesiae catholicae hucusque versati sunt, satis erit si formula quaedam simplex professionis fidei eis proponatur, qua potiores ac necessariae fidei veritates, eae praesertim quae Ecclesiae unitatem respiciunt, contineantur. Ab illis autem, qui ab ecclesiastica unitate proprio actu defecerint, in eorum reditu, praeter illam modo dictam fidei professionem, expressa errorum abiuratio oportet exquiratur ut facile cuique patet.

50. Communitatibus vero orientalibus, si, Deo illuminante et adiuvante, ad unitatem catholicam, sub auctoritate Romani Pontificis redire voluerint, servatis iis quae de professione fidei sunt servanda, ius agnoscitur propriam disciplinam servandi eamque sectandi, iis tantummodo quae, si forsan adsint, rectae fidei aut bonis moribus adversantur expunctis.

51. Cum sacerdotium apud orientales, separatos ab Ecclesia

[267] catholica, servatum sit, nulla adduci potest ratio, ob quam de validitate Sacramentorum dubium moveatur, si, quae ad Sacramenta conficienda sunt necessaria, servatis probatis ritibus, a ministro posita fuerint. Quare Ordines sacri apud orientales separatos conlati ut validi agnoscuntur, atque clericis orientalibus, cum ad Ecclesiam catholicam reversi fuerint, in quocumque sint gradu ordinati, ius agnoscitur proprium Ordinem exercendi, nisi in casu peculiari, ob rationes vere graves, aliter a Sede Apostolica fuerit provisum.

52. Ut tandem omne dubium vel minus recta suspicio e medio tollatur, nemo existimare praesumat statum rerum orientalium in Ecclesia catholica in hodiernis adiunctis vigentem esse definitivum vel omnino immutabilem ita ut meliorem ordinationem suscipere non posset, nec in eo obstaculum, quo reditus ad Ecclesiam catholicam impediatur, quaerat; siquidem disciplina ecclesiastica et ordo hierarchicus, secundum necessitatem a Sede Apostolica probatam, mutationem ac perfectiorem valent recipere formam, quae novis rerum adiunctis magis respondeat et Orientalium dignitati et momento melius conferat.

* * *

HIS DECLARATIS ET STATUTIS, NIL REMANET NISI UNO ORE, SINCERO CORDE, IN GRATIA DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI ET IN CHARITATE DEI ET IN COMMUNICATIONE SANCTI SPIRITUS ILLA REPETAMUS VERBA LITURGIAE S. BASILII MAGNI: « FAC CESSENT SCHISMATA ECCLESIARUM », « CONGREGA DISPERSOS ET REDUC ERRANTES, ET CONIUNGE SANCTAE TUAE CATHOLICAE ET APOSTOLICAE ECCLESIAE ».

NOTAE

[1] LEO XIII, Litt. Encycl. *Divinum illud,* 9 maii 1897: Leonis XIII Acta, vol. XVIII, pp. 146-147.

[2] LEO XIII, Litt. Encycl. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: l. c., vol. XV, p. 308.

[3] *Or. in Dorm. Deiparae,* III, *a*: PG 98, 371.

[4] LEO XIII, Litt. Apost. *Orientalium dignitas,* 30 nov. 1894: l. c., vol. XIV, p. 361.

[5] Ibid., p. 361.

[6] PAULUS V, Const. Apost. *Solet circumspecta,* 10 dec. 1615: Magnum Bullarium Rom., ed. Taurinen., vol. XII, 1867, p. 341.

[7] Leo XIII, Litt. Apost. *Orientalium dignitas,* l. c., p. 358. [268]
[8] Conc. Lateran. IV, c. 4: Denz. 435.
[9] Leo XIII, Mot. prop. *Auspicia rerum,* 19 mart. 1896: l. c., vol. XVI, pp. 80-81.
[10] Leo XIII, Litt. Apost. *Orientalium dignitas,* l. c. p. 358.
[11] Leo XIII, Epist. Apost. *Praeclara gratulationis,* 20 iun. 1894: l. c., vol. XIV, p. 202.
[12] Leo XIII, *ibid.,* pp. 201-202.
[13] Leo XIII, *ibid.,* p. 199.

2 – RELATIO
EM.MI P. D. HAMLETI IOANNIS CARD. CICOGNANI
PRAESIDIS COMMISSIONIS DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

Venerabiles Fratres,

E variis schematibus quae pontificia commissio praeparatoria de Ecclesiis Orientalibus iam apparavit, nunc vobis exhibetur tantummodo schema, cui titulus: *de unitate Ecclesiae: ut unum sint.* Consentaneum enim omnino est, ut in Concilio Oecumenico vox attollatur Orientis amica.

Hoc modo rursus sollemniter profiteri volumus vincula fraternitatis, quibus cum Orientalibus separatis in Christo coniungimur, atque ad eorum considerationem haec proponimus: Considerate, fratres, atque perpendite: olim uniti, unum eramus; nunc etiam eadem fides nos coniunctos tenet, nonnullis exceptis veritatibus; quarum veritatum praecipua ea est, quae respicit *petram,* supra quam aedificatur Ecclesia. Ecclesia *una* est, quia talis a divino ipsius conditore est constituta; at, proh dolor, in ea divisiones inductae sunt. Sollicitudo de unione redintegranda nobis ac vobis profecto communis est; en vobis, igitur, documentum quo viae indicantur ad hanc unitatem fovendam et peragendam. Hoc documentum vox nostra est, nostrum omnium, dicimus, qui ad Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum celebrandum una convenimus; huic Concilio ut « Patres » et « Iudices » intersunt venerabiles patriarchae catholici Orientis et quam plurimi episcopi et archimandritae variorum rituum; immo nec desunt quidam ex vobis, qui in hoc Concilio adsunt ut Observatores.

Huiusmodi unionis instaurandae sollicitudo urget sane quam maxime; nihilominus prae oculis habendae sunt gravissimae difficultates, quae huic unioni obstant, quia plura iam saecula elapsa sunt a separatione patrata, atque interim magis magisque invaluerunt rationes diverse cogitandi et sentiendi in Ecclesia.

In schemate apparando, haec omnia mature perpensa sunt atque eorum, ut oportebat, ratio habita est. Fortasse alicui videbitur hoc vel illud doctrinae caput in schemate aliquantisper favere menti seu mentalitati fratrum separatorum propriis. Nihilominus germana doctrina catholica exposita est, quamvis in ea exponenda opportunum visum sit adhibere dictiones, quae ad Orientalium cogitandi rationem magis sunt accommodatae.

In Ecclesiae annalibus numquam uti modernis temporibus tam crebro de unitate Ecclesiae sermo fuit; ac numquam, ut inde a Leonis XIII aetate, huic rei efficiendae tam laboriosa opera data est. Siquidem apud omnes constat, quot pro Oriente instituta ecclesiastica atque opera excitata sint, quot scripta in vulgus edita, et quot preces Deo sine intermissione admoveantur.

Hoc Concilium Oecumenicum haec omnia mirum in modum promovit atque communem spem magnopere adauxit; inter ipsius fructus recensendus est *secretariatus pro unione christianorum,* qui a Summo Pontifice Ioanne XXIII hoc consilio conditus est, ut veluti benevolentiae et amoris testimonium exstaret erga eos omnes, qui christiano nomine censentur; et quidem secretariatus deinde novum incrementum suscepit opera consultorum, in rebus orientalibus peritorum, qui ad auxilium ferendum eidem secretariatui advocati sunt.

Flagrantissimis in omnium optatis est, ut fratribus orientalibus separatis Concilium Vaticanum II exspectatum huiusmodi documentum praebeat, quo viae unionis instaurandae indicentur, et media suppeditentur ad depellenda praeiudicia, timores, suspiciones, et id quidem forma et terminis, quae menti Orientalium magis respondeant. Hoc documentum in caritate Christi exhibetur; doctrina quae Ecclesiam respicit in sua luce proponitur; in eo eminet momentum *religiosum* et *historicum,* quod variis Orientalium ritibus eorumque disciplinae tribuendum est; nihil vero habetur, quod aliquo modo pertineat ad dolendas praeteritorum temporum vicissitudines atque contentiones.

Ut paucis rem concludam, hoc schema exaratum est ad unitatis viam sternendam in veritate et caritate Christi; ita quidem ut doctrinam exponat ac simul ad actionem pastoralem magnopere conferat, cum hic sit finis Concilii Vaticani II, quem Augustus Pontifex pluries declaravit atque commendavit.

Tota res forsan clarius eminebit cum disceptabitur de Oecumenismo ex parte commissionis theologicae et ex parte secretariatus pro unione christianorum. Nostrum schema ad hoc tendit ut recte appareat quod propinquius ad invicem nos sumus quam a multis reputatur, et animum vult addere et spem fovere ut revera « unum simus ».

Sedula qua par est diligentia ratio habita est animadversionum omnium, quae de hoc schemate a venerabilibus Fratribus missae sunt; officium erit praesertim commissionis conciliaris competentis sapienti iudicio necessarias emendationes introducere.

Nunc vero, rev.mus P. Athanasius Welykyj, qui in commissione praeparatoria de Ecclesiis Orientalibus munere secretarii functus est, vobis summa lineamenta huius schematis breviter illustrabit.

Animadversiones scripto exhibitae:

Notulae pro unione fratrum separatorum. Hoc schema confectum fuit seiunctim, non ex eo quod quasi non congruat aut non inserendum esset suo tempore tractatui *de Ecclesia,* ubi bene inseritur, sed *adamussim et ex condicto* ut Concilium Vaticanum II documentum speciale haberet pro Oriente, ad reverentiam et ad significandam eius nobis maiorem propinquitatem, attentis eius propriis adiunctis inter christianos.

Bene scitur historiam separationis seu separationum Orientis valde differre a dissidio protestantico, et Orientem fere omnia retinuisse antiquae fidei.

Fratres orientales perdurante longa periodo praeparatoria Concilii, oculos et mentem verterunt ad Concilium et Romam versus, etsi plura discordantia de finalitate Concilii prolata fuerunt. Ob hanc rationem in sinu commissionis pro Ecclesiis Orientalibus cogitatum fuit de parando aliquo documento nostrae eorum *recordationis,* in quo documento fides christiana communis — et fere eadem — revocaretur et simul exhiberetur pignus fraternae benevolentiae. Bonum esse putamus in Concilio Oecumenico hanc haberi recordationem Orientis, attentis eius praeclaris meritis, et, ut utar verbis Leonis XIII, « Orientalium dignitate » considerata.

Intra hos fines propositum fuit schema; contineatur ergo in suis terminis; et evitetur sumere occasionem suscitandi complexas quaestiones de Oriente; hoc enim prorsus exsulat a proposito schemate.

Rev. P. Athanasius Welykyj, O.S.B.M.:

Venerabiles Patres,

Etsi benevolo iussu em.mi praesidis commissionis de Ecclesiis Orientalibus cogor, et benigno permissu em.mi Concilii praesidis possum vos, venerabiles Patres, alloqui, menti tamen haerent illa Isaiae Prophetae, sincere confitentis: *A, A, Domine, loqui nescio. Ne indoctus videar doctores docere, rogo vos, venerabiles Patres, indulgeat paterna benevolentia vestra audaciae devoti filii; suppleat excelsa sapientia vestra ignorantiam insufficientis discipuli et patientia vestra nota et probata ignoscat inexperientiae humilis religiosi.*

Hisce corroboratus Domino Deo benedicente vos alloqui audeo.[1]

Circa schema propositum *de Ecclesiae unitate*: *ut omnes unum sint,* haec in genere notanda sunt. Votis ad commissionem antepraeparatoriam ex toto orbe terrarum missis et attente consideratis, commissioni praeparatoriae de Ecclesiis Orientalibus quaestio proposita haec fuit: « *De modo reconciliandi Orientales dissidentes* », quam quaestionem commissio viginti fere sessionibus particularibus ac plenariis expedivit.

Hoc schema ergo solummodo de fratribus orientalibus non catholicis

agit; nihilominus ad totum orbem terrarum catholicum dirigitur eumque directe alloquitur.

Commissio de Ecclesiis Orientalibus praeparatoria insuper alias quaestiones sibi demandatas habuit, uti verbi gratia, quaestiones de communicatione in sacris, de ritibus in Ecclesia et etiam de aliis praecipuis argumentis ad disciplinam spectantibus, quae pro aliis commissionibus indicata erant, relate tamen ad Ecclesias Orientales. Haec omnia, quae disciplinam attinent, in unico schemate generali sub titulo: *Decretum de Ecclesiis Orientalibus* in altera sessione Concilii tractabuntur, in quo de ritibus in Ecclesia, de disciplina cleri, de Sacramentis nec non de cultu divino quaedam principaliora et necessaria praebere in propositis est.

Haec innuimus ut melius explicetur tenor praesentis decreti, quod plurima ex argumentis dictis supponit, et proinde non amplius tractat.

Ex his observationibus iam explicantur quaedam animadversiones ad schema nostrum hisce ultimis hebdomadis a plus quam sexaginta Patribus Conciliaribus factae (quae iam in ordine dispositae proxime in commissione conciliari perpendentur); quae quidem animadversiones maxima ex parte, immo fere unice, hoc obiciunt, quod in hoc schemate silentium fit de dissidentibus seu fratribus separatis occidentalibus. Fatendum est, commissionem competentiam et limites sibi adsignatos transgredi non potuisse.

Quod spectat ad schemata commissionis theologicae (*de Oecumenismo,* cap. XI constitutionis *de Ecclesia*) et secretariatus de unione christianorum fovenda (*de Oecumenismo catholico*), haec tempore propositionis nostri schematis nondum apparata erant neque consuli potuerunt. An proinde hae materiae in quodam generaliori decreto unico proponi debeant, non est cur hic disseram.

His in genere dictis, gressus nobis est ad breves quasdam delucidationes schematis faciendas.

Ad titulum quod attinet, dicendum est: plus quam decem alii tituli a commissione considerati sunt, et selectus fuit titulus propositus, in quo ipsa materia tractanda eiusque finis clare et breviter indicantur. Est titulus simpliciter indicativus, qui proinde nec quaestionem describit nec materiam exhaurit. Agitur in decreto de quaestione quae spectat ad Ecclesiae unitatem, et quidem eo fine « ut omnes unum sint ». Non utique, stricte loquendo, de unitate Ecclesiae theologica sermo est; Ecclesia divinitus fundata una est, et semper erit. Agimus potius de unitate, quae dicitur, sociali, seu de unitate omnium in Christum credentium in hac una Ecclesia Christi in terris peregrinante; quae unitas socialis Ecclesiae sane adhuc desideratur, eiusque defectus in damnum

vertit totius societatis christianae. Tandem notandum est: in titulo huic decreto dando, vitanda erant quae speciem cuiusdam indebiti proselytismi praeseferre videantur.

Textus schematis quoad ipsam materiam in tres dispescitur partes; quod quidem etiam ex forma externa colligi possunt in finali redactione decreti.

In prima parte, quae usque ad n. 12 extenditur, sermo est de Ecclesiae unitate theologica, quae in unitate imprimis regiminis, seu in Petro visibiliter fundatur; hac in expositione ratio habita fuit praesertim difficultatum fratrum separatorum orientalium. Ecclesia unitatem quaerens, veritati ne in minima quidem parte detrahere potest, nec valet, nec vult.

In hac introductione exaranda selectus est modus mentibus Orientalium forsan magis consonus et respondens. Nil proinde mirum si abunde fit usus Sacrae Scripturae.

Quod spectat ad terminologiam huius primae partis, vigilanter vitantur termini qui dicuntur scholastici, nisi eos claritas expositionis et veritas prorsus postulent; et agimus etiam ad mentem eorum quae in ipso decreto, inter media theologica (n. 19) proponuntur, nempe: « Multum sane ad unitatem conferet, si in terminis, in ratione dicendi, immo in ipsa methodo res theologicas tractandi ingenio etiam orientali plus tribuatur et debitus habeatur respectus ». Nemo tamen exinde putet, nos quasi obnubilare voluisse integram veritatem catholicam.

Cum iam de terminis agatur, notandum est, in decreto nos adhibuisse dictiones: « fratres separati » vel « fratres dissidentes ». De hisce non est apud omnes una sententia. Quidquid de aspectu psychologico dicatur vel de quadam inveterata consuetudine, ex se ipsis ambo termini adhiberi possunt; videtur tamen terminus « dissidentes » esse mitior alio termino « separati ». Ecclesiarum orientalium separatio nullo formali et positivo actu vel documento evenit. Separatio huiusmodi, realis potius, quodam longiore historico processu maturavit, et quidem diversas ob causas, saepe etiam extra-ecclesiasticas, ob quas sic et simpliciter fratres in oppositas abierunt partes: dis-sederunt, dis-sedentes facti sunt; attamen ob communem originem et alia communia fratres permanere non cessarunt.

Sub finem huius primae partis (nn. 10-12) quaedam proponuntur quae potius tempora praeterita respiciunt, ad commune patrimonium praesertim et conatus unionis restaurandae quod spectat, de quibus non omnium una est sententia, *ut videtur*; [2] quae tamen opportuna visa fuerunt, et, spiritu totius schematis considerato, recte intelligi possunt.

In secunda parte (a n. 13 ad n. 47)), sermo est de mediis reconciliandi Orientales dissidentes, reconcilatione sensu latissimo sumpta.

In hisce numeris indicatur peculiaris via, quam Ecclesia Catholica sequi sibi proponit ad unionem omnium christianorum orientalium obtinendam. Agitur de opera ab hominibus praestanda, ut desiderium et mandatum Domini: « Ut omnes unum sint » ad optatum finem deducatur. Gratiam Dei operi huic numquam defuturam credimus, quia oratio Domini Iesu Christi effectu suo non carebit, dummodo obices ab hominibus positi e medio tollantur. In quibus obicibus humanis tollendis praesertim versatur pars secunda schematis. Media haec, maioris claritatis causa, in media supernaturalia, theologica, liturgica, iuridica, psychologica et practica subdividuntur. Si qua alia media in promptu sint, ut proponantur expetitur.

Media proposita alia non sunt nova, sed ex novo inculcantur et actu sollemni repetuntur, atque imprimis ea quae respiciunt orationes fundendas. Alia media hinc illinc iam in usu sunt et optimos attulerunt fructus; nunc modo universaliore proponuntur. Alia sunt nova, et utrum sint opportuna, est deliberandum. In statu praesenti rerum et mentium dispositionis, praeprimis media quae psychologica dicuntur, attente sunt consideranda, ut animi efficacius ad unionem expetendam et tandem obtinendam disponantur.

Hac in parte quaedam ad nn. 31 et 35 notanda occurrunt. De hisce numeris quidam in dubio haerent, utrum sint opportuni necne.

Ad n. 31 notare iuvat: Unionem omnium christianorum esse negotium tanti momenti, ut ad eam assequendam nullum sit incommodum nullaque iactura, quae, salva fide, a christifidelibus toleranda non videantur. Ecclesia Catholica est in possessione veritatis, nec ab ea decidet unquam, Spiritu Sancto ei semper adsistente. Quidquid est de aliis communitatibus christianis, ad Ecclesiam Catholicam ius et officium pertinent unitatem omnium quaerendi et promovendi. Ecclesia Catholica primum veritatem praedicare debet, etiamsi nemo adesset qui eam audire vellet. Ecclesia Catholica, praeterea, neque defectus filiorum suorum necessario timere debet. Quid mirum igitur, si defectum caritatis suorum clare enuntiet et, ut perfectius observetur caritas, instanter caritatem inculcet? Defectus praeteriti in causa sunt. Tandem aliquando impedimentum hoc, quod ex historicis contentionibus suam ducit originem, e medio tollendum est, si bona unitatis assequi volumus.

Quod vero spectat ad n. 35, non de quodam certamine mundano res agitur. Omnibus omnino notum est quot quantisque conatibus veritas et fides ab atheismo impetiatur, ut in earum locum materialismus ponatur, et quidem non solum in animis omnium christianorum, sed

omnium omnino credentium in Deum. Quid mirum, si viribus unitis fides et mores et in Deum religio defendatur? Quaenam est enim societas, quae exitii periculo obnoxia, ad sese defendendum non properet? Nemo sanae mentis hoc etiam Ecclesiae Christi exprobrare potest. Fides et religio defendenda est ab omnibus et omnibus viribus, cum caritate quidem, sed in veritate. Ecce campus ubi christiani, immo omnes in Deum credentes unum quid esse debent, quod sane a pluribus desideratur et exspectatur, promovente Ecclesia Catholica. His dictis, videant Patres quid de hisce numeris statuendum sit.

Inter media liturgica et iuridica quaedam declarationes sollemniores proponuntur faciendae, quibus ius Orientalium affirmatur sequendi proprios ritus et disciplinam. Hae declarationes summi sunt momenti in obtinenda unione omnium christianorum. Plures enim timent ne antiquos ritus et consuetudines moresque suos deserere sensim sine sensu cogantur. Procul hoc esse a mente Ecclesiae Catholicae, clare demonstrant dicta et facta Summorum Pontificum. Sed fratribus separatis plurimum placebit quaedam sollemnior declaratio conciliaris, cui quamdam maiorem vim et valorem tribuunt, ob innatam illam Conciliorum Oecumenicorum venerationem qua notantur.

Item quae in n. 46 dicuntur de quodam superiore Consilio seu Congregatione de Ecclesiae unitate in Urbe constituendo, maioris sunt momenti, ob multiplicitatem et diversitatem conaminum et operum hic inde susceptorum, quae hodie iam vigent et semper magis in vigore erunt. Quaedam horum iam limites civitatum, regionum et singulorum populorum transcendunt. Necessaria omnino esse videtur in hisce rebus maior quaedam concordia et unanimitas in proponendis, dicendis et agendis ad unionem omnium christianorum obtinendam, ne vires et opes inutiliter disperdantur.

Pars tertia tandem agit de modo et conditionibus reconciliationis sensu stricto sumptae (nn. 48-52). Pauca tantummodo hac in re, generaliora et stricte necessaria nec non Orientalibus accommodata proponuntur. De aliis et particularibus suis tempore et loco providebitur.

Unicuique sequenda est propria via ad unitatem christianam assequendam, quae brevior, efficacior, et aptior sit. Unicuique patet communitatibus orientalibus propriam inesse originem, causam et formam earum discessus e domo paterna; propria proinde sternenda est via reditus ad catholicam unitatem. Ad hanc expeditiorem reddendam, in schemate proponuntur: professio fidei condicionibus personarum appropriata, disciplina Orientalium in tuto posita, sollemnis affirmatio valoris Sacramentorum, melioratio status rerum orientalium in Ecclesia Catholica adpromissa et *sollemniter*[3] attestata. De aliis, pro varietate per-

sonarum vel communitatum, in decreto conciliari loqui non expediebat. Quae tamen dicuntur, iam sufficientia videntur, ut quidam ordo et concors modus agendi in hac materia instaurentur.

Tandem quaedam de n. 52 notanda videntur. Praesens status rerum orientalium in Ecclesia Catholica timorem quemdam gignere posset in animos fratrum separatorum orientalium, ne cogantur hunc statum rerum et ordinem sic et simpliciter acceptare. Sic dicta « unia » ipsis non placet et condicionem sic dictorum « unitorum » palam deplorant. Ad timorem hunc tollendum, qui plurimum unioni omnium christianorum obstat, Concilium sollemniter affirmare intendit: statum rerum orientalium in Ecclesia posse ulteriorem perfectionem suscipere, et quidem hoc sensu, ut id ad Orientalium antiquam dignitatem et ad praesens momentum melius conferat. Praesens status rerum necessitatibus et circumstantiis temporum, locorum et personarum respondebat et respondet, salva bona voluntate et recta intentione utraque ex parte praemissa. Uniones proinde particulares communitatum orientalium decursu temporum iustissimis de causis initae, in unione quadam universali Orientalium omnium perfectiorem suam formam nancisci posse, speramus, prout etiam erat in intentionibus harum unionum auctorum, teste historia. Utinam res orientales meliorem in formam in dies disponantur communi consensu, pro bono totius Ecclesiae.

His notatis, nil manet nisi ut plena sinceritate et fiducia schema proponamus Concilio ut haec duo deliberet: 1. An placeat schema in genere? 2. Quaenam in particulari animadvertenda sint?

Et concludimus. In nostra relatione nihil diximus de momento et bonis unionis ecclesiasticae, quia res se ipsam commendat. Tamen expedit ut rursus audiatur perennis illa intentio Domini Nostri Iesu Christi, in eius oratione ad Patrem pro unitate suorum discipulorum expressa: « Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti... »...[4] Et si alias umquam, hodie praesertim necessitatem habet mundus credendi in Eum quem Pater misit Salvatorem mundi. Claves vero, quibus animi aperiuntur et clauduntur ad fidem in Deum Salvatorem, coniunctis vel disiunctis tenentur manibus eorum omnium, qui credunt in Dominum Iesum. Dixi.

In textu typis impresso: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] (*Io.* 17, 20-21).

3 – PATRUM ORATIONES

1

Em.mus P. D. ACHILLES card. LIÉNART
Episcopus Insulensis

Venerabiles Fratres,

Etsi praesens schema decreti multa prae se ferat opportuna principia quae vere christianorum unitati aptum fundamentum praebere valeant, dolendum tamen est quod, tam in forma quam in re expressa, graves patiatur defectus.

In forma. 1. Nimis auctoritative enim textus loquitur. Ecclesia etenim nostra catholica romana, commemoratis titulis omnibus quibus vera Ecclesia sit Christi Iesu, alias christianas Ecclesias admonet de officio sibi incumbendo ad ipsam revertendi. Mihi autem videtur quod, quanto magis conscia est Ecclesia nostra catholica se genuinam esse Iesu Christi Ecclesiam, tanto magis se sciat rationem reddituram de unitate procuranda erga alias, obligata cum sit plus ceteris omnes alliciendas non auctoritativo modo sed pastorali potius, dialogum cum eis acceptando; fructuosa etiam agnoscendo cum eis commercia iniri posse; immo taliter domum paternam, si opus fuerit, eiusque institutiones disponendo, ut omnes filii dispersi, ibidem domi se futuros esse sine dubio sentiant.

2. Quoad rem, vero. Nonnisi de unione cum Ecclesia orientali resarcienda tractat schema. In quo quidem graviter duplicique modo deficit.

a) Non una est enim Ecclesia orientalis, sed plures; quarum aliae byzantinae sunt originis, aliae vero arabicae. Unaquaeque propriam habet indolem; nec promiscue una pro altera haberi vult; non ergo de facto tantum in hoc deficit schema, sed psychologicus etiam est defectus, illas per modum unius tractare quae se in multis diversas sentiunt.

b) Aliunde, neque curat decretum de protestantibus Ecclesiis neque de Anglicana. Ipsae tamen aequale ius habent quod de eis solliciti simus, cum et ipsae christianae sint Ecclesiae. Nec de unitate Ecclesiae tractare possumus « ut omnes unum sint » quin etiam de fratribus his separatis cogitemus, qui sigillo baptismi sicut et nos signati sunt, et in Christo Iesu regenerati. Non licet nos, alto nostro silentio, sinere illos credere quod ab illa unitate a nobis reiiciantur aut excludantur, ad quam

tam multi ex ipsis anhelant, sicut testatur amplitudo oecumenici tentaminis cui se dederunt, ut Salvatoris Iesu votum adimpleant.

Instanter igitur rogo ut praesens decretum de unitate etiam cum Protestantibus ac Anglicanis quaestionem tractet, qualis in intentionibus ac votis venit Ecclesiae, aperte manifestatis per institutionem secretariatus pro unione christianorum.

Rogo etiam ut praesens decretum, tam in forma quam in re, recognoscatur iuxta praehabitas animadversiones. Dixi.

2

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

Plurima quae in hoc decreto asseruntur, praesertim inde a pag. 255 usque ad finem, *paucis forsan exceptis,*[1] non solum *mihi*[2] probanda sed etiam maxime laudanda sunt. Imprimis mea facio *toto corde*[3] quae de communitatibus orientalibus ibi declarantur. Christiani enim Orientis, hucusque a Sede Romana separati, fere in omnibus doctrinae capitibus nobiscum sentiunt, adeo ut magna spes iam nos tenere possit, multos saltem ex ipsis ad domum Patris communis, qui est Summus Pontifex Romanus, mox redituros esse.

Meritis laudibus praemissis, difficultates obortas mihi, *decretum*[4] legenti et consideranti, candide nunc profero.

1. Non perspicio — *et adhuc minus perspiciebam antequam em.mus D. card. a Secretis Status loqueretur*[5] — cur tractetur de Ecclesiae unitate, nimirum de proprietate Ecclesiae essentialiter inhaerente, qua ipsa Ecclesia externe manifestatur et cognoscitur, non perspicio, inquam, cur de hoc praecipuo et gravissimo argumento ecclesiologiae tractetur separatim a schemate constitutionis dogmaticae de Ecclesia, quae infra paucos dies disceptationi nostrae subiicietur. Nonne duo haec schemata in unum (utinam breve!) congruenter redigenda essent? Videant sapientiores!

Transiens autem ad *primam partem*[6] praesentis decreti, nonnulla videntur mihi quodammodo emandanda vel rectius *declaranda.*[7]

Pag. 251, n. 1, lin. 1, legimus: « Conditor et restitutor generis humani, Deus verus et unus »: accuratius conditor generis humani est Deus, restitutor autem seu redemptor est Christus Dominus, nempe Verbum caro factum, Deus-homo.

Deinde, ex testimoniis biblicis *pluribus* [8] allatis, ...[9] si simul accipiantur, tantum abest ut lux *plene veritatis* [10] appareat ut etiam *aliqualis ansa praebeatur interpretationi non rectae.*[11] Prima saltem fronte diceretur haberi ibi conatus, equidem optimo animo, conciliandi theologiam...[12] separatorum cum doctrina catholica. Neminem sane fugit sublimitas testimonii irrefragabilis Sacrae Scripturae Deum caritatem esse; similiter in comperto omnium est maximo mandato, quod Christus...[13] peculiariter suum appellavit, praecipi amorem erga proximum, quo universa lex comprehenditur, ut docet Apostolus Paulus in Epistola ad Romanos...[14]: « Qui enim diligit proximum, legem implevit ». Sed, cum agatur de Ecclesiae unitate, periculosum est verba adhibere quibus intelligi posset Ecclesiam sola caritate esse formatam...[15]

Eadem pagina, linn. 14 ad 18, legimus: « Induentes Christum ut novum hominem per baptismum, fideles in unitatem cum Christo et inter se renovantur: omnes enim unum sunt in Christo Iesu. Fiunt corpus Christi et membra de membro ». Etiam sententia haec, cum significet per baptismum — et nihil aliud — *sine ullo discrimine* [16] fieri membra Ecclesiae *homines, videtur mihi non omnino* [17] theologice recta. Etenim *baptismus pro adultis non sufficit ut* [18] re fiant et sint membra Ecclesiae, *etsi per se ad id qua baptizati ius habeant.*[19] Necesse est *insuper,*[20] secundum doctrinam catholicam communem, ut *adulti baptizati* [21] organismo sociali Ecclesiae uniantur vinculo externo, nempe: magisterio, per rectae fidei professionem, et regimini per vinculum communionis.

...[22] Eadem pagina et subsequenti, n. 4, legimus: « Hinc et duplex Ecclesiae status. Ex una parte, iam cum Christo in caelis consummatur... Ex altera vero parte, ut adhuc in hoc mundo constricta, construi debet in templum sanctum in Domino... etc. ». Dubito an haec quoque affirmatio *accurata omnino sit.*[23] Facile quidem...[24] omnes quandoque de Ecclesia in caelis triumphante loquimur ad fideles in catechesi et in sacra praedicatione; sed, ut opinor, Ecclesia quam appellamus triumphantem nequit dici simpliciter status diversus eiusdem Ecclesiae quam Christus condidit hisce in terris tamquam veram societatem eamdemque perfectam.

Pag. 253, lin. 20. Non dixerim, sicut ibi asseritur, partes quasdam Ecclesiae se ab auctoritate Vicarii Christi subtraxisse. Profecto non est pars Ecclesiae quae se subtraxit, sed pars christianorum. Neque placet mihi locutio quae paululum inferius invenitur...[25], scilicet Ecclesiam schismate *laesam esse et laedi,* quamvis magno dolore...[26] schismatis causa *ipsa* [27] affecta sit. Ecclesia in seipsa numquam habet maculam aut rugam aut aliquid eiusmodi, quia ipsam sanctificavit Christus « mun-

dans lavacro aquae in verbo vitae », *ut legimus in Epistola ad Ephesios S. Pauli.*[28]

Eadem pagina, lin. 28 et subsequentibus: « Necessaria est communio cum sede Petri — legimus —, ita ut quaecumque Ecclesia terrestris ab hac Sede separata, non certe eodem modo ad eamdem Ecclesiam invisibilem et caelestem vere pertineat ». Quaero: Ecclesia quae hic vocatur invisibilis estne eadem ac Ecclesia caelestis? Copula enim *et* suspicionem posset movere *admitti* [29] Ecclesiam quamdam invisibilem hisce in terris. Quam quidem libenter admittunt fratres separati, *minime vero* [30] catholici.

Similiter non video quomodo componantur cum communi theologia catholica quae affirmantur pag. 254, n. 9, linn. 6 ad 9, nisi clare ea explicentur. Bona enim fides per se non sufficit ut quis ad Ecclesiam vere pertineat si vinculo externo professionis fidei et communionis regiminis ei non uniatur.

Tandem, *inter pauca quae, meo humili iudicio, emendanda essent inde a pag. 255, praecipuum locum tenet quod dicitur* [31] pag. 261, lin. 21 et subsequentibus. « Erroribus — sic legimus in decreto nobis exhibito — erroribus tempore acto utrimque commissis (nempe a catholicis et a christianis separatis), unius populi christiani fratres in varias abierunt partes... etc. ». Certe certius, etiam catholici, *nos non sumus* [32] omnis culpae exsortes; *nam etiam nos peccavimus*; [33] sed non placet asseri tum catholicos tum...[34] separatos abiisse pariter in varias partes, *cum catholici firmi manserit supra petram* [35] verae Ecclesiae, *dum* [36] ceteri, et ipsi soli, petram hanc *dereliquerunt* [37] in aliam partem abeuntes. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] ex animo. [4] schema decreti. [5] deest. [6] peculiaria. [7] exponenda. [8] sub eodem n. 1. [9] (equidem abundanter). [10] veritatis plene. [11] ansa trahi possit ad errandum. [12] fratrum. [13] Dominus. [14] (13, 8). [15] qualem plures fratres separati contendunt esse Ecclesiam. [16] homines. [17] non discernendo adultos ab infantibus, non videtur mihi. [18] ut adulti. [19] praeter baptismum. [20] deest. [21] deest. [22] Praeterea. [23] vere accurata sit sicut Decretum Conciliare decet. [24] nos. [25] (lin. 22 s.). [26] Ecclesia Christi. [27] deest. [28] (*Eph.* 5, 26). [29] esse. [30] non autem. [31] deest. [32] non sunt. [33] i. e. etiam ipsi peccaverunt. [34] fratres. [35] iuxta enim rei veritatem catholici firmi remanserunt super petra. [36] cum. [37] dereliquerint.

3

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Venerandi Patres Conciliares,

Brevissime loquar. Schema, quod inscribitur *de Ecclesiae unitate,* in universum considerato, mihi placet admodum. Placet praesertim ea de causa quod in hoc schemate commendatur ut ab acerbis verbis hac in re semper abstineamus, ut mutuam opinionum comprehensionem et rectam intelligentiam foveamus; ac placet praesertim ardens studium quo omnes, sive catholici sive acatholici, flagrare debemus, ut tandem aliquando Iesu Christi verba ad felicem exitum adducantur, ut nempe « omnes unum sint » et « fiat unum ovile et unus pastor ».

Liceat tamen mihi duas animadversiones vobis proponere.

1. Schema inscribitur *de Ecclesiae unitate,* atque in n. 11 haec verba habentur « de unitate instauranda ». Atqui unitas in Ecclesia Christi iam habetur, et est nota propria atque indefectibilis. In ea siquidem habetur unum ovile et unus pastor. In aliis autem confessionibus, verba Christi « fiet unum ovile et unus pastor » nondum, proh dolor!, ad effectum adducta sunt; habentur enim pluria ovilia et plures pastores, quod est profecto contra ipsa verba Iesu Christi. S. Thomas Aquinas, cum de schismate Ecclesiae orientalis loquitur, aperte asseverat unitatem Ecclesiae Christi adhuc haberi et incolumem conservari; est enim, ut dixi, nota propria et indefectibilis verae Ecclesiae, quae numquam deesse potest. Cf. S. Thomae opusculum *Contra errores Graecorum* atque *Expositionem in Symbolum Apostolorum,* art. 9 (Opera Omnia, Edit. Parmensis, XVI, pag. 147).

Oecumenismus seu motus oecumenicus optima res est ac valde impenseque commendabilis. Oportet tamen innitatur sincera, firma et integra veritate catholica, nullis habitis ambiguitatibus. Non enim quadam verborum ambiguitate, sed plena ac sincera veritate dilectissimi fratres a nobis seiuncti ad unum Iesu Christi ovile trahendi sunt. Ipsi dilectissimi fratres a catholica Ecclesia seiuncti hoc a nobis postulant, ut nempe doctrinam nostram, nulla habita tergiversatione, nulla habita incertitudine, nulla habita inter nos discordia, iisdem clare, limpide, integre pandamus, ut reapse possint, divina favente gratia, eam amplecti et ad unum ovile et ad unum pastorem devenire.

In schemate *de Ecclesia,* quod iam nobis traditum est ad discutiendum, haec verba, quae mihi gravissima...[1] videntur, habentur: « Monet... haec Sacra Synodus omnes fideles, ut fratribus separatis verbo et exem-

plo magis magisque ostendant plenitudinem revelationis in sola Ecclesia catholica vere et pure teneri, ita quidem ut tandem fratres nostri nobiscum iterum coniuncti, nobiscum etiam plenitudinem hereditatis Christi possideant ». Diverso modo « indifferentismus et interconfessionalismus » inducitur (ibidem, cap. XI, nn. 51-53).

Quae cum ita sint, vobis propono, venerandi Patres, in huius schematis initio, non *verba*[2] « de Ecclesiae unitate » (quae, ut dixi, iam habetur), sed « de omnium christianorum unitate procuranda »; et in n. 11 non scribatur « de unitate instauranda », sed: « de christianorum omnium unitate instauranda » - vel « de omnibus christianis ad unum Iesu Christi ovile revocandis ».

In n. 46 proponitur ut « instituatur novum Sacrum Consilium seu nova Congregatio virorum peritorum ex orientali et occidentali Ecclesia, cuius sit, sub auctoritate Summi Pontificis, hoc negotium moderari, etc. ». Mea quidem sententia necesse non est novam S. Congregationem in Romana Curia condere, sed, ut mihi videtur, conservetur potius, modo permanenti, secretariatus de unitate omnium christianorum tractanda. Etenim hic secretariatus optime iam de re sibi credita meritus est, ac multum contulit ad hanc optatissimam unitatem procurandam.

Haec habui, venerandi Patres, ut sapientiae ac prudentiae vestrae proponerem.

In textu scripto tradito: [1] ac meditatione digna. [2] scribatur.

4

Em.mus P. D. MICHAËL card. BROWNE

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

Ab initio putavi nostrum schema respicere quaestionem quae se occupat de omnibus qui christiano nomine gloriantur, sed nunc, dicebam, nostrum schema respicere in primo loco, immo quasi exclusive, fratres separatos Orientalium Ecclesiarum. Sed quidquid sit de hoc, nullum, nollem ullum verbum proferri quod posset etiam pro uno momento esse impedimentum quantum ad finem tam desideratum a nostra sancta Matre Ecclesia. Tamen dico simpliciter ea quae mihi videntur dicenda.

Schema nostrum *de Ecclesiae unitate* sine dubio continet multa quae optima sunt. Sed incommodum est Concilium adhuc non examinasse schema *de Ecclesia,* de Ecclesia ipsa, in quo continentur plura analoga

nostro schemati de unitate Ecclesiae. Et in omni sinceritate dico quod negotium de unitate Ecclesiae utique debet fieri secundum caritatem, et secundum summam caritatem, sed attenta ubique simplici veritate, et simplici veritate etiam secundum rationem theologicam; et non possumus facere distinctionem inter unitatem considerandam sub aspectu theologico et sub aspectu sociali: non essemus per viam rectam.

Materia schematis, utriusque schematis, scilicet nostri schematis, et schematis *de Ecclesia* est summopere delicata. Unde humillime opinor hodiernam nostram disceptationem non debere habere notam, ut ita dicam, definitivam usquedum materia utriusque schematis ponatur in forma perfecte harmonica et completa.

Hoc esset meum votum et forsitan melius esset non extendere mea verba ad ulteriorem disceptationem, sed votum meum esset quod discussio nostra non consideretur definitiva, sed ut omnia componantur, et etiam theologice componantur, secundum ea quae dicenda sunt in schemate de Ecclesia et in schemate nostro et in schemate quod, ut intelligo, postea venit de unitate Ecclesiae sub aspectu unionum omnium fratrum separatorum nobiscum. Dixi.

Textus scripto traditus:

Schema *de Ecclesiae unitate* continet multa quae optima sunt.

Incommodum tamen est Concilium adhuc non examinasse schema *de Ecclesia* ipsa, in quo continentur plura analoga nostro schemati de *unitate Ecclesiae*.

Materia utriusque schematis summopere delicata est.

Inde humillime opinor hodiernam nostram disceptationem non debere habere notam, ut ita dicam, definitivam usquedum materia utriusque schematis ponatur in forma perfecte harmonica et completa.

Quamvis verum sit quod in omnibus dissensionibus humanis possint esse ex utraque parte errores et peccata, tamen ad hoc ut praedictae dissensiones componantur, non est ut culpa considerandum quod una ex his partibus viae veritatis adhaerebat, altera parte ab ea discedente. Non dico schema hoc *velle* facere, sed consulerem ut saltem revideantur art. 30 et art. 31 (pagg. 260-261) maxime ultima verba art. 31 ubi dicitur: « Erroribus tempore acto utrimque commissis, unius populi christiani fratres in varias abierunt partes. Spiritu poenitentiae et expiationis omnium christianorum tandem fiat ut in una paterna domo seu Ecclesia iterum adunentur ».

Praeses card. TISSERANT: Reponatur S. Evangelium.

Secretarius generalis: Proxima congregatio erit crastina, feria III, hora nona.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS *

1

EXC.MUS P. D. ALOISIUS ALMARCHA HERNÁNDEZ
Episcopus Legionensis

Ecclesia, quamvis non est Regnum de hoc mundo, est in hoc mundo. Iura sua, quatenus agitur de Regno alterius mundi, quod est regnum spirituale, plena sunt cum plenitudine finis et independentiae; iura sua, quatenus agitur de regno quod in hoc mundo militat, subiecta esse debent necessitati et convenientiae mediorum et secundum mensuram eiusdem necessitatis et convenientiae.

Ecclesia illuminat ut Magistra omnes gentes; educat ut Mater filios suos; agit ut societas perfecta in creatione operum seu instrumentorum communicationis socialis.

Ut Magistra veritatis eius potestas est « ubique terrarum »; ut Mater, « ubique filiorum »; ut societas perfecta regitur normis potestatis directae et indirectae, cum concordantia inter societates perfectas, coexistentes in eodem territorio et cum iisdem subditis.

Proindeque, ut doctrina prooemii et totius schematis clara et completa evadat, reor, in n. 4, pag. 206, lin. 3, sequens incisum inserendum esse: « ad praesentiam Ecclesiae per illuminationem, educationem et creationem operum seu instrumentorum communicationis socialis ».

Sic numerus praedictus sequentem redactionem haberet: « Huius ergo Sanctae Synodi Patres, ad proposita sibi praestituta attendentes, quaestiones praecipuas, cum prelo, cinematographeo, radiophonia, televisione reliquisque communicationis socialis instrumentis connexas, expendendas esse censent, indeque doctrinam tradere et generales normas statuere decernunt, quae spectent ad praesentiam Ecclesiae per illuminationem, educationem et creationem operum seu instrumentorum communicationis socialis, ad rectam christiani populi institutionem morumque renovationem, ad catholicae vitae incrementum, necnon ad ecclesiasticorum laicorumque apostolatus methodos ad nostrorum temporum necessitates rationesque aptius accommodandas ».

Sicque iura et officia Ecclesiae clarius enucleantur.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt vel demum disceptatio clausa est.

2

Exc.mus P. D. ALOISIUS ALONSO MUÑOYERRO
Archiepiscopus tit. Sionensis

Cap. II, n. 59. Ad maiorem claritatem et consequenter ut difficultates vitentur in exercitio potestatis episcoporum circa officia nationalia, regendis instrumentis communicationis socialis destinata, propono ut, quando dicitur pag. 231, lin. 5, quod « suprema moderatio peculiari episcoporum coetui... concredatur », loco « coetui » dicatur « coetui seu coetibus », vel alicui episcopo delegato, etc.

Ratio est, quia prout exstat verbum « coetui », potest intelligi de *uno* coetu, ita ut *unicum* coetum aliquis constitui velit.

Hoc iam accidit in Hispania: Conferentia metropolitanorum ab anno 1948 commissionem episcoporum de « ortodoxia et moralitate » constituit eique concredidit moderationem *Officii Nationalis* ad iudicia ferenda de pelliculis et scenis theatralibus (n. 90 huius capitis). At anno 1957 alteram commissionem creavit, cuius munus est promovere et tutari cinematographum, radium et televisionem, ita tamen ut de his mediis communicationis socialis curaret in *sensu positivo,* relicto aliae commissioni de ortodoxia et moralitate munere curandi de vitandis periculis immoralitatis, id est, in *sensu negativo.*

Tamen iam fere ab initio, episcopi quaestionem promoverunt contra primam commissionem de iure habendi etiam intra suum finem moderationem Officii Nationalis de qualificatione et censura pellicularum.

Anno praeterito 1961, tandem quaestionem tulerunt ad Conferentias provinciales episcoporum et nationalem metropolitanorum, quae unanimiter sententiam dederunt in terminis et sensu antea explicatis pro commissione de orthodoxia et moralitate.

Cum in verbo « peculiari coetui » fortasse velint videre fundatam suam intentionem, et ad vitandas discussiones in aliis nationibus, videtur valde conveniens addere « seu coetibus », et ut clarius patescat organizationem hac in re episcopis relinqui iuxta convenientiam pastoralem in unaquaque natione, propono ut in fine pag. 230, n. 59, dicatur, « ut iuxta normas a Summis Pontificibus latas — applicatas modo concreto et opportuniore a conferentiis episcoporum etc. ».

3

BEAT.MUS P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN
Patriarcha Ciliciae Armenorum

Schema constitutionis apostolicae *de instrumentis communicationis socialis* placet, si prae oculis habeantur quae iam dicta sunt circa necessitatem eius abbreviationis.

Concilii est summatim statuere principia generalia et normas, relinquendo particularia de unoquoque « instrumento » secretariatui, de quo fit mentio in Litteris Apostolicis *Superno Dei nutu,* et in nota huius schematis ad pag. 206.

Ad principia generalia quod attinet, mea humili sententia, n. 33 cap. III, pag. 219, aptius collocaretur, saltem quoad sensum, in prooemio: agitur enim de publicae potestatis gravissimo officio impediendi ne gravia discrimina publicis moribus et societatis progressui obveniant.

Adimpletio huius officii erit efficacius medium ad tuendam moralitatem et ad liberandam societatem a tristibus consequentiis pravi usus praedictorum instrumentorum. Vix enim Ecclesia poterit, absque collaboratione civilis potestatis, invenire aptum remedium tantae calamitati.

Alicui Patri nimis optimisticum visum est schema; et opportune mentionem fecit de necessitate crucis in vita christiana, ut immunes manere possint fideles ab ingenti malo, quod aliter impedire vix potest Ecclesia.

Instrumenta tamen communicationis socialis non sunt natura sua mala. Nec fructus eorum usus est necessarie negativus. Potest debetque esse positivus, si usus horum instrumentorum subiicitur saltem legi naturali.

Et ideo urgenda est apud publicas potestates obligatio tuendi mores civium, prohibendo usum instrumentorum communicationis socialis, qui saltem legi naturali opponitur.

Defectus interventionis pastorum Ecclesiae, hac de re, saepe saepius consideratur, a nonnullis optimis catholicis etiam, « conspiratio silentii ».

Velint Patres considerare utrum sit opportunum, occasione huius Sacrosanctae Synodi, enixe petere, sollemni aliquo documento, a publicis potestatibus omnium regionum, ut, impediendo ingens malum, quo cives ubique afficiuntur ex abusu instrumentorum communicationis socialis, Ecclesiae in adiutorium veniant.

Potior ratio huius collaborationis in eo esset quod fructus eius proderit non solum Ecclesiae, sed etiam societati civili in qua, per observantiam moralitatis, minuentur crimina magisque sana evadet ipsa societas.

4

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS IACOBUS BENÍTEZ AVALOS
Episcopus tit. Chersonesitanus in Europa, aux. St. Assumptionis

Duas tantum animadversiones enucleabo:

1. *Homo habet ius cognoscendi veritatem.*

Quamvis in art. 21 loquatur de iure ad informationem, quod inest societati humanae, nihil dicitur de iure primario et fundamentali quod habet omnis homo ad veritatem cognoscendam, maxime cum in societate vel communitate vivit.

Proinde in eodem art. 21 vel in alio, modo quidem generali pro omnibus instrumentis communicationis socialis, est omnino necessarium quod extollatur ius quod habet homo vel societas humana ad cognoscendam vel recipiendam veritatem (« Deus vult... omnes homines ad veritatem venire »), siquidem agitur de bono homini convenienti non modo ad eiusdem profectum naturalem et temporalem, verum etiam supernaturalem et aeternum. Quod reapse est fundamentum ad quaerendum finem in instrumentis communicationis socialis.

2. *Qui quoquo modo utuntur his instrumentis habent officium vel obligationem dandi veritatem.*

Alius defectus, ut videtur, gravis in eo est quod non ponatur ut fundamentale vel essentiale illud officium dandi vel praebendi semper veritatem integram (cum limitibus prudentiae et caritatis) instrumentis communicationis socialis utendo. Pius XII, f. r., extollit hoc « character » cultorum stampae in sua allocutione circa opinionem publicam.

Proinde, siquidem agitur de quaestione essentiali in hac materia, aliquid dicendum est in schemate de hoc officio *omnium cultorum* horum mediorum technicorum.

Brevitatis causa, omitto argumenta theologica et philosophica in quibus nititur haec expositio, aliunde enim satis sunt cognita.

5

EXC.MUS P. D. CRISPULUS BENÍTEZ FONTÚRVEL
Episcopus Barquisimetensis

Ea quae dicta sunt hactenus circa prelum, cinematographiam etc. nobis probanda videntur.

Sed ad eorum complementum desiderari videtur clarior enunciatio principii generalis ordinis moralis quo regitur integrum systema normarum agentium de relationibus hominum inter se: principium dicimus humanae perso-

nae, quae utpote praedita ratione finis, sub Deo fine ultimo, est subiectum iurium inalienabilium, unde dimetiendus est valor moralis actionum quae hominem tangunt; ita ut numquam sint licitae actiones quae ipsum hominem pro mero obiecto vel mero instrumento habent.

Eo vel magis hoc principium locum habere in subiecta materia debet, quod ex una parte homines nostri temporis, magis magisque exculti, alte sentiunt de dignitate personae, ex altera mediis technicis tantopere evolutis magnum periculum inest cuiusdam « mechanisationis » totius humanae vitae. Inter haec iura non alienabilia profecto adnumeranda sunt *ius ad nomen, ad bonam famam, ad secretum familiaris vitae.*

Ut ad particularia descendamus ex conceptionibus mox prolatis, videtur in Concilio solemniter proclamandum vetitum *ordinis moralis,* independens a peculiaribus legibus positivis quas singula quaeque respublica de re ferre potest, ne cuius imago photographice edatur et inseratur in foliis quotidianis vel periodicis, vel cinematographicis vel televisivis spectaculis, nisi aut persona de qua agitur id fieri permittat, aut talis permissio rationabiliter supponi possit: haec autem praesumptio omnino non est admittenda quando quis e suae imaginis divulgatione damnum aliquod sit incursurus etiam solum quoad suam dignitatem et excellentiam: ut verbi gratia si quis praelatus clam sit luce depictus dum actionem non quidem malam, sed omnino privatam ponit, quae merito non vult, vel non vellet si sciret, in vulgus spargi.

Itidem contra dignitatem personae agunt qui nimis in scriptis vel figuris premunt eventus familiares intimos eorum qui vel officii, vel scientiae, vel etiam pecuniae causa celebritate gaudent: pudet ad singula venire, sed nemo est quin videat quantopere extenuetur observantia summis magistratibus populorum debita ex hoc quod ipsi curiosis oculis quorumlibet lectorum versantur, quando, verbi gratia, balnea sumunt.

6

Exc.mus P. D. FELIX BONOMINI
Episcopus Comensis

Circa schema *de instrumentis communicationis socialis,* haec animadvertere censeo et per scriptum huic secretariae generali humiliter subicio: gratiae quam maximae Deo agendae sunt qui media tam copiosa et tam opportuna hominibus praebet ad cognoscendam veritatem et ad vitam aeternam faciliori modo consequendam, sed etiam lugendum est quod et in hoc casu, filii tenebrarum prudentiores sint quam filii lucis et usque adhuc, instrumenta communicationis socialis, praecipue cinematographeum et televisio, ad vitam spiritualem quod attinet, magis fuerunt in destructionem quam in aedificationem: eadem sententia valet et pro prelo si diligenter attendimus ad productionem librorum sive ephemeridum cuiusque generis: plura obscaena, multa vacua, perpauca vere formativa.

Quare, meo iudicio, sedulo advertendum est:

a) *circa prelum*: censores ecclesiastici ne faciles sint ad concedendum « nihil obstat » et auctoritas ecclesiastica cui competit sit potius rigida in concedendo « imprimatur », maxime quando de principiis agitur quorum consectaria in damnum fidei vel morum cedunt;

maxima cura favendus est apostolatus boni preli, vulgo italico « della buona stampa », ad conscientias catholicorum efformandas et ad media collegenda pro accurata et decora editione sive librorum sive ephemeridum quorum auctores vel moderatores sint sana doctrina praediti et in amore erga sanctam Ecclesiam catholicam effulgentes;

ad legislatores et ad omnes quos pertinet, mittantur, si necessarium fuerit, subscriptiones protestationis a parte fidelium contra publicationes cuiusvis generis quae sint occasionem scandali et perturbationis, praesertim pro iuvenibus.

b) *Circa cinematographeum*: cum plurimi sacerdotes temporibus recenter peractis animarum zelo absque dubio impulsi, sese imbuerint in apostolatum cinematographei cum damno suae vitae spiritualis, quae est et semper erit conditio sine qua non cuiusvis apostolatus, optabile mihi videtur ut, in subiecta materia tam delicata, laici adhibeantur, ad hoc bene praeparati et sub vigilantia sacerdotis provectioris aetatis.

c) *Circa radiophoniam et televisionem*: vigilandum est ne minuatur numerus fidelium bonae voluntatis qui templa nostra adhuc frequentant, sub praetextu audiendi verbum Dei in propriis domibus et optime, melius certe quam per proprium parochum non semper bene praeparatum.

Unde officium grave erit omnium sacerdotum, maxime eorum qui directe curam animarum exercent, ut fideles suos bene instruant circa obligationem cultus divini publici, et ipsi maximam diligentiam adhibeant in sermonibus bene praeparandis et in caerimoniis decore peragendis, in laudem Dei et in aedificationem fidelium.

7

Exc.mus P. D. MICHAËL BROWNE

Episcopus Galviensis

Quaedam puncta ad cap. II huius schematis proponere velim:

1. Mirum mihi videtur nihil dici de spectaculis theatralibus. Haec sunt antiquissimum medium communicationis socialis. Adhuc habent influxum magnum in formandis opinionibus et moribus hominum. Praeterea de his spectaculis Patres et theologi fuse scripserunt et corpus doctrinae moralis Ecclesiae formaverunt.

2. Mirum etiam videtur nihil dici de scandalo et de gravi monitione Domini N. Iesu Christi contra eos qui scandalizent unum de pusillis eius.

Doctrina moralis Ecclesiae de mediis communicationis invenitur in tractatu morali de scandalo et occasione peccati.

3. In par. 16, lin. 7, non mihi placent verba « potior seu prima honestas seu moralitas ». Proponere velim « moralitas communicationis principaliter pendet ex effectu eius ». Hic disceptatur generatim de foliis, de ephemeridibus et de televisione. Sed magnum discrimen est inter narrationem de facto adulterii in foliis et repraesentationem facti adulterii in televisione. Quaestio principalis tunc est de effectu. An narratio vel repraesentatio habet effectum sollicitationis vel influxus gravis ad peccatum. Hoc pendet ex materia et modo praesentationis et ex susceptibilitate eorum qui communicationem recipiunt.

In certis gravibus casibus facile est videre gravem esse influxum in peccata gravia.

4. In eadem paragrapho velim delere verba « genus luxuriorum vitae dilaudare ». Verbum « luxuriorum » hic utitur non in sensu de peccato contra castitatem — opinor — sed aequivalet verbo dives vel lautus.

Hoc hodie aequivalet conditio melior vitae. Sed omnes homines desiderant meliorem vel altiorem conditionem vitae. Hoc non est peccatum grave, certe non est peccatum eiusdem malitiae ac alia quae praecedunt et sequuntur, nempe religionem impetere, veritatem mutilare, facinora, rapinas, odia fovere.

8

Rev.mus P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER

Praeses Congregationis Anglicae O.S.B.

Subscriptus D. Christophorus Butler, sup. gen. Congr. Angliae O.S.B., submittit has emendationes commissioni competenti; sed non petit ius loquendi de his rebus in congregatione generali.

1. N. 2, pag. 205, lin. 16. Pro « ad Dei regnum propagandum » legatur: « ad Christi regnum propagandum »; vel « ad amoris et iustitiae regnum propagandum ».

Ratio: Locutio « regnum Dei » est biblica. Sed in Novo Testamento non est mos loquendi de *propagatione* regni Dei, cum regnum Dei sit effectus eschatologici interventus Dei nullo humano conatu cooperante; est sicut gratia omnino praeveniens. Regnum Christi autem propagatur usque ad consummationem saeculi.

2. N. 5, pag. 206, lin. 11. Pro « naturae leges morales » legatur: « naturae saltem leges morales ».

Ratio: In hac paragrapho homines dividuntur in « christifideles » et « ceteros ». Sed ei, qui non sunt christifideles propter ignorantiam invincibilem, vivunt tamen de facto sub oeconomia gratiae et cognitionem saltem aliqualem legis supernaturalis possunt habere. Ideo melius est ut hoc non implicite negetur sicut negatur implicite per textum typis impressum.

9

EXC.MUS P. D. PLACIDUS-M. CAMBIAGHI
Episcopus Cremensis

1. *De libertate artis.*

Quamvis titulus pag. 214, n. 22, sit *de libertate artis,* de facto tamen nn. 22 et 23 non agitur de « libertate » artis, sed tantummodo de eius legitimis iuribus. Res e contra, cum sit maximi momenti, melius definienda videtur.

Imprimis maxima quaestio non est habenda de primatu ordinis moralis, cum nemo est qui non videat etiam activitatem aestheticam esse sincere humanam et ideo ad ordinem moralem pertinentem. Disceptatur potius utrum activitas aesthetica, ex eo quod sit aesthetica, semper et ubique sit legitima censenda: utrum nempe obiectum, in se malum, fiat moraliter bonum ex eo quod artificiis aestheticis exprimatur; utrum denique circumstantia aesthetica sit talis circumstantia moralis quae tollere possit obiecti et actus malitiam, si forte adsit. Etenim sat faciliter opinio divulgatur quae omnia artificibus (« artistis »), cum sint viri extraordinarii, licere contendit ac proinde eorum opera dicit ex se moraliter bona, dummodo mira sint.

Deinde omnimoda artis libertas affirmanda videtur; neque enim subiectum moralitatis ars esse potest nisi omnino libera habeatur de iure. Ergo ars illa libertate honestanda est qua omnes activitates vere humanae fruantur oportet. Improbanda proinde appareat iniusta inhibitio sive effingendi sive divulgandi opera mira quae de se mala non sint. Attamen clare stabiliatur etiam oportet libertatem, quamvis sit condicio, non esse tamen criterium honestatis. Etenim opiniones recentiores aberrantes dictitant quidquid libertate propria agatur, eo ipso bonum esse atque honestum. Propterea bene clareat, quamvis ars libera sit oporteat, attamen non eo ipso quod libera sit, honesta habenda est. Criterium enim honestatis aliunde sumendum est, nempe ex obiecto, circumstantiis et fine.

Quae cum ita sint, nn. 22 et 23 hoc modo emendandi videntur:

[*De iuribus et libertate artis*]. Arduae controversiae in praesentiarum increbrescunt de rationibus quae intercedunt inter artis iura, ut aiunt, et legis moralis normas *atque de artis libertate.* Patres Concilii, ad iura Dei animarumque tuenda, haec recolunt: *artificium aestheticum de se est circumstantia moralis quae sive actuum humanorum sive obiecti malitiam, si forte adsit, tollere ex sese numquam valet; activitas autem aesthetica, cum sit inter nobilissimas activitatum humanarum, libera et est et esse debet, atque hac ratione* semper legis moralis imperio *obstringitur. Iis* ergo *iuribus et* libertate legitime utantur *tum artifices tum receptores* oportet quae *sunt* vera hominum *iura et* libertas, quae scilicet *postulant* ut omnes adhibeantur opes et cum ceteris communicentur quae ad virtutem humanaeque naturae perfectionem conferre possint.

2. *De prelo catholico.*

Laudanda videntur quae in schemate constitutionis *de instrumentis communicationis socialis* circa prelum catholicum dicuntur. Attamen haec pauca additamenta opportuna mihi videntur esse ut illae devitentur imperfectiones, quas nunc saepe videre facile est.

Pag. 236, lin. 32: post verbum « promoveat », addatur *ideis et veritatibus* ita ut textus hoc modo sonet: « publicas opiniones... efformet, firmet atque promoveat *ideis et veritatibus;* facta vero etc. ».

Huius additamenti ratio est praxis nimis communis iuxta quam saepissime parva periodica catholica, et aliquando etiam magna, produnt omnino vacua ideis solidis, ut omnibus videre est. Efformatio autem publicarum opinionum certissime promoveri nequit, nisi ideis et doctrinis imbuantur periodica.

Pag. 237, lin. 11: post « sedula opera », addatur oportet: *quam maxime quoque concors in ideis exponendis.*

Etenim aliquando periodica catholica sunt inimicis fidei mirum theatrum opinionum catholicorum dire inter se pugnantium. Haec autem discordia persaepe est populo christiano scandali causa vel saltem scepticismi.

Pag. 237, lin. 16: post verbum « attingatur », hoc modo emendetur: « *sive* virium *oeconomicarum sive ingeniorum* dispersio omnimode devitetur ».

Ratio est vehemens desiderium ut habeatur unicum periodicum catholicum in unaquaque natione ac illa omnia proscribantur periodica innumera eiusdem nationis, immo eiusdem regionis, quae sat male vivunt sive rationibus oeconomicis sive ob defectum scriptorum vere egregiorum.

10

EXC.MUS P. D. IRENAEUS CHELUCCI
Episcopus Ilcinensis

Voluissem quidem et ego disceptationi interesse de instrumentis socialis communicationis, sed cum permulti id fecerint magna cum peritia, meum putavi serum, ne dicam supervacaneum, interventum. Non possum tamen facere quin meam significem approbationem quoad substantiam schematis propositi!

Alienum vero non existimabitur, spero, si recogitans quae peritissimi viri de vi fascinatoria et quasi ipnotica cum cinematographei tam televisionis docent, ut plures affirmaverunt in hebdomade sociali nuper Senis habita, postulare audeo ut aliqua addantur de abusu vitando etiam in communicationibus laude dignis, ne facultates sensitivae nimis excitentur cum detrimento superiorum, in quarum exercitio dignitas maxime posita est ac libertas humanae personae. Eo magis inculcandum id credo, ne maior fiducia tribuatur, quam

par est, technicis instrumentis, mediis supernaturalibus posthabitis, sine quibus opera et impensa perit.

Ad aliud argumentum transiens, quod Concilium respicit, et haud spernendum ut mihi videtur, est condicio mea multorumque aliorum Patrum qua propter defectum pronuntiationis linguae latinae nihil vel parum sermonum qui in aula habentur intelligitur. Cum ita res se habeant, nemo non videt quantum anxietatis vel dubii importet animis obligatio suffragium dandi. Suffragium quidem dare oportet secundum conscientiam. Attamen quomodo istud fieri possit, haud facile quis affirmet cum conscientia scientiam sequatur.

Rogo ergo ut remedium aliquod quam citissime adhibeatur ad rem deploratam auferendam vel quam maxime attenuandam.

11

Exc.mus P. D. ELISEUS CORÓLI

Episcopus tit. Zamensis maior, prael. null. Guamensis

Maxime commendandum mihi videtur votum ab exc.mo ac rev.mo D. Heuschen, in congregatione XXV prolatum, cui tamen haec pauca addere liceat.

1. Imprimis omnino necesse est ut noscenda (notizie) *tempestive* a periodicis et radiophoniis dentur, non tramite agentiarum, quas vocant, agnosticarum vel independentium, *sed proprio fonte.*

Hoc magni pretii est non tantum propter honorem ipsorum catholicorum, qui habemur veluti in statu inferiori quatenus ab aliis agentiis pendere debemus, sed etiam quia ipsa noscenda seliguntur semper iuxta criterium quod a propriis ideis et fide imponitur. Ceterum Dominus monuit: « Qui non est mecum, contra me est » (Lc. 11, 23).

Non agitur de usurpatione aliqua vel de munere quod Ecclesiae minime competit; etenim Ecclesia ex voluntate Redemptoris magistra gentium esse debet. Nunc temporis autem magisterium Ecclesiae haec nova instrumenta ignorare nequit.

Ergo valde opportuna videtur erectio alicuius Agentiae Internationalis Catholicae *directe dependentis ab Officio Sanctae Sedis de quo agitur nn. 56-57* huius schematis (pag. 230).

2. Deinde noscenda necesse est ut dentur *cum commentario aliquo* sicuti in usu venit apud aliquas consociationes internationales radiophonicas.

Nam efformatio publicae opinionis iam non habetur per meram informationem etiamsi obiectivam eventuum, sed omnino per interpretationem quae iisdem eventibus datur, et indigent.

Ergo Agentia Internationalis Catholica noscenda diffundat oportet simul cum commentario brevi.

3. Denique valde opportuna videtur diffusio noscendorum cum commentario catholico ab Agentia Internationali Catholica congestorum per Radiophoniam Vaticanam, si res ferat.

Etenim in natione brasiliensi exempli gratia, fere centum habentur stationes radiophonicae episcopis subiectae, quae tamen in ipsis noscendis ad vitam catholicam pertinentibus a radiophoniis acatholicis pendere debent.

Ergo post n. 35, pag. 221, haec paragraphus valde opportuna videtur: « Ideo Sacrosanctum Concilium optat erectionem Agentiae, quam vocant, Internationalis Catholicae ad noscenda sincere congerenda atque commentario brevi catholico ditanda » .

Ratio est quia « rectus usus » istorum instrumentorum, de quo sermo est in hoc capite, ante omnia exigit « materiam rectam » quae si a catholicis consociationibus non detur, difficillime inveniri poterit.

12

EXC.MUS P. D. FIDELIS CORTÉS PÉREZ
Episcopus Chilapensis

Humilde sugerencia:

El mundo está con los ojos puestos en el Concilio, se alegró mucho cuando los PP. Conciliares volvieron hacia él y le enviaron un mensaje, y ahora que tratamos del tema de *los instrumentos de comunicación social,* tal vez fuera oportuno volvernos otra vez hacia ese mundo para decirle otra palabra que recibiría con mucho gusto y cuyos puntos podrían ser estos y otros:

a) Ante los maravillosos adelantos de la ciencia moderna bendicimos a Dios y le damos gracias porque ha dado a los hombres tanto poder sobre los elementos...

b) Felicitamos a cuantos se han servido de la prensa, cine, radio y televisión para propagar la verdad y el bien y para dar deleite estético u honesto esparcimiento; a las autoridades que han protegido la libertad de expresión dentro del marco de la moralidad y la justicia; a los públicos que saben escoger sus lecturas y programas...

c) Nos dolemos de las desviaciones que ha habido en quienes por malicia o por amor excesivo al lucro se apartan de las leyes de la verdad, de la moralidad, de la honestidad...

d) Deseamos que tanto los productores como las autoridades competentes y los públicos den un paso adelante para que se tenga mejor prensa, cine, radio y televisión...

Si ahora no se juzga oportuno, ojalá que al menos no se pase el día 8 de diciembre sin que se envíe al mundo otra comunicación del Concilio sobre la materia que más convenga.

13

EXC.MUS P. D. PAULUS DALMAIS

Archiepiscopus Arcis Lamy

Legendo cap. I partis IV schematis *de instrumentis communicationis socialis,* ubi speciatim tractatur de *prelo,* mihi visum est vocabulum « prelum » in sensu nimis angusto usurpatum fuisse. Etenim vocabulum « prelum » ad folia typis impressa tantum hic adhibetur, non vero *ad editiones librorum* designandum.

Cum agitur de diffusione Sancti Evangelii vix aliud medium amplius servitium reddere potest quam typographia.

Nos autem episcopi missionarii qui in regionibus Africae laboramus, admiramur zelum et ingeniositatem fratrum nostrorum separatorum, qui in toto orbe terrarum creaverunt societates editionis et diffusionis Sacrae Scripturae, exempli gratia « Societatem Biblicam Londoniensem ». Vos non latet hanc societatem in omnibus fere linguis vernaculis mundi Sanctissima Evangelia typis mandare et quidem minimo pretio.

In plerisque urbibus regionarum nostrarum, christiani etiam pauperes Sancta Evangelia in librariis protestantibus in lingua sua vernacula edita emere possunt. Ideoque hoc votum proponere velim: Ut, sub auspiciis Sanctae Sedis, creetur Societas quaedam mundialis editionis diffusionisque Sancti Evangelii. Scopus huius societatis esset facultatem omnibus fidelibus etiam pauperibus praebere sibi procurandi Sancta Evangelia modico pretio.

14

EXC.MUS P. D. EUGENIUS DE ARAÚJO SALES

Episcopus tit. Tibicensis, adm. ap. Natalensis

Tres propositiones faciam ad schema *de instrumentis communicationis socialis.*

1. Scimus Concilium Vaticanum II imprimis pastorale esse, temporibusque hodiernis adaptandi conatus. Ecclesia semper evangelizationis formis, diversis temporibus aptis, usa est. In profundis mutationibus dierum nostrorum, media traditionalia divulgationis valde in efficientia minuuntur et frequenter novis mediis substituuntur. Inter quos, sunt media communicationis socialis. Comparative cogitemus de vi tradendi Evangelium, ex una parte in aula ecclesiae, ex alia parte per transmissiones radiophonicas et televisificas, ephemerides et cinematographeum. Attamen, cogitamus saepe ut in praeteritis temporibus, rapida mundi mutatione obliti.

In cap. II, partis II, in n. 44, inseratur, praeter fidelibus commendatio-

nem, exhortatio ut in priore loco habeant acquisitionem vel usum mediorum communicationis socialis aedificationibus non stricte necessariis et aliis formis minus efficientibus apostolatus.

2. Inter magnas vires quae homines hodiernos premunt, invenitur publica opinio. Non raro, adhibetur contra Ecclesiam vel factis et intentionibus deformat. Considerato opinionis publicae momento, videtur necessarium esse schema instantius de hac materia tractare.

In cap. II, partis III, in n. 62, commendatio fiat ut organa agendi in opinionem publicam constituantur.

3. In diversis nationibus quae in evolutione sunt, radiophonia adhibetur ad basis educationem ut cives humane et christiane promoveantur. Idem cinematographa et televisio adhiberi possunt. Magnum incrementum erit a Concilii Patribus adminiculum dare his laboribus, quae magnum momentum habent inter communicationis media in hisce nationibus.

Quae cum ita sint, propono in cap. III, partis IV, in fine, commendationem laborum factorum praecipue per radiophoniam ad basis educationem, ut instrumentum evangelizationis efficacissimum in nationibus non plene evolutis.

In summa, propono commendationem ut prior locus habeatur unus ex modernioribus mediis evangelizationis, scilicet media communicationis socialis; ut organa constituantur ad opinionem publicam internationalem et nationalem pro veritate evangelica dirigendam; ut basis educatio praecipue per radiophoniam includatur ut efficacissimum evangelizationis instrumentum in nationibus non plene evolutis.

15

Exc.mus P. D. GERARDUS HENRICUS DE VET
Episcopus Bredanus

Relate ad schema constitutionis *de instrumentis communicationis socialis,* nomine Conferentiae episcoporum neerlandicae, sequentia generalia notare velim.

1. Antequam Ecclesia in hac re propria sua iura et vota manifestat coram mundo, expediat, immo oporteat, ut ipsa proclamet « iura hominum » et libertatem, qua quisque et quaevis societas (proportione habita relate ad alios coetus eiusdem regionis et praesupposito, quod bonum commune remaneat salvum), gaudeat ut, vitam suam componens cum propria bonae fidei convictione conscientiae, hanc convictionem inter alios propagaret, mediis tamen licitis et honestis. In proponendo haec « iura hominum » Ecclesia, quantum est ex se, nihil aliud facit quam proponere « praeambula fidei », quibus neglectis ipsa fides ultimo in periculum duceretur.

Inde necessarium est, ut in capite huius schematis Ecclesia, tamquam praeco veritatis, aliquatenus exponat quae sit *vocatio* hominum qua uten-

tium talibus instrumentis communicationis socialis. Ex ipsa illa vocatione sequitur responsabilitas hominum.

2. Cum omnia haec instrumenta communicationis socialis intimam anthropologicam structuram habeant atque structuram technicam sui iuris, hac in re peritorum est ut particularia enucleentur. Quibus particularibus Concilium sese non immisceat! Immo etiam quando agatur de usu talium instrumentorum in favorem fidei catholicae, Concilii non est particularia adstruere, cum circumstantiae vitae et societatis humanae in diversis provinciis et regionibus Ecclesiae prorsus diversificentur. Quod uni provinciae Ecclesiae prodest, alteri nocere potest. Relinquendum proinde est Conferentiis (seu coetibus) episcoporum variarum regionum, ut ipsae statuant quaenam structura pro propria regione melior evadat.

3. Relinquatur etiam modus dicendi, quo nomine « viri ecclesiastici » tantum ipse clerus intenditur, acsi laici catholici non essent Ecclesiae, seu minoris valoris aut incapaces responsabilitatis catholicae hac in re. Schema qua tale sapit aliqualem « clericalismum ».

4. Forsan Concilii est ut in protegendo personam humanam et christianam insistat in affirmationem mysterii intangibilis vitae humanae (problema de sic dicto « privacy »). Hac in re mundus et Ecclesia a Concilio exspectant solummodo quasdam res grandes, non minora quaedam seu technica.

16

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis - episcopus Squillacensis

Miranda prorsus et vigilanti cura confectum est a commissione hoc schema *de instrumentis communicationis socialis*: et hoc est in laudem commissionis propter plures rationes, idest: sive propter peritiam virorum in commissionem adscitorum; sive propter novitatem materiae quae prima vice proponitur discutienda Patribus in Concilio Oecumenico coadunatis; sive propter adspectum et animum vere pastoralem quem in lucem ponit; sive propter difficultatem materiae ex una parte et ex alia parte propter multa problemata ordinis moralis et iuridici quae tanguntur et quae varios vitae humanae ordines complectuntur, videlicet religiosum, moralem, civilem, oeconomicum, paedagogicum, culturalem, artisticum.

E mente et consideratione nostra nunquam excidere debet in his omnibus agi *de instrumentis,* quae dum peritiam, intelligentiam et ingenium humanum extollunt in deprehendendis energiis et viribus naturae creatae et in iisdem ad usum vitae humanae technice applicandis, tamen, praecise quia sunt instrumenta, *et* ad bonum *et* etiam ad malum flecti possunt, cum damno saepe ingenti animarum, uti facile omnes scimus. Hinc officium nostrum, ut in hac re auctoritative interveniamus, et vocem nostram coniungamus cum illa

quam multoties Summi Pontifices, in hac re maxime solliciti, elevaverunt ad bonum fovendum et praecipue ad malum cavendum et iuxta possibilitatem praecavendum in hac materia.

Quo efficacius vox Patrum in Concilio adunatorum audiatur, votum promere audeo: ut videlicet huic constitutioni praemittatur quaedam *exhortatio Patrum Concilii Oecumenici,* quae ad omnes dirigatur qui active in his instrumentis applicandis partem habent vel usum moderandi ius et praecipue officium habent. Recolligendo quae sparsa sunt in 114 numeris in quibus dividitur praesens constitutio, verbum fiat ex materna auctoritate Ecclesiae 1) omnibus qui in sublimitate sunt, ut recte provideant iuribus conscientiae humanae tutandae et adiuvandae in possessione veri et boni et in praecavendo malo; 2) omnibus quibus ex ipsa lege naturae Deus concredidit educationem prolis, idest parentibus quoad filios suos educandos; 3) magistris qui in opere educativo familias adiuvant; 4) omnibus aliis qui ex recto usu horum instrumentorum maximum exercere possunt influxum in ordine informationis, culturae etc.; 5) omnibus filiis Ecclesiae inculcetur officium adiuvandi per propriam actionem vel collaborationem ea omnia quae hodie requiruntur ad diffusionem ipsius evangelicae veritatis, ut sermo Dei currat et clarificetur et omnes gentes agnoscant solum verum Deum et Filium eius Iesum Christum Redemptorem omnium.

Tali modo Concilium aperiet omnibus cor et mentem Patrum et omnibus pandet sollicitudinem Ecclesiae ut pari gressu ingenium technicum et publica et privata moralitas possint semper consistere.

Filiis autem Ecclesiae et aliis patebit quid in concreto sentiendum et faciendum sit, percurrendo omnia et singula quae sunt in variis partibus constitutionis huius parata.

Unam animadversionem addere desidero: *ut* videlicet suis locis fortiter inculcetur clericis, sive saecularibus sive religiosis, ne se immisceant rebus pecuniariis, in quibus « gratiam status » certe non habent... producendo scandala lugenda et ruinam pecuniariam multorum; *et* insuper ut qui consiliarii eliguntur circa spectacula etc. optime sciant et applicare valeant principia moralia de cooperatione materiali et formali, praesertim quando agitur de actoribus et de aliis personis quae ad victum sibi quotidianum lucrandum coguntur operam suam praestare in adiunctis moralibus maxime difficilibus. In his verbum a sacerdote prolatum revera multa mala moralia praecavere potest et tranquillitatem animi multis donare.

17

EXC.MUS P. D. MARION FRANCISCUS FORST
Episcopus Dodgepolitanus

Cum alii Patres iam expresserint ea quae mihi proposueram dicere, renuntio loquendi potestati mihi concessae. Liceat tamen mihi has animadversiones facere.

Pars II, cap. I, par. 38.

Ecclesia Christi, suo munere apostolico attento, semper fuit et hodie remanet Mater et Patrona artium. Ratio, absque dubio, sollicitudinis Matris Ecclesiae pro artibus funditur in valore artium et efficientia eorum in docendo et illustrando Evangelium.

Mihi videtur, deinde, ut Ecclesia debet esse, praesertim in hoc tempore mutationum, patrona « artium viventium » (vulgo dicto: « Lively arts »).

Divinus Redemptor noster non reiecit signa et mirabilia ad suam doctrinam confirmandam. Passio et mors crucis electae sunt a Christo sicut medium invitandi attentionem hominum ad mysterium Redemptionis. Certo certius non esset infra dignitatem Ecclesiae Christi commendare, sustentare et uti mediis modernis communicationis.

Proinde vellem proponere quae sequuntur:

Sancta Sedes industriam communicationis ad adiuvandum opus Ecclesiae.

a) Ephemerides — dictae — « L'Osservatore Romano » publicentur in singulis hebdomadibus, imprimantur in linguis maioribus et distribuantur in multis nationibus (secundum exemplum « Time » et aliorum ephemeridum).

b) Radio Vaticana praeparet diffusa radiophonica distribuenda ad usum omnium nationum.

c) Apostolica Sedes societatem ad producendas et distribuendas pelliculas cinematographicas et televisivas inter omnes nationes aedificet.

d) Apostolica Sedes utatur ingeniis laicorum vere peritorum.

e) Productiones istae debent esse secundum optimum valorem technice aequales productionibus peractis a potestate civili vel ab industria privata.

f) Sustentatio et gubernatio horum operum ponantur sub administratione laicorum vere peritorum in methodis modernis.

g) (vulgo dicto...) The industry should be soundly financed and be made self-supporting, and if necessary should be established as a legal corporation with permission to sell " stock".

18

Exc.mus P. D. RAPHAËL GONZÁLEZ MORALEJO
Episcopus tit. Dardanus, aux. Valentinus

A) *Circa schema in universum.*

Observationes generales:

1. Nimis longum est. Potest et, iuxta omnes Patres qui hucusque locuti sunt, debet brevius fieri; et quidem dimidia longitudine posset eadem dicere. Quomodo id fiat infra ostendam sub littera B.

2. In decurtanda redactione serventur summa principia, nec ad particularia descendatur, neque inutiliter repetitiones fiant.

3. Redigatur ordine magis systematico, prospiciendo tum doctrinae ipsius, tum praesertim contentui et fini pastorali.

Observationes magis singulares:

1. Perspicue significetur, maxime in ipso prooemio, exponi hic non solum doctrinam Ecclesiae, sed doctrinam quae postulata rationis plene sequitur, quam ipsum sociale bonum exigit, quam denique consulunt commoda ipsa illorum qui his instrumentis utuntur et lucrantur.

2. Si et Ecclesiae doctrina et ipsa ratio docent laborem « nullo modo posse pro merce quapiam duci, utpote qui ab humana persona proxime procedat » (*Mater et Magistra,* n. 18), multo magis haec valent de servitiis per haec instrumenta oblatis, siquidem ad animi bona spectant. Dicatur igitur in schemate praestationem horum servitiorum vel productionem horum bonorum nullo modo posse lege mercatorum regi (id est lege offerentis et demandantis), velut si bona essent quae absolute clientium desiderio essent adaequanda. Esto sane ut qui haec bona vel servitia producit, sive Status sive persona privata est, legitimum quoddam lucrum persequatur; at nusquam liceat unicum lucrum persequi, reiecta quavis lege morali. Caveatur ergo ab hoc lucrandi studio, quae si non unica, praecipua procul dubio est causa et radix damnorum et periculorum quae in usu horum instrumentorum reperiuntur.

3. Easdem ob causas censeo exponendam esse opportuno loco dilucidam et systematicam doctrinam de officiis Status vel auctoritatis civilis circa haec instrumenta: ratione enim proprii muneris promovere et custodire tenetur bonum commune totius societatis.

4. Deberet Concilium Officio Sanctae Sedis committere instituendam agentiam catholicam nuntiorum, itemque inceptum aliquod pelliculis cinematographicis producendis. Ad id opera esset adhibenda eorum qui hac technica maxime eminent, pecunia autem petenda ab iis quos fortuna grandioribus copiis ornavit. Agentia haec et opus cinematographicum hoc, possent esse testimonium fecunditatis Concilii et pretiosissimus huius schematis fructus.

5. Inculcandus expressius est in schemate profundus influxus quem haec instrumenta in pueris praesertim et adolescentibus exercent, id enim vel positive vel negative, in bonum commune societatis universae redundant. Excitetur ergo conscientia publica, praesertim civilium auctoritatum vel illarum publicarum aut privatarum personarum a quibus haec instrumenta maxime pendent, patrum potissimum et educatorum, nec non associationum apostolatus laicorum, circa summum horum instrumentorum momentum in recta et idonea formatione futuri hominis, et praecipue circa pericula, etiam ordinis temporalis, quae ex eorum recto usu proveniunt.

B) *Quo modo possit schema brevius fieri.*

Schema ultime constaret prooemio sive introductione generali, et quattuor capitibus, ut sequitur:

1. In prooemio cogenda essent breviter quae ex hoc prooemio valent et quae in cap. I, partis I reperiuntur. Prae oculis habeantur quae supra, inter observationes magis singulares, innui sub n. 1.

2. Capp. II et III partis I constituant unicum primumque caput, cui titulus esse posset: « Principia moralia circa usum horum instrumentorum ».

3. Duplex caput alterius partis conficiat alterum caput novae redactionis.

4. Utrumque caput partis III efformet tertium caput.

5. Quattuor capita partis IV, si substantialiter in simpliciorem formam redigantur, caput IV constituant.

6. His capitibus praeponendi essent iidem tituli qui nunc partibus singulis praeponuntur.

Ut autem recte fiat contractio, habeantur prae oculis haec quae sequuntur:

C) *Observationes ad singulas partes.*

1. Non schema solum in universum, sed omnes et singulae etiam illius partes in simpliciorem et breviorem formam redigi possunt et debent.

2. In *prooemio,* in par. 4, lin. 31, pag. 205, ubi dicitur « praecipuas quaestiones » dicatur « eas praecipuas quaestiones ». Pag. vero 206, lin. 1, post « expendendas esse » addatur « quae ad rectum eorum usum, sub lumine naturalis rationis christianaeque doctrinae, pertinent ».

3. Ad *partem I, cap. I.* Sub nn. 7, 8, 9 agitur de iuribus et officiis Ecclesiae circa instrumenta communicationis socialis. Ius autem et officium docendi normas morales satis declarantur sub n. 7; addenda vero essent quaedam de officio Ecclesiae informandi circa vitam propriam propriasque activitates, nec non creandi aequam et rationabilem opinionem publicam circa illas quaestiones quae liberae disceptationi permittuntur.

Quod attinet ad ius adhibendi haec instrumenta (quod sequitur ius docendi) sufficeret summaria quaedam ipsius significatio, si tamen simul adderetur agi de iure fundamentali quod quaevis exculta societas institutis privatis educationis agnoscit. Ius vero strictum utendi ea instrumenta communicatio-

nis quae ad Ecclesiam non pertineant, ni fallor, tum tantum valet cum — ut frequentius in dies accidit — haec instrumenta a Statu penitus arripiuntur vel exclusive in manus quorundam privatorum sinuntur, inducto monopolio.

4. Ad *cap. II,* eiusdem partis I. In n. 12 non tam loquendum esset de primatu ordinis moralis, quam brevissime affirmandum: « Cum Ecclesiae intersit praecipue aspectus moralis, qui omnes alios supereminet, immo etiam et subdit, in hoc capite (quod esset I in breviore schemate) ordinate innuuntur praecipua principia circa usum horum instrumentorum ».

Supprimatur deinde n. 13; et, commendato breviter peculiari momento morali horum instrumentorum, scilicet: *a*) ob eorum vim fascinatoriam (n. 14); *b*) ob effectum quem exercent in magnas hominum catervas (ibidem); *c*) ob efficacitatem qua capiunt diuturnam attentionem utentium (n. 15); *d*) quia plerumque bona spiritualia in his directe tanguntur; *e*) quia indiscriminatim ad personas cuiuslibet aetatis aut formationis ethicae et intellectualis perveniunt (n. 17); *f*) et quia in ipsa domorum penetralia facile penetrant (n. 57); *g*) exercendo verum *pressum collectivum,* ... concludendum esset, simpliciter et breviter normas morales acceptandas esse ab his qui haec instrumenta vel possideant, vel regant, vel administrent (usus activus); ab his qui eorum influxum patiantur (usus passivus); ab his qui bono sociali prospicere tenentur, id est, ab auctoritatibus civilibus (vide partem IV, c. III, nn. 95, 96, 97).

5. *Capp. II et III,* resumenda et fundenda sunt ut unum caput I ex eis exurgat, in quo enuncientur principia moralia quibus regatur:

a) Usus activus. Hic animadvertenda sunt quae supra innuimus, inter observationes magis singulares, sub litt. A, n. 2.

b) Usus passivus. Hic animadvertenda sunt plura:

1) Christianos, et in genere cordatos homines, plurimum posse — siquidem ipsi his instrumentis utuntur — ad exigendam in eis rectam moralitatem.

2) Christianos, vel saltem catholicos, teneri normis et consiliis ipsius Ecclesiae; illos etiam quibus minimum vel nullum periculum sibi vereantur (parte III, c. I, nn. 53-54; parte IV, c. II, nn. 91-92).

3) Laudandos esse qui has Ecclesiae normas diffundant, v. gr. folia diaria quae singulorum programmatum valorem moralem enuntiant.

4) Obnitendum saepe et reclamitandum apud quos oporteat, quoties programmata moralitatem publicam laedant: hac vero obligatione teneri praesertim laicos eorumque consociationes, magistrorum praesertim, educatorum et patrumfamilias (aliquid simile innuitur parte IV, c. III, nn. 100, 101, 102).

c) Officia et iura civilis auctoritatis. Quae passim per schema sparsa sunt circa interventum auctoritatis civilis, huc cogi deberent: ex parte I, c. I, n. 21; ex c. III, nn. 31, 32, 33; ex parte IV, c. I, n. 79; c. II, n. 93; c. III, n. 99).

In cap. III huius partis I, n. 31, lin. 6, post « defendere atque tutari »,

addendum esset: « aequam veritatem et caritatem defendere, tam sese quam alios avertendo ab omni partialitate vel deformatione in informationibus dandis, et rite compescendo inordinatam cupiditatem perscrutandi, immo et publicandi, intima privatorum; adaequatam formationem peritorum in his mediis communicationis promovere ».

6. Ad *partem II* (quae efformaret alterum caput novi schematis) in c. I inculcanda haec sunt:

Ecclesiam comparare debere ad haec munera alacres viros, praesertim laicos apostolos;

opes ad hoc apostolicum opus, tum technicas, tum pecunias ipsas, a christifidelibus esse praestandas (de his aliqua dicuntur in c. II huius partis II);

hanc autem opem extendi praesertim debere ad opus missionarium Ecclesiae, inter gentes non satis ad cultum et humanitatem, necnon ad oeconomiam socialem evolutas (de his quoque aliqua, etsi minima, dicuntur in parte IV, c. III, n. 105).

7. Ad *partem III*. Caput I multo strictius enunciari potest. Caput vero II ad binas lineolas redigi, in quibus tamen duplex munus significetur oportet:

a) munus secretariatus a Sancta Sede dependentis et Officiorum dioecesanorum, ab episcopis dependentium.

b) Munus Officiorum nationalium vel internationalium.

His duobus capitibus conficeretur c. III novi schematis.

8. Ad *partem IV*. Integra pars radicitus reformanda est, ita ut singula capita singulas paragraphos constituant unius capitis, quod erit IV novi schematis.

19

Exc.mus P. D. IOSEPH GOUPY

Episcopus Blesensis

Quatuor, ad summum, momenta satis erunt ad factum primo exponendum, ad applicationes tres exinde eruendas tresque conclusiones. Quatuor, dico, momenta, cum pretiosissimum semper sit episcoporum tempus, maximeque in hac Synodo in qua quodlibet momentum quinquaginta millia lirarum valere dicitur.

1. Sit factum istud: mundus noster hodiernus, speciali modo societates politicae, pro maxima parte, christianae non sunt. Stationes insuper fere omnes radiophoniae ac televisionis in manibus guberniorum sunt, sive laicorum sive atheistarum, vel commercialium societatum quarum unica lex, vel praecipua, lucrum.

2. Applicationes vero tres hae sunt:

a) Primordialis igitur hac in re, etsi non exclusiva, est pars laicorum christianorum ad quos attinet consecratio mundi.

b) Omnimodo inde exurgit necessitas ut formationem accipiant viri technici auxiliumque inveniant apostolicum ut suo fungi valeant officio, ethicam naturalem saltem sequendo, ipsamque, si fas est, promovendo.

c) Obligatio nobis incumbit non adultos tantum informandi educandique, sed et adolescentes tam in catechismis quam in scholis et etiam in seminariis.

3. Consequentiae tandem tres veniunt:

a) Prima pars schematis de doctrina Ecclesiae cum tribus suis capitulis, in unam vel duas paginas contrahi posset, in quibus, effective, de officiis etiam Ecclesiae et non tantum de iuribus tractaretur.

b) Secundam partem et tertiam, in unam redactas, positivam praebere oporteret doctrinam de informatione, prae oculis semper habendo mundum hunc prorsus areligiosum existere.

c) Quarta vero pars, et ipsa contracta, principia enuntiaret ad educandos necessaria lectores, auditores et telespectatores, non omittendo interim actionem in auctores et productores, discrete et efficaciter, exercendam.

Conclusio. Palam ostendere posset Sancta Synodus quanti facit instrumenta communicationis socialis per sua nuntia, vulgo « communiqués de presse », diariis largius facta.

20

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

In genere schema laudandum est. Mihi pergratum est. Tamen vehementer optarem:

1. Ut urgeatur quam maxime *necessitas et obligatio* laicorum cognoscendi *Ecclesiae iura* super haec et similia instrumenta communicationis socialis, quae saepe *Ecclesiae* negantur et solummodo *civili potestati* conceduntur.

2. Ut definiatur clare et praecise conceptus preli catholici ut vitentur confusiones et statuantur obligationes quae ipsi incumbunt, non solum quoad defensionem et diffusionem doctrinae catholicae, sed etiam quoad propagandam (nuntia), quae multoties fit modis et imaginibus parum honestis.

3. Ut proponatur quodnam sit ius Ecclesiae interveniendi in prelo, quod dicitur catholicum, etiamsi non sit prelum proprium Ecclesiae catholicae.

4. Omnia haec etiam desiderantur de ceteris instrumentis communicationis socialis.

Velit Deus ut omnia prospere procedant.

21

Exc.mus P. D. CAROLUS M. HIMMER

Episcopus Tornacensis

N. 5 (pag. 206). Loquitur hic articulus de spe *approbationis* ex parte omnium hominum bonae voluntatis, etsi non christianorum.

Nonne etiam exprimi oporteret spes *adiutorium effectivum* ab iisdem recipiendi?

Hoc in problemate, speciatim si attenditur ad eius dimensionem internationalem, statim apparet orientationes sanas v. g. in productione « pellicularum » (films) efficaciter obtineri non posse nisi collaborando cum omnibus hominibus honestis, etiam non catholicis, nempe cum protestantibus et omnibus fratribus separatis, immo cum non christianis, ut musulmanis, spiritualistis ex hinduismo provenientibus etc.

Nn. 39-42 (pag. 222 et 223). Quaedam haesitatio fit possibilis quando legitur art. 42. Quaeritur utrum vox « imprimis » in initio articuli posita cadat super subiectum propositionis, scil. « laici » (correlative et modo adversativo ad sacerdotes et religiosos in n. 41 citatos) an super verbum « debent »?

Optaretur in omni casu quod affirmatio esset *magis explicita* circa missionem ac functionem primariam laicatus quando agitur de operibus specifice temporalibus seu profanis, salvo munere consilii moralis quod proprie sacerdoti competit.

Sic, in n. 41, lin. 3, in illa enumeratione futurorum moderatorum *technicorum,* non bene intelligitur cur omnes, scil. sacerdotes, religiosi et laici *aequali modo* et *indiscriminatim* citantur.

Econtra in n. 59, lin. 8, quando fit quaestio de nominatione membrorum Officiorum nationalium, textus postulat ut ad haec munera seligantur praesertim viri laici. Similiter quando de ferendis supra pellicula iudiciis ordinis moralis fit quaestio (n. 90), commendatur adhuc ut membra Officiorum ad hoc ordinatorum « seligantur e laicis » praesertim.

Si ergo Concilium etiam responsabilitates ordinis moralis laicis conferre intendit, cum directivam praecisam et explicitam non daret quod in hac materia responsabilitates technicae *praeprimis* a laicis assumendae sint. Experientia enim docet non esse sine periculo illam praxim sacerdotum et religiosorum qui nimis in moderamine etiam sub aspectu technico cinematographei et aliorum spectaculorum sese impendent.

22

EXC.MUS P. D. ERASMUS HINOJOSA HURTADO

Episcopus tit. Bosetanus, coad. c.i.s. Piurensis

Ius loquendi in hac magna assemblea postulavi ut tantum humilem votum meum patefaciam.

Pars malorum quae hodiernae nostrae societati efflagitat originem sumit a proliferatione pornografiae libellorum, pravi preli, cinematographi, radio et televisionis. Hisce et ephemeridibus quae sensus valde commovent et quae vulgo dicuntur « sensationales » refertur « schemata constitutionum et decretorum » huius Concilii in pagg. 204 et 206, sub nn. 68 et 76, respective.

Omissis aliis considerationibus in re tanti momenti, quas omnes ignoscent, audeo petere huius magno coetui ut si opportunum visum fuerit, pronunciet clare, expresse et cathegorice, Ecclesiam nunquam transigere in huiuscemodi communicationibus socialibus. Indubium est quot haec definita positio Concilii Oecumenici Vaticani II coram christiano populo beneficam reactionem psychologicam obtinebit quandoquidem omnes spectant huius coetus orientationes ut remedia sint spiritualibus infirmitatibus hominum. Procul dubio etiam haec monita stimulus erunt hominibus bonae voluntatis ut pro viribus rectum cursum diversis mediis communicationis imprimant.

23

REV.MUS P. D. IOANNES-M. HOECK

Praeses Congregationis Bavaricae O.S.B.

Peto licentiam proferendi sequentes observationes ad schema *de instrumentis communicationis socialis.*

Tres breves observationes vel potius vota liceat proferre ad schema propositum:

1. Si, uti in n. 21 huius schematis exponitur, societas humana habet ius ad convenientem informationem, et rectum exercitium huius iuris expostulat, ut eiusmodi informationes vel communicationes « in suis obiectis sint integrae, ne scilicet substantia rei nuntiatae, in nuntiis seligendis vel supprimendis, iniuste mutiletur vel mutetur », et si tales informationes ab aliis exspectamus et poscimus, nonne etiam nos ipsi bonum exemplum praestemus oportet, puta in commentariis officialibus, quae de S. Concilio communicantur e. gr. in ephemeride *L'Osservatore Romano*. Sed, proh dolor!, quae ibi leguntur, e. gr. de illa suffragatione super schema de fontibus revelationis, non semper correspondent illis postulatis, quia non praebent veritatem integram, sed truncatam, mutilam, mystificatam et ideo in errorem ducunt. Nonne talis

modus informationis necessario fiduciam destruit et risum atque despectum movet?

2. Cum iam sermo sit de *L'Osservatore Romano,* forsan et hoc iuvat notare, stylum huius ephemeridis, sicut ceteroquin stylus curialis in genere, esse omnino obsoletum, antiquatum nec decere Ecclesiam Christi. Est enim stylus aulicus, nimis superlativisticus, nimis unctus, ne dicam servilis et adulatorius, ex una parte, et spiritum elationis sapiens ex altera, ita ut multis sit nauseae et scandalo. Utique honore invicem praeveniendum et reverentia omnibus auctoritatibus exhibenda, sed modo intrinsece vero, discreto, sobrio, ieiuno.

3. Tenor positivus huius schematis nonne aliqualiter contendere videtur cum nonnullis prohibitionibus et sanctionibus Synodi Romanae, quae sub poena suspensionis a divinis cuilibet clerico in sacris interdicunt spectaculis cinematographicis adesse in locis, qui ab auctoritatibus ecclesiasticis neque pendent neque approbata sunt. Si omnes aulae publicae sunt revera tam nefandae et periculosae, nonne etiam laicis erant interdicendae et nonne etiam omnia scrinia televisifica? Nonne praestaret mala potius spectacula vetare, v. gr. illa, quae a competenti auctoritate ut « vitanda » aut « exclusa » indicantur, quam omnia publica spectacula globatim sumpta?

24

Exc.mus P. D. IULIUS GEORGIUS KANDELA

Archiepiscopus Seleuciensis pierius, aux. patr. Antiocheni Syrorum

Dominus Iesus postquam per multum tempus sine verbis sed solo ipsius vitae exemplo praedicavit — ad quam praedicationem exemplo pastorum ac populi patrum factam, in schemate alludere valde opportunum fuisset, memores adagii « verba movent, exempla trahunt » —, post illam mutuam, ergo, praedicationem, tantopere locutus est sive monti insidens sive mari, sive in deserto sive in domo, ut apostolus Ioannes Evangelio suo hunc finem imposuerit: « Sunt autem et alia multa, quae fecit Iesus; quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros ».

Hoc mirabile testimonium nobis ostendit quanta cura etiam apostoli et eorum successores conari debeant ut universam terram repleant eorum testimoniis evangelicis, verbis ac scriptis, ita ut in toto orbe terrarum diffundatur Evangelium Domini, eius verba et opera.

Quo melius hoc obtineatur, liceat mihi submittere sequentes observationes:

1. Omnes episcopi quibus incumbit munus annuntiandi Evangelium hoc hodie facere deberent a tectis, terra marique! Quare omnis episcopatus deberet prae manibus habere, in quantum fieri potest, id quod principale est instrumentum communicationis socialis, sc. typographiam quae illis semper

servitio esse queat. Athei et Ecclesiae adversarii nos superant in isto campo preli. Quare optimi laici ac sacerdotes pro hoc tam salutari opere adhibeantur oportet.

2. Maximi momenti mihi videtur ut in omni dioecesi adsit quaedam argenti summa, unice editioni Evangelii sed et reliquae Scripturae destinata, ita ut hi libri distribui possint gratis: « Gratis accepistis, gratis date ». Revera opprobrio dignum est nos catholicos semper vendere verbum Dei, id est libros qui illud continent!

3. Post Evangelium liber maxime necessarius est Missale, liber liturgicus per excellentiam, qui explicandus et commentandus esset modo catechetico. Huius libri divulgatio perficit doctrinam catecheticam in scholis vel familiis receptam. In ecclesia idem liber semper aliquo genuflexorio vel cathedra collocatus unicuique praesto remanere deberet.

4. Ob easdem rationes, sc. ut fidelibus verbum Dei semper accessibilius fiat, facilior reddatur assistentia missae dominicalis ac festivae. Quamvis ergo dies dominica mihi computandus non videtur a sabbati vespere usque ad vesperam sequentem, tamen exsecutioni mandandum censeo quoddam consilium ab aliquo Patre datum, ut sc. tempus utile ad satisfaciendum obligationi missae audiendae ita extendatur ut etiam assistentia missae vespertinae diei sabbati iam sufficiat.

25

Exc.mus P. D. CASIMIRUS IOSEPH KOWALSKI
Episcopus Culmensis

Circa prooemium schematis *de instrumentis communicationis socialis* humiliter praesento votum, ut nempe haec media, uti omnes inventiones technicae appellentur « fructus Sanguinis Christi Redemptoris ».

Ratio: 1. Christus per passionem et mortem suam anathema peccati originalis delevit et per consequens fundamenta possibilitatis et realitatis progressus scientiarum experimentalium et technicae posuit cum ex parte hominis tum ex parte naturae universi.

2. Ipse progressus scientiarum et technicae realisatur ope continui influxus Sanguinis Christi in sacrificio Missae oblati. Inde actualitas Litaniae de Pretiosissimo Sanguine D. N. I. Christi.

Ideo clarius apparet ius nativum et officium Ecclesiae utendi his mediis communicationis socialis pro fidei et vitae christianae dilatatione. Altera ex parte moralis malitia abusus horum instrumentorum evidentior fit.

Quapropter peto ut in pag. 205, n. 1 post verba « technicae artis inventa » inseratur « uti veri fructus Sanguinis Christi Redemptoris ».

26

Exc.mus P. D. GEORGIUS MANRIQUE
Episcopus Orurensis

Maxime peropportuna nobis videtur conciliaris tractatio de instrumentis communicationis socialis. Cum enim constitutione *de sacra Liturgia* splendor Ecclesiae in suo cultu monstratur, praesenti hac constitutione Ecclesia, vere Mater et Magistra, splendorem noviter adinventorum inculcat, praesertim in suo culmine et apice, nempe in communicatione Evangelii (« boni nuntii ») et in dignitate spirituali et christiana hominum fovenda.

Certe saeculo hoc nostro mundus in novum historiae cursum flectitur. Et quidem onus praedicandi Evangelium nobis incumbit etiam in hac aetate technicae et atomi, adhibendo omnia media necessaria vel utilia.

Schema constitutionis *de instrumentis communicationis socialis* maximam actualitatem prae se fert. Vere indoli pastorali imbuitur. In rebus enim theologicis maxima doctrina iam habetur declarata ab aliis Conciliis, ita ut Concilium Vaticanum II tantummodo curare debeat ipsam exponere « prout tempora postulant nostra » (Ioannes XXIII in adlocutione die 11 octobris dum Concilium sollemniter inaugurabatur); sed in hac materia adhuc desideratur doctrina conciliaris, quam Sancta Synodus perfecta ratione exponere valet. Maximum ergo gaudium nobis adveniet approbatione huius schematis. Concilium hac ratione loquetur non modo atemporali, sed concreto, scilicet, hominibus nostri saeculi.

Dum ergo maximas laudes auctoribus schematis referam, nonnulla indicanda censeo ad perfectionem idearum quae in eo continentur.

Et imprimis insistendum videtur in actione laicorum in hac materia communicationis socialis. Schema recte procedit dum haec saepissime memorat, v. gr. in n. 59, de officiis ecclesiasticis nationalibus; in n. 80, de prelo catholico, et in aliis id genus.

Et merito quidem. Actio enim clericorum ad efformandos atque instruendos laicos in doctrina Ecclesiae sub aspectu dogmatico, morali, sociali quammaxime tendere debet. Quidquid ergo dicatur et fiat de creatione facultatum in magnis Universitatibus catholicis, de scholis ad integram formationem catholicam effectorum communicationis in prelo, radiophonia, cinematographeo, televisione, nobis videtur maxima laude dignum, nostro plausu probandum.

Immediata autem executio practica eorum fere omnium quae ad communicationem socialem sese referunt, ad laicos pertinere dicenda est. Diffusio enim technicam haud parvam supponit, cognitionem immediatam circumstantiarum populi et nationis postulat. Quae omnia efficaciore modo fient a laicatu catholico, vere suae conditionis conscio, sine actione immediata fortasse absorbente clericorum. « Nos autem orationi et ministerio verbi instantes erimus ».

Deinde, minime supervacaneum erit indicare cum sacri pastores iudicent, prout dicitur in n. 40, bono Ecclesiae convenire uti iuri suo libere condendi propria communicationis socialis instrumenta, oportere ut haec sint indolis vere apostolicae et quidem non tantum modo negativo sed etiam positivo.

Dolendum quammaxime esset de creatione alicuius instrumenti diffusionis socialis ex parte hierarchiae quod postea non ad christianam educationem et ad omnem de animarum salute operam praestaret, sed ad meram aemulationem atque imitationem iam existentium sive ex parte Status, sive ex parte privatorum. Sit ergo alta mente repositum principium n. 7: « Ecclesia catholica proprium munus circa hodierna communicationis socialis instrumenta vindicat: munus scilicet nuntium salutis, his instrumentis adhibitis, praedicandi, et homines de eorum recto usu docendi ».

Tandem, desideratur caput quoddam de iure informationis intra muros Ecclesiae.

Neminem latet in Ecclesia, salva semper unitate fidei, non paucas adinveniri posse opiniones legitimas tum in percipiendis tum in iudicandis factis et systematibus.

Non raro unica reactio hierarchiae positionem mere negativam praebet, quin ulla remaneat possibilitas ad illas legitimas, licet opinabiles, ideas efformandas atque divulgandas.

Ecclesia non tantum iura, sed etiam officia erga fideles habet. Fortasse non tantum praedicandi evangelium, sed etiam dirigendi et, in suo casu, etiam creandi talem opinionem publicam. Manente igitur secreto, quammaxime utili in nonnullis rebus, Ecclesia informare debet suos filios de sua activitate et quidem modo vere sincero. Veritas neminem lateat. Veritas liberabit vos. Ecclesiae filii etiam ius habent ad informationem de iis omnibus quae singulis vel coetibus secundum conditionem suam membrorum Ecclesiae ipsis conveniunt. In Concilio altum silentium de hac re minime observandum videtur. Ita censeo.

27

Exc.mus P. D. EMMANUEL MARENGO
Episcopus Azulensis

A laudibus abstinere volo, quia iure meritoque ab aliis enunciatae sunt. Meam mentem ergo statim aperiam:

Schema hoc ad exiguas dimensiones reduci potest et debet, nam:

1. Est nimis extensum (quasi per 50 paginas diffunditur), non concisum, repetitionibus plenum, atque praesertim non clare ordinatum, ut patere omnibus puto.

2. Videtur Syllabus quaedam documentorum Summorum Pontificum, quae quidem optima sunt sed non necessario a Concilio Oecumenico reiterari debent.

3. Quaestiones morales quae tanguntur, data opera, in capp. II et III partis I (pagg. 212-220) atque iterum postea in parte IV (pag. 233 et sequentibus), ubi de singulis instrumentis communicationis socialis agitur, melius omnino atque connaturalius in aliquo schemate theologico de ordine morali tractentur oportet, ubi earum resolutio ad principia *positiva* vitae christianae clarius pateat. Secus tota tractatio adspectum quendam negativum prae se fert, ut videre est, v. g., in nn. 14-18, pag. 212 et sequente, et in n. 90, pag. 240.

4. Partes III et IV (pagg. 227 ad 245), ubi de disciplina ecclesiastica et de quibusdam communicationis socialis instrumentis singillatim consideratis agitur, codex quidam videtur, cuius promulgatio atque discussio non pertinet ad Concilium Oecumenicum. Deinde schema in quaedam minuta atque particularia descendit quae sive Officio Sanctae Sedis, sive Conferentiis episcopalibus, immo singulis episcopis ut infra dicetur, melius relinquentur solvenda. Immo quaestiones quaedam disciplinares tanguntur quae non ab omnibus eodem modo solvuntur nec solvi forsitan debent. Exempla afferuntur aliqua:

a) in parte III, cap. I, n. 51, littera *b*) (pag. 227), lex fertur circa approbationem obtinendam peculiarem ab inceptis vel operibus quae passim catholica existimantur; forsitan melius erit pro adiunctis talem approbationem expresse non exigere de iudicio episcopi;

b) in parte IV, cap. II, n. 91 (pag. 240, lin. 28 et sequentibus), modus quidam se obligandi ad cinematographeum pravum non adeundum proponitur, Deo facta promissione, qui omnino particularis est et difficillime in aliis rerum adiunctis applicabitur.

Ergo: Schema ad haec tantum proponenda limitetur, quae sola videntur esse materia conciliaris, ceteris omissis. Et quidem:

1. Fiat declaratio aliqua de positivo valore instrumentorum ut donorum Dei et ut inventa vere bona sint humano progressui, id est, in seipsis considerata; neque solum valent ut media apostolatus Ecclesiae, ut exc.mus D. Zazpe, ep. Raphaëlensis nuper proposuit.

2. Potius quam de iuribus atque officiis Ecclesiae circa eadem communicationis socialis instrumenta, sermo fiat de materna eiusdem sollicitudine tam erga ipsa instrumenta quam erga homines instrumentis utentes, ut em.mi card. Bea et Léger optime proposuerunt.

3. Declaratio de iure ad informationem, parte I, cap. III, n. 21 (pag. 214) contenta, omnino retineatur quia optima est. Addatur tamen oportet paragraphus quaedam de eodem iure in Ecclesia existente utpote societate perfecta, et de sic dicta *publica opinione* in eadem Ecclesia efformanda atque fovenda iuxta mentem Pii XII in Sermone ad Conventum internationalem scriptorum ephemeridum catholicarum die 15 februarii 1950. Consequenter habebitur inter hierarchiam, clerum et populum christianum vera animi mentisque communicatio, qua gubernium omni ex parte facilior atque humanior evadet.

4. Participatio laicorum in dirigendis instrumentis communicationis socialis magnopere efferatur, nam est opus praesertim laicorum, quibus competit, iuxta doctrinam Pii XII omnibus notam, *consecratio mundi.* Non ergo, ut in schemate fit, sermo esse debet de laicis assumendis ad Officia nationalia vel dioecesana integranda (cf. parte III, cap. II, n. 59, pag. 230; parte IV, cap. II, n. 90, pag. 240, lin. 20 et seq.), sed de illis declaratio fiat gestionem instrumentorum communicationis socialis ipsos praeprimis respicere non clericos.

5. Placet quod parte III, cap. II, n. 57 (pag. 232) proponitur, nempe: Officium Sanctae Sedis de re cinematographica, radiophonica, televisifica, a Sanctissimo Domino nostro Ioanne XXIII in stabile ac permanens nunc evectum, ad omnia instrumenta communicationis socialis munus suum extendere debere, atque hoc declaretur oportet in schematis nova redactione. Sed ita quidem ut haec duo prae oculis habeantur:

a) ut coetus peritorum ex universo orbe illi Officio constanter operam suam praestet, nam condiciones diversissimae sunt in diversis regionibus. Exemplum sumatur de coetu in schemate *de sacra Liturgia* nuper proposito;

b) ut competentia Conferentiarum episcopalium etiam hac in re clare atque iuxta modum largiter definiatur.

6. Huic denique Officio expresse relinquatur solutio quaestionum de disciplina usus instrumentorum quae valde implexa est et minime uniformis esse potest nec debet. Sic partes III-IV omittantur.

Hoc solo modo videtur mihi materia in schemate proposita a Concilio Oecumenico tractari debere, salvo meliore iudicio.

28

Exc.mus P. D. OWEN McCANN

Archiepiscopus Capetownensis

Schema *de instrumentis communicationis socialis* in genere placet, quamvis nimis longum appareat. Credo quod melius esset si principalia modo plus emphatico ponerentur. Scio quot labores expenderunt sodales commissionis praeparatoriae, et deserviunt nostram gratitudinem. Nihilominus cogitandum est quod documentum istud mundo in favorabilissimo modo praesentari debet.

Ideo credo quod obligatio socialis in usu instrumentorum maximam attentionem et tractationem meritat, ita ut beneficia quam maxima obtineantur. Sunt enim organa iure publico imbuta et utendi sunt ab eis qui ea vel possident vel dirigunt semper in luce istius characteris publici.

Porro, quia sunt istius naturae publicae homines qui cum omnibus mediis adlaborant conscii esse debent obligationis personalis ad veritatem sta-

tuendam vel prosequendam. Quaedam appellatio seu exhortatio eis speciatim dirigi debet.

Credo etiam quod difficultates fratrum nostrorum in Ecclesia « Silentii » specialem mentionem requirunt. Vindicatio iurium eorum in relatione ad media communicationum hodiernarum mihi videtur amplius in luce poni debet.

Etiam mihi videtur quod pro Ecclesia in dioecesibus nuper erectis seu in missionibus organum quoddam centrale erigi debet ad episcopos adiuvandum ut isti omnia instrumenta communicationis socialis in apostolatu cum maximo usu introducere possent.

29

EXC.MUS P. D. IOANNES IOSEPH McCARTHY

Archiepiscopus Nairobiensis

Pag. 235, lin. 3. Addatur verbum de annuntiationibus ad emptores conciliandos (vulgo: avvisi) impudicis, praesertim quod attinet ad earum influxum in iuvenes.

Pag. 236, lin. 19. Explicite condemnandi sunt illi qui quemlibet interventum potestatis civilis de industria reiiciunt, ut saltem sciant se doctrinae Ecclesiae sese opponere.

Improbentur pariter rationes vel praetextus quibus sententiam fulciunt, ut sunt libertas preli, et alia id genus.

30

EXC.MUS P. D. MICHAËL NTUYAHAGA

Episcopus Usumburaensis

Habete me excusatum si audeo loqui post tantos et tam eminentes oratores. Iam multum multaque dicta sunt de instrumentis communicationis socialis, attamen, mihi opportunum visum est melius in lucem ponere suggestionem aliquam iam factam in hac aula.

Loqui volo de necessitate formationis et informationis in campo instrumentorum communicationis socialis.

Munus Ecclesiae est conducere gregem suum « instando opportune et importune in omni patientia et doctrina ». Hoc valet in omnibus quae ad doctrinam et mores pertinent, maxime ergo quoad usum instrumentorum communicationis socialis.

In regionibus nostris Africae autem, haec quaestio specialem acuitatem habet. Iam non multum plus quam quinquaginta annos est quod vas usque

tunc clausum regionum nostrarum apertum est ab hominibus ex occidente surgentibus. Hi homines secum tulerunt culturam, linguam, fidem, mores atque technicam pro populis nostris prorsus alienam. Haec omnia velociter irruperunt, immo summerserunt mole semper crescente, vitam publicam atque privatam totius populi nostri. Hodie quasi ubique inveniuntur publicationes impressae omnis generis, radio sic dictae transistores, necnon cinema, et ut putamus cras erit regnum televisionis.

Ea quae fiebant decursu multorum saeculorum in Occidente, brutaliter, quasi una die apud nos facta sunt. Inde grave periculum!

Nationes quae saturatae sunt mediis communicationis socialis novum exitum suarum productionum invenerunt! Praesertim fabricatores horum mediorum et dispensatores novas possibilitates acquirendi denarium viderunt, inundaveruntque regiones nostras productionibus suis: sine ulla praeoccupatione morali de effectu producto.

Immo et christiani, quamvis bona fide, saepe ad concives nostros mittunt publicationes impressas, emissiones radiophonicas aut cinematographicas totaliter inadaptatas. Bonum operari volentes, male fecerunt.

Nesciunt et scire non possunt quae conveniunt necne nostris populis. Quae homini occidentali, orientali aut americano ut normalia apparent, nobis saepe scandalosa et indecentia videntur. Exempla sunt pluria, et respiciunt tam modum vestiendi, loquendi, quam modum sese habendi inter homines utriusque sexus, inter iuvenes, inter filios et parentes etc.

Omnia ut ita dicam influxum bonum vel malum habent, et quam profundum!

Itaque peritis in rebus et moribus nostris, maxime africanis ipsis erit officium discrimen ducendi circa omnia quae ad nos perveniunt ex aliis regionibus, vel etiam nova melius adaptata producendi.

Hic iacet officium Ecclesiae, quia eius est munus protegendi fidem et mores.

Ergo proponimus quod nobis praebeantur media ad formandos christianos, tam sacerdotes quam laicos ut christiano modo iudicare possint de his omnibus et ut ipsi plene capaces sint assumendi officium informationis et educationis concivium medio impressorum, cinematographiae, radio et aliorum.

Aliis verbis: votum emittimus ut nobis praebeantur media erigendi « *Centra technicae diffusionis* » et quidem in regionibus nostris ipsis ne amittant contactum cum natali indole.

Haec centra erigi deberentur in locis ut ita dicam strategicis Africae, verbi gratia in limite regionis influxus gallici et anglici.

Quod ad erectionem horum centrorum attinet, et ut possibilis evadat, rogo ut hoc caput locum habeat inter scopa Operis Propagationis Fidei. Illius Operis nempe est propagare fidem et nos omnes scimus quam maxime iam fovuit extensionem Regni Dei in nostris regionibus (gratias habeat!). Sed novis circumstantiis nova media. Et inter haec maximum pondus habet usus mediorum communicationis socialis ut iam saepe dictum est in hac aula.

Concredantur ergo haec media Operi Propagationis Fidei vel aliae Commissioni adaptatae.

Venerabiles Fratres, nos qui sumus in regionibus Ecclesiarum Novarum, libenter et necessitate coacti oculos ad Operam Propagationis Fidei et alia vertimus, sed de facto ad vos nos convertimus, vobis pastoribus Veterarum Ecclesiarum gratias agimus, et rogamus iterum atque iterum ut nos adiuvetis ut Concilium Vaticanum II evadat quasi fons novae expansionis Regni Dei in vineis Domini non iam exaratis.

Hac cum spe hic venimus, ne decipiamini!

31

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Primum votum.

Ut in n. sive art. 9, lin. 11, post verba « libere uti » interponantur haec: « *independenter a qualibet civili potestate* ».

Rationes. Peroptime quidem in schemate consignatur ius proprium Ecclesiae Catholicae circa hodierna communicationis socialis instrumenta, ortum ex munere eidem Ecclesiae a Christo Domino concredito docendi omnes homines etc.

Ex hoc enim necessario consequitur inviolabile ius munusque esse Ecclesiae huiusmodi instrumentis libere uti, atque in huiusmodi iuris exercitatione « *nulli terrenae potestati subiici* », ut docebat Pius XI in Encyclica *Divini illius Magistri.*

Est principium doctrinale maximi momenti, quod C. I. C. recolit in can. 1322, par. 2, eisdem verbis quae ego addenda propono, « *independenter a qualibet civili potestate* », quaeque a Concilio Oecumenico, quod per saecula loquitur et pro diversis eorum adiunctis, nullatenus omittenda censeo.

N. igitur 9, interpositis his verbis in lin. 11, prosequeretur prouti iacet, videlicet « *libere uti, independenter a qualibet civili potestate,* et homines docere ac moderari etc.

Aliud votum.

Propter easdem rationes et alias quas omitto, mihi videtur omnino opportunum ut in n. 81, pag. 237, lin. 3, post verba « quae ipsa suo iure decernat » addantur haec alia: « *et quin subiiciatur ulli censurae, quae non sit ecclesiastica* ».

Tertium votum.

Cum ea quae in n. 81 dicuntur in schemate de prelo, adeo apprime dicta sint, nobis admodum conveniens videtur (cum eaedem sint rationes) eadem repetere in cap. II de cinematographeo et in cap. III de radiophonia.

Repetita iuvant, quantumvis aliquibus displiceat repetitio.

Quartum votum.

Ad n. 91, pag. 240, lin. 26, post verba « ab ecclesiastica auctoritate » interponantur haec alia, « *sive per se ipsam, sive per officia ab Auctoritate Ecclesiastica instituta* », latis.

Ratio est quia non desunt quamplures dicentes qualificationes pelliculaum, ab his officiis editas, nullam vim obligatoriam habere, et sic pessundant omnem rationem essendi ipsorum.

Insuper necessarium mihi omnino videtur ut, in fine pericopis, post verba « eisdemque fideliter obsequendi » addantur haec alia « *quae sententiae seu qualificationes, cum ratione boni et periculi communis dentur, omnino obligant omnes* ».

Ratio est quia non desunt moralistae et confessarii permittentes fidelibus, quibus singulariter nocivae non evadant quaedam pelliculae, eas libere adire, nullam rationem habentes nec scandali, neque cooperationis, et pessimi exempli quod praebeant ceteris; quod iterum redundat in omnimodam inefficaciam praedictorum officiorum.

Quintum votum.

Mihi necessarium videtur ut, in loco schematis, qui congruentior isti commissioni appareat, inseratur sequens propositio: « Sacra Synodus decernit omnes auctores et cooperatores instrumentorum communicationis socialis, quae errores doctrinales edoceant, vel pravas excitent voluptates, et praesertim effectores, distributores, exhibitoresque pelliculaum, quae animos puerorum et iuvenum corrumpant, ut publicos peccatores esse habendos, ad normas Codicis Iuris Canonici, utpote perniciosissima scandala praebentes ».

32

EXC.MUS P. D. ERNESTUS J. PRIMEAU
Episcopus Manchesteriensis

Copiose locuti sumus de momento preli ad conscientiam hominum christiane efformandam. Attamen forte non sufficienter aestimationem ac fiduciam Ecclesiae erga ipsum prelum et praesertim erga ephemeridem manifestavimus. Certo certius nos decet de periculis ac defectibus eorum monere.

Sed ad mentem Summi Pontificis qui exemplum summae amabilitatis erga ipsos semper praebuit, summopere oportet hanc Sanctam Synodum plenam fiduciam scriptoribus ephemeridum ostendere ac illos, exemplo practico, sufficienti copia informationis ac documentationis instruere, ita ut valeant in concreto suam vocationem apostolicam revera exercere.

Neque obliviscamur plurimos homines bonae voluntatis, sive scriptores ephemeridum sive lectores, a fide nostra forte adhuc alienos, eventus vitae Ecclesiae, ac praesertim huius Concilii sincera attentione prosequi.

Uti dixit Summus Pontifex, scriptores ephemeridum alloquens, Ecclesiae nihil habet colandum.

Parcite mihi si tamen dubium proferre audeam de efficacitate methodi informationis de rebus conciliaribus qua usque adhuc usi sumus. Potius quam insistamus in secreto servando, quod in tam ingenti coetu non facile expectari potest, obiectivam et copiosam informationem concedamus, non quidem de mente uniuscuiusque oratoris, sed de rebus ac de opinionibus ipsis in Concilio agitatis.

Nonne episcopus Ullathorne, tempore Concilii Vaticani I, considerans rumores qui spargebantur extra aulam cum confusione plurium fidelium, expresserat votum ut, in casu futuri Concilii, ad hanc vitandam funestam sequelam, copiosior praeberetur informatio genuina de rebus in Concilio gestis!

Certo agnoscendi sunt progressus qui in hac parte iam facti sunt merito quidem secretariae generalis ac sollertis operae eorum quibus concredita fuit informatio de Concilio. Attamen plurima manent agenda ut haec informatio accuratior ac fructuosior evadere possit ad ipsum bonum animarum.

Proinde, omnibus bene perpensis, proponerem ut res tanti momenti iterum attente consideretur a quodam coetu episcoporum qui in sua natione de prelo speciali modo occupantur, auditis, si visum fuerit, quibusdam scriptoribus ephemeridum bonae notae, semper tamen in arcta collaboratione cum secretaria generali Concilii, ut haec omnia in secunda sessione nostrae Synodi felicius procedere possint.

33

EXC.MUS P. D. PAULUS KINAM RO
Archiepiscopus Seulensis

Schema constitutionis *de instrumentis communicationis socialis,* nobis propositum iustum et opportunum censeo, proinde praesens schema mihi placet... Attamen mihi liceat, unam tantum observationem proponere de prelo catholico. In schema, in paragrapho de prelo catholico, in n. 80, pag. 236, dicitur: Ecclesiae filii forti animo contendant ut prelum humanae dignitati omnino idoneum efficiant. Attamen... prelum generice honestum minime sufficit. Quapropter omnino necesse est ut veri nominis catholicum prelum habeatur et provehatur, quod scilicet manifeste hoc animo edatur atque diffundatur ut publicas opiniones iuri naturae et catholicis doctrinis praeceptisque consonas efformet, etc.

Hoc schema, in meo humili iudicio, in regionibus catholicis, etsi congruum sit, in regionibus tamen ubi catholici sunt in pauca numerositate, non congruere videtur, ad propositum suum finem consequendum... Ratio est, quia in regionibus ubi catholici pauci sunt, prelum vel diarium stricte catholicum, difficile habebit accessum inter populos. Pagani enim et qui extra Ecclesiam sunt, non aestimant Ecclesiam sicut nos aestimamus eam. Insuper saepe inveniuntur homines qui a priori habent sensum aversionis erga Ecclesiam, quasi religionem extraneam et occidentalem. Proinde prelum vel diarium

stricte catholicum, etsi veram doctrinam et humanae saluti necessarias veritates contineant, si populi ad illas accipiendas non accedunt, prelum catholicum in vanum proditur. Ergo schema praesens in regionibus ubi catholici pauci sunt, non congruere videtur. E contra in regionibus paganorum, magis congruum videtur, ut per Ecclesiam vel potius per viros catholicos bonae voluntatis et spiritu apostolatus laici bene imbutos, edatur, in quantum est possibile, prelum vel diarium ordinarium quotidianum simile diariis illius regionis, spiritu tamen omnino consono doctrinae catholicae et humanae dignitati idoneum et generice honestum. Hoc diarium sicut alia diaria civitatis, promulgabit nuntia vera et iusta, modo honesto.

Hoc diarium tractabit etiam quaestiones politicas, oeconomicas et alias honestas. Hoc diarium apparenter et directe non praedicabit doctrinam Ecclesiae, sed indirecte et quasi insensibiliter praedicabit religionem catholicam. Aliquoties in anno, v. g. in magnis festivitatibus Ecclesiae vel in occasione magni eventus Ecclesiae, hoc diarium magnis litteris tractabit doctrinam et facta Ecclesiae. Quando aliqua Messagia SS. Pontificis promulgatur, hoc diarium hoc publice promulgabit. Ita hoc diarium facile habebit accessum ad omnes populos, et hoc diarium quia est humanae dignitati idoneum et generice honestum, favorabilem statum obtinebit in publica opinione populi. Et sic ea quae in hoc diario publicantur, libenter acceptabuntur a lectoribus. Et ita hoc diarium bene praeparabit viam pro evangelizatione christiana. Insuper, hoc diarium quia est ordinarium et publicum sicut alia diaria, bonam consociationem habere potest cum aliis diariis et invicem communicare nuntia et alias quaestiones. Ita etiam alia diaria aliquando tractabunt et publicabunt nuntia et facta Ecclesiae. Alia diaria non facile poterunt male loqui vel detractare de Ecclesia. Ergo de facto hoc diarium indirecte bonum opus apostolatus facit et quasi antemurale defensivum Ecclesiae, efficaciter protegit Ecclesiam... Utique hoc diarium quia tractat quaestiones politicas et oeconomicas, aliquando habere potest oppugnationes et difficultates ex partibus politicis et a potestate civili. Sed quia hoc diarium habet fundamentum in opinionibus publicis, populi bene agnoscunt rei veritatem. Oppugnationes politicae non diu durabunt, tandem diarium habebit maiorem reputationem apud populum... Aliunde pro sustentatione oeconomica preli vel diarii, adhuc magis congruum videtur diarium ordinarium potiusquam diarium stricte catholicum. Nam in regionibus paganorum diarium stricte catholicum, vix habere poterit aliquot milia lectores. Impossibile erit diarium per seipsum sustentari, nisi ex aliunde recipiat necessarium subsidium, diarium per se peribit. Econtra diarium ordinarium honestum habens fundamentum in opinionibus publicis, habebit multos lectores. Si diarium habet plusquam centum milia lectores, diarium per seipsum sustineri potest... Hoc dico ego in situatione reali Coreae et ex mea practica experientia 15 annorum. Ego enim in mea Archidioecesi de Seoul, habeo abhinc 15 annis magnum diarium quotidianum. Hoc diarium habet bonam reputationem apud populum et hoc diarium aliquo tempore plusquam 200 milia exemplaria publicavit. His ultimis annis, propter

turbationes politicas et propter repetitas revolutiones politicas, hoc diarium minora exemplaria prodit. Sed etiam hodie plusquam 100 milia exemplaria quotidie publicat... Concludo ergo meam observationem: In schemate, post par. 80 de prelo catholico, inseratur alia paragraphus huic similis, scilicet: In regionibus ubi catholici pauci sunt, per Ecclesiam vel potius per viros catholicos bonae fidei et spiritu apostolico bene imbutos, persuadetur ut, in quantum est possibile, edatur prelum vel diarium ordinarium simile ac diaria illius regionis, honestum et iustum, congruum spiritui Ecclesiae et honestati humanae, ita ut hoc diarium indirecte et insensibili modo religionem catholicam propaget et protegat apud paganos...

34

EXC.MUS P. D. IOSEPH ALBERTUS ROSARIO

Episcopus Amravatensis

[*Eandem animadversionem iterum proposuit quae invenitur in vol. I, parte I, pag. 393*].

35

EXC.MUS P. D. HILDEFONSUS-M. SANSIERRA

Episcopus tit. Oriensis, aux. S. Ioannis de Cuyo

1. Mihi placet schema; concors sum tamen opinioni em.mi Ernesti card. Ruffini nempe quod constitutio ipsa valde reducatur et epitome de hac re perficiatur.

2. Omnium nostrum fere nemini iam dubium esse potest de urgenti necessitate utendi *instrumentis communicationis socialis* ut in schemate nobis propositum est. Iamvero si tantum est momentum, inconsentaneum apparet quod *negotium tantum,* hoc Sacrosanctum Oecumenicum Concilium solis vel speciatim laicis commendet; legitur enim in n. 11: « ... omnes cordati homines, et praesertim sinceri actuosique filii... »; quod plus minusve videri potest in nn. 40, 80, 94, 105 et 113.

Decet, mihi videtur, ut Concilium ipsos pastores et speciatim ordinarios loci moneat et in mentem revocet non tantum obligationes quoad malum impediendum, cf. n. 66, etc., verum etiam obligationes quoad bonum faciendum. Clarum est agi in hoc capite de illis rebus quae res mixtae in iure publico Ecclesiae vocantur, et proinde iisdem principiis iuridicis moderari oporteat quod invigilare specialiter episcopi est. Attamen pastorum erit ut haec perutilia divulgationis veritatis media, firmiter conservare vel promovere, quia apta ipsi muneri pastorali.

Ad n. 35. Haec paragraphus debet in duas partes dividi, vel alius nume-

rus confici ita ut *primo* pastores urgeantur de re tam commendandam quia interest Ecclesiae communisque hominum salutis. Quapropter humiliter voto Concilii hanc vel similem propositionem commendo: habita ratione hodierni modi acquirendi notiones et veritates aliasque cognitiones, ordinarii locorum et animarum pastores quam maxime exhortantur ut assiduo conatu ipsi sint promotores et adlaborent ut instrumenta communicationis socialis, nempe cinematographeum, radiophonia et televisio — *telespecies* —, in divulgandum regnum Dei, dignitatemque hominum ac libertatem pro posse ipsimet utantur.

Ad n. 66. Legitur: « Nomine preli hic appellatur cuiusvis generis folia *typis* impressa... ». Hic modus loquendi optime decuit Codicem Iuris Canonici etiam post vacationem legis. Hodie tamen, plura sunt instrumenta, quae artes sunt, iuris publici faciendi scripta: hoc accurate, exprimitur in n. sequenti — 67 — qui ita se habet: « *Preli igitur varia genera* », ut sunt vulgato nomine: datilografía, mimiógrafo, eliogravado, hueco gravado, hueco offset etc. Convenit propterea ut verba sint semper eadem significatione predita, quia momentum habebit quando agatur de interpretatione in hac re facienda secundum C. I. C. cum sermo fuerit de *censura librorum.*

36

Exc.mus P. D. ALEXANDER SCANDAR

Episcopus Lycopolitanus

Un Concile Œcuménique doit englober l'Eglise tout entière, les grands peuples comme les petits, l'Occident comme l'Orient. Or, il semble que dans ce schema *de instrumentis communicationis socialis,* le Proche-Orient avec ses petits peuples hétérodoxes dominé par l'Islam n'a guère de place, pour savoir comment se comporter et sauver sa foi combattue depuis des siècles, et, aujourd'hui plus que jamais par ces instruments de communications. Les découvertes scientifiques, innocentes en elles-mêmes, sont entre les mains des ennemis des armes de perdition avec lesquelles ils combattent la vérité sans répit.

Ce qui est dit dans le schema n'est étranger à personne, c'est la théorie. Beaucoup des discussions et des interventions qui ont eu lieu n'ont fait que développer cette théorie, et « par accidens » la pratique. Et puis, c'est l'Occident, inventeur de ces instruments qui est visé. J'avoue que le schema résumé de S. E. R. Mgr Renato Stourm n'a rien ajouté. Nous ne doutons pas qu'il est du devoir de l'Eglise d'employer ces moyens pour répandre les lumières de la foi et faire connaître sa morale. Ses ennemis l'ont depuis longtemps devancée et ont à leur disposition toutes les facilités. Mais pour nous, Proche-Orient, où est le point pratique? Comment exécuter ce qui est proposé et ce que l'Eglise enjoint d'utiliser; étant donné que:

nos pays ne sont pas chrétiens;

l'étatisme possède tout, c'est le monopolisme absolu;

la liberté de la presse, de la diffusion, de la conscience n'existent pas et l'on a affaire au despotisme le plus outré.

Quelques missionnaires, trompés par l'extérieur de l'Islam parlent de tolérance, d'absence de fanatisme, de limitation de prosélytisme etc., mais nous, les natifs de ces Pays, et en contact vital avec leurs adhérents, nous croyons, avec preuve à l'appui, que l'Islam est la doctrine de l'antichrist qui cherche plus que le bolchévisme, à détruire et à faire disparaître le christianisme. Les faits enregistrés par l'Histoire sont indéniables à quiconque veut être impartial.

Il faut se poser ces questions, sans parti pris:

1. Pouvons-nous, nous chrétiens du Proche-Orient, surtout d'Egypte, aujourd'hui que le pays a son indépendance, avoir la liberté d'éduquer nos enfants?

2. Avons-nous la liberté de la presse? notre part dans la diffusion par radio ou télévision? La réponse est négative. Il ne convient pas de se laisser prendre par ces tromperies et ces diffusions de 15 minutes par semaine que l'on accorde à un film enregistré que l'on répète. Hélas c'est la diffusion continuelle d'une doctrine non chrétienne qui est répandue.

Ainsi donc, il appert que chez nous la diffusion « radio et télévision » combat la foi, la morale et même les mœurs. C'est une attaque dirigée contre les droits de l'Eglise et de la famille.

Aujourd'hui le cinéma n'est plus celui des salles que l'on trouve dans les villes, mais il est celui que la télévision a fait pénétrer dans les maisons au sein des familles et même sur les places publiques pour le peuple. Or, cette télévision est une propagande de perversion de la foi et des mœurs, les enfants sont abreuvés d'initiations qui dépassent leur âge. On ne peut rien contre ce monopole de l'Etat. Et cela est au su et connu des parents absorbés par leurs devoirs à l'extérieur pour ne pas dire négligents. On dira « la loi naturelle est là, il convient au besoin de la rappeler ». C'est encore une réponse théorique. Rappelons-nous que nous vivons sur terre, et aujourd'hui on ne peut plus se passer de distractions et d'une certaine jouissance... alors que faut-il défendre et que faut-il tolérer?

Il faut avouer sans hésiter que chez nous: la foi, les mœurs et la morale sont en péril grave; l'enfant, chrétien de plus tard ne nous appartient pas... Je regarde alors l'Eglise, elle est la Mère de tous les enfants baptisés dans tous les rites, sa raison d'être est de révéler le Christ à l'Univers entier, de faire connaître sa doctrine et de pousser à la sanctification. Sa maternité lui impose le grave devoir de protéger la foi, les mœurs et la morale: là est l'essence de sa mission. Elle a reçu pour atteindre ce but une puissance spirituelle qui dépasse toute autorité humaine, parce qu'elle est divine et s'impose aux consciences; c'est par cette force qu'elle a réalisé sa mission dans le monde. Cette force émane de la Croix, sa seule arme, et lorsque je dis

Croix, je dis Charité: charité qui se donne, qui se sacrifie, qui aime jusqu'à l'anéantissement physique et qui s'est toujours révélée dans une douce et puissante fermeté qui fuit la bassesse de l'adulation, des flatteries des cours et de la diplomatie mondaine. L'Eglise avant de penser à ceux qui ne sont pas encore à Elle, doit secourir ses enfants que le loup dévore. Pierre est le Pasteur et le Chef de tous les Bons Pasteurs qui ont reçu la mission de donner leur vie pour leurs brebis. L'Eglise ne peut pas admettre en Elle le Pasteur larron et mercenaire.

Il est donc de son devoir urgent de faire entendre sa voix dans les Conférences Internationales dénonçant le péril où se trouvent ses enfants et leur réclamer la liberté essentielle à tout humain. Elle dispose au Vatican de sa radio et de sa télévision. Nous demandons la liberté de conscience, la liberté d'enseignement et la liberté de culte. En réalité c'est ispirée par le Saint-Esprit que l'Eglise a proposé au Concile le schema des instruments de communications.

Propositions:

1. *Eclairer l'opinion publique* parce qu'elle est la Puissance Neutre la plus importante de l'univers, sa puissance est motale. Elle a des Nonces et des Internonces un peu partout, elle a auprès d'elle des Ambassadeurs de différentes nations... Quid prodest si elle ne porte pas de secours moral à ses enfants pour qu'ils aient la liberté: la presse (journaux, tracts, livres chrétiens), l'inseignement (catéchisme, respect de la foi et des mœurs), le cinéma (films moraux).

2. *Tenir des Conférences* pour arriver à une entente de tolérance religieuse.

3. *Former les laïcs* et leur apprendre à intervenir auprès des pouvoirs publics et à exercer une influence sur le peuple par une action salutaire.

4. *Rendre plus puissante et plus efficace la Radio-Vaticane*: en effet les émissions nous arrivent difficilement et sont entravées par des stations voisines qui en empêchent l'audition; multiplier les émissions en langue arabe, les faire donner par des personnes parlant un arabe correct et facile; intéresser par les sujets et être à jour, car les exigences modernes demandent des actualités et cherchent la vérité; donner les émissions à des heures convenables. Rien n'empêche de redonner ces émissions plusieurs fois par jour.

Il est à remarquer que nos frères protestants, pour faire entendre l'Evangile d'une manière claire et sans être dérangés par d'autres stations, se sont rapprochés du Moyen-Orient en diffusant leurs émissions d'Ethiopie. Pourquoi le Vatican ne ferait-il pas de même en ayant une station au Liban, par exemple: le fait est que l'on doit faire entendre la voix de l'Evangile et rappeler la doctrine à ceux qui l'ont perdue par suite du schisme et des persécutions. L'ordre du Christ doit être exécuté: « Euntes docete omnes gentes »... « Fides ex auditu » dit St. Paul... « Vae mihi si non evangelizavero », c'est pourquoi il ordonne à Timothée de prêcher à temps et à contre-temps.

Conclusion: Je souhaite que les instruments de communications inspi-

rés à l'homme par la bonté divine, soient pour le salut de l'univers entier et en particulier pour notre délivrance et notre salut, nous les Orientaux du Proche-Orient, objet de la sollicitude paternelle de la Sainte Eglise.

37

REV.MUS P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI
Minister generalis O.F.M.

Schema placet, utpote hodiernis circumstantiis valde adaptatum; sed, pro sollemni conciliari documento, nimis longum esse videtur. Proponerem ut principia generalia a Concilio approbentur; reliqua vero, quae pretiosissima argumenta rerum novissimarum exhibent, non tamquam decisiones conciliares habeantur, sed tamquam appendix (« epitome ») publici iuris fiant.

Adiungo aliquas animadversiones minoris momenti ad perficiendum schema:

Ad pag. 206, ultimam lineam notae: corrigatur « connexam », sicut scribitur pag. 206, lin. 1: « connexas ».

Ad pag. 210, n. 1, n. 4, n. 6: ubique adhibetur in hac constitutione novus modus citandi *Mt.* X, 27; *I Cor.* IX, 16; *Act.* XIX, 19-20; qui modus mihi placet. Sed alibi, in schematibus seriei primae passim diversus modus citandi adhibetur: desideratur uniformitas.

Ad pag. 210, n. 6, ult. lin.: corrigatur « A.S.S. ».

Ad pag. 213, linn. 22-23: rectius dicatur: « ad circumstantias scilicet omnes personarum, locorum... ».

Desideratur, claritatis causa, maior cura pro interpunctione. Sic fiat in paginis:

218, linn. 18-19: « et si, in istorum instrumentorum usu, virtutis exemplo sua praecepta firment ».

221, linn. 11-12: « atque, per Ecclesiae vocem, verbum Christi nuntietur ».

223, not., linn. 9-10: « orta est... quaestio, cum scholae " sine Deo "... ».

230, linn. 24-25: « vel, si res ferat, regionalia, ... ».

234, lin. 9: « (informativum quod vocant), prelum imaginibus... ».

235, linn. 3-4: « et, facinorum narratione, pravas cupiditates excitant ».

239, linn. 3-4: « et non raro superat, quia, suapte natura, peculiarem... ».

241, n. 1, lin. 7: « rei cinem., radioph. ac... ».

247, linn. 9-10: « ab ecclesiastica auctoritate adhibeatur, prout singularum... ».

247, linn. 20-21: « saepe praeter communem iustitiae, caritatis et veracitatis instantiam ».

Ad pag. 223, not., lin. 5 scribatur « cotidie », sicut passim in schematibus seriei I.

Ad pag. 229, not. 5: probabiliter citatio sic fieri deberet: « Cf. pars I, prooemium, nota 5 ».

Ad pag. 230, lin. 26: corrigatur « efficientia ».

Ad pag. 231, linn. 32-33: corrigatur « Internationalibus ».

Ad pag. 240, linn. 27-29 clarius dicatur: « Immo, si episcopi singularum nationum id opportunum duxerint, *fideles,* consociata ac publica necnon quotannis renovanda Deo facta promissione, incitentur ad spondendum se, omnia... ».

Ad pag. 241, lin. 7 ne scribatur « coërcendo » sed « coercendo » sicut in pag. 243, lin. 9.

Ad pag. 245 penultima lin. corrigatur « un*d* Fernsehen ».

38

EXC.MUS P. D. IOSEPH SOUTO VIZOSO

Episcopus Palentinus

Unum tantum votum vobis proponere volo.

Licet in schemate constitutionis *de instrumentis communicationis socialis* hae quaestiones, saltem in semine, expositae sint, necessarium tamen mihi videtur rev.morum Patrum mentes atque animos convertere in quoddam problema, quod, meo quidem iudicio, maximi est ponderis atque momenti.

Pluries in aula conciliari exposita est necessitas instituendi Officium Catholicum Internationale ad notitias transmittendas. Nihil tamen, ni fallor, dictum est de possibili institutione Officii Internationalis, quod televisionem et cinematographeum respiciat.

Porro apud omnes notum est technicam cinematographicam tribus momentis evolvi: *a*) pellicularum productione; *b*) ipsarum distributione; *c*) earum denique proiectione.

Hucusque Ecclesiae actio, in omnibus fere nationibus, ad duo tantum posteriora momenta contracta est. Perplures quidem sunt, in toto orbe terrarum, aulae catholicae proiectionis tum in ambitu paroeciali, tum supra paroeciali. Sunt etiam nonnullae domus indolis catholicae, convenienter confoederatae, ad pelliculas distribuendas, quaeque ubicumque operantur. Sed illae tenentur distribuere atque exhibere quae ab aliis producuntur. Ideo opus earum mere defensivum est et tantum modo remoto atque indirecto, in productionem ipsam influxum suum exercere valent.

Omnes tamen sciunt Ecclesiae tentamina seu conatus, ut directe in productionem pellicularum influeret, minima fuisse et perfunctorie facta usque adhuc.

Necesse igitur est ut inter munia secretariatui *de scriptis edendis et de spectaculis moderandis,* vel potius *Pontificiae Commissioni de cinematographeo, radiophonia et televisione* commissa, emineat voluntas et alacritas cooperandi

atque adipiscendi productionem stricte catholicam, criteriis non defensionis tantum sed acquisitionis, proprio apostolatus labore.

Quod quidem maioris est momenti cum de pelliculis quae pueris destinantur vel de brevioribus illis quae ad televisiva programmata maxime fiunt et influxum non exiguum in vita familiari et in puerorum institutione exercent. Argumentorum auctores et effectores catholici primas et magnas agunt partes in hoc rerum ordine.

Nos autem minime latet praecipua difficultas quae nostris votis adversatur. Huius enim rei effectio exigit maximas pecuniarum summas. En quaestio. Sed hic labor.

Cum magna vis pecuniae ad pelliculas conficiendas requiratur, non sufficit contributio paucorum privatorum; nec quidem parvae quaedam consociationes idem adsequerentur. Immo nec universi quidem catholici unius nationis.

Quid ergo aggrediendum? Ab inimicis exemplum sumere nos oportet. Magna requiritur confoederatio internationalis quae, pecuniis affluens, argumentorum auctoribus fulta, cum effectoribus emeritis, sub directione Officii a Pio XII s. m. et Ioanne XXIII feliciter regnante instituti, cui vires adderet nostrum Concilium, obtinebit absque dubio successus copiosos et proficuos. Hierarchiae est christifidelium studia in hanc rem excitare et conscientiam ipsorum efformare. Ipsorum vero est pecunias, sive exiguae sive copiosae sint, conferre ad haec opera catholica boni universalis.

In hoc confluant oportet quae implicita sunt in schemate sub nn. 45, 46, 47, 48, 88, 104 et 105. Ut conclamata est ergo necessitas alicuius Agentiae Internationalis nuntiorum, ut exortae iam sunt potentes domus editrices librorum catholicorum, sic conclamanda quoque est necessitas et possibilitas cuiusdam confoederationis catholicae internationalis quae *sensu plene catholico* curet de pelliculis edendis.

Solutio sane huius quaestionis nullo modo est a Concilio repetenda, sed opportunitas praesens videtur arripienda ut episcopi universae Ecclesiae, Romae coadunati, conscii gravitatis rei effecti, secretariatui committant istarum voluntatum effectionem. Postea tum pastores, tum christifideles, viribus unitis, maxima cum efficacitate adlaborare poterunt in re tanti momenti. Sic censeo.

39

Exc.mus P. D. IOSEPH ALFONSUS TSCHERRIG

Episcopus tit. Nephelidensis, vic. ap. Reyesensis

Instanter precor, ut expressio in cap. II, n. 12 (de ordinis moralis primatu), linn. 7-12, novo examini subiciatur: « Solus enim moralis ordo hominem... ad perfectionem et beatitudinem plene assequendas adducit ». Talis enim locutio aliquomodo *Pelagianismum sapit.* In actuali oeconomia salutis

solus Christus gratiae suae vita hominem ad perfectionem et beatitudinem plene assequendas adducit. Integra et fidelis observatio ordinis moralis non est causa salutis sed condicio, ut homo iustificatus maneat et crescat in gratiae vita, et perveniat ad beatitudinem utpote supernaturalem.

Nota 1 ad n. 12 (pag. 215) non est ad rem. Quaestio XXII citata non habet 5 articulos, uti indicatur, sed solummodo 3.

40

Exc.mus P. D. IOSEPH VAIRO

Episcopus Gravinensis et Montis Pelusii

Huius constitutionis schema, venerabiles Patres, *de instrumentis communicationis socialis* in duas dividitur partes, quarum altera de Ecclesiae doctrina, altera de Ecclesiae actione agit. De hac, cum aptas tradat normas, quae rectum et apostolice fructuosum instrumentorum communicationis socialis usum spectant, nihil notandum censeo praeter quod in hac aula iam audivimus.

Illam vero doctrinalem partem accuratius licet concinne opinor retractandam cum morales quaestiones tangat graves et — ut in schemate notatur — novas atque implexas, quae christianas expostulant solutiones veras completas, satis probatas sapienterque fundatas.

Pastorale equidem momentum huius praecellentis magisterii Ecclesiae muneris neminem latet, cum nostrae aetatis mens quam maxime critica sit, quae rationibus empiricis, confuse et leviter datis minime acquiescit. Ad partem igitur doctrinalem quod attinet, non probandum mihi videtur quod nudiustertius in hac aula audivimus: schema hoc cum sit eminenter pastorale non esse tam accurate quam schema dogmaticum expendendum. Plura in capite altero, quod de ordine morali obiectivo servando inscribitur emendanda esse dixerim.

In pag. 212, n. 12, sermo fit de obiectivi ordinis moralis primatu, qui unus ceteros — oeconomicum, politicum, technicum, aestheticum — ordines excedit.

Cuius tamen ordinis moralis adfirmanda mihi videntur non tantum primatus sed maxime vis regulans et obligans, qua omnis actus specifice humanus cuiusvis generis ad Bonum Absolutum est ordinandus, ad Deum, videlicet, finem ultimum in praesenti salutis oeconomia supernaturaliter assequendum et immediate fruendum.

Ordo enim moralis ordinem quoque phaenomenorum physicum indubitanter excedit, quin in eum vim regulantem exerceat. In eodem n. 12, linn. 8 et 9, non recte legitur: « ... moralis ordo hominem... in tota ipsius natura complectitur ». Emendatius dicendum est: « moralis ordo hominem... in tota ipsius libera operositate complectitur »; cum hic ordo non vitam mere phy-

siologicam (actus hominis, ut verbis scholae utar) sed tantum actus specifice humanos directe respiciat.

In pagg. 214 et 215 graves summatim et, ut mihi videtur, leviter tanguntur quaestiones, praesertim de iure ad informationem et de libertate artis.

In n. 21, lin. 18 et sequentibus categorice edicitur: « Inest ergo in societate humana ius ad informationem de omnibus quae singulis vel coetibus, secundum uniuscuiusque condiciones conveniant ». Sed quaerendum est, ut opinor, utrum agatur de veri nominis iure, cuius laesio iustitiam offendat, vel de convenientia quadam. Quod si de veri nominis iure agi dicatur, investigandum est quodnam huius iuris obiectum, quaenam extensio, quinam limites: in aula iam notatum est ius ad informationem iure secreta vitae privatae tuendi limitari.

In n. 22, cum sermo fit de artis libertate, praesens status quaestionis prae oculis non haberi mihi videtur. Schema enim confuse rem tractans neque artem sensu technico ab arte sensu aesthetico discernit neque interiorem, moralem libertatem ab exteriore iuridica distinguit. Difficilior enim in hac re est vexata quaestio de ordine morali aestheticam productionem regulante, cum huius productionis, iuxta satis vulgatam opinionem, de qua heic nostra non refert disceptare, quam tamen ignorare non possumus, lex fundamentalis sit libertas, qua poeta (melius dicitur quam artifex) quod intime vividius persenserit, immediate et sincere exprimat. Quilibet, aiunt, finis aestheticae productioni extrinsece superadditus artem veri nominis necat. Quare non desunt catholici viri periti qui intrinsecam moralitatem cuiusvis operis verae artis in ipso immanentem aesthetico processu reperire aggressi sunt eamque autumant esse inevitabilem necessitudinem, quam quilibet poeta persentit et positive vel negative in suo opere exprimit, sese et res finitas trascendendi. Distinguenda est quoque libertas interior, quae lege morali regitur, cum opus artis perficitur et libertas exterior, quae lege morali et positivo iure ordinatur, cum opus artis aliis instrumentis socialis communicationis exhibetur. In pagg. 212 et 213, nn. 13 et sequentibus ad materiae ordinem et formam quod spectat, ab usitatis et accuratioribus terminis quibus schola utitur, non esse recedendum censeo; quae igitur consideranda sunt ad rectum iudicium morale de re ferendum ad obiectum (quod melius dicitur ratione quoque latinitatis quam contentum) et adiuncta, inter quae peculiaris instrumentorum agendi ratio locum obtinet, reducantur. Malim tandem tota haec materia ad commissionem theologicam remittatur, ut diligentius retractetur et in schemate constitutionis dogmaticae de ordine morali christiano congruentius inseratur.

Ne videamur, quaeso, Patres venerandi, cum solemnis magisterii munere in Concilio fungamur, ad speciem pastoralitatis, quae dicitur, sanam et necessariam veritatis christianae speculativam inquisitionem negligentes, insuperabilem idearum vim minus quam instrumentorum socialis communicationis momentum aestimare.

41

REV.MUS P. D. VILLELMUS VAN HEES
Magister generalis O. S. Crucis

Addendum ad num. 81: (De prelo in ecclesiis nuper erectis, seu in missionibus). *Cum prelum medium valde efficax sit immo aliquando unicum medium ad Evangelium et spiritum christianum in lucem proferendum iis qui a Christo abalienati sunt atque spiritu mundano offuscantur, necesse est consociationi internationali erigendae dare negotium diffundendi tam prelum informativum quam folia imaginibus ornata in terris missionum et in ecclesiis dilabentibus quae propriis facultatibus atque pecuniis carent.*

Ratio: 1. Quamvis sit « nulla fraus tuta latebris », malum tamen diffunditur ab adversariis Ecclesiae omnibus mediis, praesertim vero prelo. Ad praeveniendum atque detegendum hoc malum diabolicum quod tam adultorum quam puerorum sensus funditus corrumpit aliqua organizatio ampla in terris bonorum catholicorum necessaria videtur quae prelum bonum provideant etiam in terris acatholicis vel ecclesiis dilabentibus.

2. Missionariis munus incumbit non solum baptizandi magnum numerum paganorum, sed etiam communitatem christianam efformandi. Quod impossibile videtur nisi eis bonum prelum suppetat quo christiani iterumque iterumque spiritu communitario imbuuntur.

42

EXC.MUS P. D. HELMUT HERMANNUS WITTLER
Episcopus Osnabrugensis

In n. 91 asseritur, verbis Litterarum Encyclicarum *Miranda prorsus*, « grave officium » fidelium sese certiores faciendi de sententiis in re cinematographica ab ecclesiastica auctoritate latis eisdemque fideliter obsequendi. Hic modus dicendi confusionem parere potest ob comparationem cum schemate *de castitate...* n. 5, ubi asseritur « grave officium » solutorum omittendi actus qui constituunt actuationem facultatis sexualis. In hoc schemate *de castitate* terminus « grave officium » evidenter dicit *grave peccatum*; talis enim est *omnis* actus in re sexuali ibi descriptus. Quod vero ad obligationem fidelium attinet sese certiores faciendi de sententiis latis in re cinematographica eisdemque fideliter obsequendi, vix dici potest — quod tamen formula « grave officium » suggerit — peccatum grave (vel etiam leve) haberi *in omni* casu quo fideles vel non se faciunt certiores de sententiis ab auctoritate latis vel eis non obsequuntur.

Quoad obligationem enim iudiciorum in re cinematographica sequentia

attendenda videntur (cf. distincta quaestionis expositio in litteris circularibus n. 271 [14 iulii 1962] secretariatus de moralitate praesidentiae generalis Actionis Catholicae Italiae. Cf. item Palazzini-Iorio, *Casus Conscientiae* I, 733-737 [S. Canals]):

1. Iudicia moralia, quae ab officiis ecclesiasticis de singulis pelliculis feruntur, non sequuntur eadem in omni casu criteria, sed differunt pro diversis regionibus et pro diversa officiorum compositione personali.

2. Iudicia officiorum ecclesiasticorum non sunt nisi *prudens informatio de maiore vel minore periculo,* quod visio pellicularum de quibus fertur iudicium *communiter* secumferre aestimatur — quin asseratur hoc periculum haberi pro omnibus indiscriminatim fidelibus vel illud haberi necessario in unaquaque visione et non solum in similium pellicularum visione frequenti.

3. Periculum potest esse diversum pro diversis fidelibus, relative ad eorum aetatem, sexum, condicionem, animi praeparationem, etc. Aliquando periculum non est in singulari quadam visione, sed in visionum frequentia. Quandoque habentur motiva quae iustificant visionem periculosam — dummodo fiat serius conatus superandi periculum —. Attamen attendatur quoque oportet ad scandalum evitandum atque ad non praestandam cooperationem illicitam.

Aliud addo: vix prudens esse videtur statuere ut criterium licitae vel illicitae visionis pellicularum exclusive, vel quasi exclusive, iudicia officiorum ecclesiasticorum. Haec enim iudicia, cum non respiciant varias personarum condiciones, pro non paucis fidelibus sunt criterium insufficiens. Unde insistendum est in recta et diligenti formatione conscientiarum, pro quibus iudicia officiorum sunt perutile quidem subsidium, non vero unicum criterium.

Hisce consideratis, ad evitandam confusionem supra indicatam *sequentem propono formulam*: « Fideles tenentur ut, quod visionem pellicularum attinet, diligenter conscientiam efforment de eius liceitate morali. Monentur ut pro hac conscientiae formatione certiores se reddant de iudiciis circa pelliculas ab officiis ecclesiasticis latis atque ut ea sua faciant ».

Formula proposita ceterum magis congruit formulae quae legitur in n. 53 eiusdem schematis: « Omnes denique christifideles monentur ut Ecclesiae, magistrae et matri, bono animo fidant, sine cuius ductu haud facile est recto tramite sese dirigere inter... taeniolas... ». Ex alia parte, omittenda videtur etiam formula quae habetur in n. 90: « utque omnes probe noscant quae sibi spectacula adire liceat, quaeque vero sint vitanda »; rationes huius omissionis ex supra dictis satis patent.

43

Exc.mus P. D. CAROLUS WOJTYŁA

Episcopus tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis

Etsi in cap. II ubi de ordine morali obiectivo servando, multa accuratissime sunt proposita, quaeritur tamen post nonnulla, quae hac de re iam dicta sunt, adhuc profundior enucleatio problematis.

Et hoc mihi videtur praesertim in duobus: *a*) in n. 14, ubi de ratione agendi; *b*) in nn. 22 et 23, ubi de libertate artis fit sermo.

Ad a) Concesso instrumenta communicationis socialis magna esse dona Dei pro contemporaneis, nihilominus nonnulla in usu eorum oriuntur pericula, quae etiam hic pluries iam prolata sunt. Quae ut excludantur, oportet claram imponere hierarchiam valorum. Tamquam valor superior fungitur illud, quod personam humanam qua talem perficit. Tunc bonus usus instrumentorum talis est, qui verae culturae humanae inservit et vitam interiorem auget. Saepe saepius enim usus eorundem mere consumptivus videtur et nihil verae culturae nec vitae interiori affert, prorsus gravia in hac re obstacula subministrat. Et talis usus est potius abusus.

En, videtur mihi sine claro principio personalismi, non determinatur recta ratio agendi in hac re — immo semper remanet aliquod periculum « instrumentalismi », ut ita dicam.

Ad b) Idem ordo valorum clarius proclametur, cum de libertate artis in nn. 22 et 23 fit sermo. Cum enim una ex parte primatus ordinis moralis in ambitu artium optime declaratur, tunc tamen altera ex parte sublevandum videtur etiam bonum artis proprium. Cum enim ars a S. Thoma definitur recta ratio factibilium, tunc clarum est quodlibet artefactum propria sibi perfectione pollere, cui bonum morale non est substituendum, ne in errorem « moralizationis » cadamus. Quod esset potius contra ordinem moralem. Ergo etiam hac in re integra hierarchia valorum clarius exponatur oportet.

CONGREGATIO GENERALIS XXVIII
27 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXVIII

27 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis S. Concilii*:

Exeant omnes! [*Intervallum*].

Praeest huic congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Achilles Liénart, ep. Insulensis.

Audiant omnes! Cum plures episcopi postulaverint a Sanctissimo Domino ut, ob rationes praesertim pastorales, secunda periodus Concilii inciperet non mense maio sed mense septembri, Sanctissimus Dominus, in audientia concessa em.mo ac rev.mo D. cardinali a publicis Ecclesiae negotiis die 26 huius mensis, dignatus est accipere hanc postulationem et statuere ut secunda periodus Concilii initium haberet in festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, nempe die Dominica 8 septembris anni proximi. [*Plausus*].

In hac congregatione generali, suffragatio fiet de propositione quae iam heri distributa est Patribus, et respicit constitutionem *de instrumentis communicationis socialis*. Propositio per modum unius suffragationis subicitur et suffragatio fit per *placet* et *non placet*. Distribuentur igitur mox schedae suffragationis et ante horam decimam cum dimidio schedae auferentur, ut computatio fiat.

Lego propositionem, quae ceterum iam distributa est typis impressa:

« Ad schema constitutionis *de instrumentis communicationis socialis* apte expediendum, proponuntur suffragationi Patrum Conciliarium quae sequuntur: Schema quoad substantiam placet. Et quidem maxime convenit, ut Ecclesia in magisterio conciliari de re tanti momenti pastoralis expresse pertractet.

Perpensis observationibus a Patribus Conciliaribus factis, extrahantur e schemate essentialia principia doctrinalia necnon generaliora lineamenta pastoralia per competentem commissionem conciliarem eo fine, ut — servata rei integritate — in breviorem formam redigantur et suo tempore suffragio Patrum subiiciantur.

Cetera vero, quae potius ad praxim et exsecutionem pertinent, de expresso mandato Concilii, in forma instructionis pastoralis edantur, cura Officii de quo in n. 57 schematis, adiuvantibus ex variis nationibus rei peritis ».

Nunc lego nomina eorum qui loqui postulaverunt in hac congregatione generali de decreto *de Ecclesiae unitate*. Discussio circa hoc schema fit coniunctim de principiis generalibus et de singulis partibus: em.mus D. Iacobus card. De Barros Câmara, arch. Fluminis Ianuarii in Brasilia; beat.mus D. Maximus IV Saigh, patr. Antiochiae et totius Orientis; exc.mi DD. Primus Principi, arch. tit. Tyanensis in Italia; Antonius Pawlowski, ep. Vladislaviensis in Polonia; Philippus Nabaa, arch. Melchitarum Berytensis in Libano; Ioseph Parecattil, arch. Ernakulamensis in India; Andreas Sapelak, ep. tit. visitator Ucrainorum in Argentina; Ambrosius Senyshyn, arch. Philadelphiensis Ucrainorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis in Gallia; Dorotheus Fernández, ep. coad. Pacensis in Hispania; Neophytus Edelby, arch. tit. Edessenus Melchitarum; Elias Zoghby, vic. patriarchalis pro Aegypto Melchitarum; Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico; Felix Romero, ep. Giennensis in Hispania; Athanasius Hage, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Ioannis; Ioseph Tawil, arch. vic. patriarchalis Melchitarum pro Damasco; Ioannes Velasco, ep. Sciiamensis in Sinis; Marcellinus Olaechea, arch. Valentinus in Hispania; Michaël Darmancier, vic. ap. Insularum Vallis in Nova Caledonia; Dominicus Hoang-van-Doan, ep. Saccaeotenus in Vietnam; Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.; Reginaldus Addazi, arch. Tranensis in Italia; Ioseph Köstner, ep. Gurcensis in Austria; Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia; Vincentius Tarancón, ep. Celsonensis in Hispania; Emmanuel Trindade, arch. Eborensis in Lusitania; Abilius del Campo, ep. Calaguritanus in Hispania; Abilius Vaz das Neves, ep. Brigantiensis in Lusitania; Hyacinthus Argaya, ep. Mindonensis in Hispania; Ioseph Pont, ep. Segobricensis in Hispania; Vincentius Brizgys, ep. coad. Kaunensis in Lithuania.

Commissio conciliaris pro Ecclesiis Orientalibus rogavit ut haec declaratio legeretur; quod fit cum permissione em.mi praesidis. Declaratio ita sonat, audiant omnes, quaeso:

« Ad praecavendas obiectiones quae ad textum hunc non faciunt, ne locus fiat confusioni et ne tempus inutiliter teratur, haec tria adnotanda sunt:

1. Bene quidem titulus *ut omnes unum sint* mutari posset, ut appareat clare documentum unice ad Orientales referri et non ad alios christianos non catholicos.

2. Ea quae ex dogmate in prima parte proferuntur *de Ecclesia,* non exhibentur directe ad affirmandam seu demonstrandam eiusdem constitutionem; sed semper ad finem illustrandi reales conditiones quae ortae

sunt ex orientalium christianorum separatione. Ob hanc rationem doctrina praemittitur quae fundamentum praebeat mediis in secunda schematis parte propositis. Ideo nullum praeiudicium ponitur iis argumentis quae in constitutione *de Ecclesia* disceptabuntur.

3. Decretum dirigitur directe ad omnes filios Ecclesiae catholicae ut media apta in decreto exposita adhibeant ad fovendam et assequendam unionem cum fratribus separatis orientalibus ». Dixi.

Praeses: Continuatur disceptatio schematis *de Ecclesiae unitate*.

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Januarii

Venerabiles Patres,

Mihi placet adhaerere omnibus, quae heri dicta sunt ab em.mis cardinalibus de hoc schemate *de Ecclesiae unitate*. Insuper haec notanda sunt, meo humili iudicio:

1. Bene tenendum est fundamentum dogmaticum, ne ducamur falso irenismo, ut in n. 22, pag. 258, bene advertunt rev.mi Patres qui schema confecerunt, quod laudandum est. Reditus fratrum separatorum vel dissidentium fiet aut obiectiva et serena expositione doctrinae catholicae aut nullatenus. Qui sinceri sunt, sincero modo tractari cupiunt et malunt.

2. Quoad media psychologica forsitan hoc meminisse iuvabit. Videant dissidentes quomodo apud catholicos vera unio et caritas existit, etiam si diversi diversas opiniones retineant, ubi legitima datur libertas.

3. Ne obliviscamur sensibilitatem Orientalium. Quando a Sancta Sede Apostolica vel ab uno episcopo aliquid boni in favorem alicuius ritus orientalis fit, hoc magnum solamen ubique terrarum portat ubi Orientales degunt. Sed, e contra, si aliqua auctoritas ecclesiastica tantum videtur non bene comprehendere mentem eorum, quanto molestantur! Et rumor celere currit. En ratio cur Orientales, etiam dissidentes, sanctissimum Papam nostrum Ioannem XXIII peramanter habent.

4. Igitur bonum esset, in Litania Omnium Sanctorum, ubi dicitur « ut omnes errantes ad unitatem Ecclesiae revocare digneris », haec pars separari ab alia: « et infideles universos ad Evangelii lumen perducere digneris ». Ratio est: quia non sunt infideles. Nec ut infideles haberi volunt, *nec ut mahometani, ut saepe accidit.*[1]

5. In Brasilia, et forte aliis in regionibus, magna pars dissidentium omnino ignorant differentias inter ipsos et catholicos, praesertim *apud*[2]

catholicos orientales, excepto in magnis civitatibus ubi habent suos sacerdotes. Laborant bona fide; si educantur in collegiis religiosorum vel sororum, ad sacram Synaxim accedunt, associationibus piis catholicis nomen dant, etiam paroecialibus, matrimonium ineunt in Ecclesia catholica.

6. Ideo quando aliquis ex dissidentibus vult ad Ecclesiam catholicam redire, supposita *recta et* [3] sincera intentione, melius est minuere exigentias canonicas in illo casu et non ut haereticum dissidentem tractare, ut bene adnotatur sub n. 49, pag. 266. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest.

Praeses: Loquatur beat.mus D. Maximus IV Saigh, patr. Antiochiae, et accedat ad microphonium exc.mus D. Hakim, qui versionem orationis beat.mi patriarchae in linguam latinam nobis tradet.

2

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérables Frères,

Ce schéma *de Ecclesiae unitate* qui concerne directement l'Orthodoxie orientale nous concerne accessoirement nous-mêmes.

Pour rester dans les limites du temps concédé à chacun, je me contenterai de faire des remarques générales en laissant à mes frères, les prélats grecs-melchites le soin de faire des critiques plus détaillées.

Ce schéma, sous réserve d'une refonte radicale pour certains paragraphes de la première partie et d'amendement pour les autres, pourrait constituer une base pour une discussion valable.

Première remarque. Elle concerne l'esprit de la rédaction, surtout depuis les nn. 5 à 12. Les vérités théologiques certaines sont souvent présentées d'une manière telle qu'elles ne peuvent qu'indisposer ceux qui ne sont pas de notre communion. Le ton bienveillant à partir du par. 12 ne change rien à la mauvaise impression occasionnée. En effet, son contraste avec les affirmations péremptoires et exclusives sur l'autorité romaine, abstraction faite des faits douloureux du passé, laisse une impression de quelques désagréables partialités dans le partage des responsabilités historiques.

Il ne faut pas oublier en effet que l'on s'adresse ici à l'Eglise orien-

tale, Eglise pleinement apostolique dans ses éléments constitutifs, et nettement distincte de la latinité. C'est une Eglise première-née du Christ et des Apôtres. Son développement et son organisation historiques sont l'exclusive œuvre des Pères, de nos Pères grecs et orientaux. Elle doit ce qu'elle est au Collège des Apôtres, toujours vivant dans l'épiscopat en collégialité, avec Pierre en son centre, avec ses responsabilités et ses droits distinctifs.

Cette Eglise ne doit historiquement au Siège Romain ni son origine, ni ses rites, ni son organisation, ni rien de ce qui la fait concrètement. En bref, nul ne l'a engendrée dans la foi hors les Apôtres; personne, hormis les Pères, ne l'a constituée dans tout son patrimoine de prière, d'organisation et d'activité. Peut-on dire que les Saints Basile, Grégoire, Cyrille, Chrysostome et autres sont des catholiques de second rang, parce que non romains en tout ce qu'ils ont reçu et tout ce qu'ils ont légué?

Si l'on veut donc parler efficacement à l'Orient Orthodoxe, il faut parler d'abord de la doctrine catholique concernant la collégialité du Pastorat de l'Eglise, *collégialité du Pastorat de l'Eglise.*[1] Puis on lui parlera de la Papauté, qui apparaîtra alors comme la base centrale de cette collégialité. Ce point est absolument capital. Il serait mortel de l'oublier.

Deuxième remarque. Le défaut de collaboration entre les commissions préparatoires au Concile nous a valu trois schémas distincts pour la même matière: le schéma dont nous parlons, préparé par la commission des Eglises orientales; le schéma *de Oecumenismo,* préparé par le secrétariat de l'union des chrétiens; et un chapitre du même titre *de Oecumenismo,* préparé par la commission théologique.

Un proverbe arabe dit: « Quand beaucoup de mains se mêlent pour faire la cuisine, les mets se brûlent ». Sans doute, ces trois textes touchent parfois des aspects différents de la même question, mais il est évident qu'ils traitent de la même matière. Il convient donc qu'un texte unique nous soit présenté, sous le titre: « De unione christianorum » ou de quelque autre, et qu'il soit élaboré par une sous-commission mixte composée des membres des trois organismes susdits. Ainsi la matière gagnera en cohésion, et le Concile gagnera du temps.

Troisième remarque. Le schéma qui nous est proposé aujourd'hui porte le titre général *de Ecclesiae unitate.* Mais en réalité, après quelques considérations générales, le texte ne parle en fait que des moyens de favoriser l'union avec nos frères orthodoxes d'Orient. Sous cet angle, notre schéma pourrait constituer un chapitre particulier du schéma général *sur l'œcuménisme* que nous proposons de faire. Nous estimons en effet que dans ce schéma unique *sur l'œcuménisme,* il faut faire une

place spéciale à nos frères orthodoxes d'Orient. En effet, si les principes généraux de l'œcuménisme sont identiques pour tous, les moyens pratiques d'entamer le dialogue avec nos frères orthodoxes ne peuvent pas être les mêmes que ceux pour nos frères protestants. Avec nos frères orthodoxes, nous sommes plus proches dans la foi: nous admettons les mêmes modes de transmission de la divine révélation; nous avons, à la primauté papale près, les mêmes organisations hiérarchiques, les mêmes sacrements, la même liturgie et tant d'autres biens communs, à tel point que ce qui nous unit est infiniment plus grand et plus profond que ce qui nous sépare. Quant à nos frères protestants, nous devons chercher cette union sous d'autres perspectives.

L'union des Eglises représente pour nous, vénérables Frères, un problème grave et vital. Pour nous en particulier, Orientaux catholiques de rite byzantin, la scission des Eglises est une blessure toujours saignante que nous sentons au plus profond de notre âme. L'union des Eglises est notre plus grand souci, notre première occupation et le souhait le plus ardent de notre cœur. C'est le but auquel nous tendons de toutes nos forces et dont nous souhaitons d'être la victime rédemptrice jusqu'à ce qu'il se réalise. Travailler pour l'union des Eglises, c'est pour ainsi dire notre raison d'être et la mission fondamentale dont la Providence nous a chargés, individuellement et collectivement. Les orthodoxes et nous, leurs frères catholiques byzantins, nous ne constituons, en des peuples nationalement divers, qu'une seule famille en ses mentalités religieuses, en sa liturgie, en son histoire spirituelle et en beaucoup de ses réactions. Nous avons besoin de nous unir à eux autant qu'ils ont besoin de s'unir à nous. Le temps est venu où tous les chrétiens doivent oublier les querelles du passé, dans lesquelles les intérêts humains ont eu souvent, de part et d'autre, un rôle plus déterminant que les divergences dogmatiques. Le temps est venu de réaliser le désir du Christ: « Qu'ils soient tous un! ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Exc.mus P. D. Georgius Hakim, ep. Ptolemaidensis, *legit versionem latinam orationis beat.mi Maximi IV*:

Hoc schema *de Ecclesiae unitate* quod directe respicit Orthodoxiam Orientalem, nos quoque accessorie respicit. Ne terminos temporis mihi concessos ultra excedam, liceat mihi aliquas tantum animadversiones generales praebere. Alii confratres episcopi Graeco-Melchitae observationes indolis specificae de unoquoque argumento mox pandent. Schema quod nobis propo-

nitur retineri potest ut validum fundamentum disceptationis, ea tamen conditione ut aliquae paragraphi introductionis funditus recognoscantur. Aliae autem paragraphi in minimis emendentur.

Prima animadversio respicit flatum, ut ita dicam, redactionis huius schematis speciatim ex n. 5 ad n. 12. Ibi certissime veritates theologicae ita exprimuntur ut sine dubio male afficiant animos illorum qui nobiscum communionem non habent. Tonus fit quidem benevolentior inde a n. 12, sed malam impressionem initialem supprimere nequit. Huiusmodi enim benevolentia non parvam discrepantiam inducit cum illis quae praecedenter asserta sunt modo peremptorio et exclusivo circa auctoritatem Romani Pontificis, nulla ratione habita lugendorum eventuum temporis anteacti, ita ut in distribuendis historicis responsabilitatibus auctores schematis aliqua iniusta partialitate laborare videantur. Nec immemores esse licet sermonem in hoc schemate dirigi ad Ecclesiam Orientalem, quae Ecclesia est plene apostolica in suis elementis constitutivis, et clare distincta a latinitate. Siquidem illa est Ecclesia primogenita a Christo eiusdemque sanctis Apostolis. Huius Ecclesiae evolutio atque organizatio sunt, historice loquendo, opus exclusivum Patrum nostrorum, nempe Patrum Graecorum et Orientalium. Huius Ecclesiae existentia atque elementa constitutiva debentur Collegio Apostolorum, quod Collegium semper adhuc vivit in episcopatu collegialiter sumpto, cuius centrum est Petrus cum suis responsabilitatibus atque iuribus specificis. Huiusmodi Ecclesia Orientalis, historice loquendo, Sedi Romanae non debet nec originem suam, nec ritus suos, nec organizationem suam, nec ulla alia quae concrete eam constituunt. Aliis verbis, nemo praeterquam Patres eam genuit in fide eamque constituit in toto suo proprio patrimonio orationis, organizationis et activitatis. Num dici possit S. Basilium, vel Gregorium, vel Cyrillum, vel Chrysostomum aliosque esse catholicos secundi ordinis quia non sunt romani in illis quae receperunt et in illis quae tradiderunt? Si velimus igitur efficaciter loqui cum Oriente Orthodoxo, coram eo sermonem ante omnia facere debemus de doctrina catholica collegialitatis omnium pastorum in Ecclesia. Postea loqui potest de primatu Romani Pontificis qui tunc apparebit uti fundamentum et centrum huiusmodi collegialitatis. Haec observatio maximi est momenti eamque oblivisci mortale nocumentum affert.

Secunda animadversio: Defuit in hoc quoque schemate parando desiderata collaboratio inter commissiones praeparatorias nostri Concilii. Inde factum est quod nobis tradita sunt de una eademque materia tria schemata. Primum, de quo agitur, paratum a commissione de Ecclesiis Orientalibus; secundum cui titulus *de Oecumenismo* paratum a secretariatu pro unione christianorum; tertium est capitulum *de Oecumenismo* in schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* paratum a commissione de doctrina fidei et morum. Axioma nostrum arabicum dicit: « quando plures manus in coquendis alimentis simul iniiciuntur, alimenta male versantur! ». Tria haec schemata respiciunt quidem aliquoties varios aspectus eiusdem quaestionis. Sed omnibus perspicuum est tria haec schemata de eadem materia tractare. Oportet

igitur ut sub titulo *de unione christianorum,* vel alio huiusmodi, unus tantum textus proponatur, qui sit elaboratus ab aliqua sub-commissione mixta cuius membra ex tribus praedictis organismis seligerentur. Hoc modo res melius tractabitur, et in Concilio minus temporis tereretur.

Tertia animadversio: Schema quod nobis hodie proponitur titulum generalem prae se fert *de Ecclesiae unitate.* Sed rebus bene consideratis, in eo aliquae tantum inveniuntur considerationes generales post quas textus amplius non loquitur nisi de mediis ad fovendam unionem cum fratribus Orthodoxis Orientalibus. Sub hoc aspectu, schema nostrum constituere poterit capitulum peculiare in schemate generali *de Oecumenismo* quod faciendum proponimus. Meo enim humili sensu, in huiusmodi schemate generali et unico de oecumenismo, oportet ut sermo peculiariter fiat de fratribus Orthodoxis Orientalibus. Si enim principia generalia de oecumenismo valent pro omnibus, media tamen practica ad instaurandum dialogum cum fratribus Orthodoxis eadem esse nequeunt ac illa quibus utimur cum fratribus Protestantibus. Fratribus Orthodoxis proximiores nos sumus in fide. Eosdem admittimus ac illi modos transmissionis divinae revelationis. Nobis ac illis eaedem institutiones hierarchicae, excepto primatu Romani Pontificis, eadem sunt Sacramenta, eadem liturgia, eadem tot alia bona communia ita ut quae nos in unum congregant multo maiora atque profundiora sunt quam illa quae nos ab invicem disiungunt. Cum fratribus autem Protestantibus unio nobis quaerenda est sub aliis, uti dicam, perspectivis.

Venerabiles Fratres, unio omnium Ecclesiarum est pro nobis omnibus problema grave et vitale. Pro nobis autem in specie, nempe pro orientalibus catholicis ritus byzantini, scissio Ecclesiarum est vulnus semper adhuc sanguinolans quo afficitur profundiori quo possit modo anima nostra. Unio omnium Ecclesiarum est maxima nostra sollicitudo, prima nostra occupatio, fervidum quoque nostrum desiderium. Est etiam illa unio finis ad quem omnibus viribus contendimus, et cuius auspicamur nos esse victimam redemptricem usque dum in rem deducatur. Operam enim navare pro unione Ecclesiarum est aliquo modo ipsa ratio nostrae existentiae, necnon praecipua missio quam nobis Dominus concredidit sive individualiter sive collective. Nos catholici ritus byzantini et fratres nostri Orthodoxi, etsi in varias distinguimur nationes, unam tantum constituimus familiam in sua forma mentis religiosa, in sua liturgia, in sua spirituali historia et in maxima parte suarum reactionum. Illis nos uniri non minus premit quam illos uniri nobis. Tempus est ut omnes qui christiano gloriantur nomine postponant antiqua eorundem dissidia in quibus evolvendis plus valuerunt utilitates humanae quam doctrinales discrepantiae. Tempus est ut ad rem tandem deducamus hoc ultimum desiderium Domini « ut omnes unum sint »! Dixi.

3

Exc.mus P. D. PRIMUS PRINCIPI
Archiepiscopus tit. Tyanensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres, dilecti Observatores,

Quoad schema propositum de Ecclesiae unitate, duo dicenda proponebam. At, quoad primum attinet — id est: argumenta quae continentur in hoc schemate fere omnia inveniuntur in schemate de constitutione dogmatica de Ecclesia —, cum haec animadversio cadat per ea quae praemisit secretarius generalis ante nostram disceptationem, ergo transeo ad secundam animadversionem.[1]

Hoc schema eadem vestigia premit infausti conaminis quod Summus Pontifex Leo XIII, elapso saeculo, expertus est. In hoc decreto enim ex tredecim allegationibus quae in notis ponuntur (pagg. 267 et 268), undecim ex documentis Leonis XIII depromptae sunt.

Sane nemo est qui ignoret quomodo motio oecumenica, quam Summus Pontifex cum speciali secretariatu pro unione creaverat, infelicem exitum habuit.

Quod praecipue factum est, proh dolor!, quamvis Summus Pontifex et Vladimirus Soloviev, philosophus mysticus e Russia, immature mortuus initio huius saeculi, aliique unionistae continuo repetebant illa quae leguntur in par. 47, 48 et 49 huius decreti.

Dicebant enim: fratres separati « non ingenti discrimine seiunguntur »; si isti « bona fide extra Ecclesiam versantur, satis est ut formula quaedam simplex fidei professionis eis proponatur, qua potiores ac necessariae fidei veritates contineantur » etc.

Paucis verbis, omnes dicebant Ecclesiam catholicam et orthodoxam eamdem fidem praedicare et putabant fratribus separatis sufficere ut retinerent fidem quae in libris liturgicis legitur, dummodo Romani Pontificis primatum admitterent.

Dum hac via ac ratione secuti multi putabant se ad portum desideratae unionis pervenire, fratres separati obiiciebant dogma de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis et de infallibilitate Romani Pontificis, doctrinam de processione Spiritus Sancti, de epiclesi, de sorte animarum post mortem, etc., bene examinanda esse.

Hac ratione ipsi Ecclesiam catholicam accusabant quasi curam non gereret de fidei puritate evangelica, sed tantum de primatu Romani Pontificis, timentes ne primatu Romani Pontificis admisso, ipsi errores et innovationes catholicorum amplectere deberent.

Venerabiles Fratres, ex historia lux. Caveamus ne iterum in errorem, elapso saeculo peractum, incidamus.

Quare, practice, proponere audeo ut huius schematis discussio ad futurum tempus remittatur et cum schemate dogmatico de Ecclesia tractetur; tamen in mente retinendo ea quae sub n. 46 leguntur et quae valde placent, id est de instauranda Congregatione quadam virorum peritorum ex orientali et occidentali Ecclesia ad unionem utriusque Ecclesiae fovendam.

In textu scripto tradito: [1] Quoad schema propositum *de Ecclesiae unitate* haec duo dicenda puto: *a*) schematis huius argumenta omnia in schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* iam distributo, et proxime tractando continentur; ergo tempus terimus. Schema enim constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* legenti apparet omnia quae in hoc decreto adsunt, clarius et diffusius ibidem inveniri. Hoc potissimum valet de cap. XI quod inscribitur *de oecumenismo* (pagg. 80-90), ubi in octo paragraphis sermo fit de vinculis exsistentibus et de unitate a Christo intenta; de habitudine Ecclesiae catholicae ad christianos singulos separatos; de habitudine Ecclesiae catholicae ad communitates christianas separatas; de motione oecumenica; de communione in sacris liturgicis et de cooperatione in genere inter catholicos et christianos separatos. Cur ergo bis in iisdem agere debemus?

4

EXC.MUS P. D. ANTONIUS PAWLOWSKI

Episcopus Vladislaviensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Pontifices Romani sat superque mentem suam patefecerunt de iis, quae ad restaurandam unitatem christianorum adhiberi debent. Praecipua huius doctrinae capita decursu saeculorum constanter et cum fiducia proposita, in schemate synthetice et systematice, congrue quidem, redacta sunt.

De ritibus orientalibus plura bona dicuntur in schemate, de eorum praesertim dignitate, utilitate, pulchritudine et conservatione. Recte quoque agnoscitur existere in ritu aliquid relativi, quod in mutationibus seu evolutione formae liturgicae manifestatur, originem sumenti sive ex interna ritus indole structuraque, sive ex quadam necessitate pastorali. Quae verbis schematis illustrantur, n. 25, pag. 259; en verba schematis: « quapropter vera Christi Ecclesia, sicut magnopere studet ea custodire inviolata quae, utpote divina, immutabilia accepit, ita in usurpandis

eorundem formis nonnunquam concedit novi aliquid vel indulget, in iis praesertim quae cum venerabili antiquitate conveniant ».

Licebit igitur evolutionem rituum fovere, sive quoad nova acquirenda sive quoad antiqua recuperanda, his tamen cautelis servandis, ne quid detrimenti ipsum opus oecumenicum, *opus unitatis*,[1] capiat:

1. ut res fiant maxima cum prudentia pastorali;
2. ut motiva sint mere ecclesiastica, non autem nationalia vel politica;
3. ut accedat approbatio legitimae auctoritatis ecclesiasticae.

Si autem ex hac evolutione quamdam differentiam a ritu communitatis separatae exsurgere acciderit, hoc non undequaque malum aestimandum est, cum poterit etiam praeseferre, saltem practice, aliquid boni, uti exempli gratia, maior firmitas in fideli communione cum Sede Apostolica et Christi Vicario.

Media quae ad fovendam unitatem suggerentur, principaliter de fratribus *separatis orientalibus*[2] valent, attamen, si excipiantur ea quae de mediis liturgicis proferuntur, non pauca alia, et praesertim media supernaturalia et psychologica, applicari possunt confessionibus dissidentibus in occidente.

In schemate n. 22, pag. 258, praecavet a falso irenismo ad mentem Litterarum Encyclicarum *Humani Generis* fel. rec. Papae Pii XII: « Caveant tamen theologi — en verba —, et qui unitati ecclesiasticae adlaborant, ne falso irenismo quodam ducti, doctrinam catholicam ita conforment vel quodammodo accommodent doctrinis dissidentium, ut puritas doctrinae catholicae eiusque claritas detrimentum patiatur vel etiam sensus genuinus et certus obscuretur ». Postea autem bis, nempe n. 29, pag. 260, lin. 25, et n. 30, pag. 261, lin. 5, positive extollitur irenismus « solo studio veritatis et caritatis ductus », quin limites clare designentur. At in re tam gravi hoc esset utilissimum, ne dicam necessarium.

Praeterea animadvertere iuvat, quali irenismo sapiant ea quae dicuntur sub n. 49, pag. 266, ubi agitur de redeuntibus ad Ecclesiam, quibus ea nonnisi professio fidei « proponatur, qua potiores ac necessariae fidei veritates, eae praesertim quae Ecclesiae unitatem respiciunt, contineantur ». Aliud enim est fidei formalis professio et aliud intima agnitio omnium veritatum, quae ab Ecclesia praedicantur et fideles obligant. In formulis fidei plures quidem articuli singillatim recensentur, attamen omnia quae ad obiectum fidei catholicae pertinent, saltem implicite et in confuso, ut ita dicam, agnosci debent ab Ecclesiae filiis. Haecce verba citata valerent potius de reditu totius cuiusdam communitatis separatae, quam de conversionibus individualibus.

Tandem hoc etiam addere in materia de irenismo opportunum censeo. Quandoque, et haud raro quidem, audent nonnulli auctores catholici, praesertim in re historica, nimis inculpare Ecclesiam latinam de causis et origine divisionum inter christianos. Velint saltem eadem caritate irenica uti erga Matrem Ecclesiam, qua utuntur erga alias communitates christianas, agendo scilicet cum obiectivitate et debito cum moderamine.

Particularia omittam et concludo.[3]

Ad conclusionem, laudare velim quod sub n. 16, pag. 256, dicitur de Beatissima Virgine Maria, in qua tota spes reponenda est. Ipsa enim est « permagnum praesidium unitatis christianae, divinitus datum » atque unitatis christianae fautrix; ipsa tandem, pro cultu sibi a fratribus dissidentibus Orientis exhibito, illos remunerabit sincero et effectivo desiderio, quo ad Ecclesiam veram, unam et apostolicam — *ad Ecclesiam scilicet Romanam Catholicam*[4] — viam invenient. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] dissidentibus Orientis. [3] Nunc duo quaedam particularis indolis: *a*) in n. 31, pag. 254, lin. 1, verba ex Evangelio *Io.* 8, 7 omittenda esse censeo, quia non sunt ad rem; *b*) in n. autem 10, pag. 254, lin. 28, ubi verbum « fratres » bis repetitur, mallem dicere: « Haec sunt bona communia vi quorum fratres, etsi separati, remanent aliquatenus domestici Dei ». Et hoc quidem propter rationem stylisticam et ad quandam benevolentiam dissidentibus ostendendam. [4] deest.

5

Exc.mus P. D. PHILIPPUS NABAA
Archiepiscopus Berytensis et Gibailensis Melchitarum

Venerabiles Patres, Observatores carissimi,

Schema decreti *de Ecclesiae unitate*: *ut unum sint,* in sua forma quae ad discussionem Patrum conciliarium praesentatur, mihi non nisi iuxta modum placet. Copiosam materiam enim amplectitur et multa dicit de unione sub respectu dogmatico, liturgico et pastorali. Sed non de omnibus argumentis feliciter dicit. Attamen facile amputari et emendari potest ac debet. Et cum de re maximi momenti agendum sit, immo de re principali ad quam totum Concilium Oecumenicum Vaticanum II indirecte tendit, et quam omnes christiani exspectant a Concilio, necesse est ut hoc decretum, quod votum Concilii de unione declarat, in efficaciore modo mundo christiano praesentetur. Ad hoc opus perficiendum videntur idoneae sequentes animadversiones generales.

Prima animadversio: *Iam facta est ab exc.mo secretario generali.*[1] Verumtamen hoc decretum *de unitate* non loquitur de omnibus Ecclesiis separatis, sed solummodo de unione Ecclesiae Orientalis Orthodoxae cum Ecclesia catholica. Et recte agit, quia Ecclesia Orientalis Orthodoxa multa habet communia cum Ecclesia catholica in professione fidei, in doctrina sacramentorum, in successione apostolica, et cetera. Ac proinde eius reditus ad sinum Ecclesiae catholicae requirit disquisitiones et conditiones particulares et proprias.

Secunda animadversio: Ad fovendam hanc unionem, schema proponit media diversa et ea dividit in media supernaturalia, theologica, liturgica, canonica seu disciplinaria, psychologica et practica. Et optime disserit de omnibus, ita ut quae dicta sunt, haberi possint veluti prooemium et firma positio ad instaurandam disceptationem inter Ecclesiam Catholicam et Orthodoxam.

Verumtamen quando schema tractat de mediis practicis, citat aliqua media ordinaria et quidem bona, verbi gratia, motum oecumenicum, studia orientalia, diem pro Oriente, et cetera, sed silet de mediis efficacioribus, id est, de mediis quae viam certiorem et aptiorem ad unionem veram et perfectam parant. De his mediis fortioribus schema dicit tantum, par. 38: « Sancta haec oecumenica Synodus omnibus enixe commendat ut media efficaciora adhibeant ut desiderium hoc exoptato coronetur fructu ».

Liceat hic humili episcopo catholico orientali, qui fuit et remanet in continua relatione cum multis fratribus orthodoxis, liceat mihi quaedam explicatio sincera de methodo practica et efficaciore ad unionem christianam fovendam et instaurandam. Procul dubio, haec methodus fundari debet in veritate et caritate, seu potius et melius, in caritate ad veritatem. Etenim in via ad unionem, habentur gravissimae difficultates, et nonnisi caritas ostendet veritatem et cantabit victoriam unionis. In multis enim regionibus Orientis, unio immediata haberi nequit. Oportet primum inclinare corda ad communionem et dare novum spiritum consuetudinibus nostris cum fratribus separatis, ita ut dilatentur, sicut hodie dicitur, spatia caritatis.

In hac via aptiore, caritas multa suadet vel praecipit ad unionem, in vita sociali et religiosa. Exempla sint sequentia: collaborare cum acatholicis, cum agitur de initianda opera communi beneficentiae, de dignitate personae humanae defendenda, de iustitia promovenda, de ethica propugnanda.

Alterum exemplum: festa communia et praesertim Nativitatem et Pascham in eadem die celebrare. Haec celebratio communis magnum est signum caritatis et unionis. Insuper nonnullae leges de communicatione

in divinis obstant unioni vel eam difficiliorem reddunt. Mea humili sententia, et remoto periculo perversionis, hae leges molliantur aut etiam tollantur. Et quod attinet ad matrimonia mixta, censeo quod abroganda est, in regionibus Orientalibus, forma matrimonii, sicuti erat ante novum codicem Orientalem. Etenim lex quae imponit formam catholicam matrimoniis mixtis, sub poena nullitatis, est valde onerosa, moraliter impossibilis et unionem, vel spem unionis, impedit.

Tertia animadversio: In schemate, sicuti in tota litteratura unionistica, via unionis dicitur reditus fratrum separatorum ad domum ab ipsis derelictam. Sed, quidquid sit de hoc conceptu, in hoc reditu ad nos, oportet considerare statum animorum fratrum nostrorum, fragilitates humanas quae ad divisionem conduxerunt, et veritatem historicam. Videtur opportunum, ad reconciliationem fovendam, plus quam antea, publice assumere partem culpabilitatis pro divisionibus, saeculis undecimo et decimo sexto et aliis exortis. Abusus enim in Ecclesia, illis temporibus, non quidem iustificationem, certo vero ansam dederunt orientalibus orthodoxis et protestantibus. Unde rebus fidei et morum exceptis, ipsi catholici habent obligationem redeundi ad fratres separatos et alloquendi eos, cum sano iudicio et benevolo affectu. Cum hoc reditu catholico, multae difficultates superabuntur, fraterna reactio amplior et favorabilior ad unionem determinabitur, multa merita fratrum videbuntur et agnoscentur.

Quarta animadversio et ultima: In schemate, par. 25, 26, 27, in memoriam evocatur solemnis declaratio a Papa Paulo V prolata, et post eum a multis summis pontificibus repetita, de omnibus sacris ritibus et caeremoniis Orientalibus integre custodiendis. « Quapropter, ut ait Papa Paulus V, vera Christi Ecclesia, sicut magnopere studet ea custodire inviolata quae, utpote divina, immutabilia accepit, ita in usurpandis eorum formis nonnumquam concedit novi aliquid vel indulget, in iis praesertim quae cum venerabili antiquitate conveniant ».

Et quod de ritibus dictum est, idem valet etiam de legitimis disciplinis, de iure et de privilegiis orientalium. « Quippe rei catholicae, ut declarat Papa Leo XIII in suo Motu proprio *Auspicia rerum,* valde nimirum interest eam omnino tolli ac dilui opinionem quae quosdam ex Orientalibus tenuit, perinde ac si de ipsorum iure, de privilegiis, de rituali consuetudine vellent Latini detractum quidquam et deminutum ».

Hae authenticae declarationes pontificiae sunt solemnes et graves promissiones, et sicuti aliquod foedus Apostolicae Sedis Romanae cum Ecclesiis Apostolicis Orientalibus.

Applicandae sunt igitur hae promissiones apostolicae ad probationem certam exhibendam de veritate promissionis et foederis. Applican-

dae sunt ad veram unionem in dignitate fovendam. Applicandae sunt in actis concretis: in recognoscendis iuribus et privilegiis patriarcharum, in instauranda disciplina Ecclesiae Orientalis, in affirmanda et roboranda vera potestate episcoporum et eorum synodorum. Applicandae sunt in hoc Concilio Oecumenico, ita ut omnes fratres separati, veritatem effectivam videntes, in domum eorum redeant et in loco digniore sedeant, et ita omnes fratres christiani unum sint in una eademque Ecclesia Christi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Pars dogmatica decreti, sicuti indicata et definita est a rev. Relatore schematis, tollenda est e decreto, et remittenda ad constitutionem dogmaticam *de Ecclesia,* ubi habet relationem logicam et locum naturalem. Unde omnia quae dicta sunt, in prioribus paragraphis, de « Opere Redemptionis », de « Ecclesia terrestri et caelesti », de « Ecclesia hierarchica », de « unitate visibili Ecclesiae sub Petro », de « unitate Ecclesiae indivisibilis », et omnia alia quae directe spectant dogma unitatis Ecclesiae, nonnisi summatim et per transennam tractanda sunt in hoc schemate. Et sic apparebit decretum *Ut unum sint* in sua vera et propria forma, i. e. ut solemnis declaratio Concilii Vaticani II de unione, et ut fundamentum solidum ad collaborationem generalem et fecundam pro illo magno et divino opere.

6

Exc.mus P. D. IOSEPH PARECATTIL
Archiepiscopus Ernakulamensis

Venerabiles Patres et Fratres carissimi,

Schema *de Ecclesiae unitate*: *ut omnes unum sint,* in genere placet, tum quia ardens desiderium manifestatur viam aperiendi pro fratribus dissidentibus digne et facillime Ecclesiam ingrediendi, tum quia varia media suggeruntur pro illa reunione fovenda et efficienda. Velim tamen aliquas animadversiones facere, praesertim ex aspectu pastorali.

1. In documentis ecclesiasticis, v. g. in Iure Canonico, et etiam in hoc schemate, inveniuntur expressiones quae sonant quod ritus orientales vel Ecclesiae orientales sunt ornamenta Ecclesiae universalis et augent pulchritudinem Corporis Christi, etc. Intelligo quid intenditur his verbis et video bonam intentionem et magnanimitatem quae his expressionibus subsunt. Nihilominus non multum amo eas *expressiones,*[1] quia ritus orientales non egent tali apologia pro existentia sua, cum ipsi sint directe vel indirecte ab Apostolis, et Apostoli a Christo...[2] Ecclesiae et ritus orientales non sunt mere ornamenta vel ornatus Ecclesiae, sed sunt partes integrales Ecclesiae universalis, quod factum, ut mihi

videtur, semper in clariori luce ponendum est; *dico clariori luce quia hoc factum omnes admittunt.*[3]

2. Inter media proposita ad unionem promovendam sunt ea quae vocantur liturgica (vide nn. 23 et 24). Ad finem n. 24, legimus: « Maxima igitur religione praeprimis ipsi Orientales suos ritus liturgicos observent in eisque cognitionem semper maiorem usumque semper perfectiorem capiant, si ab iis ob temporum vel personarum adiuncta aliquo modo defecerint, ad avitas venerandasque memoria redire gaudeant ». In ultima parte sententiae videtur esse error typographicus: loco verbi « memoria » debet esse « memorias ».

Ad rem quod attinet, habetur ibi duplex quaestio: una est de necessitate conservandi ritus liturgicos actu in aliqua Ecclesia vigentes; alia est de necessitate redeundi ad observationes liturgicas, quae olim in aliqua Ecclesia particulari vigebant et postea mutatae fuerunt vel evanuerunt, ob temporum vel personarum adiuncta. In hac secunda quaestione, caute et maxima cum prudentia procedendum est, *ut experientia patet,*[4] attendendo ante omnia ad aspectum pastoralem ita ut bono animarum semper consulatur. Mutatis adiunctis personarum, temporum et rerum, decursu annorum vel saeculorum, inquirendum erit utrum christifideles revera gaudeant nunc redire ad omnes caeremonias consuetudinesque antiquas, immo obsoletas, etiamsi eae sint de patrimonio sui ritus, v. g. ubi fideles consueti sunt recipere sacram Communionem genuflectentes, non erit facile ipsis persuadere ut eam recipiant stantes. Periculum potest esse per defectum et per excessum; virtus vero stat in medio.

Quae cum ita sint, ut periculum excessus hac in re vitetur, velim addere hanc clausulam ad finem n. 24: « In his omnibus rebus, pastores attentis actualibus adiunctis, ante omnia bono animarum consulant ».

3. In nn. 38-52, varia proponuntur media practica apta ad faciliorem reddendam unionem fratrum dissidentium cum Ecclesia catholica.

Propono etiam aliquod aliud medium necessarium et magni momenti, perspectis praesertim conditionibus in India vigentibus. Multi christiani ritus orientalis, tum catholici tum acatholici, migrant a Malabar, ubi nati sunt, ad alias partes praesertim ad magnas civitates Indiae, civilis officii, commercii aliorumve negotiorum causa, et in illis locis acquirunt domicilium vel quasi domicilium. Ubi habetur sufficiens numerus christifidelium ritus orientalis, necesse est etiam ut habeantur ecclesiae et pastores ritus orientalis. Imprimis hoc requiritur ut fideles catholici possint in suo ritu sacris solemniis assistere et ritum proprium et traditiones suas historicas conservare, secundum litteras et spiritum instructionum Sanctae Sedis. Vide canones primum et secundum Iuris

Orientalis *de Personis* (Motu proprio *Cleri sanctitati*). In America et Europa, ubicumque habeatur sufficiens numerus fidelium alicuius ritus orientalis, habentur etiam ecclesiae et pastores illius ritus orientalis. Ut ianua Ecclesiae catholicae aliis christianis pateat, haec praxis commendanda est, immo tamquam norma generalis assumenda est. Fratres enim dissidentes rituum orientalium generatim nolunt ritum latinum amplecti, et malunt certe ad ritum orientalem adscribi. Carentia huiusmodi facilitatis esset obstaculum aliquod pro unione eorum cum Ecclesia.

Praeterea notandum est quod Iacobitae, Marthomitae et alii fratres separati ritus orientalis habent suos pastores et suas ecclesias etiam in variis locis *Indiae* [5] extra Malabar. Hoc privilegium denegari non debet catholicis, praesertim quia ad unionem fratrum dissidentium cum Ecclesia catholica fovendam hoc multum iuvabit, ut dictum est.

4. Ad finem « unionis » consequendum, in mea humili opinione, valde utile erit conferentias episcopales mixtas catholicorum simul et acatholicorum, in variis regionibus erigere. Si vero tales conferentias modo permanenti constituere opportunum non videatur, saltem aliquoties, v. g. semel in anno coetus omnium episcoporum christianorum, in unaquaque regione convocentur. Ad hoc efficiendum, initium debet provenire ex parte episcopatus catholici.

Nos episcopi Status Keralae in India experientiam habuimus talium conventuum episcopalium. Quando luctam pro nostris scholis tempore gubernii communistici peregimus, nos omnes episcopi Keralae, inter quos enumerantur catholici, Iacobitae, Marthomitae, Anglicani, Church of South India et alii, communem conventum habuimus et commissionem actionis episcopalem communem elegimus, cui concredita fuit facultas, omnium nomine, rem persequendi. Eventus ille maximum fructum produxit et optimum exemplum praebuit laicis omnium denominationum christianarum, qui unitis viribus et concorditer causam persequentes, ad felicem exitum eam conduxerunt.

Similes conferentiae episcopales mixtae bonum fructum producere possunt etiam in campo religionis, praesertim quoad unitatem Ecclesiae, quam prae oculis habemus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] imprimis. [2] Insuper. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

7

EXC.MUS P. D. ANDREAS SAPELAK
Episcopus tit. Sebastopolitanus in Thracia

Venerabiles Patres Conciliares,

Schema decreti *de Ecclesiae unitate* nobis proponitur ut problema in se stans, praetermittendo ea quae in schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* de oecumenismo loquitur.

Et ex textu ac contextu schematis apparet, ut iam dictum est, quod de Ecclesiis orientalibus praesertim atque directe loquitur. Et ideo in hac disputatione est clare praecisandus terminus « fratres separati », quia haec distinctio est necessaria ad evitandam ambiguitatem. Distantia enim in materia theologica, liturgica, disciplinari inter fratres separatos orientis ac occidentis tam magna est ut solum primi valde sunt proximi catholicis.

Dum in hoc schemate *de Ecclesiae unitate,* principaliter de fratribus orientalibus loquitur, tamen non desunt numeri ubi etiam generatim de fratribus separatis est sermo, sicut in nn. 29 et sequentibus, cum de « mediis psychologicis » agitur; componere unum schema quod simul et adaequate respiceret fratres separatos orientis atque occidentis impossibile *mihi videtur.*[1] Ideo meo humili iudicio, schema decreti *de unitate Ecclesiae* necessario separatim orientem christianum respicere debet, sicut problema in se stans. Hoc tantum in ipso schemate his, vel similibus, verbis addendum est:

« Inter normas *de Ecclesiae unitate* nonnullae habentur quae tum ad fratres separatos orientis ac occidentis applicari possunt ac debent, licet ipsae directe et principaliter fratres orientales separatos spectare intelligendae sint, sed spiritus unionisticus caritatis et fraternitatis omnes separatos fratres afficit ».

2. Ut decretum *de unitate Ecclesiae* tamquam certa et secura basis ab hoc Sacrosancto Concilio instituatur, quae ulteriores gradus ad unionem cum fratribus orientalibus dirigat, hoc praesertim tempora nostra exigunt. Et tempora iam matura videntur.

Iam a pontificatu Leonis XIII, felicis recordationis, seu ab Encyclica *Orientalium dignitas* usque hodierna tempora multa facta sunt quae unioni fratrum orientalium favent; sed nunc magis magisque in pontificatu Sanctissimi Domini nostri Papae Ioannis XXIII, feliciter regnantis, hi gradus brevi tempore mirandas proportiones obtinuerunt.

Ipse enim Summus Pontifex viginti annos in Oriente, inter fratres

separatos degit, et hoc providentialiter, ita ut nunc fratres orientales separati adspiciunt ad Suam augustam Personam tamquam ad Patrem communem ut properet tempora unionis.

Benevolentia Summi Pontificis, feliciter regnantis, erga orientales habuit tamquam suum culmen cum ipse Pontifex habitu orientali solemnem Missam Pontificalem in Ritu Byzantino graeca lingua celebravit, eodemque ritu, rev.mum Acacium Coussa, carissimae memoriae, episcopum consecravit, qui paulo post cardinalis creatus est.

Meo humili iudicio, hoc schema *de unitate Ecclesiae* sicuti est, et necessitatibus hodiernis quoad unionem cum fratribus orthodoxis correspondet, et cogitationes, animum atque cor Summi Pontificis Ioannis XXIII ad orientem christianum quam proxime exprimit. Ideo schema sicuti est approbetur: non tamen de singulis loquor, sed de spiritu qui totum decretum animat.

Forsitan ipse textus in nonnullis numeris possit videri prolixus; tamen notandum est quod ille textus fieri debet accessibilis duabus mentalitatibus: orientali nempe et occidentali; ideo mihi videtur nimis non insistendum esse quoad ipsas expressiones.

3. Etiamsi multa adsunt quae unionem cum fratribus orientalibus separatis specialiter nunc favent, non desunt tamen obstacula, de quibus clare loquitur in n. 13 huius schematis, in pag. 255, lin. 23 et sequentes... « Tot et tanta adhuc remanent obstacula unitati verae et firmae adversantia, ut de felici successu illis qui tot viribus in sedanda controversia elaborant desperandum sit, nisi Dominum Iesum in Evangelio dicentem audiamus: « Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt... etc. ». Propter hoc ad Mariam Sanctissimam fautricem unitatis christianae recurrendum est sicuti in schemate *de beata Virgine* suadetur, eam fautricem unitatis atque adiutricem christianorum recognoscendo; et in schemate *de unione Ecclesiae,* in n. 16: « Ipsa fiat felix et diuturnum unitatis christifidelium vinculum et columen... ».

Ideo humiliter proponere audeo ut Beata Virgo Maria sub titulo « Adiutricis *vel auxilii* [2] christianorum » tamquam patrocinium ac patrona unionis christianorum ab hoc Sacrosancto Concilio solemniter proclametur.

Itemque S. Iosaphat, martyr unionis, patronus eiusdem unitatis proclametur. Sit ille praeclarum exemplar ac Patronus iis omnibus qui pro unitate laborant, patiuntur, periclitantur! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] est. [2] deest.

8

Exc.mus P. D. AMBROSIUS SENYSHYN
Archiepiscopus Philadelphiensis Ucrainorum

Em.me Praeses ac venerabiles Patres Conciliares,

Schema decreti *de Ecclesiae unitate* in genere placet. Quasdam tamen propositiones Patribus exponendas habeo.

Prima propositio. Decretum hoc veniat, non uti in schemate proposito post constitutionem *de instrumentis communicationis,* cum quibus nullam connexionem habet, sed ponatur tamquam corollarium constitutionis *de Ecclesia,* quia revera huius est logica consequentia.

Hoc modo evitentur repetitiones positionum, quae de eodem argumento agunt tum in constitutione *de Ecclesia,* tum in decreto *de Ecclesiae unitate.*

Itaque in hoc decreto eliminentur omnes numeri a primo usque ad octavum inclusive, qui de Ecclesiae constitutione, uti corpore Christi, de primatu, de hierarchia, etc. tractant, quae omnia ex professo in constitutione *de Ecclesia* iterum tractantur.

Econtra, eodem modo expungantur ex constitutione *de Ecclesia* ea quae de unione cum separatis agunt (totus n. 10), quia de hoc argumento ex professo agit nostrum decretum *de Ecclesiae unitate.*

Secunda mea propositio. In decreto *de Ecclesiae unitate* potior pars agit, et quidem laudabiliter, de mediis unitatis cum fratribus separatis, circa quae haec habeo animadvertenda.

In schemate nihil habetur de communicatione in sacris specifice cum fratribus separatis, qui saepe offensi se sentiunt, dum eis eaedem normae rigidae communicationis in sacris applicantur ac protestantibus. Mea animadversio, venerabiles Patres, est circa sacramentologiam orthodoxorum, quae valde differt ab illa protestantium (hoc dico sine ulla offensione). Ipsi enim habent veram hierarchiam, verum sacerdotium, veram Missam offerunt, agnoscunt et habent eadem, ac nos, septem sacramenta, ideoque aequare eos hac in re cum protestantibus, uti pluries fit, non opportunum esse videtur.

Dum ergo hic media unionis consideramus, attentio nostra dirigatur oportet etiam ad hoc obstaculum nostrae ad eos appropinquationis, ne impedimenta imponamus, ubi lex divina hoc non requirit. Sed in schemate nostri decreti hac de re, ut dixi, ne verbum quidem.

Verum quidem in schemate constitutionis *de Ecclesia* tractantur normae, de quibus supra, communicationis in sacris — hic tamen eas pecu-

liariter ad fratres Orthodoxos applicandas considerare opportunum esset sub aspectu unionistico...[1] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] *Tertia propositio*: Cum inter orthodoxos et protestantes, uti indicavimus, magna intercedat differentia doctrinalis et sacramentalis, ideoque puto, ad unionem cum eis instaurandam duo distincta Dicasteria erigenda esse seu occupari debere, i. e. S. Congregationem pro Ecclesia Orientali, et secretariatum pro unione.

9

EXC.MUS P. D. ANTONIUS VUCCINO
Archiepiscopus tit. Aprensis

Venerabiles Fratres,

Ante omnia mirationem movet lectoris, tituli optio: schema decreti *de unitate Ecclesiae*. Quaeritur igitur utrum unitas Ecclesiae minorem habet valorem quam instrumenta communicationis socialis quae honorantur titulo: schema constitutionis.

Deinde, valde grati sumus his omnibus qui elucubrati sunt, circa unicum thema de Ecclesiae unitate, quasi tria schemata, quae oriuntur, ut iam dictum est, e duabus commissionibus: theologica scilicet et pro Ecclesia Orientali et secretariatu de unitate, cuius adventus quam maxime a Patribus desideratur.

Quaeri potest unde tam sparsus et prolixus sermo circa unicum thema. Forsitan e defectu cooperationis supradictarum commissionum quae diversa schemata confecerunt. Nescio utrum iudicium meum temeritatem redolet. Quaeritur iterum cur Patres conciliares tenentur pati et etiam expiare, salva reverentia, tam substantiales imperfectiones quas facile potuissent evitare, invicem cooperando, supra memoratae commissiones praeparatoriae. Procedamus igitur in pace et cum patientia ad audiendum iterum atque iterum tres series disceptationum super unicum thema. Ut quid perditio temporis tam pretiosi? Nam in hac sacra aula decem momenta valent quingenti horas. His dictis proponitur:

1. Sub titulo *de Ecclesiae unitate* tria ponantur capita: *a*) Doctrina catholica de Ecclesiae unitate...[1] *b*) Doctrina Ecclesiae orthodoxae de Ecclesiae unitate...[2] *c*) Doctrina Ecclesiarum reformationis de Ecclesiae unitate...[3]

Adiungatur quartum caput sub titulo: De Oecumenismo, seu de conatu generali ad unionem inter omnes christianos obtinendam, sicut viget hodie apud omnes Ecclesias christianas.

Insuper in votis est ut novum efficiatur schema constitutionis de unitate Ecclesiae, cooperantibus commissione pro Ecclesia Orientali et secretariatu de unitate. Quod schema digne coronabitur si, meo saltem iudicio, ei adiungitur numerus sextus schematis constitutionis *de Beata Virgine Maria* sub titulo ibidem exhibito « Maria Sanctissima fautrix Ecclesiae unitatis ».

2. Et nunc aliqua de prima parte tantum schematis decreti *de Ecclesiae unitate* quae habetur in nn. 1-11.

Generalis animadversio: Tribus primis numeris exceptis, in omnibus aliis exponitur aspectus mere iuridicus, scilicet sicut hodie dicitur structura socialis, Ecclesiae. Enimvero, plus quam duodecim vicibus sermo fit de auctoritate, de iurisdictione, de potestate iudiciaria, gubernativa et repressiva Ecclesiae et Summi Pontificis, quae omnia necessaria quidem sunt, sed secundum voluntatem Christi unice ordinantur, sicut media ad finem, ad aedificationem Corporis eiusdem Christi. Unde non sine maxima animi anxietate, quaeritur quantum iuvat talis descriptio mere iuridica Ecclesiae Christi ad aperiendum et prosequendum dialogum cum fratribus nostris orthodoxis et protestantibus. Parcite mihi, venerabiles Fratres, si audeo communicare vobis intimam meam convictionem. Prima pars schematis decreti, de quo sermo nunc, non tantum non iuvat ad sustinendum et alendum dialogum oecumenicum, sed potius impedimentum illi infert, proindeque omnino illa pars schematis aliena est a sensu oecumenico.

Post peractam plus quam triginta annorum conversationem meam cum dilectis fratribus orthodoxis in regionibus Peninsulae Balcanicae possum testificari, experientiae suffultus personali, quod Ecclesiae descriptio, sicut ponitur in nostro schemate, non tantum non trahit ad se benevolentiam fratrum orthodoxorum sed e contrario repulsum eorum movet quasi instinctivum. Attendite mihi. Non loquor de doctrina mutanda, sed de modo doctrinae proponendae fratribus nostris. Nam viget apud nos catholicos ritus latini et post-tridentinos, consuetudo quasi traditionalis insistendi, non sine strepitu verborum, super auctoritatem et potestatem Ecclesiae catholicae summi Rectoris. Si propositum tenemus unionem christianorum fovendam, caveamus more latino loqui, et Sanctum Evangelium consulemus, ubi genuina veritas elucet.

Christus enim consuebat dicere de seipso: « Ego sum Pastor bonus. Ego sum ostium ovium. Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili et illas oportet me adducere et vocem meam (vocem boni Pastoris) audient et fiet unum ovile et unus Pastor »...[4] Iamvero, boni pastoris officium constituitur principaliter ex diaconia, id est, *ministerio* pastorali, quod secundum ipsum Christum procedit ex corde pastoris,

id est, ex amore illius erga gregem suum. Ipse etenim Christus interrogat Petrum: « Simon Ioannis amas me? » et post responsum affirmativum Simonis dicit ei : « Pasce oves meas ». Sequamur igitur, venerabiles Fratres, Sanctum Evangelium et modo evangelico alloquamur fratribus nostris acatholicis. Primatus Petri eiusque successorum principaliter constituitur ex diaconia quam ipse Christus Corypheo Apostolorum communicavit, non ad dominationem exercendam, sed potius ad gregem Christi pascendum et serviendum, ad quam curam pastoralem ordinatur, sicut medium ad finem, ipsa potestas iurisdictionis. Ipsa vero diaconia ex corde boni Summi Pastoris procedendo, animam sui Vicarii, mediante communicatione Spiritus Sancti, invadit et aedificat. Denique caritas, quod est vinculum perfectionis, omnes et omnia in Ecclesia regit et ordinat, non excepta potestate iurisdictionis, ad aedificationem Corporis Christi. Haec est genuina imago Summi Pastoris in Ecclesia quae dulciter allicit animas fratrum a nobis seiunctorum quas manu ductu Caritas ad unicum ovile feliciter conducit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] praecisa et evangelica. [2] genuina et praecisa. [3] obiectiva et praecisa. [4] (*Io.* 10, 9).

Praeses: Nunc loquitur exc.mus secretarius generalis Concilii ad summam suffragationum publicandam.

Secretarius generalis: Datur exitus suffragationis peractae:

Praesentes votantes	2160
Dederunt votum *placet*	2138
Vota *non placet*	15
Vota nulla	7 [1]

Cum maioritas requisita esset 1437 votorum, propositio approbata est.

---

[1] Horum septem suffragiorum duo erant *placet iuxta modum*.

10

Exc.mus P. D. DOROTHEUS FERNÁNDEZ Y FERNÁNDEZ

Episcopus tit. Castabalensis, coad. c.i.s. Pacensis

Em.mi Principes, venerabiles Patres, carissimi Observatores,

1. *Non possum non laudare in hoc schemate de unione Ecclesiae sincerum amorem et latitudinem cordis quem exhibet erga nostros fratres Orientales. Quaedam tamen habeo contra ipsum.*

Non est necessarium iam loqui de ineptitudine tituli ad exprimendas res sub eo contentas. Credidi [1] hic agendum esse de illa universali unione saepe a Pontificibus expressa, ab omnibus christianis desiderata, ab omnibus piis catholicis indesinenter a Deo postulata, a feliciter regnante Pontifice Ioanne XXIII in Encyclica *Ad Petri Cathedram* auspicata; sed oculis percurrendo quae in schemate continentur, inveni in eo tantum *pertractari* [2] de reditu fratrum Orientalium ad *Ecclesiam Romanam.* [3]

2. *Alia obiectio contra schema provenit ex non clara distinctione in ipso circa naturam huius doctrinae, in qua, ut mihi videtur, dogmatica non-dogmaticis miscentur.* [4] Dum enim septem primi numeri colorem habent doctrinae dogmaticae, patet numeros sequentes talis esse naturae ut non possint hoc nomine donari. Certum est Concilium posse res doctrinales exponere quin definire intendat, vel sua maxima auctoritate sacrare velit; sed optandum est ut in re doctrinali singula verba ponderentur, ita ut nec plus nec minus dicant quam doctrinae dogmaticae convenit.

Agi vero de re dogmatica mihi suadent, praeter materiam subiectam, illae quae adhibentur formulae, quae hanc praesumptionem confirmant. In n. 7, lin. 23, haec legimus: « Itaque... profitemur et declaramus unam tantum esse Ecclesiam... » etc.

Concilio, ergo, proponerem ut hi saltem primi numeri non eadem serie, et, ut ita dicam, successione cum aliis, qui praxim potius respiciunt, misceantur. Normae practicae ad unionem fovendam, quae hodie optimae videntur ad illum scopum obtinendum, augeri possunt, aut minui, aut immutari, sed non eodem quasi pondere firmentur ac principia fixa, quae fuerunt, sunt, et in aeternum manebunt.

3. Vellem praeterea a schemate abesse quosdam, meo iudicio, minus felices loquendi modos, qui, licet sint in ore omnium et periculo pro nobis careant, non recte veritatem significant. Tales essent illi, ubi est sermo de « aliis Ecclesiis », tamquam si praeter unam, nempe Ecclesiam quae super Petrum est fundata, aliae essent Ecclesiae, numero tantum

differentes, quae iure hoc nomine potirentur. Haec invenies in n. 7, lin. 29, et in n. 9, sub lin. 7. Et forte etiam alibi.

Omnes certe bene scimus non esse divisam Ecclesiam, ita ut plures habeantur Ecclesiae, sicut Christus non est divisus, sed sunt homines fratres nostri qui ab unica vera Ecclesia avulsi sunt, et in coetus alios abierunt, et quorum reditum desideramus et postulamus, ut sit unum ovile et unus Pastor.

Optime in hoc loco quadrant verba supra laudatae encyclicae *Ad Petri Cathedram*: « Unitas quam postulamus, ait Romanus Pontifex, non debet esse aliquid vacuum, incertum vel labile, sed solidum, stabile et securum; si enim aliis communitatibus christianis unitas deest, non abest ab Ecclesia catholica ».

Haec est, praeterea, doctrina in hoc ipso decreto luculenter exposita sub n. 7, lin. 24, ubi legimus: « Profitemur et declaramus unam tantum esse Ecclesiam, etiam secundum eius conditionem terrestrem, et istam veram Ecclesiam eam esse... » etc.

Verum est, ceteroquin, illos coetus religiosos gratia Christi irrigari, et eorum membra per sacramenta sanctificari, et per alias vias mysterio plenas, sed hoc non eis obvenit quia sunt tales coetus, sed quatenus ad veram Ecclesiam Christi aliquatenus pertinent.

4. Quoad media practica psychologica revocandi fratres ad paternam domum magni facienda est humilis ex nostra parte confessio; sed laudabilis confessio, sicut exigit manifestationem propriarum culparum, ita etiam non delectatur sed potius abhorret ab exhibitione culparum alienarum. Nihil homines magis adversos reddit, et alios ab aliis avertit, quam animus superbus illius cui semper praesto est ius, et ubique semper sese iustum praedicat, et supra alios sese extollit.

Orandi sunt ideo qui huic apostolatui incumbent, ut etiam ignobilia, si aliquando fuerunt ex parte nostra commissa, dimisso et flebili animo exponant; si quaedam dolenda in decursu historiae ipsi inveniant, sincere fateantur. Et certe invenient.

Clare eluceat in nostro cum illis commercio, nomen « catholici », quod portamus, unquam fuisse titulum superbiae et contemptus, sed gratitudinis erga Deum et humilitatis: longe sit a nobis semper de Ecclesia catholica loqui tanquam de « nostra » Ecclesia, sed loquamur potius de Ecclesia Christi cui subdimur et in cuius oboedientiam gloriamur, quia ipse est fundamentum quod alius non potest ponere.

Nec minus debet discerni a nostris conatibus unionis, species vitandi scandalum divisionis inter christianos, vel dilatandi fines Ecclesiae, quae expressio saporem habet temporalem; vel augendi fructus inde

proveniendi, sed exhibeamus nosmetipsos unice zelatores gloriae Dei et amoris Christi quem etiam ipsi amant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Humili et sincero animo exponere liceat sensa, quae mihi legenti schematis titulum de unitate Ecclesiae, ante omnia in mentem venere. Primo intuitu cogitavi. [2] tractari. [3] Ecclesiae Romanae sinum. Ab aliis Patribus hic stantibus postulavi quomodo ipsi titulum intellexerint, et omnes uno ore professi sunt se etiam eodem modo illud intellexisse, unde in suspicionem veni ne forsan ipse titulus non adaequate exprimeret quae sub eo continentur, et num forte alio deberet substitui, qui rem contentam aptius exprimeret. [4] Aliud dubium est circa naturam huius doctrinae, in qua dogmatica non dogmaticis miscentur.

11

EXC.MUS P. D. NEOPHYTUS EDELBY
Archiepiscopus tit. Edessenus Melchitarum

Venerabiles Patres,

Loquor tantummodo de introductione generali et praesertim a par. 1 ad par. 11.[1] Iamvero ut mentem meam magna cum simplicitate simul ac fraterna caritate patefaciam, fateri debeo quod si corpus schematis, paucis exceptis, *multis*[2] laudibus generaliter extollendum sit, non ita dici potest de hac introductione doctrinali, quae, *meo humili sensu,*[3] est prorsus incompleta, immo saepe minus recta.

1. Imprimis quidem (in par. 1 ad 5) praeponuntur textus selecti ex Sacra Scriptura de opere redemptionis, de Ecclesia terrestri et caelesti, et de Ecclesia hierarchica. Quae omnia iam optime dicuntur, sed ad tractatum de Ecclesia in genere pertinent potius quam ad decretum aliquod specificum et practicum de mediis ad fovendam unionem. Ceteroquin, textus allati non satis elucidantur ut ab illis aliqua deducantur principia ecclesiologica quae fundamentum praestent doctrinae catholicae de unitate christianorum. *Sunt textus neutri.*[4]

2. E contra huiusmodi doctrina *ecclesiologica de unitate* [5] contineri videtur in subsequentibus par. 6-11, ubi agitur de unitate visibili Ecclesiae sub Petro, de unitate Ecclesiae indivisibili, de unitate in diversitate, etc. Me dolet declarare has paragraphos, minime placere atque funditus recognosci debere, ita ut et spiritus quo animantur benevolentior fiat, et conspectus *eorum* [6] historicus securior sit, et doctrina theologica ibi contenta profundior. De hisce autem tribus desideriis pauca animadvertere liceat.

a) *Imprimis,*[7] spiritus quo animatur haec pars nostri schematis

longe *distat* [8] a spiritu vere oecumenico, qui est spiritus veritatis in caritate *et claritate.*[9] Textus schematis hinc inde non parva redolet animositate contra orientales — *loquor tantummodo de introductione* [10] — quae non cohaeret cum corpore schematis. Ita v. gr. quando inutiliter atque iniuste omnes orientales non catholici indistinctim dicuntur « regimini temporali cuiusdam civilis gubernii » agnoscere « indebitum ius sese ingerendi in gubernium Ecclesiae ». Et alia exempla afferri possunt huiusmodi *animositatis.*[11]

b) Perspectiva historica huius partis non est recta et in aliquibus iniusta. Sic v. gr. simplicistico quodam modo *repraesentantur Ecclesiae Orientales quasi* [12] sic et simpliciter, malo animo, nulla in aliis responsabilitate, « se ab auctoritate Vicarii Christi subtraxerint »...[13] Realitas historica magis est complexa, et responsabilitates hinc inde fusius distributae, *sicut dixit ipse Summus Pontifex Ioannes XXIII.*[14] Praeterea Ecclesia catholica repraesentatur quasi nunquam ab opere cessavit omnia semper, ubique et quotidie indesinenter facere pro unione christianorum fovenda...[15] Hoc verum non esse omnes probe cognoscunt. Quia catholici, non minus ac acatholici, *et acatholici non minus ac catholici* [16] saepe plura fecerunt contra bonum unionis et, simul ac acatholici, indigent misericordia Dei. Nos omnes christiani, catholici et acatholici, confiteri debemus de non parvis peccatis contra unionem.

c) Doctrina tandem theologica quae exprimitur in hac parte schematis non est tam secura, nec profunda. Ibi levi animo agitantur quaestiones gravissimae, nec ulla solutio opportune offertur.

Sic v. gr. in par. 6 fundatur unitas visibilis Ecclesiae unice super Primatum Romani Pontificis; nihil dicitur de unitate cum hierarchia sacra, de collegialitate episcoporum eorumque collectiva atque universali responsabilitate. Denuo in par. 7, ...[17] unitas cum Ecclesia visibili non fundatur nisi in submissione fidelium auctoritati episcoporum et Romani Pontificis. Haec doctrina non est erronea, sed est vere incompleta. Unitatis ligamina inter christifideles excedunt relationes auctoritativas inter superiores et subditos.

In eadem par. 7, ...[18] non agnoscitur christianis acatholicis character ecclesialis, dum — *et veniam peto ab exc.mo episcopo qui locutus est ante me — dum* [19] ipsi Romani Pontifices saepe saepius, *saltem centoties,*[20] ipsos *orthodoxos* [21] Ecclesias constituere sine ambiguitate proclamaverunt. *Non sunt unica et vera Ecclesia Christi, sed sunt Ecclesiae.*[22]

In par. 9, nihil dicitur de relatione aliorum christianorum ad Corpus Christi Mysticum. Dicuntur, sine ulla mitigatione, privari « multis mediis salutis », « praecipue institutionibus et directionibus Magisterii, sine quibus fides et mores christiani non perfecte praeservantur ». Immo

videtur schema dubitare aliquantulum de eorumdem salute aeterna. Haec omnia evidenter sunt exaggerata et, quidquid sit, spiritui oecumenico parum cohaerentia. Nec cohaerent *ceterum* [23] cum modo loquendi ipsius schematis in aliis suis partibus.

Concludo.[24] Ex quo patet illam introductionem in prioribus 11 paragraphis contentam nec necessariam nec utilem nec bene redactam esse.

Itaque humiliter propono ut schema nostrum incipiat tantummodo a par. 12, et constituat aliquod capitulum peculiare in schemate generaliori de Oecumenismo, quod parandum esset in collaboratione cum commissione doctrinali simul ac cum secretariatu pro unione christianorum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema quod nobis discutiendum proponitur sub titulo *de Ecclesiae unitate,* si generatim sumatur, indolem prae se fert practicam et pastoralem magis ac theoreticam. De mediis nempe agit quae aptiora videntur ad appropinquandos ad invicem christianorum animos et ad unionem fovendam cum christianis orientalibus a communione catholica separatis. Media autem huiusmodi varia a schemate distinguuntur: supernaturalia nempe, theologica, liturgica, canonica seu disciplinaria, psychologica et practica. His autem mediis enumerandis atque fuse perlustrandis, schema praemittere censuit introductionem generalem indolis potius doctrinalis, de natura nempe unitatis ecclesiasticae. Quae introductio comprehendit undecim priores paragraphos, de quibus mihi aliquid dicendum necesse videtur. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] aberrat. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] adhuc repraesentatur historia schismatis quasi partes quaedam Ecclesiae, scil. Ecclesiae orientales. [13] (pag. 253, linn. 20-22). [14] deest. [15] (pag. 254, linn. 32-35 et pag. 255, linn. 3-4). [16] deest. [17] linn. 13-14. [18] linn. 24-26. [19] deest. [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] deest.

12

Exc.mus P. D. ELIAS ZOGHBY

Archiepiscopus tit. Nubiensis, vic. patr. Melchitarum pro Aegypto

Vénérables Pères,

Je parlerai de l'unité chrétienne au point de vue oriental et orthodoxe.

Le problème de l'unité chrétienne se pose différemment pour les orthodoxes et pour les protestants parce que leurs rapports avec l'Eglise latine sont essentiellement différents. Les Eglises protestantes se sont détachées de l'Eglise latine, leur mère, au sein de laquelle elles sont nées et dont elles faisaient une partie intégrante. L'Eglise orientale, elle,

si elle a toujours reconnu une primauté de l'Evêque de Rome, encore qu'imprécise, n'a jamais fait partie de l'Eglise latine. C'est une Eglise sœur de l'Eglise latine. Elle n'émane pas d'elle; elle ne lui doit ni son existence, ni sa subsistance, ni son développement dogmatique et disciplinaire.

L'Eglise orientale, et partant l'Eglise orthodoxe, est une Eglise source, historiquement, tout comme l'Eglise latine en Occident. Fondée par les Apôtres et leurs disciples immédiats, elle est née sans le concours d'aucune autre Eglise puisqu'elle est née avant les autres. Elle a élaboré sa discipline et sa liturgie sans le concours de l'Occident puisque sa discipline et ses liturgies sont nettement différentes de celles de l'Occident.

Sa doctrine elle-même, substantiellement identique à celle de l'Occident, est autrement assimilée et autrement vécue, temoins ces Pères de l'Eglise grecque dont les ouvrages figurent dans nos bibliothèques à côté de ceux des Pères latins sans jamais se confondre avec eux. Deux génies, deux inspirations chrétiennes différentes, remontant toutes deux à la source vive du Christ, mais dont les eaux, passant par des terres de nature différente, à travers des civilisations et des génies sensiblement différents, possèdent des propriétés différentes et souvent irréductibles.

Il importe de ne pas oublier cela pour ne pas réduire le fait de la séparation à un simple coup de tête, selon l'expression de sa Béatitude Mon Patriarche Maximos IV, et pour mesurer les possibilités et les modalités d'une réunion.

Pour illustrer ce que je viens de dire, il me suffira de montrer brièvement comment les mêmes mystères chrétiens et les mêmes fêtes sont envisagés, compris et vécus différemment par l'Eglise latine, d'une part, et par l'Eglise orthodoxe et nous-mêmes catholiques orientaux, d'autre part.

Considérons par exemple le dogme de la très sainte Trinité. Notre théologie orientale est demeurée fidèle à la doctrine des Pères élaborée au temps des Conciles premier de Nicée et premier de Constantinople au sujet de la circumincession des personnes divines, sans se laisser influencer par les thèses occidentales de la théologie augustinienne qui se sont propagées en Occident au moyen âge et qui sont encore en vigueur dans l'Eglise latine.

De même l'Orient tient toujours à la doctrine des Conciles christologiques et des Pères contemporains de ces Conciles au sujet de l'Incarnation du Verbe conçue surtout comme une divinisation de la nature humaine par le Christ, ce qui ressort à peine de la doctrine de la satisfaction vicariale en vigueur dans l'Eglise latine.

Ces manières différentes de comprendre et d'assimiler les mêmes dogmes ont eu leur influence sur notre liturgie et nos fêtes, qui sont celles des orthodoxes. La fête de la nativité du Christ comme la fête de l'Epiphanie célèbrent en Orient cette divinisation de la nature humaine. Il n'en est pas de même dans l'Eglise latine. Je mentionne également en passant la fête de l'Annonciation qui, chez nous comme dans l'orthodoxie, commémore l'événement le plus solennel de l'histoire, celui de l'Incarnation du Verbe de Dieu dans le sein de la Vierge, tandis que cette même fête, dans l'Eglise latine, célèbre plutôt les gloires de la Vierge choisie par Dieu pour être la Mère de son Fils.

Vous voyez donc, vénérables Pères, par ces exemples cités au hasard, qu'il y a en chrétienté depuis les origines deux courants principaux qui canalisent les richesses de la rédemption dans deux directions parallèles qui peuvent se compléter, s'enrichir réciproquement sans se confondre. Tant que l'Orient est Orient et tant que l'Occident est Occident, il y aura toujours, comme il y a toujours eu, deux Eglises qui, Dieu aidant, peuvent s'unir mais jamais fusionner, qui peuvent coexister dans l'unité mais jamais dans l'uniformité. Chacune des deux Eglises gardera nécessairement son caractère propre, sa physionomie, sa personnalité. Notre-Seigneur a dit aux siens: « Soyez un comme mon Père et moi nous sommes un »; or, unis dans la même nature, le Père, le Fils et le Saint-Esprit gardent chacun sa personnalité distincte. Un Dieu en trois personnes. C'est de la même manière que le Christ veut voir réalisée l'unité chrétienne: *des Eglises* demeurant distinctes mais unies dans *l'Eglise.*

Insistant sur le pouvoir collégial des Apôtres, les Eglises orthodoxes évoluent vers une autonomie de plus en plus grande, tandis que l'Eglise catholique au cours des siècles derniers a évolué dans le sens opposé, celui de la centralisation. Catholiques et Orthodoxes ne pourront s'unir qu'en s'équilibrant dans une harmonie mutuelle.

J'ai opposé Eglise orthodoxe et Eglise latine alors qu'il s'agit d'unité entre orthodoxes et catholiques. Pourquoi? Parce que l'Eglise Catholique est en fait, même aujourd'hui, latine dans son écrasante majorité, comme l'Eglise d'Orient ou les Eglises d'Orient sont dans leur très forte majorité orthodoxes. Ce fait apparaît avec évidence dans notre Concile du Vatican II où les évêques Orientaux, au nombre de 130, sont perdus dans une assemblée de plus de 2000 Pères, alors que les patriarches d'Orient, ceux des grands sièges apostoliques, qui dans les grands conciles œcuméniques de la foi jouaient le rôle principal autour des légats du Pape de Rome, ces patriarches d'Orient se trouvent aujourd'hui, dans la personne des patriarches Catholiques Orientaux, noyés dans cette imposante assemblée et disparaissant derrière la pourpre

sacrée des cent cardinaux, qui font aujourd'hui honneur à l'Eglise Catholique mais qui n'existaient pas alors.

L'Eglise a évolué, diront certains. C'est vrai, mais elle a évolué d'un seul côté, sans tenir compte de ceux qui, par la volonté même du Christ, sont appelés à en faire partie. Pour nos frères les hiérarques orthodoxes, admettre d'emblée notre évolution de fait, c'est renoncer d'un coup à ce qu'ils sont et dissoudre leur être et leurs Eglises dans le latinisme, alors que l'union est faite pour enrichir et non pour apprauvrir.

L'Eglise catholique d'aujourd'hui, réunie dans ce Concile béni, apparaît si universelle et si œcuménique quant à la représentation territoriale, géographiquement! Elle aspire au jour où l'orthodoxie, avec ses 200 millions de fidèles, y sera représentée en proportion du patrimoine que les Pères de son Eglise, ses grands docteurs et ses saints moines ont légué à la chrétienté et dont ils ne cessent d'enrichir et de nourrir les Eglises d'Orient et d'Occident.

Je conclue. Certains ont voulu dire que ce Concile n'est pas un Concile d'union. Soit! Mais tant que les chrétiens sont divisés, aucun concile animé de l'Esprit de Jésus-Christ ne peut se désintéresser de l'union. Le deuxième Concile du Vatican semble vouloir servir grandement la cause de l'union; en effet, lorsque les chrétientés nouvelles de partout et les chrétientés anciennes de l'occident, qui ont reçu le baptême de l'Eglise Romaine, leur maîtresse et leur mère, auront bientôt retrouvé, dans leur culte, leur langue maternelle et peut-être aussi leurs rites nationaux, lorsqu'elles auront retrouvé dans leurs synodes nationaux ou régionaux le climat favorable à leur épanouissement, l'Eglise catholique, décentralisée, généreuse pour ses propres enfants et confiante dans ceux qui ont reçu le baptême de ses mains, aura franchi la première étape vers l'union avec ceux qui ont reçu un autre baptême que le sien. Dixi.

13

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO
Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi — *pro amore quo Ecclesias Orientales prosequor* [1] — de hoc schemate in genere quaedam coram amplissimo vestro consessu disserere et quasdam conclusiones vestrae deliberationi submittere:

1. Valde dolendus est defectus coordinationis quem iam prius nonnulli Patres in lucem protulerunt. Inde duo consectaria:

a) Tria habemus schemata valde inter se affinia a tribus commissionibus exarata sine mutua, ut opinor, collaboratione, quae de Ecclesia agunt: *de unitate Ecclesiae* (commissio de Ecclesia orientali), *de Ecclesia, de Oecumenismo* [2] (commissio theologica), *de Oecumenismo* (secretariatus pro Ecclesiae unitate).

b) Praesentis schematis materiam pertractamus, priusquam de natura ipsius Ecclesiae egerimus — immo quin schema a secretariatu unitatis confectum ad nos pervenerit.

2. Inde sequitur:

a) Ut in hoc schemate *de unitate Ecclesiae* de orthodoxis quidem loquatur; sed omnes *alii christiani non catholici* [3] obliviscantur.

b) Ut saepe saepius diiudicari nequeat utrum de orthodoxis an de orientalibus catholicis, vel de utrisque agatur.

c) Ut quid sit Ecclesia orientalis nullibi adamussim circumscribatur. Quaestio certissime non est ethnographica neque geographica; sed agitur de Ecclesia integram catholicitatem prae se ferente, distincta a catholicitate latina, directe ab Apostolis orta et a Patribus ordinata.

d) Ut momentum orientalium catholicorum in Ecclesia catholica et in dialogo inter Ecclesiam catholicam et Ecclesias orthodoxas non consideretur, unde cum media ad unionem consequendam proponuntur, catholici orientales penitus ignorantur.

e) Ut hoc schema medullarem quaestionem ipsius problematis, coordinationem nempe doctrinalem et practicam inter potestatem episcopalem et potestatem primatus Petri, id est, collegialitatem episcopatus, timide insinuet quin solutam supponat.

f) *Ut nihil, sicut iam dictum est, de communicatione in sacris inveniatur in schemate.* [4]

3. His praemissis, schema *de unitate Ecclesiae,* prout subiacet, quosdam defectus intime imbibitos necessario prae se fert:

a) Cum orthodoxos adloquitur a nn. 5 ad 12 sensu pastorali caret, nam ad veritatem exprimendam verba plurima benevolentia et prudentia plena adhibet; sed *iuridicismum redolet, et* [5] monologus et non dialogus oecumenicus proficuus instituitur, de cuius notis hac in aula plausu omnium fere Patrum actum est ab exc.mo D. De Smedt, et multum ab apologetico sermone, quem hinc inde in schemate adhuc est invenire, distat, *etsi agnitio eximia in nn. 30-33 contineatur.* [6]

b) In perampla exhortatione, quae inde a n. 13 usque ad n. 54 protrahitur, cuius genus incerte currit inter paternum et fraternum sermonem, media *optima, sed non omnia,* [7] proponuntur et conditiones imponuntur, si n. 50 excipias, quae conversionem singulorum potius quam

unionem Ecclesiarum prae oculis habere videntur, quod quidem dialogum oecumenicum certo certius fovere nequit...[8]

Conclusiones:

1. Schema hoc una cum aliis schematibus supra memoratis, per modum unius forsitan, *cum diversis capitibus ubi harmonice res exponantur,*[9] viribus collatis trium coetuum ad quos res pertinet, iterum redigatur.

2. Ita ut *a*) clarissime, quantum fieri potest, relationes inter potestatem primatus Petri et potestatem episcoporum exponantur.

b) Clarissime exprimatur momentum singulare Ecclesiarum catholicarum Orientalium ne nimis latinizentur — *sit venia verbo*[10] — nam evanescere vel melius incorporari ipsas oportet in Ecclesias noviter unitas, cum tandem aliquando, Deo opitulante, ad unionem deveniatur.

c) Principium pastorale statuatur Ecclesiam catholicam non reiicere quidem, sed nequaquam in hoc dialogo directe quaerere conversiones singulorum, cum e contra unionem Ecclesiarum Orthodoxarum cum Patriarchatu Romano sub primatu Petri quam maxime desideret.

3. *Tandem notatu dignum est quod iam in schemate de Liturgia notavi, ne in decreto conciliari citationes verbotenus introducantur documentorum magisterii ordinarii sed tantummodo Sacrae Scripturae et Patrum.*[11]

Tandem, ut minus sapiens dico, quia omnes nos difficultates experimur in hoc magno incepto nostri Concilii, solutionem hic in aula proferre audeo, quae inter plures Patres circumfertur.

Antequam nos omnes Patres conciliares in secunda periodo Romae *a die 8 septembris*[12] considerationi incumbamus schematum, optimum esset si, non obstante cura commissionum, cuiuscumque generis sint, episcopi ex universo orbe convocarentur, unus ex decem, ab aliis novem pro affinitate mentis electus, ut per mensem et dimidium vel duos menses materiam in proxima periodo pertractandam examini subiicerent et de ipsa disceptarent inter se ut electores suos de re certiores facerent.

Dicere quis posset: *satis*[13] esset si episcopi singularum Nationum post experientiam huius periodi de schematibus inter se conferrent in sua quaque natione: sed nemo est qui non videat nos episcopos laboribus pastoralibus obrutos minorem habere ad singula sensum, cum in nostris dioecesibus degemus.

Et amplius: oportet haec facere et alia non omittere.

E contra modo proposito efformaretur, iubente Summo Pontifice, coetus quidam plus minusve ducentorum quinquaginta episcoporum, opiniones et tendentias totius episcopatus reflectentium, qui in aula minus

ampla, ope versionis linguarum sic dictae simultaneae, *et* [14] propria lingua, absque impedimento diuturnae praenotationis praeviae, argumenta sine interruptione expolita, extra ipsam aulam frequentius inter se colloquentes, peritis consultis, expensis quam maxime imminutis, laborem a nobis omnibus Patribus peragendum immense faciliorem redderent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] alios christianos non catholicos. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] 4. Tandem notatu dignum est quod iam in schemate de Liturgia notavi, ne in decreto conciliari citationes verbotenus introducantur documentorum magisterii ordinarii, sed tantummodo Sacrae Scripturae et Patrum. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] melius. [14] deest.

14

EXC.MUS P. D. FELIX ROMERO MENJIBAR
Episcopus Giennensis

1. Liceat mihi, venerabiles Patres, nonnulla edicere quibus, meo quidem iudicio, hoc schema maiore perfectione donari posset. In schemate fulgide elucent et vehemens desiderium unitatem nanciscendi et caritas in veritate exercenda, et sinceritas in unione praeparanda. In eo insuper apparent et organica dispositio principiorum et electio mediorum quibus praehabita principia finem propositum, unitatem scilicet christianorum, adipisci possent. Quae dicere intendimus forte iuvabunt ad ulteriorem decreti perfectionem et claritudinem.

2. En omnia quae mihi dicenda videntur:

1) Quoad titulum decreti, *placet mihi mutatio de qua actum est.*[1]

2) Iam in initio schematis brevis introductio ponenda videretur, in qua ab incunabulis decreti haec essent exprimenda:

a) Character pastoralis decreti. Catholicorum mentes et corda imbuenda sunt conscientia et desiderio adipiscendae unitatis et eorum actuosae cooperationis ad istam unitatem consequendam.

b) Character oecumenicus. Fratres separati certiores reddendi sunt de vehementi in Ecclesia catholica praeoccupatione erga tanti dissidii superationem. Sic praeiudicia, quae tot saecula inter fratres cumularunt, paulatim minuentur.

3) Quoad dispositionem materiae in schemate. Desideratur ordo magis concinnus et perspicuus. Etenim fundamentum doctrinale decreti duobus principiis fulcitur, quae haec sunt: unitas visibilis et indivisibilis Ecclesiae ex una parte, et diversitas in unitate ex alia.

a) Primo principio, principio scilicet unitatis, subordinari deberent ea quae a n. 1 usque ad n. 7 enuntiantur. His in numeris, sermo fit de Ecclesia ut corpore Christi Mystico et de fructibus redemptionis. Sic, haec omnia ad synthesim reducerentur in claritatem huius primi principii.

b) Sub luce secundi principii, principii scilicet diversitatis, ea omnia tractare oporteret quae ad diversitatem respiciunt tum in methodo theologica, tum in materia disciplinari et liturgica, quae postea in nn. 19, 23 et 27 nimis *iterato modo* [2] evolvuntur.

4) Quia praesens decretum *de unitate Ecclesiae,* sicut iam ...[3] nobis dictum *est,*[4] refertur tantum ad fratres orientales, oporteret in eo propositum declarare edendi speciale schema pro unione aliorum fratrum separatorum, ne — quod valde cavendum est — ipsi sese oblitos sentiant in hac unionis causa.

5) Ad particularia vero descendendo, nonnulla mihi videntur quae maiorem exigunt praecisionem:

a) In pag. 251, lin. 21, notio Ecclesiae adhibetur quae, quomodo cohaereat cum doctrina magisterii, non clare apparet. Igitur talis notio « Ecclesia est societas electorum » emendanda est.

b) In pag. 252, lin. 9, addendum videtur « ex voluntate et institutione ipsius Christi »; secus videretur necessitas auctoritatis in Ecclesia tantum oriri ex rationibus humanis.

c) In pag. 252, linn. 36-37, verba « de usu potestatis ordinis disponendo per potestatem iurisdictionis » non videntur omnino clara. Non enim sufficienter declaratur utrum de usu valido an de solo licito agatur variis in casibus.

d) In pag. 253, lin. 10, verbis « ut credat mundus quia tu me misisti » probatur certe voluntas Christi de unitate procuranda iam in terris; non vero definitur natura huius unitatis. Hoc ultimum ex institutione episcopatus et supremi pontificatus constat.

e) In eadem pag. 253, lin. 30, verba « non certe eodem modo ad eamdem Ecclesiam invisibilem et caelestem vere pertineat » valde ambigua videntur. Consulendum est ergo claritati.

f) In pag. 254, lin. 12, propositio « quidquid est de salute individuorum » non perspicua videtur; addantur verba « individuorum qui bona fide versantur », vel totaliter res iterum redigatur.

g) et ultimo. Denique, in pag. 260, lin. 8, titulus « media psychologica » non aptus videtur. Ibi enim non agitur tantummodo de ratione naturali agendi, sed insuper de exigentiis vitae caritatis plenae.

Concludo. Nihil aptius videtur ut conclusio totius huius schematis de unitate Ecclesiae quam transcriptio verborum Summi Pontificis felici-

ter regnantis, de unione omnium christianorum maxime solliciti: ...[6] « Adveniant igitur, precamur, volentes libentesque omnes; idque contingat divina aspirante iuvanteque gratia quam primum. Non alienam invenient domum, sed propriam, quippe quae iam antiquitus fuerit insigni maiorum suorum collustrata doctrina, virtuteque decorata »...[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Sicut iam in aula conciliari heri dictum fuit, oportet ut titulus exactius materiae pertractandae respondeat. Ideoque optarem ut enuntiaretur sic: « de unione procuranda ». [2] iterate. [3] heri. [4] fuit. [5] deest. [6] « Ut occidentalem, ita orientalem Ecclesiam universam incensa paternaque amplectimur caritate; atque ad eos omnes etiam, qui ab hac Apostolica Sede seiuncti sunt, ubi Petrus in successoribus suis " usque ad consummationem saeculi " vivit et Iesu Christi mandato fungitur quidquid legandi solvendique in terris, ac totius pascendi Dominici gregis, ad eos, dicimus, amantissimum pandimus animum Nostrum, apertasque protendimus ulnas. Eorum adventum in communis Patris domum praestolantes, haec Divini Redemptoris verbis ingeminamus: Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut et nos. Ita " fiet unum ovile et unus pastor " ». [7] AAS, 50, 1958, 839.

15

Rev.mus P. D. ATHANASIUS HAGE

Superior generalis Ordinis Basiliani S. Ioannis B.

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesiae unitate* in se et generaliter consideratum omnino placet. Etenim thema de quo agitur est valde spinosum. Attamen schema nostrum illud tractat cum moderatione, sinceritate et obiectivitate, conciliando irenismum valde apertum cum doctrina ...[1] catholica. Sed si consideratur in particularibus et in relatione ad schema *de Ecclesia,* nonnullas animadversiones comportare potest.

Liceat mihi aliquas tantum proponere...[2]

Prima observatio. Schema duas saltem partes continet, primam doctrinalem a nn. 1 ad 9 inclusive, alteram *oecumenicam* [3] a n. 10 ad finem. Attamen iam habemus inter manus alterum schema dogmaticum *de Ecclesia,* quod etiam in cap. XI *de oecumenismo* tractat. Ex quo patet quod idem thema, quamvis sub diverso aspectu, bis tractatur et sic habentur, ut facile verificari potest, repetitiones necnon diversitas conceptionis proveniens ex diversitate auctorum utriusque schematis.

Nostrum schema logice non debet separari a constitutione *de Ecclesia,* sed integrari in illam, *v. g.*[4] in cap. XI *huius constitutionis vel etiam* [5]

ut appendix ad illam, ita ut habeatur non *duae constitutiones* [6] sed una tantum, sicut optime notavit beat.mus ac rev.mus patriarcha noster Maximus IV Saigh.

Secunda observatio. Nostrum schema *de Ecclesiae unitate* valde prolixum videtur; etenim 18 paginas *densissimas* [7] complectitur. Facile abbreviari potest sine ullo detrimento pro integritate materiae.

Ceterum par. 10, 11 et 12 magna ex parte in nn. 10, 48, 49, 50 et 51 constitutionis *de Ecclesia* continentur. Par. 5, 6 et 7 plus minusve idem dicunt, quamvis alio modo, ac nn. 14, 15 16 constitutionis *de Ecclesia.*

Ex altera parte, valde protrahitur in mediis adhibendis oecumenicis:

a) Duae paginae integrae consecrantur ad media supernaturalia ut inculcetur necessitas et efficacitas orationis.

b) Media psychologica quattuor paginas occupant; valde protrahitur super caritatem fraternam; *ex qua* [8] facile omitti potest par. 35 in integro siquidem habetur paragraphus similis in n. 55 constitutionis *de Ecclesia.*

Tertia observatio. Sunt in schemate aliquae expressiones vel formulae quae male sonant auribus fratrum separatorum et quae omitti possunt *et debent. Dantur exempla:* [9]

a) In n. 7, linn. 20 et 21, dicitur « partes quaedam Ecclesiae se ab auctoritate Vicarii Christi subtraxerint et in coetus independentes se constituerint... ».

b) Et in n. 22: « Caveant theologi... ne falso irenismo quodam ducti, doctrinam catholicam ita... accommodent doctrinis dissidentium, ut puritas doctrinae catholicae... detrimentum patiatur... ».

c) Et in n. 27: « ... etiam de legitimis moribus et consuetudinibus, ... quas Ecclesia catholica semper retinuit, exceptis illis quae periculum generant animarum et ecclesiasticae derogant honestati ».

d) Et in n. 34, *cuius septem ultimae lineae videntur tractare fratres separatos* [10] de « ovibus vagantibus extra ovile ».

e) Vel etiam in n. 49, ubi agitur de reconciliandis fratribus separatis ad unitatem redeuntibus, *loquitur de « expressa abiuratione errorum eorum ».* [11]

Nemo est qui non videat quod illae formulae valde offendunt *carissimos* [12] fratres separatos.

...[13] 1. Quoad *titulum* schematis, qui locum dat aequivocationi de sensu constitutionis: prima fronte, agi creditur de unitate theologica ut nota characteristica verae Ecclesiae Christi, dum revera agitur de unione christianorum in Ecclesia Christi. *Vel si* [14] agitur de unitate sociali, sicut nobis dictum est, cur non dicatur *de unitate sociali Ecclesiae,* vel

melius *de Oecumenismo* simpliciter, et tunc schema nostrum locum suum haberet in cap. XI constitutionis *de Ecclesia.*

2. Schema, a commissione praeparatoria orientali paratum, de solis orientalibus tractare intendit, sed, mutatis mutandis, facile amplecti potest etiam fratres occidentales separatos, qui forsitan mirari possunt eo quod soli fratres orientales *intendantur.*[15]

3. In n. 4, pag. 252, linn. 4 et 5, loquendo de Ecclesia Christi in mundo constricta dicitur: « Oportet proinde ut structuris societatis humanae utatur, cum ordine rerum temporalium connectatur... etc. ». Hoc verum est...[16] secundum quid, siquidem Ecclesia non tenetur uti omnibus structuris societatis humanae sed illis tantum structuris quae suae naturae congruunt. Sic Ecclesia non potest adoptare structuram...[17] democraticam societatis civilis... etc.

His dictis, humiliter vobis audeo proponere:

1. Ut titulus schematis mutetur contra *v. g. hunc titulum:*[18] *de unione christianorum,* vel simpliciter *de Oecumenismo.*

2. Ut schema adiungatur constitutioni *de Ecclesia* constituendo cap. XI eiusdem constitutionis, ita ut non habeatur nisi una et sola constitutio.

3. Ut schema in formam breviorem redigatur et ut prima pars doctrinalis omittatur.

4. Ut schema ita accommodetur ut etiam fratres occidentales separatos amplectatur.

5. Ut formulae male sonantes auribus fratrum separatorum omittantur...[19]

Et tandem ut discussio schematis remittatur ad momentum discutiendi super constitutionem *de Ecclesia.* Dixi.

In textu scripto tradito: [1] perfecte. [2] 1. Observationes generales: [3] doctrinalem. [4] deest. [5] vel. [6] duplex constitutio. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] in septem ultimis lineis ubi loquitur. [11] qui deberent " expressam abiurationem errorum eorum facere ". [12] deest. [13] 2. Observationes peculiares: [14] Si tamen. [15] in curam nostram habentur. [16] tantum. [17] v. gr. [18] alium v. g. [19] vel mutentur.

Praeses: Disceptatio nunc suspenditur usque ad posterum diem.
[*Intervallum*].

Reponatur Sanctum Evangelium.
[*Intervallum*].

Secretarius generalis: Proxima congregatio crastina, hora nona, et prosequetur disceptatio *de unitate Ecclesiae.*

CONGREGATIO GENERALIS XXIX

28 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXIX

28 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis Concilii*: Praeest hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Ignatius Tappouni, patr. Syrorum in Antiochia.

Loqui postulaverunt circa schema *de Ecclesiae unitate*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis; Alfredus Ottaviani; exc.mi DD. Ioseph Tawil, arch. vic. patr. Melchitarum pro Damasco; Ioannes Velasco, ep. Sciiamenensis in Sinis; Marcellinus Olaechea, arch. Valentinus in Hispania; Ioseph Khoury, arch. Maronitarum Tyrensis; Michaël Darmancier, vic. ap. Insularum Vallis in Nova Caledonia; Dominicus Hoang Van Doan, ep. tit. Saccaeotenus in Vietnam; Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.; Vincentius Tarancón, ep. Celsonensis in Hispania; Reginaldus Addazi, arch. Tranensis in Italia; Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus in Aegypto; Ioseph Koestner, ep. Gurcensis in Austria; Alaphridus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia; Michaël Assaf, arch. Graeco-Melchita Petrensis in Iordania; Georgius Dwyer, ep. Loidensis in Anglia; Emmanuel Trindade, arch. Eborensis in Lusitania; Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada; Eftimios Youakim, ep. Mariamnensis Melchitarum in Libano; Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis in Hispania; Ioannes Bassoul, arch. Hemesenus Melchitarum in Syria; Abilius Vaz das Neves, ep. Brigantiensis in Lusitania; Paulus Butorac, ep. Ragusinus in Iugoslavia; Alaphridus Bontempi, ep. tit. Palmyrensis in Italia; Ioannes Heenan, arch. Liverpolitanus in Anglia; Alexander Olalia, ep. Lipensis in Insulis Philippinis; Ioseph Pont, ep. Segobricensis in Hispania; Rodulfus Staverman, vic. ap. Hollandiae in Nova Guinea Occ.; Antonius Bukatko, arch. coad. Belogradensis in Iugoslavia; Antonius Santin, ep. Tergestinus in Italia; Victor Sartre, arch. tit. Beroensis; Ioseph Rabbani, arch. adm. ap. Hemesenus in Syria; Raphaël Bidawid, ep. Amadiensis Chaldaeorum in Irak; Basilius Heiser, superior generalis O.F.M. Conv.; Vincentius Brizgys, ep. coad. Kaunensis in Lithuania.

Audiant omnes! In hac congregatione generali, distribuentur aliquae emendationes circa cap. I constitutionis *de sacra Liturgia,* quae suf-

fragationi subicientur feria VI proxima. Textus divisus est in duas partes, ut videbitis. In prima parte, nempe in pagg. 3 et 4, habentur emendationes per numeros distinctae, circa quas fiet suffragatio. In secunda parte, habetur, claritatis gratia, modus quo inserendae essent huiusmodi emendationes in textum; sed hic textus est tantummodo claritatis gratia, non ad suffragationem. Suffragatio fiet tantummodo circa novem emendationes, quae propositae sunt circa cap. I schematis *de sacra Liturgia.*

Melior explicatio dabitur feria VI, ante suffragationem. Hodie distribuentur folia.

1

EM.MUS P. D. IGNATIUS GABRIEL CARD. TAPPOUNI
Patriarcha Antiochenus Syrorum

Postquam attente examinavi contentum schematis, haec attendenda esse existimo.

Schematis finis non est expositio dogmatica circa Ecclesiae constitutionem. Eius finis est mentem et sensus Ecclesiae catholicae erga fratres separatos orientales exponere, simul etiam media indicare quibus haec mens et isti sensus in dies magis magisque foveantur inter catholicos.

Fundamentum reale horum nostrorum sensuum et cogitationum erga fratres orientales invenitur in magna illa parte doctrinae christianae quam a Patribus Ecclesiae nos, pariter ac ipsi, recepimus et servamus, sacramentorum et praesertim Eucharistiae fide et frequentia, in eminenti Beatae Mariae Virginis Matris Dei veneratione, in pluribus denique saeculis, quibus unius eiusdemque communionis participes fuimus. Haec omnia, proh dolor!, cum protestantibus communia neque nos, neque ipsi orientales separati habent. Quapropter recte schema istud de protestantibus non agit.

Titulus igitur schematis mutabitur, prout hesterna die declaratum fuit. Attamen contentum servari omnino debet, et, in separata tractatione, de ceteris acatholicis agendum erit.

Non pauca ex eis quae tamquam media et quidem efficaciora hesterna die indicata fuerunt, et de quibus in hoc schemate non agitur, tractantur in schematibus particularibus...[1] disceptandum est quae in schemate inveniuntur.

Quoad modum vero dicendi, mihi videtur omnino laudanda consuetudo loquendi de una Ecclesia catholica, in qua omnes quidem suos

paternos ritus et traditiones servant, scientes tamen omnia haec unius eiusdemque Ecclesiae catholicae patrimonium commune et communicabile constituere.

Schema igitur mihi placet, atque servandum videtur, ratione habita emendationum particularium, ita ut, fratribus separatis exspectantibus, huius Sanctae Synodi Oecumenicae sine mora pateant sensus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] iam paratis ubi aptior locus. Quapropter.

2

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Patres,

Secundum doctrinam catholicam profitendum est unam tantum esse Ecclesiam Christi, quae in Petro fundata est, et ab eius successoribus gubernatur. Necessaria ergo est communio cum Sede Petri, et e converso quivis coetus ab hac sede separatus revera ad Ecclesiam Christi non pertinet.

Ecclesia Christi autem, dum unitatem in necessariis servat, nimiam uniformitatem non quaerit, sed circumstantiis locorum et temporum sese aptans, servare vult traditiones et consuetudines variarum regionum terrae ubi degunt eius filii, illarum praesertim ubi florescunt venerabiles Ecclesiae orientales. Talis autem opportuna diversitas non impedit, et e contra postulat auctoritatem unicam, quae omnia coordinet, coadunet et coniungat.

Ne autem praetereatur, omnes qui bona fide Ecclesiis separatis adhaereant et a Vicario Christi seiuncti sunt, etsi quodam modo a vera Ecclesia alieni non sint, privantur tamen multis mediis salutis, quae in vera Ecclesia inveniuntur. Proinde quidquid sit de salute individuorum, certum est divisionem in sinu societatis christianae secum ferre magnum nocumentum et grave damnum.

Ecclesia catholica ergo numquam ab opere cessavit ut communionem omnium in Christum credentium instauraret, et haec Oecumenica Synodus muneris sui esse censet mentes et corda omnium qui christiano nomine gloriantur ad hoc adducere ut, iunctis precibus et opere, in eam unitatem intendant quam Christus Dominus antequam ex hoc mundo transiret a Patre exoravit, et efficaciora adhibeat media, quibus omnia quae obstant auferantur, quaeque prosunt promoveantur. Tot enim

et tanta remanent obstacula verae et firmae unitati adversantia, ut de felici successu desperandum sit, nisi audiatur Dominus Iesus in Evangeliis dicens: « Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt »...[1]

Ergo omnino necessarium est ut insistatur in mediis supernaturalibus, praesertim in oratione, dummodo coniunctam habeat fidem invictam; et maiore cum fiducia accuratur oportet Beata Virgo, Dei et hominum Mater, « cum permagnum unitatis christianae praesidium divinitus oblatum sit in Maria ».

Hac ratione omnes quidem cooperari possunt ad unitatem promovendam. Alia media — theologica, liturgica, canonica seu disciplinaria, psychologica, practica — applicanda sunt ab episcopis, a clero et a peritis, qui omni sollertia et caritate ea adhibeant; caveant tamen ne, falso quodam irenismo ducti, doctrinam catholicam ita conforment vel quodammodo accommodent doctrinis dissidentium, ut puritas doctrinae catholicae eiusque claritas detrimentum patiatur vel eius sensus genuinus et certus obscuretur.

Ecclesia catholica sperat in reunione Ecclesiarum tum schismaticarum tum protestantium; humane autem loquendo minus sperandum est in reunione corporativa Ecclesiarum protestantium ob variam earum fidem individualisticam et maiorem discrepantiam doctrinalem et liturgicam. In iis magis sperandum est in conversione personarum et coetuum particularium. De Ecclesiis schismaticis autem sperare licet eas tandem aliquando reinstauraturas esse reunionem corporativam; officialiter enim profitentur doctrinam catholicam septem priorum Conciliorum, et servant validos ordines, divinum sacrificium et septem sacramenta.

Ergo in hoc schemate recte proponitur ut Ecclesiis orientalibus, si, Deo illuminante et adiuvante, ad unitatem catholicam sub auctoritate Romani Pontificis redire voluerint, servatis iis quae de professione fidei sunt servanda, ius agnoscatur proprios Ordines exercendi et propriam disciplinam servandi et sectandi, iis tantum expunctis quae, si forsan adsint, rectae fidei ac bonis moribus adversantur.

Ergo schema *de Ecclesiae unitate* placet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Mt.* 19, 26).

3

EM.MUS P. D. ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Venerabiles Patres,

Schema propositum *Ut unum sint,* in suo complexu mihi placet, adhibitis utique quibusdam correctionibus, quae necessariae resultant ex disceptationibus heri factis, et hodie ab em.mis card. Tappouni et Spellman iam inculcatis.

Velim tantummodo hoc proponere: ut inveniatur via ad colligenda tria schemata quae de eodem argumento agunt, ut unum efficiatur schema constitutionis, quod habeat thema *Ut unum sint.* Ego intelligo differentias quae sunt, et quae iam sunt missae in evidentia ab em.mis cardd. Tappouni et Spellman, differentias quae sunt inter separatos Ecclesiae orientalis et protestantes; sed unico schemate, diversis capitibus, possent quaedam simul colligi, in evidentia mittendo quae unicuique spectant harum confessionum.

Nunc vero, permittatis mihi quaedam dicere de proposito instituendi post disceptationem constitutionis *Ut unum sint,* ut quaedam dicam de proposito tractandi *de Ecclesia.* Mihi videtur fere ridiculum esse incipere tractatum *de Ecclesia,* tractatum 80 paginarum, et quod scatet multis quaestionibus, praesertim quando agitur non solum de oecumenismo, sed de relationibus inter Ecclesiam et Statum, de membris Ecclesiae, etc., quae praevidentur locum dare multis disceptationibus. Item absonum esset dicere: nos praelibamus nunc istud schema, et postea tractabimus mense septembri. Mihi videtur absonum praelibationem facere decem mensibus ante ipsam disceptationem. Quid ergo agemus postquam finita fuerit disceptatio de oecumenismo? Ego propono ut statim transeatur ad unam partem tractatus *de Ecclesia,* quae est quaedam appendix tractatus *de Ecclesia,* et quae habet in semetipsa formam quandam specialem, scl. schema constitutionis *de Beata Virgine Maria.* Iam hoc fuerat statutum, usque ad diem dominicum ultimum, em.mus cardinalis a Secretis Status mihi dixit ut paratus essem referre de hoc schemate; idem confirmavit die dominico ultimo secretarius generalis Concilii per epistolam ad me missam. Miror quod tam cito transferimini in aliud propositum!

Igitur, mihi videtur nobis adesse opportunitatem utendi his diebus paucis qui manent, antequam sessio haec concludatur, disceptandi de illo schemate quod esset satis breve. Mihi videtur posse dare locum spectaculo concordiae filiorum in disserendo de Matre eorum. Nam, videtis, habemus concordiam etiam cum separatis, sicut tam bene nuper-

rime dixit em.mus card. Tappouni, et heri audivimus ab aliis orientalibus; cum separatis orientalibus sumus uniti in veneratione Beatissimae Virginis Matris Mariae. Igitur mihi videtur posse nos dare spectaculum, post multas disceptationes quae quandoque etiam admirationi fuerunt iis qui extra Concilium erant, post spectaculum disceptationum sat gravium factarum in nostro conventu, loqui de aliqua re quae possit nos unire; quia nihil est quod magis unit in una familia christiana quam mater, concordiam filiorum provocans. Igitur hoc peto, ut statim ac finita fuerit hodie vel feria VI disceptatio *de oecumenismo,* incipiatur tractare schema *de B. V. Maria.* Nos hoc modo insumemus dies novenae Immaculatae Conceptionis loquendo de Beatissima Matre Maria. Dabimus etiam solatium Summo Pontifici, dandi seu communicandi mundo in die ipso Immaculatae Conceptionis approbationem suam cuidam schemati, saltem uni schemati, illud quod unit omnes filios. Propter hanc rem, peto adiutorium, auxilium, votum singulorum Patrum, eorum qui ferventissimos peregrinos ducunt ad orandum coram imagine de Fatima, de « la Virgen del Pilar », de la Très Sainte Vierge de Lourdes, et Virginem omnium sanctuariorum usque ad Czestochowa, sanctuaria Americae Meridionalis ut de Lujan et de Guadalupe; et appello etiam ad omnes missionarios qui in Regina Missionum habent maximum auxilium; appello etiam ad orientales Patres, ut in hac re ipsi quoque vocem referant etiam fratrum separatorum orientalium; appello praesertim ad eos qui Matrem Virginem Mariam « a fiducia » vocant, ut cum fiducia adeamus hoc thema. « Mater mea, fiducia mea », iaculatoria qua utitur etiam ille altissimus episcopus, pro quo rogamus « ut Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra ». Meminetis, venerabiles Patres, vos in vestro sacerdotio humili, in gradu inferiori, sicut etiam in vestra actione pastorali, saepe recursum fecisse ad illa verba quae in Missa inveniuntur, quaeque per accommodationem ex Sacra Scriptura Virgini applicantur: « Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt ».

4

Beat.mus P. D. PAULUS II CHEIKHO
Patriarcha Babylonensis Chaldaeorum

Em.me Praeses, venerabiles Patres, amabiles Fratres Observatores,

Ante disceptationes in praecedentibus congregationibus habitas, schema hoc *de Ecclesiae unitate* valde mihi placebat. Nunc, post disceptationes factas, idem schema valde mihi placet. Nihil enim in eo inveni quod

non perfecte concordet cum doctrina catholica; nihil quoque tanquam spinosum fratribus nostris orientalibus separatis. Schema hoc, ut mihi videtur, est vera instructio ad nos catholicos, ut tutam viam sequamur pro unione obtinenda. Schema enim:

1. Monet nos de incapacitate nostra ad unionem acquirendam solis mediis naturalibus; propter hoc, praebet nobis in primo loco media supernaturalia: in n. 13 et sequentibus.

2. Monet nos schema ut methodum doctrinalem, pastoralem et oecumenicam adhibeamus; quapropter inculcat nobis, in n. 18 et sequentibus, media theologica, media liturgica, et media canonica seu disciplinaria.

3. Ad evitandos defectus qui attingere possunt tentamina nostra pro unione, affert nobis schema alia media, in n. 29 et sequentibus, quae vocantur « media psychologica et media practica ».

Quoad dicta in primis numeris (5 et 6), de Ecclesia hierarchica et de unitate visibili Ecclesiae sub Petro, ostendunt fidem nostram catholicam quam fideliter et sincere debemus praedicare. S. Paulus se omnia pro omnibus fecit, ut omnes Christo lucraret...[1] Attamen, iisdem populis et omnibus gentibus, fidem suam praedicabat.

In hac occasione, unum votum habeo quod submitto melioribus iudiciis venerabilium Patrum Concilii: meum humile votum est: ut Patres, nomine huius Sacrosancti Concilii, unam componant orationem quae ab omnibus qui nomine christiano gloriantur recitari poterit, sive publice, sive privatim, pro unione omnium christifidelium. Haec oratio erit veluti testimonium sollicitudinis huius Concilii Oecumenici Vaticani II pro unione omnium in Christum credentium. Similiter, haec oratio poterit recitari in scholis, ita ut fideles a minori aetate cognoscant voluntatem D. N. I. Christi et desiderium eius Ecclesiae ut omnes unum sint, et in hanc cognitionem crescant.

Carissimi Fratres Observatores, vos et nos, nos et vos, debemus orare pro unione. Dominus et Redemptor noster, videns nostram communem orationem et nostram mutuam caritatem, nos exaudiet! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (1 *Cor.* 9, 19).

5

Exc.mus P. D. IOSEPH TAWIL

Archiepiscopus tit. Myrensis Melchitarum
vic. patr. Melchitarum in Damasco

Venerabiles Patres,

Prima conditio ut ad *tamdiu* [1] desideratam christianam unitatem perveniatur, est ut viae quae ad hanc unitatem ducunt, omnibus impedimentis humanis inutilibus et nocivis expurgentur. Iuxta hanc mentem, ut videtur, schema *de unitate Ecclesiae* in genere factum est. Attamen, ut ille labor vere aptus reddatur ad dialogum oecumenicum instaurandum, proponam istas animadversiones, addendas propositionibus a ...[2] Patribus iam *praesentatis.*[3]

I animadversio. In pag. 253, § 7 (Unitas Ecclesiae individualis), lin. 20, legimus: « ... ita ut partes quaedam Ecclesiae se ab auctoritate Vicarii Christi subtraxerint et in coetus independentes se constituerint ». In hoc textu, verbum « coetus » falsum est, quia Ecclesiae Orientales, etiam separatae, nomen Ecclesiae et non coetus accipiunt, uti probatur in novo fasciculo *de Oecumenismo,* pagg. 87 et 88, ex documentis pontificibus hic allatis. Melius esset, si illi fratres orientales non uniti simplicius *vocarentur* [4] « orthodoxi », sicut ex usu recepto et sicut vox recipitur in lectionibus et dictionariis, et sicut se appellant.

Praeterea, ...[5] natura et conditiones huius subtractionis non clare videntur *in textu* [6]; nempe in nullo tempore historiae suae, Ecclesia Orientalis considerata fuit ut pars Patriarchatus Occidentis; a tempore fere *Apostolorum,*[7] semper autonomia administrativa et disciplinari ...[8] gavisa est.

II animadversio. Eadem pag. et par., lin. 31, legimus: « Error multo perniciosior habetur, quando regimini temporali cuiusdam civilis gubernii agnoscitur indebitum ius sese ingerendi in gubernium Ecclesiae... » etc. Cum tonus polemicus istius textus minime harmonisetur cum dialogo oecumenico, censeo hanc paragraphum auferendam esse.

III animadversio. In pag. 259, § 27 (Media canonica seu disciplinaria), lin. 30, legimus: « ... exceptis illis quae periculum generant... » etc. et eodem sensu in pag. 266, lin. 35, legimus: « ... iis tantummodo quae, si forsan adsint, rectae fidei aut bonis moribus adversantur ».

Candide fateor me frustra quaesivisse in omnibus liturgiis orientalibus, hodie in usu apud nos, quaecumque res quae adversetur bonis moribus!

Scio tantummodo istas liturgias nobis provenisse cura sanctorum Patrum, qui sunt normae fidei necnon moralitatis in Ecclesia universali.

IV animadversio. In pag. 267, § 52, legimus: « Ut tandem omne dubium » etc. Tota haec paragraphus absolute deficiens est respectu ad oecumenismum, innuens nempe Ecclesias orientales cum Sancta Sede unitas nullum habere statum debitum definitivum, nisi post unionem omnium orientis Ecclesiarum. Putamus, e contra, nostras catholicas Ecclesias orientales nunquam plenitudinem suam attingere intra catholicam Ecclesiam, nisi primo vere considerentur non solum prout sunt, sed et prout id quod repraesentant, scl. Ecclesias orthodoxas nondum unitas. Status provisorius in quo Ecclesiae orientales ponuntur, quasi tertius mundus ecclesiasticus, qui nec orientalis nec latinus est, abstractione facta vocationis oecumenicae istarum Ecclesiarum, falsum sonum reddit et tendit practice ad turrim super pulvere aedificare. Ecclesiae illae enim sunt pro orthodoxis quoddam speculum, ex quo sentire et videre possunt quomodo res se haberet pro eis, facta unione. Nonne patriarcha graecus orthodoxus Alexandriae, Christophoros, cum audiret ordinem hierarchicum agnitum patriarchis catholicis a novo Codice Orientali, nempe post cardinales necnon post delegatos apostolicos, et immo post ipsum episcopum latinum in sua dioecesi, exclamavit dolorosa voce: misericordia, Kyrie eleison!

Quae omnia mihi suggerunt ut schema illud de unitate iterum elaboretur, et quidem profundius, cum secretariatu pro unitate Ecclesiae. Sed necessarium est ut emendatum Concilio proponatur, quia quaestio de unione valde actualis est et urgens ex circumstantiis modernioribus. Utilius forsitan quaedam commissio mixta laboraretur circa unitatem Ecclesiae, quam circa fontes revelationis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] hanc. [2] nostris. [3] propositis. [4] vocantur. [5] in textu allato. [6] deest. [7] apostolico. [8] nunquam contestata.

6

EXC.MUS P. D. IOANNES VELASCO
Episcopus Sciiamenensis

Em.mi Praesules, venerabiles Patres,

Mens seu [1] propositum huius decreti *de Ecclesiae unitate* omnino placet. Salus animarum, suprema lex, spiritus est ille laudandus qui totum hoc schema procul dubio afflat. At nos, Patres Conciliares, in eo

debemus impendere et superimpendere vires nostras ut unitas illa, pro qua Dominus noster in ultima caena tam fervide rogabat, in Ecclesia consequatur. Verumtamen, humili meo iudicio, nec ratio expositionis, nec modus aggrediendi totum problema circa fratres ab Ecclesia separatos videntur esse probanda.

Quoad primum, seu quoad *ordinem expositionis* quod attinet, *quia quae dicenda paraveram iam ab aliis, praesertim ab em.mis cardd. Ruffini et Browne, fuerunt dicta, illa hic omitto.*[2]

Quoad secundum, nempe *modum aggrediendi totum problema* de unione fratrum separatorum, seu orientalium Ecclesiarum, defectus aliquos videtur habere nostrum schema, quos breviter enumerabimus.

1. Schema indulgere videtur nimio irenismo, non obstante quod sub n. 22, pag. 258, idipsum reprobet. Etenim, veritates fundamentales Ecclesiae catholicae nonnisi brevissime et quasi summis labiis tanguntur et comiter, seu, ut aiunt, « cum diplomatia », proponuntur. Qui modus agendi, etsi in accidentalibus, necnon in humanis relationibus, optima methodus multoties habeatur, non tamen quando agitur de rebus tanti momenti uti sunt Romani Pontificis infallibilitas et super totam Ecclesiam primatus, monarchica et hierarchica eius constitutio, etc. De omnibus his, *in schemate,*[3] vel silere, vel illa quasi per transennam tantum tangere nec honestum nec utile nobis videtur, nam et fratres separati quae sit Ecclesiae doctrina circa has materias certo certius apprime cognoscunt.

De cetero, fratres separati, sive qui ad orientales, sive qui ad alias christiano nomine insignitas Ecclesias pertinent, illi praesertim clarissimi viri qui in hac aula uti Observatores *nobiscum*[4] conveniunt, nosque audiunt, certe sunt intelligentia perspicui. Iamvero interrogare audeo: quid illis vel istis magis placeret: an illa Ecclesiae catholicae veritatum expositio aliqua ambiguitate et indeterminatione plena, an, e contra, distincta et completa irreformabilis veritatum propositio? Non primus, *mihi videtur,*[5] sed secundus modus illis indubitanter placeret. *Ad me quod attinet, si essem frater separatus, certo certius secundus modus semper placeret.*[6]

Praesens schema, non minus quam illud *de sacra Liturgia,* necnon illae clamorosae disceptationes *de fontibus revelationis,* unum atque idem significare *mihi*[7] videntur, nempe nos, Patres in hoc Sacro Concilio coadunatos, fere nihil aliud intendere nisi fratres separatos ad Ecclesiam attrahere. Non desunt *iam qui extra Concilium, non Patres Conciliares, dicunt quod*[8] nostrum Concilium duobus principiis seu motoribus *agitur*[9]: unum est « aggiornamento », *modernizatio,*[10] aliud fratres separati, *fere nihil amplius.*[11]

At haec cogitandi et agendi ratio a praestantiori et omnino inalienabili proposito Concilii Oecumenici remur alienari! Ni multum mihi fallit opinio, scopus revera primus et indeclinabilis Concilii Oecumenici iste est, nempe interna ipsius Ecclesiae renovatio et instauratio, necnon eorum qui iamiam ei sunt incorporati profectui consulere.

Quae priora prius, etiam si verum sit dictum « oportet hoc facere et illud non omittere »; *sed*[12] debemus *primo* hoc facere, et *postea* illud non omittere. Prius domum nostram pulchriorem et solidiorem faciamus: quod si consequamur, si internam illam unitatem in vita cum doctrina, *vita cum doctrina,*[13] hoc Concilium obtineat, idque eminenti modo, tunc utique et omnibus fratribus separatis perspicue apparebit tanta unitas et vitalitas catholicae Christi Ecclesiae, tunc certe sperandum est ut vera Ecclesia elucescat omnibus extra ipsam, quasi in incertum vagantibus, « tamquam signum levatum inter nationes » ad quam confluere omnes se sentiant attractos.

2. Relate ad media in decreto proposita, ad unionem tam diu desideratam consequendam, haec observanda censemus:

a) Fere nihil proponitur quod non sit iam in Ecclesia per aetates in praxim deductum. Siquidem, tum media supernaturalia, utpote oratio, semper ab Ecclesia adhibita sunt, dum indesinenter pro fratribus rogat qui ad verum ovile Christi adhuc non pertinent; tum quia media liturgica, canonica et disciplinaria iam semper habuit, et nunc habet, propria pro Ecclesia catholica orientali.

b) Quantum ad media psychologica, *i. e.*:[14] id, inter alia, in decreto displicet quod, in consessu hoc sollemni, veluti modo subreptitio et occulto — sed satis perspicuo intus legentibus — nobis proponitur, sub n. 31, pag. 261, ut iudicium feramus de re gravissima, quae ad historicos pertinet, videlicet de responsabilitate, *ad minus partiali,*[15] ipsius Romanae Ecclesiae in immani illo schismate orientali dicto. Haec implicita, saltem *implicita,*[16] accusatio, quia nimis gravis apparet, expungendam a textu definitivo decreti proponeremus. Accusemus nos ipsos, viventes, si casus ferat, at minime in consessu hoc iudicium dicatur ullum de illis qui, absentes et mortui, sese defendere non possunt.

c) De mediis theologicis in schemate propositis, iam aliqua diximus supra, cum de nimio irenismo egimus.

d) Media practica proposita, necnon quae dicuntur de conditionibus unitatis et modis, vere practica et nobis videntur.

Alias in textu concretas emendationes secretariatui in scriptis tradam.

Conclusio: Schema, uti proponitur, placet, sed tantum iuxta modum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] sequentia esse notanda existimo: 1. Deest prologus, in quo nobis explicite dicatur ad quos illa Ecclesiae unitas referatur, sed postea, decursu expositionis, apparet quod nonnisi ad Ecclesias orientales decretum respicit. Et tamen, quae praemittuntur in n. 1 usque ad 8 nostri schematis, et pro ceteris christianorum, ut aiunt, denominationibus noscuntur inservire. 2. Totum schema videtur vagare extra locum sibi proprium. Recta enim ratio Ecclesiae unitatis omnino pendet a praecisa notione sive conceptu verae Ecclesiae. De hac autem non agitur nisi proprio loco, in alio videlicet schemate *de Ecclesia,* quod a Patribus nondum fuit disceptatum, quodque principia exponit quibus omnis vera Ecclesiae unitas et, sic dictus Oecumenismus diiudicanda sunt. Quocirca ordo expositionis postulat ut schema *de Ecclesiae unitate,* ob eius intimam coniunctionem cum schemate de ipsa Christi Ecclesia, in hoc ultimo integrandum sit, ita tamen quod de unione Ecclesiarum orientalium et de Oecumenismo sub capitibus distinctis in finali redactione agatur. Sic repetitiones quae, ut nunc stant illa schemata, sunt nimis evidentes, vitabuntur. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] qui dicant. [9] agi. [10] deest. [11] deest. [12] ergo. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] deest.

Animadversiones additae:

Pag. 251, n. 3: « *Salus autem nondum plene consummata est...* »; « ... *quia mundus hic nondum per secundum Christi adventum absolutus est* ». Sunt expressiones corrigendae, cum de facili possent interpretari de *novo quodam statu* Ecclesiae praesenti perfectiore, iam damnato (*Ench. Symb.* n. 2053), vel de *millenarismo* pariter reprobato (*Ench. Symb.* n. 2296).

Pag. 252, n. 6: *Insufficiens,* iuxta Scripturas Sacras, praesentatio est Vicarii Christi, sive Petri sive eius successoris, tanquam capitis visibilis unitatis Ecclesiae. Petrus namque et successores eius recipiunt gratiam, non tantum sicut et alii fideles et pastores, sed modo sibi peculiari; dicit namque Dominus Petro: « Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides *tua,* et *tu* aliquando conversus confirma fratres *tuos* » (*Luc.* 22, 32); aut etiam: « *Tu* es Petrus, et super *hanc* petram aedificabo Ecclesiam meam » (*Mat.* 16, 18). Unde et soli Petro et Successori eius promittitur et datur gratia ministerialis charismatica necessaria ut sint Caput visibile Ecclesiae in absentia temporali Iesu Christi.

Debet ergo explicari, ne videantur episcopi singuli et alii sacrorum ministri personam Christi gerere aequo iure iisdemque vi et modo quibus Romanus Pontifex, qui solus est Confirmator Fidei, Pastor, et visibile fundamentum hierarchicum Ecclesiae in absentia Christi.

Suggerimus igitur: « linn. 33-36 « In ordine... Ordinat tamen... ». « In ordine gratiae, ipse successor Petri eam *sanctificantem* suscipit sicut omnes fideles Christi, et communicat ut instrumentum sacramentale sicut omnes ministri cultus, sed et insuper illam sibi peculiarem, pro qua " rogavit " Dominus, confirmandi fidem fratrum (*Luc.* 22, 32) et pascendi dominici gregis universi loco et persona Salvatoris. Hac de causa ordinat quae ad exercitium temporale... ».

Pag. 253, lin. 15: *Explicatione ulteriori eget,* ne videatur Romanus Pontifex auctoritatem solummodo habens ex praesidentia episcoporum. Ita ergo suggerimus redigendam: « ... scilicet episcopis eorumque *a Iesu Christo designato* capiti, Petri successori ».

Lin. 31: « *Error multo perniciosior... in primis caelestis* ». Suggererem correctionem redactionis, ut logica connexio cum themate unitatis appareret. Ita:

« *Huic unitati maxime obstitit praeteritis temporibus et semper oberit ille multo perniciosior error, quo* regimini temporali... ».

Pag. 254, n. 9, lin. 8: « ... *et quasi per traditionem...* ». Proponerem inmittendam expressionem, ut artificialem omnino et revera hominum debilitati debitam doceremus christianorum divisionem. Ita: « ... et quasi per *humanae fragilitati debitam* traditionem... ».

Linn. 12-13: « *Et quidquid est de salute individuorum...* »: Ne occasio detur intelligendi hominem individuum salvari vi institutorum cuiuscumque confessionis aut religionis, unde et aperiatur via indifferentismo religioso, addendum quid proponam, scilicet: « Et quidquid sit de salute individuorum, *Deo misericorditer respiciente et suscipiente sinceritatem fidelitatemque eorum in adhibendis illis mediis salvationis quae ad manus habent,* certum est divisionem etc. ».

Pag. 254, n. 10, linn. 22-29: « *Certo non ignorat... remanent fratres* ». Nobis videtur impraecisa satis longaque nimium praesentatio. Suggerimus hanc redactionem: « *Communia namque bona, traditiones peculiares scilicet et sacra mysteria, suscepta ab Apostolis et Sanctis Patribus et tenaciter a fratribus Occidentalibus aeque ac Orientalibus retenta, vinculum firmissimum, etsi aliquando ob dissensiones neglectum, agnovit et confitetur* ».

Pag. 256, n. 15: Videtur quid instructionibus pastoralibus relinquendum, utpote transitoria et nimium concreta praecipiens.

N. 16: Videtur insufficiens, cum de sola Orientalium devotione mariana loquatur. Suggerimus inmittendum post illa verba lin. 30: « ... *laudatores ardore et suavitate eloquii insignes* »; « *immo et populus universus Christiani Orientis, non minus ac Occidentis, intima sinceritate et tenerrima devotione ac honore, post illum Christi, maximo prosequutus est semper et prosequitur. Maria etenim est Ecclesiae unitatis, non modo potentissima oratrix, verum et fortissimum dulcissimumque vinculum; omnes namque orientis et occidentis fideles in una domo Ecclesia filii sumus, qui unam Matrem agnovimus, veneramur, oramus diligimusque Mariam* ».

Pag. 257, n. 18, linn. 12-14: « *Non tamen... et exponatur* ». Loco huius minus forte accurati hoc proponerem: « *Expressiones, temporum mediorumque necessitate diversas, oportet ut recte intelligantur et exponantur, cum unius eiusdemque veritatis divinitus revelatae sint expressiones pro humano posse sincere et fideles* ».

N. 19: Integer videtur auferendus.

N. 20: Cum fons veritatis revelatae non sint Patres ut humani doctores, sed divina Traditio, cuius illi sunt et integritatis transmissores et explicationis ministri, verius mihi videtur dicendum: linn. 27-30: « ... studium quoque Patrum... origo ». « ... *studium quoque sacrae Traditionis a Patribus tum orientalibus tum occidentalibus summopere custoditae et expositae quod nostris diebus magno quidem honore iam est,* magis etc. ».

N. 21: Ut iacet videtur instructio privata alicuius Sacrae Congregationis. Suggerimus: « *Hac occasione sumpta Concilium quoscumque sacrae scientiae cultores monet ut omnino abstineant a condemnatoriis qualificationibus, positivam autem sacrae veritatis elucubrationem in singulis quidem quaestionibus, potissimum vero in exponenda doctrina de Ecclesia, prosequantur* ».

Pag. 258, n. 22: Videtur pariter occasionalis instructio. Substituerem: « *Oecumenismum verum, illum scilicet unius divinitus revelatae et traditae veritatis confessione et christianae vitae in caritate conformis organica diversitate fulcitum, su-*

scipientes reiicimus, et reiiciendum praecipimus, falsum irenismum veritatis susceptionem puram firmamque negligentem et similitudines externas et sensa quaerentem ».

N. 23, lin. 23: « ... *Ecclesia considerat...* ». Ut Ecclesiae fides de re lucescat dicendum videtur: « *Ecclesia agnovit, declarat, commendat et custodiri iubet* ».

Pag. 260, n. 28, lin. 7: Ut vinculum visibilis Ecclesiae unitatis a Concilio stabiliatur et profiteatur videtur addendum: « *Igitur episcopi et pastores orientalis Ecclesiae gregem sibi commissum regant et pascant libere, directe et adhibitis, cum opus fuerit, consiliis et apostolicis curis Romani Pontificis, qui Petri successor est et visibilis in terris Christi Iesu, Supremi nostri Pastoris, Vicarius* ».

N. 29, linn. 14-19: « *Qui enim... exhibeant* » auferantur. Non enim soli latini caritatem offenderunt; neque prudens est incusationem Ecclesiae vel in parte fieri a Concilio.

N. 30, linn. 30-35: « *A vera...* (*Mat.* 5, 22) » auferantur. Iisdem rationibus.

Pag. 261, n. 31, lin. 21: « *Erroribus tempore...* ». Corrigenda expressio ne incusentur illi qui, forte humanitus debiles, ministerium sincere adimplere conati sunt sacrum. Ita: « *Erroribus, humanae debilitati, quae ministris humanis Ecclesiae in hoc mundo degentibus necesse est ut obveniant, debitis, tempore acto...* ».

Pag. 262, n. 34, linn. 7-12: « *Qua in re...* (*Ezech.* 34, 2 ss.) » auferantur, utpote Ecclesiae pastores deprimentes.

Pag. 262, n. 35, lin. 22: « ... *aciem communem contra...* » compleatur ne indifferentismo religioso faveat. Ita: « ... *aciem communem, sua quisque ex parte et veneratione erga Deum veritatis et vitae sibi agnitum et dilectum agens,* contra atheismum... etc. ».

Lin. 25: « *Viribus unitis...* » mutetur in « *viribus coniunctis...* ».

Pag. 263, n. 37, linn. 5-9: Veritas Concilii et Ecclesiae conscientiae postulat ita redigatur: « Haec Sancta Synodus ea libenter agnoscit, et ab omnibus fidelibus agnoscenda praecipit, ea quibus in historia traditionibus et institutis propriis fratres orientales bene meriti fuere, prout clare testantur documenta ».

Pag. 265, n. 46, lin. 29: « ... promovenda sacrum... ». Addendum propter munus confirmandi Romanae Ecclesiae: « promovenda, et in posterum inviolabiliter servanda, cum, Deo miserante, obtenta fuisset sacrum ».

Pag. 266, n. 47, lin. 5: « ... sub caelo est natione seligantur... ». Addendum ut salvetur discretio Romani Pontificis: « ... sub caelo natione, prout temporum conditio et negotiorum necessitas postulaverit, seligantur ».

Linn. 5-8: « Id autem... communis ». Ne Romani Pontifices accusari videantur corrigendum: « Id autem quam maxime haec Oecumenica Synodus in memoriam revocat omnium cuiusque gentium fidelium, quod omnes partes aequales Ecclesiae tanquam membra unius corporis Christi, sub uno coalescunt Capite, qui neque orientalis est neque occidentalis, sed Pater Communis, ab omnibus electus, ab omnibus susceptus, a Deo omnibus sine distinctione datus, visibilis in terris Iesu Christi Domini Nostri Vicarius ».

7

EXC.MUS P. D. MARCELLINUS OLAECHEA LOIZAGA
Archiepiscopus Valentinus

Em.me Praeses, venerabiles Fratres,

Stylo brevi et sententia clara, quasdam animadversiones schemati *de unitate Ecclesiae*: *ut unum sint*,[1] proponere audeo.

1. De his quae minus exactae, ne dicam erroneae, in schemate apparent:

a) Pag. 251, lin. 7: Peccatum definitur tamquam « odium », et confirmatur citatione Evangelii Ioannis. At non omne peccatum odium sapit. Quis enim audebit asserere Petrum negantem odio habuisse Christum negatum? Saepe saepius peccatum et ignorantiam et debilitatem, non odium, sapit. Nec citatio Ioannis opportune affertur in medium, cum ibi non de peccato in genere, sed tantummodo de speciali peccato sermo sit. Textus ergo schematis potest remanere prout iacet, omissis verbis « quod est odium » et citatione Ioannis.

b) Lector, etsi pronus ad rectam intelligentiam verborum sit, non recte intelliget definitionem quae de Ecclesia proponitur pag. 251, linn. 21 et 22. Ibi asseritur Ecclesiam esse « societatem electorum qui cum Christo uniuntur et ab eo salutem consequuntur ». Sed non videtur quomodo haec cohaereant cum his quae iterum atque iterum edocentur a magisterio. Ecclesia non est tantum adunatio electorum qui salutem consequuntur. In ipsa enim locum insuper habent iusti, qui possunt a statu iustitiae deficere, et peccatores qui, gratia Dei abutentes, peribunt.

c) Accedit identificatio iurisdictionis cum charactere visibili Ecclesiae terrestris, pag. 252, lin. 32. Cum tamen multa ad potestatem ordinis spectantia visibilia sint, v. gr. in ordinatione sacerdotali, in confectione Sacramenti Eucharistici et in oblatione sacrificii Missae.

a) Tandem, pag. 253, linn. 28 et 30, non satis clarescunt differentiae et relationes quae intersunt inter Ecclesias, terrestrem, invisibilem et caelestem. Nam Ecclesiae invisibilis et caelestis videntur ibi identificari. Nunc autem, Ecclesia terrestris elementum habet invisibile quo animatur et alitur; et elemento invisibili Ecclesia insuper caelestis ditatur.

2. Audivimus, et audituri erimus, ni fallor, Patres lamentantes schemata duplici defectu laborare, defectu scl. rudioris et profusioris sermonis. Schema *de unitate Ecclesiae* uberem copiam nobis affert verborum, quae nec brevitatem nec suavitatem sapiunt:

a) Non sapiunt suavitatem verba, v. gr. « graviter errat », « error multo perniciosior », « calamitas nimis dolenda », « desperandum sit », quae supprimenda credo. Ex altera parte, quae pag. 254, § 11, dicuntur de Conciliis et Romanis Pontificibus unionem cum Orientalibus totis viribus olim procurantibus, quamvis historiae apprime respondeant, suavius erit reticere, ne auto-defensionem sapiant.

b) In secunda parte schematis, a n. 13 usque ad finem, stylus profusus superabundat. Sufficeret in genere meminisse elenchum mediorum quibus unio foveri posset; media supernaturalia: oratio, devotio erga Beatam Virginem Mariam et caritas; media theologica: usus methodi, verborum, fontium, apud Orientales usitata; media liturgica, psychologica et practica. Alias decretum in sacram concionem vertitur, *quod absit.*[2] Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] de unitate Ecclesiae. [2] deest.

8

Exc.mus P. D. IOSEPH KHOURY
Episcopus Tyrensis Maronitarum

Em.me Praeses, venerabiles Patres et dilecti Observatores,

Loquar etiam nomine aliquorum fratrum episcoporum illius Ecclesiae quae multum adlaboravit per saecula ad servandam catholicitatem in oriente, ad adiuvandos quoque alios in reditu, servatis melioribus relationibus quoque cum fratribus non-catholicis.

Schema decreti quod nobis proponitur et quod melius diceretur de unione christianorum, ut iam dictum est, nobis videtur niti aliquibus praesuppositis, quae seriam clarificationem appellant, animo irenico simul et sincero, ita ut sic dictus oecumenismus, qui procedit ex sensu indubitanter generoso et profunde religioso, non fundetur super aequivoca.

1. Et primo quidem, fratres quos quaerimus simul sunt orientis et occidentis. Et nemini latet influxum reciprocum et relationes mutuas inter hos et illos augeri de die in diem, praesertim temporibus nostris. Unde minime convenit subiectum dividi ita ut de eadem re in quattuor schematibus et mediantibus tribus commissionibus conciliaribus tractetur.

2. Decretum hoc, quod ad omnes fratres dissidentes non dirigitur, nedum omnes orientales videtur respicere, et patet etiam ex disceptationibus quae de eo usquedum auditae sunt, ita ut non appareat mereri

nisi titulum « Decretum pro Graecis », ad modum illius Florentinae synodi, quae tamen similia aliis consecravit. Et revera, sicut non est una Ecclesia in protestantismo, sed plures inter se valde diversae, ita non datur una Ecclesia orientalis sed plures, ut iam rectissime notavit em.mus Liénart, Ecclesia nempe Nestoriana et illae Coptorum et Aethiopicorum, Armenorum et Syrorum, Malabarensium et Malancharensium. Hae omnes Ecclesiae, cum catholicis Ecclesiis parallelis — et nostra — veram haereditatem habent antiquiorum patriarchatuum Alexandriae, Antiochiae, ut nihil de Hierosolymitano dicatur. Hae omnes importantissimae sunt, tum propter numerum qui est plus viginta millionum, tum propter traditionem christianam quam servant, praesertim Syriacam et Antiochenam genuinam, tum etiam, propter spem eorum futuri laboris in partibus Asiae et Africae, non oblitis eorum meritis in evangelizatione, saeculis praeteritis, usque ad Indiam et Cinam, millionibus conversionibus peractis et numerosissimis martyriis subitis. Hae omnes tandem Ecclesiae a Byzantinis valde discrepant, et cum eis modus byzantinus loquendi minime confert.

Porro patet schema nostrum aut illos ignorare, aut erga eas locutione inapta uti. Quod iniuria etiam est ceteris Orientalibus Patriarchis hisce praesentibus.

3. Patres orientales non debent praesentari ut patrimonium privatum alicuius particularis Ecclesiae, ut saepe advenit, et ex contextu schematis nostri apparet. Sunt enim Patres omnium orientis Ecclesiarum quae eos uno plausu extollant, immo et totius Ecclesiae catholicae, quae eorum tempore sola feliciter catholica exstabat. Et praecise quidem per modum exempli: Athanasius et Cyrillus Alexandrini fuerunt, et contra novam Romam, iuvante vetere, impugnati sunt; Chrysostomus et Nazianzenus Antiocheni exstiterunt, et, si in sedem Constantinopolitanam sederunt, fuit per tempus valde breve et non in pulchriorem finem, ad sedem romanam etiam appellantes; Basilius et Nyssenus nihil cum civitate imperiali commune habuerunt, et de schismate antiocheno alibi conversati sunt. Ergo hi Patres et ceteri, omnes minime debent traditioni pure byzantinae annexari, nec a cetero oriente, immo et ab occidente alienos computari.

4. Et hoc nos ducit ad considerationes sat graves. De mutua relatione inter orientem et occidentem res omnino exaggeratae in hac sacra aula auditae sunt. Exaggeratio autem iustae causae nihil prodest; e contra magnum nocumentum affert. Dictum est v. gr. « Oriens est Oriens et Occidens est Occidens; Oriens nihil Romae debet; sunt Ecclesiae parallelae, etc. ». Liceat nobis, qui etiam orientales sumus, a sic dictis valde discrepare. Ecclesia Christi equidem una est, et sedes Petri unica.

Et hoc ipsum a Patribus nostris orientalibus didicimus. Una est apostolica sedes in occidente, sed plures in oriente exstant, scl. Petri etiam et Iacobi et Marci; et minima apostolicitate fruit illa Ecclesia quae praepotentiam quaesivit a sua praeeminentia civili, propter quam multas Ecclesias e sinu catholicitatis propulsit, suos quoque pupillos in fide cum ea in separatione deduxit. Nunc autem super stat memor gloriae peractae reducta ad proportionem parvae dioeceseos ab ipsis filialibus tertia Roma et ceteris discussa. Non ergo construenda est unio super mythos, sed super realitates, si liceat dicere, super cathedram unicam quae est Petri, amantem et amatam, comprehensivam et comprehensam, totius Ecclesiae fidem servantem et disciplinam renovantem etiam suis sacrificiis et augusto exemplo. Oriens non est Oriens, et Occidens Occidens. Sicut in Christo enim nec Graecus nec Barbarus, ita etiam nec Oriens nec Occidens, sed nova creatura. Unus eget altero, unus debet alterum respicere, alter debet alterum sequi. Iter unilaterale Ecclesiae parum prodest, sed multo minus lethargia. Olim forsan aliquis sensus culpabilitatis catholicis nimis defuit, hodie, secundum aliquos, soli catholici deberent « mea culpa » dicere. Nec hoc, nec illud. Caritas, ita, et multa; sed non servilitas erga qualemcumque partem.

5 et ultimo. Ceterum quod ab aut pro orientalibus exigitur legitime, etiam a et pro tota Ecclesia optatur. Scl. v. gr.: renovatio liturgica profunda, increscens amor Scripturae et Patrum, reditus semper repetitus ad Spiritum Evangelii, affirmatio apostolicitatis episcopatus et collegialitatis Ecclesiae cum et sub Petro, decentralizatio quaedam regiminis et positiva connexio Ecclesiarum inter se, applicatio in occidente eorum valorum quos feliciter servavit orientalium traditio et orientalibus illorum progressuum quos latini mirabiliter consecuti sunt; deductio in praxim doctrinae constantis Pontificum Romanorum circa respectum debitum traditionibus orientis et nihilominus elaboratio unius legislationis et unius doctrinae conciliaris et orientalibus et occidentalibus, servatis pro unoquoque servandis, ita ut magis eluceat unitas et aequalitas inter fratres; reductio etiam animi nimis iuridici et mere administrativi, et diffusio huius spiritus humanitatis et humilitatis et oboedientiae Spiritus Sancti ductui, quem in faciem Ecclesiarum omnium Ioannes Romanus Pontifex mirabili modo illustrat.

Hae videntur media efficacia ad instaurandam aut saltem praeparandam unionem inter christianos, de quibus silet potius schema nostrum. Ergo dicendum nobis eum cum aliis duobus schematibus de oecumenismo, cura commissionis theologicae et secretariatus unionis elaboratis, in unum reduci debere et in tractatu generali et completo *de Ecclesia* includi. Ita tamen ut appareat opus unionis esse non unius personae

aut Ecclesiae particularis, sed omnium christianorum et universarum Ecclesiarum, consideratione habita modo debito earum venerabilium orientis Ecclesiarum ad quas onus et honor fuit nobis vestram fraternam attentionem revocare. Gratias! [*Plausus*].

9

EXC.MUS P. D. MICHAËL DARMANCIER

Episcopus tit. Auguritensis, vic. ap. Insularum Vallis et Futuna

Venerabiles Fratres,

Schema nobis propositum sinceram erga fratres separatos caritatem exprimit. Erga illos enim verbis non utitur nisi reverentia amoreque plenis; quod valde novum in textu conciliari apparet, notatu dignum et in posterum valde commendandum.

Etsi, revera, sine caritate reconciliationis operi impares omnino sumus, illi tamen accedere debet humilitas ac, si res ferat, poenitentiae spiritus; secus enim huiusmodi quaestiones haud recte intelleguntur. His autem characteribus hoc schema *meo quidem iudicio* [1] magis pollere deberet.

De hac re non iterabo quae tam excellenter a rev.mo De Smet iam dicta sunt, quorumque grato animo memores sumus omnes. Mihi tamen fratres orthodoxos in memoriam peculiariter revocanti, fateri liceat in hoc schemate Romanam Ecclesiam propriae historiae anteactae nimis contentam videri nec satis consciam delictorum quae tam a membris quam a praesulibus eius sunt patrata. Quorum aliqua efferam exempla.

1. In par. 7, lin. 10, legimus: « Proh dolor! lamentatur Mater Ecclesia divisiones et schismata, quae in sinum suum per iniuriam temporum et fragilitatem hominum irrepserunt ». Ecclesia Mater certe lamentatur divisiones, sed quare aperte non fatetur sese pro sua parte ad schismatum originem saltem indirecte propriis infirmitatibus contulisse? Melius esset si cum Hadriano papa VI confiteremur divisionem Deum permisisse propter peccata hominum ac praesertim sacerdotum et praelatorum.

2. In par. 11, linn. 32-35, legimus: « Ecclesia Catholica ... nunquam ab opere cessavit ut communionem omnium in Christo credentium ubique instauraret, mediis divinis et humanis adhibitis ». Quis fratrum orthodoxorum his verbis assentire poterit? Pluries, enim, temporum decursu, legati vel procuratores Ecclesiae Romanae improbe et dominandi studio cum orientalibus egerunt. Sufficiat in mentem revocare quo modo card. Humbertus ad Michaelem Cerularium se habuerit.

3. Gratias agimus huius schematis auctoribus qui ad Litteras Encyclicas Leonis XIII *Orientalium dignitas* referunt, in quibus Litteris quidquid ad relationes cum Orientalibus pertinet firmum et optimum fundamentum invenit. Verumtamen hae ipsae Litterae Encyclicae in gravissimis quidem rebus interdum violantur, de quo queri solent fratres nostri Ecclesiarum catholicarum orientalium, suis traditionibus tam ferventer inhaerentes, penitusque perspicientes munus quod ipsis in re oecumenica erga orthodoxos incumbit.

Eorum duo recentiora exempla memoranda sunt, scilicet: Ius Canonicum Orientale a Sancta Sede, in titulo *de personis* recenter edito, iusta et traditionalia iura patriarchis non tribuit; de cetero, duobus annis elapsis, vetitus fuit communitatibus orientalibus *in America* [2] usus liturgicus linguarum vernacularum, quod decretum, deinceps a Summo Pontifice feliciter revocatum, nihilominus manifestat indebitam immixtionem Supremae Congregationis Sancti Officii in res liturgicas orientales ad illam non pertinentes. Duo quidem praedicti actus, qui, utpote auctoritatis abusus, fratres nostros graecos melchitas eorumque venerabilem patriarcham tantum offenderunt, pessime orthodoxos affecerunt.

4. In par. 27, linn. 34-36, Ecclesia latina conatur corrigere opinionem in oriente vigentem quod latini velint iura privilegiaque orientalium minuere... [3] Illa tamen intentio ad effectum non perveniet nisi Concilium, sicut clarissimus relator huius schematis commendavit, solemnem actum posuerit unde impossibiles in posterum fiant praedictae orientalium dignitatis deminutiones.

In hac via *unitatis* [4] non progrediemur nisi illa humilitate ducti quam S. Evangelium ante nos in aula semper apertum tantis verbis inculcat, et Summus Pontifex Ioannes XXIII instanter commendat.

Huic schemati, in sensu supra dicto emendato, libenter assentiam. Sed aliunde *legimus* [5] in schemate *de Ecclesia,* caput ... [6] XI cui titulus inscribitur *de oecumenismo,* cuius inspiratio a principiis praesentis schematis satis discrepat. Ad quam contradictionem solvendam et ad supradictas emendationes faciendas, *humiliter* [7] propono totam hanc de oecumenismo materiam ad competentem commissionem, scilicet secretariatum pro unitate, committere. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] De hac quidem re gaudemus. [4] deest. [5] stupens reperi. [6] quoddam. [7] deest.

10

Exc.mus P. D. DOMINICUS HOANG VAN DOAN

Episcopus tit. Saccaeotenus

Venerabiles Patres, Observatores dilecti,

Liceat mihi pauca animadvertere circa schema *de Ecclesiae unitate.*

1. Neminem latet quod, non obstante magna discrepantia, maxima exsistit relatio inter hoc schema *de Ecclesiae unitate* et illud schema *de Ecclesiae Oecumenismo,* seriei II, cap. XI, pag. 80.

Nunc autem ad evitandam confusionem, repetitionem, necnon suspicionem ex parte fratrum Protestantium, Anglicanorum et aliarum denominationum christianarum, propono ut utrumque redigatur in unum.

Sufficit ponere principia eaque applicare ad communitates sive catholicas romanas, sive protestantes, sive Ecclesias dissidentes orientales, sive communitates separatas occidentales. Et in expositione argumentorum procedendum est modo christiano, modo fraterno ac humano, magis quam auctoritativo, sicut iam dixit card. Liénart.

2. Citatio Bibliae non est iuxtapositio textuum sacrorum; oportet coordinare rationabiliter citationes, ita ut veritas appareat et ita ut mens humana ducatur faciliter ad agnoscendam veritatem; mens enim humana, sicut dixit S. Thomas, procedit dividendo, componendo, et sic ordinate ad veritatem accedit.

3. In n. 2, ubi verba inter uncos posita indicant: « De Ecclesia terrestri et caelesti », sed natura Ecclesiae terrestris non bene manifestatur, quia nos non legimus nisi « Corpus mysticum », « societas electorum qui ad Christum uniuntur », etc. Nunc vero Ecclesia terrestris constat ex hominibus et quidem hominibus habentibus ossa et carnem, nempe ex hominibus concretis et individuatis. Unde Ecclesia terrestris est visibilis. Iterum ibidem dicitur « electorum », « societas electorum », et etiam non clare manifestatur natura Ecclesiae visibilis, quia iuxta Evangelium, praesertim ex S. Matthaeo, cap. 13 ubi sunt septem parabolae quibus optime monstratur natura Ecclesiae visibilis, in Ecclesia terrestri non solum sunt boni sed etiam mali, non solum electi sed etiam vocati.

Unde propono ut ibi addatur: « Ecclesia Corpus Mysticum, societas *visibilis* electorum ac *vocatorum...* ».

Et idem ibi, quando dicitur: Ecclesia caelestis consummabitur (in n. 4), ego propono dicendum esse « consummata », nempe « Ecclesia consummata in caelis » et « Ecclesia terrestris adhuc militat contra diabolos, contra omnia mala... » etc.

Habeo adhuc multas animadversiones; sed quia iam factae sunt ab aliis, et sic ego eas omitto, et tradam disceptationem rev.mo secretario. Dixi.

Textus scripto traditus:

Liceat mihi pauca animadvertere circa prooemium schematis *de unitate Ecclesiae* pag. 251.

1. Neminem latet quod maxima est connectio inter hoc schema *de Ecclesiae unitate* et illud schema *de Ecclesiae Oecumenismo*, seriei II, cap. XI, pag. 80; idem enim substantialiter invenitur in utroque.

Nunc autem ad vitandam repetitionem humiliter propono ut utrumque schema redigatur in unum.

Sufficit ponere principia eaque applicare ad communitates sive catholicas romanas, sive orientales dissidentes, sive occidentales separatas, ut inde deducantur conclusiones et normae pro omnibus.

2. Citatio Bibliae non est pure et simpliciter iuxtapositio textuum biblicorum; sed oportet citationes rationabiliter coordinare, disponendo secum prius et posterius, ut mens ad veritatem agnoscendam faciliter ducatur; mens enim humana, secundum divum Thomam, procedit dividendo et componendo et ordinatim ad veritatem accedit.

3. N. 2: verba inter uncos posita sic leguntur: De Ecclesia terrestri et caelesti. Attamen natura Ecclesiae terrestris ambigue monstratur, quia in hoc numero vocatur Ecclesia societas electorum qui cum Christo uniuntur et ab eo salutem consequuntur.

Ecclesia terrestris constat ex hominibus concretis et individuatis; in Ecclesia sunt non solum boni sed etiam mali, et tam electi quam vocati pertinent ad Ecclesiam terrestrem.

Audeo proponere addere adverbium « visibilis » ante vocem « societas » in n. 2. Item ibidem dicendum est « vocatorum ». Sic correctus, n. 2 ita legitur: « Hoc Corpus Christi est Ecclesia, societas visibilis vocatorum et electorum qui cum Christo uniuntur et ab eo salutem consequuntur ».

4. N. 4, lin. 2, loco « consummabitur » dicendum est « consummata »; sic correctus textus ita legitur: « Hinc est duplex Ecclesiae status. Ex una parte, iam cum Christo consummata, Ierusalem nova etc. ».

Aliae sunt adhuc animadversiones, sed quia factae sunt ab aliis, ideo interrumpo.

11

Exc.mus P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCÓN
Episcopus Celsonensis

Venerabiles Patres,

Placent schematis res et elocutio, maxime spiritus quo informatur.

Manifesto perspicitur Ecclesiae studium pastorale, quae omnes christianos coadunatos cupit, et eximia caritas qua fratribus a nobis disiectis consulimus...[1]

Aliquid tamen subnotandum habeo quod ad priorem partem schematis attinet.

Prior pars eam prodit doctrinam quae fundamenta normis subsequentibus praebet; eadem prospicit finem decreti intentum in doctrina exponenda sicuti iam explicatum fuit ab ipsa commissione praeparatoria. Quod quidem aptum et legitimum mihi videtur, dum hoc laudabile intentum expositionem doctrinae diffusam aut obscuram minime reddat; adhuc etiam ipsam veritatem non sine magno periculo erroris aut de fide deductionis tradere non cogat. Vitanturne talia pericula in hac priore parte doctrinali? Non ausim affirmare, immo magno teneor metu ne doctrina vera, ita proposita, ambiguis et erratis interpretationibus ansam praebeat.

Brevitatis gratia, unum tantum exemplum proponam: in n. 6 dicitur: « Christus est Caput omni modo, in omni ordine, sub omni respectu... Petrus vero, vel eius successor, est caput modo vicario, *et quidem in ordine iurisdictionis, seu Ecclesiae visibilis* ».

Haec pronuntiata vera sunt. Sed ut indicantur, *maxime in contextu* [2] nonne ansa praebetur distinctioni nimis frequenti his temporibus inter « Ecclesiam caritatis » et « Ecclesiam iuridicam », ut si duo diversa essent, et quodam modo, disiuncta et extranea, ut duae lineae parallelae simul protractae quin mutuo interferantur?

Certum est enim in Ecclesia — Corpore Christi — duas species aut partes esse, sed ambas essentiales mutuo influxu mutuaque coniunctione. Ut in Christo duae sunt naturae sub unitate personae et duo sunt in homine elementa distincta quid unum constituentia; sic nempe Ecclesiae interius exterius, supernum humanum ita unum efformant, ut isti duo aspectus, salva opera Christi, disiungi nequeant.

Verum est etiam in schemate dilucide explicatum esse, quare nostri dilecti fratres nomine christiano etiam insigniti, Christi ut nos etiam studiosi, et eum sequi cupientes, vitae divinae etiam sint participes, et possint uniti esse cum Christo. Sed praeterire non possumus hoc extra modum rectum esse a Christo stabilitum.

Illi sunt bona fide. Quidquid per eos est, omne ut Christo serviant, sine dolo malo faciunt. Et « facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam ».

Sed ut in Christo theologi loquuntur de « communicatione idiomatum »; et in homine corpus et anima sociantur et sibi mutuo influunt, sic in Ecclesia vita supernaturalis alte insedit et vivificat structuras iuridicas et humanas, quae structurae eatenus tantum dici possunt Ecclesiae propriae, quatenus in mundum vitam supernaturalem producunt...[3]

Praeterea ex istis propositionibus, ut in schemate exarantur, sequi

videtur coniunctiones fidelium cum suis pastoribus, membrorum corporis cum capite, visibili ordine iuridico tantum contineri, ut ab auctoritate publica membra cuiuslibet societatis humanae perfectae pendent.

Id liquet, ut in n. 4 schematis dicitur, quod « Oportet proinde ut (Ecclesia) structuris societatis humanae utatur », et quod Ecclesia ...[4] est societas perfecta. Hoc tamen nude teneri non potest, Ecclesiam esse similem societatem societati civili, rationemque qua eius membra et caput consociari eamdem esse ac societatis cuiuslibet.

Aliae namque societates sunt ordinis solius iuridici. Sufficit actus iuridicus ut ad eas accedatur. Ecclesia vero vi gaudet supernaturali quae ita suas structuras iuridicas permeat, ut novus ortus requiratur — sacramentum regenerationis Baptismus dicitur — ad eius civitatem adipiscendam.

Et Baptismus, ut reliqua sacramenta, Ecclesiae sunt patrimonium, ipsaque per suos pastores administrat, ut per eadem supernaturalis vita ad animas evadat. Ut in ipsa liturgia asseritur: « Deus, qui apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum » — legimus in Confirmationis ritu — « et per eos eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti ». Fidelium respectus cum suis pastoribus — episcopo, Romano Pontifice — non solum iuridici sunt, sed etiam vitae pleni. Romanus Pontifex ut sponsor et praeses nostrae unionis cum Christo. Episcopus, ut anulus, fideles iungit cum Romano Pontifice et cum Christo. Viae iuridicae sunt tamquam rivuli proprii quibus vita supernaturalis effluit in hominum sanctificationem.

Mea itaque sententia est, dilucidius exponi doctrinam oporteret, ut haec pericula praeoccupentur, hanc mutuam dependentiam duorum aspectuum Ecclesiae significando, et declarando quomodo potissimum « in ordine iurisdictionis », optimo iure fiat « societas eorum qui in Christo uniuntur et ab eo salutem consequuntur ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Et ipse tenor praeditus est ea indole haud semel in hac aula conciliari ostenta. [2] deest. [3] Hae sunt iustae rationes, et veri Christi modi, et hoc duplici respectu Christus suam unicam Ecclesiam constituit. [4] iurisconsultis auctoribus.

12

EXC.MUS P. D. REGINALDUS ADDAZI
Archiepiscopus Tranensis et Barolensis

Venerabiles Patres,

Circa schema constitutionis *de Ecclesiae unitate* haec quae sequuntur animadvertere mihi fas sit.

1. Omitto sermonem de hoc schemate inserendo in schema constitutionis *de Ecclesia,* tamquam eius parte integrali, quia iam hoc sensu provisum est, ut nobis nuntiavit exc.mus secretarius huius Sacrosancti Concilii.

2. Circa titulum praesentis schematis, mihi videtur melior esse iste, scl. *de Ecclesiarum unione* quam ille *de Ecclesiae unitate.* Nam unitas est nota seu dos Ecclesiae et de hac nota non agitur impraesentiarum, saltem, ut dicitur, ex professo. Agitur e contra de opportuna actione ab Ecclesia latina exercenda hoc fine, ut fratres separati revocentur ad domum Patris. Haec actio, Deo benedicente, operatur unionem, et non unitatem; nam unitas, ut iam sapienter dictum est in hac aula, semper est in Ecclesia sicut quaedam proprietas, quae naturaliter ab eius natura fluit.

3. Hoc schema mihi videtur nimis prolixum, ut ceteroquin sunt etiam alia schemata, quae nobis iam exhibita sunt. Potius quam decreta synodalia, schema istud profert optima exemplaria seu specimina pastoralis homiliae. Videantur, v. gr., nn. a 13 ad 17, in quibus suggeruntur media supernaturalia adhibenda ad consequendam unionem. Optima quidem sunt ista media et necessaria, sed paucis lineis indicari poterant, quin recurreretur ad duas fere paginas. Pluries in hac aula audivi Patres conqueri de indole nimis scholastica schematum. Unusquisque utique in suo sensu abundet; sed utinam a *scholasticis,*[1] et imprimis ab eius principe, S. Thoma Aquinate, unum hoc saltem addisceremus, nempe multa, profunda et solida dicere verbis paucis, concinnis et claris!

Occasionem nactus, rogo vos, venerabiles Patres, ut sinatis me candide mentem aperire circa rem non parvi momenti. Perplures Patres ita sunt « pastoralitate » (sit venia verbo) imbuti, ut videantur parvipendere theologiam sic dictam speculativam seu systematicam. Frequens conquestus resonuit in hac aula quod istud vel illud schema est nimis scholasticum et parum pastorale. Liceat dicere quod docere veritatem ut est in se, est munus summe pastorale, quod propterea nec negligere possumus nec pessumdare. Sed quemadmodum, ut docet S. Thomas, « intellectus speculativus extensione fit practicus »...[2], ita theologia specu-

lativa, quatenus nostrum ministerium inspirat et ducit, fit practica, seu, si melius placet, fit pastoralis. Non possumus igitur fructuose adlaborare ad fratrum separatorum reditum sine perspicua et integra veritatum catholicarum expositione.

4. Quoad res in schemate contentas haec duo *solummodo* [3] adnotare placet:

a) In pag. 251, sub n. 2, sermo fit de Ecclesia « terrestri et caelesti ». Utraque Ecclesia ad modum unius definitur: « Societas electorum ». Si electi, iuxta currentem terminologiam, intelleguntur praedestinati (Omnes praedestinati — scribit S. Thomas — sunt electi a Deo...[4]), non mihi apparet bona ista definitio. Timeo ne confundenda sit cum duabus propositionibus Ioannis Huss, a Concilio Constantiensi, sess. XV, tamquam haereticis damnatis. Prima sic sonat: « Unica est Sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas »; altera sic: « Praesciti non sunt partes Ecclesiae ». Iudicet haec sacrosancta Synodus de veritate horum meorum verborum. Utcumque res se habeat, puto melius a S. Thoma definiri Ecclesiam « Congregationem fidelium »...[5]

b) In pag. 261, sub n. 31, ad linn. 18, 19 et 20, legitur: « non tumidum pharisaeum, sed humilem secuti publicanum, pectora percutiamus, misericordiam divinam supplici voce implorantes ». Cur? Quia etiam Ecclesia Romana, ut ex contextu eruitur, suis erroribus, sua incomprehensione, fuit causa illius dirissimi schismatis, quo Ecclesiae Orientales seiunctae sunt ab unitate ovilis Christi.

Duco non esse valde honorificum pro Concilio Oecumenico Vaticano II, verbis licet implicitis, condemnare Sanctissimos Pontifices Romanos, qui Ecclesiam universalem moderabantur, quando schisma consummatum fuit. Ad pacem restituendam cum fratribus separatis non petimus ut ipsi pectora sua percutiant coram nobis; sed neque nos, hic collecti cum Petro et cum eo Ecclesiam docentem efformantes, debemus coram eis prosterni et humiliari, pectora percutientes. Redeant fratres separati, sive orientales sive occidentales, redeant ad domum Patris, lites, dissidia et iniurias superiorum saeculorum una nobiscum obliviscentes. Ad eorum reditum viam quam maxime sternere volumus, sed sine ulla, vel minima veritatis seu dogmaticae, seu historicae, minutione. Redeuntes maxima animorum laetitia excipiemus et amplectemur, una voce concinentes psalmum fraternae exsultationis: Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum...[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] scholastica. [2] (II II, q. 4, a. 2 ad 3). [3] deest. [4] I, q. 23, a. 4. [5] (Opusc. 6 super *Unam Ecclesiam Catholicam*). [6] (*Ps.* 132).

13

Exc.mus P. D. ALEXANDER SCANDAR
Episcopus Lycopolitanus

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Testamentum Christi fuit *ut omnes unum sint*. Pro hac unitate, ipse ad Patrem orationem habuit in ultima coena, pro suis apostolis eorumque discipulis, ut sint in unitate consummati. Ipse voluit ut simus filii unius Patris, greges unius ovilis, cuius ipse est pastor invisibilis, et, per Petrum, Pastorem visibilem eiusque successores pergit regere Ecclesiam suam.

Nos omnes ad hanc unitatem adlaborare debemus, ut tollatur e medio scandalum quod mundo praebetur ob christianorum divisionem. Ad hanc unionem obtinendam sequi non debemus sensum vacuum, sed rationem a fide illuminatam.

Ego ipse non sum natus catholicus, sed ad catholicam fidem accedi gratia Dei adiuvante. Adlaboravi per quadraginta annos inter fratres meos in Aegypto, ut ad unionem cum Sede Apostolica redeant, adhibitis mediis in quantum in me est, ut difficultates et praeiudicia tollerentur. Inter ista media adhibita, et quae habent maiorem influxum, experientia duce, adnumeranda est maxima fidelitas in observandis ritibus liturgicis antiquis Ecclesiae nostrae Alexandrinae, ita ut nemo, ad nostras ecclesias pergens, extraneum se videat.

Ad hanc unionem obtinendam, sedem meam Lycopolitanam confratri meo episcopo copto dissidenti in eadem civitate residenti, cedere paratus sum.

In hac aula conciliari sermo fuit his ultimis diebus de Ecclesia orientali, et ab aliquibus orthodoxa vocatur, ut distinguatur ab Ecclesia occidentali seu latina et catholica. Quin loquor de etymologia verbi sed de eius applicatione, in oriente omnes fratres nostri orthodoxos se vocant, quin profiteantur easdem doctrinas. Quisnam inter eos orthodoxus est? Dogmata enim diversa ab utraque parte profitentur, ita ut reapse non una Ecclesia habeatur, sed plures. Num orthodoxa illa est quae admittit tria prima Concilia, an illa quae septem admittit? Num orthodoxa illa est quae Concilium Chalcedonense venerat, admittendo in Christo duas naturas, an illa quae idem Concilium reiecit? Iam inter hos orthodoxos unitatem non invenio neque fraternitatem. Affirmatur dogmata eadem esse inter catholicos et orthodoxos, excepta dogmata de

primatu et de infallibilitate. Attamen alia dogmata reiciunt, ita ut clare, duce experientia, ad unionem obtinendam, debemus:

1. Reicere dogmata de purgatorio, de iudicio particulari, et admittere animas post mortem in aliquem locum, quem ignoro, deteneri usque ad diem iudicii universalis. Et tunc, ad quid suffragia et preces pro defunctis?

2. Deberemus divortium admittere in quibusdam casibus quae septem apud eos numerantur, et proinde non haberetur indissolubilitas quae est fundamentum sacramentalitatis matrimonii christiani: « Magnum Sacramentum est... Unio Christi cum Ecclesia ».

3. Reiicere etiam deberemus cum aliquibus decem et tria Concilia, et cum aliis decem et septem, ut unio obtineatur. Numquid Patres horum Conciliorum nihil statuerunt? Sed regredi debemus ad saeculum V vel XI et considerare deberemus Ecclesiam vita destitutam et sine ullo progressu. Attamen Ecclesia est viva, dynamica, et qui vitam dicit, eo ipso motum, progressum et evolutionem intendit.

Unionis problema non est quid sentimentale, res gravis est et summi momenti. Ecclesia enim depositum fidei nullo modo laedere vel sacrificare potest. Id quod semel definitum est ut dogma credendum, tangi non potest.

Fratres nostros diligamus et nobiscum in eadem domo simul habitare optamus, fide tamen intacta manente pro qua vitam nostram libenter sacrificamus, sed veritates fidei nequaquam tangentur. Christum Dominum, Fratrem nostrum communem, oramus ut mentes illuminet, corda moveat et ad unitatem in veritate adducat nos, oriens et occidens, a septemtrione ad meridiem, omnes nos unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam efformamus.

Concede, Domine, ut quotidie dicimus in Missa S. Basilii, concede pacem et unitatem Ecclesiae tuae catholicae-orthodoxae, quae in universo orbe terrarum diffusa est, benedic eius fideles et omnia ovilia. Dixi.

14

Exc.mus P. D. IOSEPH KOESTNER
Episcopus Gurcensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres Conciliares,

Ne patientia vestra nimis abutar, liceat mihi ex eis quae secretariatui transmisi ad unum tantum punctum aliquam animadversionem facere, et quidem ad n. 35, pag. 262. Ibi dicitur: « Potestas tenebrarum

et princeps mundi huius magnam partem generis humani iugo suo subegit »; et postea: « Exhortatur proinde Oecumenica Synodus omnes qui Christi nomine glorientur ut aciem communem contra gliscentem atheismum et materialismum constituant... » etc.

Locutio huius numeri videtur aliquantulum mutanda, ne suspicio oriatur, certe iniuste, Concilium agere res politicas, quod forsan fratribus sub potestate regiminum atheisticorum damno esse posset. Propterea proponere velim ut votum in hoc n. 35 delineatum, quod sine dubio est optimis rationibus fundatum, modo positivo exprimatur sic vel aliis verbis: « Oecumenica Synodus omnes qui Christi nomine gloriantur enixe rogat et invitat ut ad tuendam fidem et legem Domini necnon ad defendendum commune patrimonium civilitatis christianae simul coadlaborent ». Dixi.

Textus scripto traditus:

Schema valde laudandum mihi videtur, sed liceat mihi aliqua ad duo puncta animadvertere:

1. Ad pag. 262. In n. 34 dicitur: « Ipsi sacri locorum praesules et antistites quibus portio gregis Christi commissa est, colloquia et conversationes cum fratribus dissidentibus opportune foveant et promoveant ». Quaeri posset, utrum sapientes normae, quae a S. Sede pro colloquiis oecumenicis iam datae sunt, etiam stante hac paragrapho adhuc suum vigorem retineant; quod omnino optandum videtur, cum catholici in rebus theologicis non bene exculti argumenta non bene perspiciant et sic quandoque potius in dubitationes vel errores duci possint. Hoc autem certe rei oecumenicae non proderit.

Propterea proponere audeo, ut adiungatur in lin. 5, n. 34: « salvis in hac re decretis a S. Sede iam datis ».

2. Ad n. 35. Locutio huius numeri videtur aliquantulum mutanda, ne suspicio oriatur, certe per nefas, Concilium agere res politicas, si dicitur: « Potestas tenebrarum et princeps mundi huius magnam partem generis humani iugo suo subegit... Exhortatur proinde Oecumenica Synodus omnes, qui Christi nomine gloriantur, ut aciem communem contra gliscentem atheismum et materialismum constituant etc. ».

Locutio posset forsan fratribus sub potestate regiminum atheisticorum damno esse.

Propterea proponere liceat, ut hic n. 35 magis positivo modo loquatur, scl. sic vel aliis verbis: « Oecumenica Synodus omnes, qui Christi nomine gloriantur, invitat, ut ad tuendam fidem et legem Christi necnon ad defendendum commune patrimonium civilitatis christianae simul coadlaborent ».

15

Exc.mus P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres,

Aliqua de necessitate recognoscendi quasdam partes huius schematis atque illud inserendi in unico textu « de unitate Ecclesiae » directe secretariatui tradam.

Hodie tamen [1] de necessitate humilitatis et abnegationis ad fovendam unitatem aliqua vellem addere iis quae, in nostro textu, iam pulcherrime dicta sunt, ita ut melius intelligatur quid sit haec humilitas quae a nobis petitur.

1. Humilitas de qua loquimur nequaquam debet esse renuntiatio vel minima veritatis, sive sub respectu fidei, sive sub respectu historiae. Nulla ceteroquin datur veri nominis humilitas, ubi deest plena veritas. Semper autem recordari debemus nos non dominos esse veritatis sed servos; neque veritas nostri est, sed nos veritatis sumus. Unde non sufficit gloriari quia veritas semper in Ecclesia infallibiliter permansit, sed potius humiliare nosmetipsos debemus quia saepius non secundum veritatem ambulavimus.

2. Haec humilitas nullo modo Ecclesiae amori obstat. E contra, signum est maximae erga Ecclesiam dilectionis. Certo erraret qui Ecclesiam Sanctam Dei iudicare auderet vel, quod peius esset, eam despiceret, sed etiam erraret qui Ecclesiae amoris praetextu, filiorum eius culpas vel defectus admittere nollet. Ecclesia revera in se sancta est atque semper immaculata Christi sponsa manet; sed, proh dolor!, rugas et maculas saepe membra Ecclesiae contraxerunt. Si ergo propter Ecclesiae amorem, illam sine ruga neque macula volumus esse, debemus confiteri peccata nostra atque de illis poenitentiam agere ut penitus tollantur.

3. Opus unitatis ex parte nostra, absque vera et operosa humilitate fieri non potest. Necessario reiicienda est humilitas ficta quae quasi modus esset fratres nostros alliciendi; neque sufficit humilitas quae, quamvis sincera, in verbis tantum manifestaretur.

Ideo debemus coram Deo et hominibus confiteri nos ignorantia, defectibus atque etiam culpis nostris, partim esse reos huius tam dolendae divisionis; neque agnoscere sufficit defectus antecessorum nostrorum, quod facilius esset, sed defectus nostros hodiernos confiteri etiam debemus; neque tandem sufficit de eis in generali deplorare, sed in particulari debemus illos denuntiare.

4. Humilitati tandem adiungi debet abnegatio ut porta ad unionem plenius aperiatur. Abnegatio iam requiritur ut defectus omnes e medio tollantur, quod non potest fieri nisi multo et perseverante conatu.

Sed abnegatio adhuc requiritur ut unitatis amore, valedicamus quibusdam traditionibus humanis quae, non de iure quidem sed de facto, unitati obsunt. In talibus quaestionibus, nullo modo efficaces essent disceptationes. Possumus, sane, argumenta nostra movere, alii autem sua pariter movebunt, eritque argumentorum pugna, sed non erit pax. Nonne melior et efficacior esset via quam, loquens de idolothytis, Paulus nobis aperuit: « Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem »...[2]

Ergo, salvo iure veritatis, ad omnia relinquenda parati esse debemus, ut omnes in Christo unum perfecte efficiamur.

Conclusio. Nullo modo fratres nostros carissimos iudicabimus, sed nosmetipsos ne a Christo iudicemur. Quando autem tam optatam unitatem nobis concedere Deus dignabitur, nullo modo illam tamquam victoriam nostram putabimus sed in spiritu humilitatis et in animo contrito soli Deo gratias agemus qui, non obstantibus peccatis et defectibus nostris, omnium christianorum visibilem unitatem in Christo, secundum propositum voluntatis suae et superabundanti virtute sua *solus* effecerit.

In textu scripto tradito: [1] Duo de hoc schemate dicere vellem: Vehementer optarem ut quae de oecumenismo et de Ecclesiae unitate in diversis schematibus scripta sunt in unicum textum redigantur atque simul Concilio submittantur. Iam duos textus habemus, unum scil. in hoc decreto *de Ecclesiae unitate,* alterum vero in cap. XI constitutionis dogmaticae *de Ecclesia.* Insuper non est dubitandum quin et ipse secretariatus ad unitatem christianorum fovendam suum exaraverit textum. Ne igitur ter de iisdem sermo habebatur, necessarium videtur hos diversos textus in unicum esse redigendum. [2] (1 *Cor.* 8, 13).

16

Exc.mus P. D. MICHAËL ASSAF
Archiepiscopus Petrensis et Philadelphiensis

Vénérables Pères du Concile,

Le schéma *de Ecclesiae unitate* est l'un des plus importants schémas proposés à l'étude et à l'approbation de ce Saint Concile. D'ailleurs, c'est la pensée primordiale de notre Père, de notre Saint-Père le Pape Jean XXIII, qui est déjà appelé à juste titre « le Pape de l'Unité ». Et,

d'accord avec notre vénéré Patriarche, Sa Béatitude Maximos IV, et tout l'épiscopat Grec-Melchite catholique, nous l'approuvons dans son ensemble.

Cependant, qu'il me soit permis de suggérer quelques amendements au texte du schéma et plus précisément aux quatre paragraphes 23 à 26, relatifs aux moyens liturgiques aptes à favoriser l'union souhaitée.

A deux reprises, au par. 23 et au par. 26, on insiste sur le désir qui anime le sainte Eglise catholique de respecter les rites orientaux; mais, chaque fois, je vois que l'on y ajoute une réserve qui me paraît offensive et gratuite: l'on y dit: « ... pourvu que ces rites ne contiennent rien qui soit contraire au dogme catholique et à la communion avec le Saint-Siège romain ». Ceux qui connaissent les rites orientaux savent fort bien qu'ils ne contiennent absolument rien que de très catholique et de très œcuménique. Les querelles entre les Eglises n'ont pas atteint les rites liturgiques. Je propose donc que cette réserve soit supprimée au texte définitif, même si elle cite textuellement des paroles du Pape Paul V, écrites dans des circonstances qui ne sont plus celles d'aujourd'hui.

Deuxièmement, au par. 24, il est solennellement affirmé, lignes 34 à 35, que jamais les orientaux ne seront contraints d'abandonner leur propre rite. Sans vouloir parler du passé bien douloureux, où d'innombrables orientaux ont été contraints de passer au rite latin, je voudrais faire remarquer qu'il y a plusieurs moyens d'exercer la contrainte, et que la contrainte morale est souvent plus efficace que la contrainte physique. L'Eglise romaine veut sincèrement sauvegarder les Eglises orientales avec tout leur patrimoine spirituel; mais il ne suffit pas de réprouver tout agissement qui aurait pour but de latiniser les orientaux, mais il serait nécessaire d'interdire la latinisation elle-même, sous quelque forme qu'elle s'exerce, en réservant cependant au Saint-Siège apostolique seul le droit d'autoriser, dans des cas exceptionnels, le passage au latinisme.

Nous sommes tous certains, encore une fois, que le Saint-Siège apostolique ne veut pas latiniser l'orient; mais les choses se passent en fait comme s'il ne pouvait pas l'empêcher. Une action énergique s'impose donc pour mettre en pratique les bonnes intentions du Saint-Siège, contre les interprétations tendancieuses et intéressées.

Troisièmement, le par. 25 insinue que des réformes ou des innovations pourraient être utilement introduites dans les rites orientaux. Le schéma reproduit pour cela les paroles du Pape Léon XIII dans sa magistrale encyclique *Orientalium dignitas*; mais il est évident d'après le contexte que ces paroles se réfèrent à des modifications rendues néces-

saires dans la discipline des Eglises orientales. Quant aux rites liturgiques eux-mêmes, je dois dire que notre Eglise Grecque-Melchite catholique n'entend rien innover dans le rite, sinon d'accord avec nos frères orthodoxes, afin de sauvegarder l'unité du rite byzantin et aussi pour que les variations dans le rite ne créent de nouvelles différences inutiles entre nos frères orthodoxes et nous.

Quatrièmement, le par. 26 veut tranquilliser les Orientaux en les assurant qu'ils trouveront dans l'Eglise catholique non une maison étrangère, mais leur propre maison. Cette déclaration est belle, œcuménique, et aussi bien évidente; moins évidente est la réalité. Trop souvent encore l'Eglise catholique se présente, dans nos contrées orientales surtout, comme étant constituée par la seule Eglise latine. Que d'exemples je pourrais en citer ici! Je m'en abstiens délibérément, pour des raisons que votre auguste Assemblée comprend facilement. Je souhaite seulement que ces déclarations de bonnes intentions soient suivies d'effet. Nous comptons avec confiance sur la collaboration de tous avec la grâce de Dieu. Merci.

17

EXC.MUS P. D. GEORGIUS DWYER
Episcopus Loidensis

Venerabiles Fratres Conciliares,

Legendo hoc schema pro prima vice, mihi hanc quaestionem posui: quinam sunt destinatarii...[1]? Estne scriptum pro latinis, ut sciant conditiones sub quibus orientales acatholici cum Ecclesia catholica reconciliari possunt? Si ita est, tunc schema sat clare statuit normas iuridicas quas observare debent. Tamen in hoc casu nescio cur necessarium sit, cum omnes iam bene sciamus quod nemo *Ecclesiae* [2] reconciliari potest nisi totam fidem catholicam, incluso primatu successoris Petri, profiteri paratus sit.

Si vero ...[3] schema pro orientalibus scriptum est, ad persuadendum *eis* [4] ut vocem Ecclesiae catholicae audiant quae eos invitat ad unitatem redintegrandam, tunc fateri debeo schema saltem quoad primam partem ineptum mihi videri ad hunc finem assequendum. Apud nos, quando aliquis *docetur* [5] quomodo loqui debet in emissione radiographica vel televisiva, hoc principium semper statuitur: Initium orationis sumere debes a puncto ubi auditor se inveniat, ut eum ducas ad finem ubi eum conducere vis, i. e. necesse est imprimis ut demonstres te intelligere rationes cur auditor tuus (acatholicus utique) ea credit quae credit. In

mentem auditoris intrare necesse est, immo sympathiam, quod vocant, cum opinionibus eius monstrare. Etiamsi credas opinionem eius erroneam esse, tamen debes demonstrare quod intelligis cur talem opinionem habeat et quod non spernas nec despicias rationes quas habeat ad talem opinionem sustentandam.

Igitur ad christianos orthodoxos loqui volumus. Qualis est mens eorum? Quomodo differt a mente christianorum traditionis latinae sicut maior pars nostri sumus? Pro nobis, Roma mater et magistra est; pro nobis, Roma mater amantissima est, quam amore reciproco adamamus. Orientales orthodoxi autem fidem non a Roma receperunt; pro eis mater non est nec pater: est soror utique, et tempus erat quando etiam magistra erat. Proh dolor!, magistra non amplius est. Ergo si vis persuadere orthodoxos ut audiant vocem tuam, omnino inutile est incipere a Primatu Petri, sicut schema facit a nn. 5 usque ad 9. Incipias potius ab iis quae dicta sunt nn. 10 et 11, ubi optime dicitur quod Ecclesia romana « cum intimo gaudio de communi cogitat patrimonio cuius fratres orientis simul ac occidentis heredes facti sunt », etc.; ubi loquitur etiam de « fraternitate in Christo », de « communi historia luctarum victoriarumque pro eius regno in terris instaurando ». *Multa* [6] etiam perpulchra in n. 37 inveniuntur; haec, *mihi videtur,* [7] amplianda sunt cum citationibus ab illis praeclaribus Patribus Ecclesiae quos communi reverentia et orientales et occidentales prosequuntur. *Sed non debes initium sumere,* [8] nec schema debet incipere loquendo de « submissione auctoritati Petri eiusque successori »... [9], nec de « errore pernicioso », etc. Haec omnia vera sunt; sed orthodoxi iam bene sciunt hoc punctum, primatum scilicet, decisivum et divisivum esse inter nos. Sufficit ut de hoc mentio fiat in fine — nam nullo modo dico id taceri deberi. Loquor tantum de modo psychologico quo cum orientalibus dialogum instituere debemus et possumus.

Propono igitur:

1. Ut schema incipiat cum iis quae in nn. 10 et 11 habentur, ampliatis tamen et Patrum testimoniis ornatis.

2. Ut postea mentio fiat de primatu successoris Petri, sed potius recolendo quomodo diebus antiquis a tantis praeclaribus illis Patribus orientis et occidentis, quos communi reverentia in honore habemus, sustentatus sit.

Aliter enim valde timeo ne orthodoxi, lectis primis numeris, ulterius ne legant et tempus nostrum teramus.

Ultimum verbum brevissimum addere vellem, si liceat, de indole totius Sacrosancti huius Concilii, quale nobis hucusque visum est. Mihi videtur quod oblivisci videamur — videamur dico — massam gentis

humanae qui nihil omnino intelligit quaestionum theologicarum de quibus hucusque tractavimus. Millia millium hominum fame spirituali et fame corporali afflicti, panem spiritualem et panem quotidianum materialem egent. Sunt in mundo catholici divites qui Lazarum pauperem ad portas eorum, fame spirituali et corporali afflictum, vident, et nihil pro eo faciunt. De hoc loqui debemus. Quid iuvat de duplici fonte revelationis loqui, quando fons caritatis exsiccata est? Quid iuvat de lingua vernaculari in Missa disceptare quando lingua Lazari faucibus eius adhaeret fame et siti torrefacta?

Per duos menses laboravimus: parum cepimus. Si in proxima sessione de his quaestionibus non agemus, quae mentes hominum torquent, tunc valde timeo ne totus mundus de nobis, non dico rideat, sed doleat, vel a nobis faciem avertat dicendo: « Homines isti non sunt serii. - Non ragionam di lor, ma guarda e passa »! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] huius schematis. [2] cum Ecclesia. [3] hoc. [4] eos. [5] edocetur. [6] Plura. [7] deest. [8] deest. [9] (n. 7).

Secretarius generalis: Postulatum em.mi card. Ottaviani consilium praesidentiae examinabit et suam decisionem postea communicabit.

Nunc honori mihi est hunc nuntium coetui amplissimo legere: « Cum haec Oecumenica Synodus sollemne sumpsit exordium die 11 superioris mensis octobris, SS. Dominus noster Ioannes divina providentia Papa XXIII in sua oratione mentionem complurium Ecclesiae pastorum fecit, qui celebrando Concilio adesse nequiverant, cum gravibus impedimentis detinerentur. Pro iis Beatissimus Pater flagrantissimas supplicationes spopondit. Nos igitur Oecumenici Concilii Patres, gratum Augusto Pontifici facturos nos esse pro certo habemus si eius precibus nostras quoque preces adiungamus. Quam ob rem unanima voluntate omnium nomine proponitur ut sacrum novendiale, quod crastina die in honorem Immaculatae Deiparae Virginis in universa catholica Ecclesia incipiet, pro omnibus episcopis Ecclesiae Sanctae Dei, sive qui prope sive qui procul sunt, et pro cuncto populo christiano suscipiatur. Faxit Deus, deprecante benignissima Virgine Maria, ut omnibus hominibus manifesto semper pateat, Ecclesiam Sanctam id unum quaerere, id unum exspectare ut humanum genus mansura pace fruatur atque, divina servata lege, sic per bona temporalia transeat, ut non amittat aeterna ».

Placetne haec propositio? [*Plausus in aula*].

Proxima igitur congregatio, feria VI proxima, hora nona, et prosequetur disceptatio circa decretum *de unitate Ecclesiae* et fiet suffragatio de emendationibus propositis.

CONGREGATIO GENERALIS XXX

29 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXX

29 novembris 1962

Exc.mus P. D. Pericles Felici, *secretarius generalis*:

Praesidet hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis.

Hodie celebratur in Ecclesia occidentali et orientali festum S. Andreae, fratris S. Petri. Eius sacrum caput venerationi expositum est apud sepulchrum Principis Apostolorum. Oremus omnes Principem Apostolorum eiusque fratrem ut velint impetrari bonum unitatis inter Ecclesiam occidentalem et orientalem, ita ut quod hodie est studii, sit, Deo favente, et gratiae. [*Plausus*].

Prosequitur disceptatio de schemate *de unitate Ecclesiae*.

Loqui postulaverunt em.mi DD. cardd. Stephanus Wyszyński, arch. Varsaviensis in Polonia; Augustinus Bea; exc.mi Emmanuel Trindade, arch. Eborensis in Lusitania; Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada; Eftimios Youakim, ep. Mariamnensis Melchitarum in Libano; Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia; Abilius Vaz das Neves, ep. Brigantiensis in Lusitania; Augustinus Sépinski, sup. gen. O.F.M.; Alaphridus Bontempi, ep. tit. Palmyrensis in Italia; Dionysius Hayek, arch. Aleppensis Syrorum in Syria; Ioannes Heenan, arch. Liverpolitanus in Anglia; Alexander Olalia, ep. Lipensis in Insulis Philippinis; Ioseph Pont, ep. Segobricensis in Hispania; Rodulfus Staverman, vic. ap. Hollandiae in Nova Guinea occid.; Nicolaus Elko, ep. Ordinarius Ruthenorum Pittsburgensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Antonius Bükatko, arch. coad. Belogradensis in Iugoslavia; Antonius Santin, ep. Tergestinus in Italia; Georgius Layek, arch. Aleppensis Armenorum in Syria; Victor Sartre, arch. tit. Beroensis; Ioseph Rabbani, arch. adm. ap. Hemesenus in Syria; Raphaël Bidawid, ep. Amadiensis Chaldaeorum in Iraq; Raphaël Bayan, ep. Alexandriae Aegypti pro Armenis; Basilius Heiser, sup. gen. O.F.M. Conv.; Augustinus Farah, ep. Tripolitanus Melchitarum in Libano; Franciscus Čekada, ep. Scopiensis in Iugoslavia; Renatus Pailloux, ep. Arcis Rosebery in N. Rhodesia; Irenaeus Chelucci, ep. Ilcinensis in Italia; Iulius Barbetta, ep. tit. Pharanitanus in Italia; Nilus Savaryn, ep. Edmontonensis pro Ucrainis in Canada; Ceslaus Sipovič, ep. vis. Bielorusso-

rum; Iacobus Corboy, ep. Monzensis in Rhodesia; Ioannes Nuer, ep. aux. Thebanensis in Aegypto; Maximilianus Držečnik, ep. Mariborensis in Iugoslavia; Hermannus Volk, ep. Moguntinus in Germania; Ioannes Hoeck, sup. gen. Congregationis Bavaricae O.S.B.; Carolus Saboia Bandeira, ep. Palmensis in Brasilia; Albertus Devoto, ep. Goyanensis.

Consilium praesidentiae, debito examini subiciens postulatum em.mi ac rev.mi card. Ottaviani, de quo in congregatione generali diei 28 novembris elapsi, multum quidem fecit et aestimavit rationes ab em.mo adductas, praesertim devotionem, qua omnes flagrantissime in Beatam Mariam Virginem Matrem Dei et Matrem nostram incendimur. Censuit tamen iam statutum et communicatum ordinem servare. Eo vel magis quod valde opportunum videtur totum reliquum tempus huius primae periodi Concilii impendere in studium brevius constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* ita ut, auditis Patrum sententiis circa principia generalia, possit fieri, tempore opportuno, revisio et accommodatio schematis constitutionis, si necesse sit: constitutionis — inquam — quae procul dubio praevidetur esse, Deo favente, inter maximas huius Concilii.

Itaque, exacta disceptatione circa decretum *de unitate Ecclesiae,* initium dabitur relationi et disceptationi circa schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia.*

Durante hac congregatione generali, dum disceptatio prosequitur, fient suffragationes circa emendationes cap. I de constitutione *de sacra Liturgia.* Ut Patres vident, hae emendationes continentur in pagg. 3 et 4 fasciculi, qui iam distributus est. Sunt novem emendationes et circa singulas dabitur suffragatio, modo et ratione qui iam cogniti sunt. Nempe, postquam distributa est prima schedula, signatur *placet* vel *non placet*: tantummodo placet vel non placet, circa primam emendationem, quae sic sonat: Pag. 159, lin. 6, post verba « carnem factum » addatur: « Spiritu Sancto unctum ».

Hi Patres, quibus placet haec emendatio, signent aliquam crucem in loculo ubi est scriptum *placet.* Illi vero, quibus haec emendatio non placet, idem signum imprimant in loculo ubi scriptum est *non placet.* Postquam facta est suffragatio circa primam emendationem, aufertur schedula et nova schedula datur. Et transitur ad secundam emendationem, quae scilicet sic sonat: Pag. 159, lin. 9, loco « causa nostrae salutis », ponatur « instrumentum nostrae salutis ». Item hic, si placet, signetur aliqua crux super *placet;* si non placet, eadem crux imprimatur in loculo ubi est *non placet.* Et ita deinceps.

Cum iam aliqua suffragatio eiusdem generis facta sit, censeo non

esse necessarias ulteriores explicationes. Attamen quia Ordo hoc postulat, lego ceteras emendationes...

Speramus omnes emendationes factum iri hoc mane, quod si non contingat, prosequemur suffragationem crastina die.

Rogantur Patres ne e suis locis exeant, quia suffragatio requirit praesentiam Patrum.

Igitur adhuc dico: suffragatio fit per *placet* et *non placet* tantum. Gratias.

[*Intervallum*].

Ante suffragationem, ut praescriptum est, legetur relatio ab exc.mo D. Martin.

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

EMENDATIONES [3]

A PATRIBUS CONCILIARIBUS POSTULATAE
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATAE ET PROPOSITAE

Caput I, nn. 1-9

AD ART. 1

1 — Pag. 159, linea 6, post verba « *carnem factum* » addatur: « SPIRITU SANCTO UNCTUM ».

2 — Pag. 159, linea 9, loco: « *causa* nostrae salutis », ponatur: « INSTRUMENTUM nostrae salutis ».

AD ART. 2

3 — Pag. 159, linea 25, loco: « *per Sacramenta efficerent* », ponatur: « per SACRIFICIUM ET Sacramenta efficerent ».

4 — Pag. 160, linea 15, addatur in fine: « PER VIRTUTEM SPIRITUS SANCTI ».

AD ART. 3

5 — Pag. 160, lineis 20-25, periodus quae incipit « *Ipse est* », usque « *in Cruce se obtulit* », ita emendetur, addita mentione praesentiae Christi sub speciebus eucharisticis: « PRAESENS ADEST IN MISSAE SACRIFICIO CUM IN MINISTRI PERSONA, TUM MA-

[3] XIME SUB SPECIEBUS EUCHARISTICIS, " IDEM NUNC OFFERENS SACERDOTUM MINISTERIO, QUI SEIPSUM TUNC IN CRUCE OBTULIT ". PRAESENS ADEST VIRTUTE SUA IN SACRAMENTIS, ITA UT CUM ALIQUIS BAPTIZAT, CHRISTUS IPSE BAPTIZET. PRAESENS ADEST IN VERBO SUO, SIQUIDEM IPSE LOQUITUR DUM SACRAE SCRIPTURAE IN ECCLESIA LEGUNTUR. PRAESENS ADEST DENIQUE DUM SUPPLICAT ET PSALLIT ECCLESIA ... ».

AD ART. 4

[4] 6 — Pag. 160, linea 28, post verba « *sibi semper consociat* », addatur: « QUAE DOMINUM SUUM INVOCAT ET PER IPSUM AETERNO PATRI CULTUM TRIBUIT ».

AD ART. 5

7 — Pag. 161, lineae 9-12 transferuntur ad n. 10 textus emendati, nova hac redactione: « ATTAMEN LITURGIA EST CULMEN AD QUOD ACTIO ECCLESIAE TENDIT ET SIMUL FONS UNDE OMNIS EIUS VIRTUS EMANAT ».

AD ART. 6

8 — Pag. 161, linea 30, post verba: « *in medio Ecclesiae Deum laudent* », addatur: « SACRIFICIUM PARTICIPENT ».

AD ART. 8

9 — Pag. 162, lineis 10-12, loco: « *Etsi enim christianus quandoque ad orandum in communi vocatur, quandoque tamen invitatur ad intrandum cubiculum suum ut Patrem in abscondito oret* », ponatur: « CHRISTIANUS ENIM AD COMMUNITER ORANDUM VOCATUS, NIHILOMINUS DEBET ETIAM INTRARE IN CUBICULUM SUUM UT PATREM IN ABSCONDITO ORET ».

2 – TEXTUS SCHEMATIS [5]

Caput I, nn. 1-9

Textus in Schemate propositus

CAPUT I

DE PRINCIPIIS GENERALIBUS AD SACRAM LITURGIAM INSTAURANDAM ATQUE FOVENDAM

I – DE SACRAE LITURGIAE NATURA EIUSQUE MOMENTO IN VITA ECCLESIAE

1. [*Opus salutis a Deo praenuntiatum, in Christo eiusque opere impletur, ...*]. Deus, qui « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (1 Tim. 2, 4), « multifariam multisque modis olim loquens patribus in prophetis » (Hebr. 1, 1), ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum Verbum carnem factum ad evangelizandum pauperibus, ad sanandos contritos corde,[1] « medicum carnalem et spiritualem »,[2] Mediatorem Dei et hominum. Ipsius namque humanitas, in unitate personae Verbi, fuit causa nostrae salutis. Quare in eius persona et vita « nostrae reconciliationis processit perfecta placatio, et divini cultus nobis est indita plenitudo ».[3]

Hoc autem humanae Redemptionis et perfectae Dei glorificationis opus, cui divina magnalia in populo Dei Veteris Testamenti prae-

Textus a Commissione emendatus *

CAPUT I

DE PRINCIPIIS GENERALIBUS AD SACRAM LITURGIAM INSTAURANDAM ATQUE FOVENDAM

I – DE SACRAE LITURGIAE NATURA EIUSQUE MOMENTO IN VITA ECCLESIAE

5.** Deus, qui « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (1 Tim. 2, 4), « multifariam multisque modis olim loquens patribus in prophetis » (Hebr. 1, 1), ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum, Verbum carnem factum, SPIRITU SANCTO UNCTUM, ad evangelizandum pauperibus, ad sanandos contritos corde,[1] « medicum carnalem et spiritualem »,[2] Mediatorem Dei et hominum.[3] Ipsius namque humanitas, in unitate personae Verbi, fuit INSTRUMENTUM nostrae salutis. Quare in *Christo* « nostrae reconciliationis processit perfecta placatio, et divini cultus nobis est indita plenitudo ».[4]

Hoc autem humanae Redemptionis et perfectae Dei glorificationis opus, cui divina magnalia in populo Veteris Testamenti praeluse-

* Litteris italicis seu *cursivis* indicantur additiones aut emendationes formales vel minoris momenti; litteris autem grandioribus seu MAIUSCULIS emendationes exhibentur maioris momenti, Patrum suffragationi proponendae.

** Numeri 1-4 pertinent ad *Prooemium*.

[6] luserant, adimplevit Christus Dominus, praecipue per suae beatae Passionis, ab inferis Resurrectionis et gloriosae Ascensionis paschale mysterium, ex quo Ecclesia nascitur, crescit et nutritur.

rant, adimplevit Christus Dominus, praecipue per suae beatae Passionis, ab inferis Resurrectionis et gloriosae Ascensionis paschale mysterium, quo « *mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit* ».[5] *Nam de latere Christi in cruce dormientis ortum est* « *totius Ecclesiae mirabile sacramentum* ».[6]

2. [... *in Ecclesia perseverat, et in eius Liturgia perficitur,* ...]. Nam, sicut Christus missus est a Patre, ita et ipse, « totius Ecclesiae mirabile sacramentum »[4] instituens, Apostolos eorumque successores misit, non solum ut, praedicantes evangelium omni creaturae,[5] annuntiarent Filium Dei morte sua nos a potestate satanae [6] et a morte liberasse, ac resurrectione sua in regnum Patris transtulisse, sed etiam ut opus salutis, quod annuntiabant, per Sacramenta efficerent. Per baptismum enim et cetera Sacramenta, circa quae vita liturgica ordinatur, homines paschali Christi mysterio inseruntur: commortui, consepulti, conresuscitati;[7] spiritum accipiunt adoptionis filiorum, et ita fiunt veri adoratores, quos Pater quaerit.[8] Quotiescumque demum dominicam cenam manducant, mortem Domini annuntiant donec veniat.[9] Et ideo, ipso die Pentecostes, quo Ecclesia mundo apparuit, « qui receperunt sermonem » Petri « baptizati sunt ». Et « erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus... collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem » (Act. 2, 41-47). Numquam posthac intermisit Ecclesia quin in unum conveniret ad paschale mysterium celebrandum, legendo « in omnibus Scripturis quae de ipso erant » (Lc. 24, 27), Sacramenta administrando, Eucharistiam celebrando, in qua « mortis eius victoria et triumphus repraesentatur »,[10] « gratias » agendo « Deo super inenarrabili dono » (2 Cor. 9, 15) in Christo Iesu, « in laudem gloriae eius » (Eph. 1, 12).

6. Nam, sicut Christus missus est a Patre, ita et ipse Apostolos, *repletos Spiritu Sancto,* misit, non solum ut, praedicantes Evangelium omni creaturae,[7] annuntiarent Filium Dei morte sua *et* resurrectione nos a potestate satanae [8] et a morte liberasse et in regnum Patris transtulisse, sed etiam ut, quod annuntiabant, opus salutis per SACRIFICIUM ET Sacramenta, circa quae *tota* vita liturgica *vertit, exercerent. Sic* per Baptismum homines paschali Christi mysterio inseruntur: commortui, consepulti, conresuscitati;[9] spiritum accipiunt adoptionis filiorum, « *in quo clamamus: Abba, Pater*) (Rom. 8, 15), et ita fiunt veri adoratores, quos Pater quaerit.[10] *Similiter* quotiescumque dominicam cenam manducant, mortem Domini annuntiant donec veniat.[11] *Idcirco,* ipso die Pentecostes, quo Ecclesia mundo apparuit,[12] « qui receperunt sermonem » Petri « baptizati sunt ». Et « erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus ... collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem » (Act. 2, 41-47). Numquam *exinde* omisit Ecclesia quin in unum conveniret ad paschale mysterium celebrandum: legendo *ea* « in omnibus Scripturis quae de ipso erant » (Lc. 24, 27), Eucharistiam celebrando in qua « mortis eius victoria et triumphus repraesentatur »,[13] et simul gratias agendo « Deo super inenarrabili dono » (2 Cor. 9, 15) in Christo Iesu, « in laudem gloriae eius » (Eph. 1, 12), PER VIRTUTEM SPIRITUS SANCTI.

3. [... *ob praesentiam ipsius Christi in Liturgia,* ....]. Ad tantum vero opus perficiendum,

7. Ad tantum vero opus perficiendum, Christus Ecclesiae suae semper adest, praesertim

Christus Ecclesiae suae semper adest, praesertim in actibus liturgicis, ipse qui promisit: « ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (Mt. 18, 20). *Ipse est qui loquitur dum verba sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur et explicantur; qui opus salutis, quod degens in terra patraverat, in Sacramentis pergit; ipse denique nunc in Sacrificio Missae se offert « sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit* ».[11]

in actionibus liturgicis. PRAESENS ADEST IN MISSAE SACRIFICIO CUM IN MINISTRI PERSONA, TUM MAXIME SUB SPECIEBUS EUCHARISTICIS, « IDEM NUNC OFFERENS SACERDOTUM MINISTERIO, QUI SEIPSUM TUNC IN CRUCE OBTULIT ».[14] PRAESENS ADEST VIRTUTE SUA IN SACRAMENTIS, ITA UT CUM ALIQUIS BAPTIZAT, CHRISTUS IPSE BAPTIZET.[15] PRAESENS ADEST IN VERBO SUO, SIQUIDEM IPSE LOQUITUR DUM SACRAE SCRIPTURAE IN ECCLESIA LEGUNTUR. PRAESENS ADEST DENIQUE DUM SUPPLICAT ET PSALLIT ECCLESIA, IPSE QUI PROMISIT: « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (Mt. 18, 20). [7]

In hoc opere perfectae Dei glorificationis et hominum sanctificationis perficiendo, Christus Ecclesiam, Sponsam suam dilectissimam, sibi semper consociat.[12]

Reapse tanto in opere, quo Deus perfecte glorificatur, et homines sanctificantur, Christus Ecclesiam, sponsam suam dilectissimam, sibi semper consociat,[16] QUAE DOMINUM SUUM INVOCAT ET PER IPSUM AETERNO PATRI CULTUM TRIBUIT.

Merito igitur Liturgia habetur uti Iesu Christi« sacerdotalis muneris exercitatio »,[13] in qua, sub signis sensibilibus, ea quae significant suo cuiusque modo efficientibus, homo sanctificatur et a mystico Iesu Chrisi Corpore, Capite nempe eiusque membris, integer cultus publicus exercetur.[14]

Merito igitur Liturgia habetur *veluti* Iesu Christi sacerdotalis muneris exercitatio,[17] in qua *per signa sensibilia significatur et modo singulis proprio efficitur sanctificatio hominis, et* a mystico Iesu Christi Corpore, Capite nempe eiusque membris, integer cultus publicus exercetur.[18]

Proinde omnis liturgica celebratio, utpote opus Christi sacerdotis eiusque Corporis, quod est Ecclesia, est « actio sacra praecellenter »,[15] titulo qui eodem gradu nulli alii actioni in Ecclesiae factae convenit.

Proinde omnis liturgica celebratio, utpote opus Christi sacerdotis, eiusque Corporis, quod est Ecclesia, est actio sacra praecellenter,[19] *cuius efficacitatem* eodem titulo *eodemque* gradu *nulla alia actio Ecclesiae adaequat.*

4. [... *quae est caelestis Liturgiae praelibatio*]. In terrena Liturgia caelestem illam praelibamus, quae in sancta civitate Ierusalem, ad quam peregrinamur, celebratur, ubi Christus est in dextera Dei sedens, sanctorum minister et tabernaculi veri;[16] cum omni militia caelestis exercitus hymnum gloriae Domino canimus; me-

8. In terrena Liturgia caelestem illam *praegustando participamus,* quae in sancta civitate Ierusalem, ad quam *peregrini tendimus,* celebratur, ubi Christus est in dextera Dei sedens, sanctorum minister et tabernaculi veri;[20] cum omni militia caelestis exercitus hymnum gloriae Domino canimus; memoriam Sanctorum

[8] moriam sanctorum venerantes partem aliquam et societatem cum eis speramus; Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, donec ipse apparuerit vita nostra, et nos appareamus cum ipso in gloria.[17]

venerantes partem aliquam et societatem cum *iis* speramus; Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, donec ipse *apparebit* vita nostra, et nos *apparebimus* cum ipso in gloria.[21]

5. [*Liturgia in se non amplectitur totum ambitum actionis Ecclesiae*]. Licet sacra Liturgia non amplectatur totum ambitum actionis Ecclesiae, *est tamen in suo centro, quod est divinum Eucharistiae Sacrificium, culmen ad quod omnia tendere debent, et simul fons a quo omnia procedunt.*

9. *Sacra Liturgia non explet totam actionem Ecclesiae;*

Nam antequam homines ad Liturgiam accedere possint, necesse est ut ad fidem et conversionem vocentur: « Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? » (Rom. 10, 14-15).

nam antequam homines ad Liturgiam accedere possint, necesse est ut ad fidem et conversionem vocentur: « Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt. Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? » (Rom. 10, 14-15).

Unde Ecclesia non credentibus praeconium salutis annuntiat, ut omnes homines solum Deum verum et quem misit Iesum Christum cognoscant et a viis suis convertantur, paenitentiam agentes.[18] Credentibus vero semper fidem et paenitentiam praedicare debet, eos ad Sacramenta disponere, docere servare omnia quaecumque mandavit Christus,[19] et allicere ad omnia opera caritatis, pietatis et apostolatus, quibus manifestum sit eos de hoc mundo quidem non esse, sed tamen esse lucem mundi et Patrem glorificare coram hominibus.

Quare Ecclesia non credentibus praeconium salutis annuntiat, ut omnes homines solum Deum verum et quem misit Iesum Christum cognoscant et a viis suis convertantur, paenitentiam agentes.[22] Credentibus vero semper fidem et paenitentiam praedicare debet, eos *praeterea debet* ad Sacramenta disponere, docere servare omnia quaecumque mandavit Christus,[23] et allicere ad omnia opera caritatis, pietatis et apostolatus, quibus *quidem operibus* manifestum *fiat christifideles* de hoc mundo quidem non esse, sed tamen esse lucem mundi *eosdemque* Patrem glorificare coram hominibus.

6. [*Eucharistiae Sacrificium fons vitae Ecclesiae*]. Labores autem apostolici ad id tendunt, ut qui receperunt fidem et paenitentiam egerunt filii Dei fiant per Baptismum, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent et cenam dominicam manducent.

10. Attamen Liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat. *Nam* labores apostolici ad id *ordinantur ut omnes, per fidem et Baptismum filii Dei facti,* in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent, Sacrificium participent et cenam dominicam manducent.

Vicissim, ipsa Liturgia impellit fideles ut « paschalibus sacramentis » satiati, fiant « pietate concordes »; [20] orat ut « vivendo teneant quod fide perceperunt »; [21] renovatio vero foederis Domini cum hominibus in Eucharistia eos in urgentem caritatem Christi trahit. Ex Liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia, ceu ex primo fonte, gratia nobis derivatur [22] et maxima cum efficacia obtinetur illa in Christo hominum sanctificatio et Dei glorificatio, ad quam, uti ad finem, omnia alia Ecclesiae opera diriguntur.

7. [*Dispositiones personales requiruntur*]. Ex his necessarium esse apparet ut fideles cum recti animi dispositionibus ad sacram Liturgiam accedant, suam mentem voci concordent; et supernae gratiae cooperentur, ne eam in vacuum recipiant.[23] Ideo pastoribus advigilandum est, ut in actione liturgica non solum observentur leges ad validam et licitam celebrationem, sed ut fideles conscie, actuose et fructuose participent.

8. [*Necessitas colendae pietatis in tota vita, etiam extra Liturgiam*]. Multum vero abest ut sacra Liturgia totam vitam spiritualem amplectatur. Etsi enim christianus quandoque ad orandum in communi vocatur, quandoque tamen invitatur ad intrandum cubiculum suum ut Patrem in abscondito oret,[24] immo ab Apostolo docetur sine intermissione orare.[25] Et ab eodem Apostolo docemur mortificationem Iesu semper circumferre in corpore nostro, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.[26] Unde Dominum in Missa exoramus ut, « hostiae spiritualis oblatione suscepta, nosmetipsos » sibi perficiat « munus aeternum ».[27]

9. [*Pia exercitia approbata et commendata*]. Pia populi christiani exercitia, si legibus Ecclesiae conformia sint, valde commendantur, praesertim cum de mandato Sanctae Sedis fiunt.

Vicissim, ipsa Liturgia impellit fideles ut « paschalibus sacramentis » satiati fiant « pietate concordes »;[24] orat ut « vivendo teneant quod fide perceperunt »;[25] renovatio vero foederis Domini cum hominibus in Eucharistia *fideles* in urgentem caritatem Christi trahit *et accendit.* Ex Liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia, *ut e* fonte, gratia *in nos* derivatur [26] et maxima cum efficacia obtinetur illa in Christo hominum sanctificatio et Dei glorificatio, ad quam, uti ad finem, omnia alia Ecclesiae opera *contendunt.* [9]

11. *Ut haec tamen plena efficacitas habeatur,* necessarium *est* ut fideles cum recti animi dispositionibus ad sacram Liturgiam accedant, mentem suam voci *accommodent,* et supernae gratiae cooperentur, ne eam in vacuum recipiant.[27] Ideo *sacris* pastoribus advigilandum est ut in actione liturgica non solum observentur leges ad validam et licitam celebrationem, sed ut fideles *scienter,* actuose et fructuose *eandem* participent.

12. *Vita tamen spiritualis non unius sacrae Liturgiae participatione continetur.* CHRISTIANUS ENIM AD COMMUNITER ORANDUM VOCATUS, NIHILOMINUS DEBET ETIAM INTRARE IN CUBICULUM SUUM UT PATREM IN ABSCONDITO ORET,[28] *immo, docente Apostolo,* sine intermissione orare.[29] Et ab eodem Apostolo docemur mortificationem Iesu semper circumferre in corpore nostro, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.[30] *Quapropter* Dominum in *Missae Sacrificio precamur* ut, « hostiae spiritualis oblatione suscepta, nosmetipsos » sibi perficiat « munus aeternum ».[31]

13. Pia populi christiani exercitia, *dummodo* legibus *et normis* Ecclesiae conformia sint, valde commendantur, praesertim cum de mandato *Apostolicae* Sedis fiunt.

[10] Speciali quoque dignitate gaudent sacra Ecclesiarum particularium exercitia, quae de mandato Episcoporum celebrantur, secundum consuetudines aut libros legitime approbatos.	Speciali quoque dignitate gaudent sacra Ecclesiarum particularium exercitia, quae de mandato Episcoporum celebrantur, secundum consuetudines aut libros legitime approbatos.
Ita vero, ratione habita temporum liturgicorum, illa ordinentur oportet, ut Liturgiae consentiant, ab ea quodammodo deriventur, ad eam populum manuducant,[28] utpote illa natura sua longe praecellentem.[29]	Ita vero, ratione habita temporum liturgicorum, *eadem exercitia* ordinentur oportet, ut *sacrae* Liturgiae *congruant,* ab ea quodammodo deriventur, ad eam populum manuducant,[32] utpote *quae* natura sua *iisdem* longe *antecellat.*[33]

[11]

APPENDIX

EXCERPTUM *ex* « Declarationibus » additis *Schemati a Commissione Praeparatoria parato, quod affertur ad meliorem intellegentiam nn. 7, 8, 9 Schematis*

[DECLARATIO]. Intentio generalis huius sectionis est sollemniter affirmare doctrinam Litt. Enc. *Mediator Dei* de relationibus inter Liturgiam et vitam spiritualem singulorum: in specie, de perfecta possibilitate, immo de omnimoda necessitate, — omni oppositione exclusa —, ad debitos fructus ex Liturgia percipiendos, unionis inter participationem celebrationum liturgicarum et sinceram pietatem, quae etiam interne singulas personas afficiant. Immo, urgetur conceptus de unitate vitae spiritualis; et ideo dicitur plenam participationem Liturgiae necessario exigere et praerequirere generale exercitium pietatis et christianarum virtutum in tota vita individui, etiam, uti patet, extra Liturgiam.

Ex hoc apparere debet commendationem Liturgiae nihil officere, sed, e contra, vehementer exigere intensam curam vitae spiritualis, etiam extra actiones liturgicas, cum omnibus mediis asceticis consuetis et notis in traditione christiana.

Pia exercitia in genere, uti Via Crucis, Rosarium et alia huiusmodi, valde commendanda sunt, uti explicite inculcavit Pius XII in Litt. Enc. *Mediator Dei.* Attamen intentio huius sectionis est de piis exercitiis tractare tantum relate ad Liturgiam, sicut factum est in *Instructione* S. R. C. diei 3 sept. 1958.

Posita tamen possibilitate, immo necessitate, unionis Liturgiam inter et pia exercitia, in praxi harmonica compositio obtineri debet. Hinc fideles docere oportet de praecellentia precationis liturgicae et anni liturgici super ceteras devotionis formas: facile enim adhuc videri potest practica ordinatio pietatis fidelium, quae a cyclo liturgico abstrahit, aut etiam ipsi directe obversatur, ut fit v. gr. in quibusdam festis Sanctorum, quae cum festis sollemnioribus anni liturgici occurrunt (ex. gr. processio in honorem S. Antonii in festo Pentecostes), aut in triduanis vel novendialibus supplicationibus quae temporibus liturgicis, etiam principalibus, ita superponuntur, ut eorum temporum memoria amplius non appareat.

Has formas pietatis destruere, ut unice celebrationibus liturgicis locus detur, certe inopportunum esset; sed animarum pastores adlaborare debent ut fideles erudiant de modo colendi imprimis vitam liturgicam Ecclesiae, in mysteriis et temporibus anni liturgici, super ceteras devotionis species. Immo, ulterius progrediendum est in hac actione pastorali, auferendo a mente fidelium quidquid in formis devotionalibus aliqualem sapere posset superstitionem, praesertim quoad numerum dierum in piis supplicationibus insumendorum, quoad formam earundem precationum, etc.: quae omnia difficultatem non parvam in multis gignere solent.

NOTAE

[1] Cf. Is. 61, 1; Lc. 4, 18.

[2] S. Ignatius Antiochenus, *Ad Ephesios*, 7, 2.

[3] *Sacramentarium Veronense* (ed. Mohlberg), n. 1265; cf. etiam nn. 1241, 1248.

[4] Oratio post secundam lectionem Sabbato sancto, ante instaurationem Hebdomadae sanctae.

[5] Cf. Mc. 16, 15.

[6] Cf. Act. 26, 18.

[7] Cf. Rom. 6, 4; Eph. 2, 6; Coloss. 3, 1; 2 Tim. 2, 11.

[8] Cf. Io. 4, 23.

[9] Cf. 1 Cor. 11, 26.

[10] Conc. Trid., Sess. XIII, Decr. *De ss. Eucharist.*, c. 5: Denz. 878.

[11] Conc. Trid., Sess. XXII, Doct. *De ss. Missae sacrif.*, c. 2: Denz. 940.

[12] Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*, 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) pp. 522, 528, 573.

[13] Ibidem, p. 529.

[14] Ibidem, pp. 528-529.

[15] Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus*, 20 dec. 1928: AAS 21 (1929) p. 33.

[16] Cf. Apoc. 21, 2; Coloss. 3, 1; Hebr. 8, 2.

[17] Cf. Philipp. 3, 20; Coloss. 3, 4.

[18] Cf. Io. 17, 3; Lc. 24, 27; Act. 2, 38.

[19] Cf. Mt. 28, 20.

[20] Postcommunio dominicae Resurrectionis, in utraque Missa.

[21] Oratio Missae feriae III intra octavam Paschae.

[22] De Eucharistia — et ideo de Liturgia, quae circa Sacrificium Missae tota extruitur —, fine et fonte vitae Ecclesiae et a qua omnes gratiae derivantur, cf. v. gr. *Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad parochos, Pii V P. M. iussu editus*, pars II, c. IV, n. 47; S. Thomas, *In 4 Sent.*, d. 8, q. 1, a. 1; *Summa Theol.*, III, 65, a. 3; 79, a. 1 ad 1; 63, a. 6.

[23] Cf. 2 Cor. 6, 1.

[24] Cf. Mt. 6, 6.

[25] Cf. 1 Thess. 5, 17.

[26] Cf. 2 Cor. 4, 10-11.

[27] Secreta feriae II infra octavam Pentecostes.

[28] Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 583-587. Hinc fideles docere oportet de praecellentia precationis liturgicae et anni liturgici super ceteras devotionis formas: facile enim adhuc videri potest practica ordinatio pietatis fidelium quae, a cyclo liturgico abstrahit, aut etiam ipsi directe obversatur, ut fit v. gr. in quibusdam festis Sanctorum quae cum festis sollemnioribus anni liturgici occurrunt (ex. gr. processio in honorem S. Antonii in festo Pente-

NOTAE [12]

[1] Cf. Is. 61, 1; Lc. 4, 18.

[2] S. Ignatius Antiochenus, *Ad Ephesios*, 7, 2.

[3] Cf. 1 Tim. 2, 5.

[4] *Sacramentarium Veronense* (ed. Mohlberg), n. 1265; cf. etiam nn. 1241, 1248.

[5] Praefatio paschalis in Missali romano.

[6] Cf. Leo XIII, Litt. Enc. *Divinum illud munus*, 9 maii 1897: *Leonis XIII P. M. Acta*, vol. 17, p. 133; Pius XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis*, 29 iunii 1943: AAS 35 (1943) p. 204; Oratio ante secundam lectionem Sabbato sancto, in Missali romano, ante instaurationem Hebdomadae sanctae.

[7] Cf. Mc. 16, 15.

[8] Cf. Act. 26, 18.

[9] Cf. Rom. 6, 4; Eph. 2, 6; Coloss. 3, 1; 2 Tim. 2, 11.

[10] Cf. Io. 4, 23.

[11] Cf. 1 Cor. 11, 26.

[12] Cf. Leo XIII, Litt. Enc. *Divinum illud munus*: « Ecclesia quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami, velut in cruce dormientis, orta erat, sese in lucem hominum insigni modo primitus dedit die celeberrima Pentecostes »: *Leonis XIII P. M. Acta*, vol. 17, p. 133; Pius XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis*: AAS 35 (1943) p. 204.

[13] Conc. Trid., Sess. XIII, Decr. *De ss. Eucharist.*, c. 5: Denz. 878.

[14] Conc. Trid., Sess. XXII, Doctr. *De ss. Missae sacrif.*, c. 2: Denz. 940.

[15] Cf. S. Augustinus, *Tractatus in Ioannem*, VI, n. 7.

[16] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*, 20 nov. 1947: AAS 29 (1947) pp. 522, 528, 573.

[17] Ibidem, p. 529.

[18] Ibidem, pp. 528-529.

[19] Cf. Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus*, 20 dec. 1928: AAS 21 (1929) p. 33.

[20] Cf. Apoc. 21, 2; Coloss. 3, 1; Hebr. 8, 2.

[21] Cf. Philipp. 3, 20; Coloss. 3, 4.

[22] Cf. Io. 17, 3; Lc. 24, 27; Act. 2, 38.

[23] Cf. Mt. 28, 20.

[24] Postcommunio dominicae Resurrectionis, in utraque Missa.

[25] Oratio Missae feriae III infra octavam Paschae.

[26] De Eucharistia — et ideo de Liturgia, quae circa Sacrificium Missae tota exstruitur —, fine et fonte vitae Ecclesiae et a qua omnes gratiae derivantur, cf. v. gr. *Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad parochos, Pii V P. M. iussu editus*, pars II, c. IV,

[13] costes), aut in triduanis vel novendialibus supplicationibus quae temporibus liturgicis, etiam principalibus, ita superponuntur, ut eorum temporum memoria amplius non appareat. Cf. plura vota Episcoporum de cultu Sanctorum recte ordinando, in *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando, Appendix,* vol. II, pp. 342-349.

[29] Instructio S. RITUUM C.: *De ordine Hebdomadae sanctae rite peragendo,* 16 nov. 1955, n. 23: AAS 47 (1955) p. 847: « Edoceantur... fideles de summo valore sacrae Liturgiae, quae semper et his praesertim diebus ceteras devotionis species et consuetudines, quamvis optimas, natura sua longe praecellit ».

n. 47; S. THOMAS, *In 4 Sent.,* d. 8, q. 1, a. 1; *Summa Theol.,* III, 65, a. 3; 79, a. 1 ad 1; 63, a. 6.

[27] Cf. 2 Cor. 6, 1.

[28] Cf. Mt. 6, 6.

[29] Cf. 1 Thess. 5, 17.

[30] Cf. 2 Cor. 4, 10-11.

[31] Secreta feriae II infra octavam Pentecostes.

[32] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 583-587.

[33] Cf. Instructio S. RITUUM C.: *De ordine Hebdomadae sanctae rite peragendo,* 16 nov. 1955, n. 23: AAS 47 (1955) p. 847: « Edoceantur... fideles de summo valore sacrae Liturgiae, quae semper et his praesertim diebus ceteras devotionis species et consuetudines, quamvis optimas, natura sua longe praecellit ».

3 – RELATIO EXC.MI P. D. IOSEPH MARTIN
Episcopi Nicoletani

Venerabiles Patres,

Omnes animadversiones, quas Patres Conciliares protulerunt circa cap. I, nn. 1-9, fuerunt a commissione de Liturgia attente disceptatae et perpensae. Placuit eidem commissioni ea quae sequuntur proponere.

Loquendum est primo de observationibus generalibus et postea de emendationibus singillatim sumptis.

Observationes generales:

1. Quoad doctrinam et eius expressionem. Plures Patres istam expositionem laudant sub aspectu doctrinali. Unus etiam dicit « difficulter melius fieri posse ». Alii iudicant expressionem doctrinalem esse insufficientem quoad materiam et formam, vel esse nimis implicatam. Aliqui proponunt ut adoptetur potius expressio doctrinalis Litterarum Encyclicarum *Mediator Dei,* ita ut novem primi articuli eius capitis essent « funditus » reformandi, iuxta sensum harum Litterarum Encyclicarum.

Commissio censet hoc esse respondendum:

a) Salvis correctionibus et emendationibus necessariis ad doctrinam perfecte exponendam, non acceptatur propositio totius textus funditus reformandi quia non videtur necessaria haec reformatio completa.

b) De relatione inter Encyclicam *Mediator Dei* et Constitutionem praesentem, aliud est genus Litterarum Encyclicarum ubi occasio praebetur expositionis completae doctrinalis de aliqua materia determinata, aliud est genus Constitutionis Conciliaris quae non debet esse tractatus aliquis completus, sed modo valde conciso exponere ea quae in unaquaque materia redduntur necessaria quibusdam circumstantiis.

2. Quoad aliqua capita doctrinalia particularia. Unus Pater desiderat ut clare exprimentur habitudines quae intercedunt inter liturgiam et pietatem privatam. Aliqui exoptant ut necessaria esse dicatur Sacrae Liturgiae participatio non tantum externa sed etiam interna. Alius rogat ut inter principia fundamentalia Sacrae Liturgiae ponantur sequentia: finis liturgiae, scilicet gloria Dei et salus hominum; relatio inter cultum externum et cultum internum; stricta connexio inter cultum externum et orationem mentalem; relatio inter liturgiam et doctrinam fidei; auctoritas Sacrae Liturgiae in doctrina fidei et morum; definitio Liturgiae et actionis liturgicae tam ex parte Christi quam ex parte Ecclesiae in quantum est corpus Christi mysticum.

Respondendum est: de multis iam provisum est clare et enucleate in Litteris Encyclicis *Mediator Dei,* et non videtur necessarium illa denuo complete exponere.

De definitione Liturgiae a pluribus Patribus quaesita, videtur a commissione sufficienter provisum fuisse nec expedire ut in constitutione doctrinali detur definitio nimis praecisa in qua non omnes periti hodierni convenirent.

3. Quoad sacerdotium universale laicorum, aliqui proponunt ut fusa sit additio in n. 7 de sacerdotio universali laicorum. Hoc autem non admittitur a commissione, cum haec doctrina tangatur in pag. 162, lin. 28 ad lin. 33, et de ea certe tractetur in capite « de laicis » constitutionis *Ecclesiae.*[1]

4. Quoad mentionem Spiritus Sancti in cap. I. Aliqui proponunt ut mentio fiat de Spiritu Sancto. Commissio ad suggestionem libenter accedit. Sic additur mentio de Spiritu Sancto in locis sequentibus: in n. 1, lin. 6, dicitur: « Verbum carnem factum, Spiritu Sancto unctum » (citatio fit secundum textum Actuum Apostolorum, 10, 38). In n. 2, lin. 12, dicitur « Apostolos, repletos Spiritu Sancto, misit ». In n. 2, lin. 41, dicitur « gratias agendo in Christo Iesu, in laudem gloriae eius, per virtutem Spiritus Sancti ».

5. Quoad suffragationem. Sunt 59 emendationes in hac parte cap. I; 9 sunt gravioris momenti, 40 ad stylum et sermonem tantum pertinent; 10 nullam mutationem afferunt quoad sensum et ita factae sunt ut mens clarior evadat. Ne tempus perdatur, commissio de Liturgia putat esse absolute inconveniens et inutile proponere suffragationi Patrum omnes emendationes a Patribus propositas in aula conciliari *et in commissione disceptatas,*[2] quia permultae observationes factae ad stylum referuntur. Aliae autem, ad rem ipsam pertinentes, sunt minoris momenti. Censuit etiam non esse necessarium suffragationem ferre de stylisticis et minoris momenti emendationibus quae in textu inseruntur. Ideo 9 emendationes

gravioris momenti...[3] suffragationi proponuntur. Hic modus procedendi fuit in usu durante primo Concilio Vaticano, post decisionem commissionis de fide in adunatione diei 25 mensis martii, anno 1870, et a Patribus approbatus propter multitudinem emendationum minoris momenti.

Et nunc de emendationibus singillatim sumptis.

1) *In n. 1,* linn. 11 et 12, loco « ipsius humanitas fuit causa salutis nostrae » dicitur « ipsius humanitas fuit instrumentum salutis nostrae ». Doctrina sic expressa de humanitate Christi ut instrumento salutis nostrae est traditionalis, in Patribus iam inventa, ab omnibus theologis recepta, licet inter se discrepant de modo quo humanitas Christi est instrumentum salutis.

2) Pag. 6, lin. 4, delentur verba « ex quo Ecclesia nascitur, crescit et nutritur », ne dici videretur Ecclesiam nasci non ex morte Christi in cruce, sed etiam ex resurrectione et ascensione. Ideo proponitur nova formula. Post « mysterium paschale » fit citatio praefationis paschalis: « quo mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit ». Sic paucis verbis explicatur quid sit mysterium paschale et quidem verbis ipsius Liturgiae. Postea de nativitate Ecclesiae fit oratio iuxta verba Litterarum Encyclicarum *Divinum illud munus*...[4]: « De latere Christi in cruce morientis ortum est totius Ecclesiae mirabile sacramentum ».

In n. 2. 1) Lin. 10, omittuntur verba « totius Ecclesiae mirabile sacramentum », quia haec dicta sunt in fine n. 1 emendati.

2) Lin. 12, addita mentione de Spiritu Sancto: « Apostolos, repletos Spiritu Sancto, misit », omittuntur verba « eorumque successores », quia oportet distinguere missionem Apostolorum et missionem successorum, necnon gratias Apostolis datas et gratias successoribus datas.

3) Linn. 14 et 15, loco « morte sua nos... a morte liberasse... et resurrectione sua in regnum Patris transtulisse », dicitur: « morte sua et resurrectione nos... a morte liberasse et in regnum Patris transtulisse », ne insinuatur quasi distinctio inter effectum mortis et effectum resurrectionis, quae distinctio non est in re fundata.

4) Lin. 17, loco « opus salutis, quod annuntiabant, per Sacramenta efficerent », dicitur « opus salutis, quod annuntiabant, per Sacrificium et Sacramenta, circa quae tota vita liturgica vertit, exercerent ». Additur vocabulum « Sacrificium », non necessarium de facto, quia Eucharistia est verum sacrificium in ordine sacramentali, sed ne parvi fiat de sacrificio Missae si dicatur solum « per Sacramenta ». Haec verba « circa quae vita liturgica vertit », quae ponuntur in schemate post vocabulum « baptismum » in lin. 19, transferuntur in propositione praecedenti post verbum « Sacramenta », quia ea quae dicuntur in lin. 20, scilicet, « ho-

mines paschali mysterio Christi inseruntur: commortui, consepulti, conresuscitati », per se et proprio conveniunt Baptismo quam ceteris sacramentis.

5) Lin. 22, post verba « spiritum accipiunt adoptionis filiorum » additur « in quo clamamus: Abba, Pater », ut ostendatur a Spiritu provenire quod homines veri fiant adoratores.

6) Lin. 36, delentur verba « Sacramenta administrando », quia hic evidenter agitur in contextu de Missa, scilicet de liturgia verbi et liturgia Eucharistica, non autem agitur de aliis sacramentis.

In n. 3: circa istum locum multae motae sunt difficultates.

1) Plures Patres petierunt ut distinguantur hi modi praesentiarum Christi quae enumerantur in textu sicut habetur in encyclica *Mediator Dei*; secundo, circa verbum « et explicatur » in pag. 7, lin. 6, obiiciunt multi; etenim non eodem modo loquitur Christus dum Sacra Scriptura in Ecclesia legitur et dum explicatur ab homine; tertio, per respectum ad ea quae dicuntur de Sacrificio Missae, multae emendationes proponuntur a Patribus, ut appareat indoles liturgica actionis sacrificalis; unus Pater proponit ut addatur « actualem sui ipsius oblationem facit », quae additio respuitur; etenim inter theologos, etiam hodie, disputatur an Christus actualiter vel tantum virtualiter offerat Sacrificium Missae.

Ad omnes difficultates solvendas et ut stylus sit magis fluens proponitur novus textus in quo secundum indolem praesentis schematis exprimuntur ideae quae in *Mediator Dei* occurrunt; et etiam, modo consentaneo Litteris Encyclicis, fit inversio ut primo agatur de Sacrificio Missae, de quo agitur tantum ultimo in textu primitivo. Attamen notandum est quod sensus est fere identicus, addita tantum mentione praesentiae Christi sub speciebus Eucharisticis.

2) Lin. 19, post verba « Christus Ecclesiam sibi semper consociat » additur « quae Dominum suum invocat et per ipsum aeterno Patri cultum tribuit ». Ratio huius additionis: ut mentio fiat de cultu ad Christum, de quo nullibi aliquid dicitur.

3) Lin. 24, loco « sub signis sensibilibus, ea quae significant suo cuiusque modo efficientibus » dicitur « per signa sensibilia significatur et suo cuiusque modo efficitur sanctificatio hominis ». Etenim, teste S. Thoma pro sacramentis: « Multa significantur in sacramentis, sacramentalibus et aliis actibus liturgicis quae ab ipsis non efficiuntur ».

4) Lin. 32, loco « titulo qui eodem gradu nulli alii actioni in Ecclesia factae convenit » dicitur « cuius efficacitatem eodem titulo eodemque gradu nulla alia actio Ecclesiae adaequat ». Sic melius exprimitur radix praeeminentiae actionis liturgicae, cuius efficacitas ex opere operato vel ex opere operantis Ecclesiae provenit. Ponitur « Actionis Ecclesiae »

loco « Actionis in Ecclesia, quia quaedam fiunt a Deo in Ecclesia, ut conversio S. Pauli, de quibus nihil affirmari intenditur per respectum ad actionem liturgicam.

In n. 5: 1) Lin. 7, verba « est culmen ad quod omnia tendere debent, et simul fons a quo omnia procedunt » transferuntur ad initium n. 6, ut melius appareat nexus logicus idearum, secundum votum duorum Patrum. Etenim in hoc n. 5 tractatur de activitate ecclesiali extra-liturgica tum quoad credentes tum quoad non credentes, dum in n. 6 tractatur de ordinatione apostolatus Ecclesiae ad vitam liturgicam.

2) Lin. 28, ad petitionem unius Patris quod melius exprimatur spiritus missionarius Ecclesiae, respondetur hunc spiritum missionalem sufficienter exprimi per verba « opera caritatis... et apostolatus ».

In n. 6: 1) Lin. 32, verba translata a n. 5 ad 6 aliquantulum mutantur: *a*) delentur verba « in suo centro, quod est divinae Eucharistiae sacrificium », quia iam in prooemio dictum est et iterum dicitur infra in pag. 9, lin. 8, « praecipue ex Eucharistia tamquam e fonte »; *b*) periodus sic evadit: « liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons a quo omnis eius virtus exsurgit ». Vitatur vocabulum « omnis », nimis generale a duobus Patribus iudicatum, et ponitur « actio Ecclesiae » ut clare appareat hic agi de fine actionis ecclesiasticae, non vero de fine ultimo omnium actionum hominum obiective.

2) Lin. 36, legitur in textu non emendato: « qui receperunt fidem et poenitentiam egerunt filii Dei fiant per Baptismum ». Aliqui Patres obiecerunt haec verba valere pro iis qui aetate adulta baptizantur, non vero pro parvulis; propterea commissio hanc formulam proponit: « ... labores autem apostolici ad id ordinantur ut homines, per fidem et Baptismum filii Dei facti, in unum conveniant... ».

3) Lin. 39, post verba « in medio Ecclesiae Deum laudent », adduntur haec: « Sacrificium participent », ut aliquid dicatur de Sacrificio Missae et non tantum de manducatione eucharistica.

In n. 7, additur: « Ut haec tamen plena efficacitas habeatur », etc. Sic melius exprimitur necessitas dispositionum personalium relate ad participationem personalem in vita liturgica Ecclesiae.

In n. 8: mutatio facta in initio huius numeri, ad melius exprimendam necessitatem pietatis privatae, de se clara est ut legitur, tum quoad sermonem tum quoad sensum: « Vita spiritualis non tantum sacrae Liturgiae participatione continetur. Christianus enim ad communiter orandum vocatus, debet etiam intrare in cubiculum ut Patrem in abscondito oret, immo, docente Apostolo, sine intermissione orare ».

In n. 9: observatio generalis de aliquibus exercitiis pietatis in particulari commendandis, ut faciunt litterae encyclicae *Mediator Dei*, non

videtur esse recipienda. Quoad dubium motum circa indolem particularium exercitiorum quae de mandato episcoporum celebrantur, commissio respondet pia exercitia quae peraguntur de mandato vel cum approbatione Sanctae Sedis vel Ordinariorum non fiunt eo ipso actiones liturgicae.

Venerabiles Patres, tales sunt emendationes factae a commissione de Liturgia secundum votum Patrum. Suffragatio petitur de novem emendationibus gravioris momenti, quae dantur in initio fasciculi.

Sic cum omni diligentia adlaboravit commissio ut vestris desideriis respondeat.

In textu scripto tradito: [1] De Ecclesia. [2] deest. [3] tantum. [4] (A.S.S., 29, 1896, 649).

Secretarius generalis: Auferuntur igitur primae schedulae et distribuuntur secundae.

Praeses: Continuatur disceptatio. Loquatur card. Wyszyński.

PATRUM ORATIONES

De Ecclesiae unitate (prosequuntur)

1

EM.MUS P. D. STEPHANUS CARD. WYSZYŃSKI
Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis

Em.mi ac rev.mi Patres Conciliares,

Schema, quod nobis proponitur *de Ecclesiae unitate*: *ut omnes unum sint,* videtur generatim bonum, et optime quidem disiungitur a schemate *de Ecclesia.* Schema de unitate requirit quandam amplitudinem et est specialis momenti. In praesentibus rerum et temporum adiunctis videtur necessarium, ut proclametur praesertim urgens necessitas unionis inter eos, qui ex eisdem fontibus fidem in Christum hauserunt et in confessione eiusdem fidei perseverant. Eorum autem perseverantia est in fide constantia, patiens et fortis, exemplum nobis praestans, vehementer concupiscens et sperans dies videre meliores.

Nostris temporibus quaestio unionis omnium, qui Christum confitentur, valde communis est et in votis omnium.

Communis est, quia interest non solum Ecclesiae Latinae, Ecclesiae

Orientalis et Confessionum Protestantium, sed pariter interest omnium christianorum, qui testimonium dant Christo, neque volunt ut nomen Domini eradicetur e terra viventium vel ignoretur, quia homines aut silentio praetereant Deum aut indifferenter se gerant. Maius periculum hodie praebet religioni materialismus vitae quotidianae, quam ille philosophicus. Exinde omnes isti, qui hodie vel profitentur Christum et orant ad altare Beatae Mariae Virginis sub invocatione « Salus Populi Romani », vel devotiones peragunt ante Sacram Iconem, iam ex hoc sunt « unum » certo quodam gradu. Omnes admirantur atque alte considerant hosce confessores fidei pro eorum fidelitate et constantia in carceribus et plagis supra modum, non obstantibus tantis cruciatibus et difficultatibus, quas patiuntur pro nomine Iesu.

Secundo, quaestio unionis hodie in votis omnium est, praesertim a die quo felicis memoriae Papa Pius XII in memoriam revocavit doctrinam « de Corpore Christi Mystico », opus maxima laude dignum, quo Summus Pontifex principia ingeniose et perfecte indixit theologiae fundamentali. Hoc modo doctrina catholica quodammodo conversa est ad fontem theologiae, recedendo ab individualismo theologico, qui potius dividit. Fontes autem theologiae sunt: doctrina S. Pauli, S. Ioannis Chrysostomi, S. Basilii Magni, S. Augustini et aliorum. Horum doctrina fovet unionem. Haec est, meo sensu, conversio ad substantiam unionis in Corpore Christi Mystico, per gratiam, per caritatem — haec est etiam vis, quae efficit « utraque unum ».

Quidam Patres Conciliares difficultatem videntur invenire in eo quod materia de Ecclesia divisa est in varia schemata: *de Ecclesiae unitate, de constitutione dogmatica Ecclesiae, de Oecumenismo*. Verum quidem est aliquas repetitiones in iisdem diversis schematibus haberi, sed non dubito quin eiusmodi repetitiones nullum essentiae rei afferant praeiudicium, ita ut haud ulla appareat necessitas reformandi ipsa schemata. Sufficit ut corrigantur tantummodo nonnullae expressiones ad evitandam confusionem terminorum, cum sermo sit de Orientalibus: e. gr. in titulis *de Ecclesiis Orientalibus* necesse est, ut bene intelligatur de quo fit sermo, utrum de schismate an de Ritibus orientalibus.

Hic agitur *de unitate Ecclesiae,* non de Ritibus. Quapropter necesse est ante omnia, hoc schema quod attinet, ut omnes ad unionem humaniter atque suaviter invitentur. Praetermittantur autem oportet hic quaestiones de erroribus, qui locum proprium obtinebunt postea in schemate *de constitutione dogmatica Ecclesiae*. Nunc in hoc schemate insistendum non est in mediis adhibendis ad unionem fovendam. Opportunius videtur, ut ipsi episcopi, eo quo pollent zelo animarum, secundum locorum conditiones media ad fovendam unionem presse determinent.

Cum sermo sit de Orientalibus, vitanda insuper sunt omnimode verba, quae ansam dare possent ad nosmetipsos reprehendendos ob defectum caritatis fraternae. Locus dari non debet ad nos redarguendos, quasi nos parvi pendamus orientales. Nequaquam! Eos, e contra, nos amamus, maxime aestimamus, scriptis Patrum orientalium studemus. Quis nostrum ignoret aut ignorare praesumat S. Athanasium, S. Basilium, S. Chrysostomum, S. Gregorium Nazianzenum, qui omnes eminentem tenent locum in Liturgia occidentali?

Concludendo, omnibus nostris viribus studere debemus evitandis iis omnibus quae unionem impediunt, et fovendis iis quae talem unionem saltem in essentialibus et necessariis promovent, posthabentes quaestiones minoris momenti. Schema nobis maxime placet, tamquam osculum unitatis et pacis. Dixi.

Secretarius generalis: Attendant omnes! Commissio de sacra Liturgia haec admonet: in emendatione tertia non est legendum « per Sacrificium et Sacramenta efficerent » sed « per Sacrificium et Sacramenta exercerent ». Repeto: in emendatione tertia est legendum ita; « per Sacrificium et Sacramenta exercerent » non « efficerent ». Gratias.

2

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres,

Post disceptationes hucusque factas de schemate *Ut omnes unum sint,* confecto a commissione orientali praeparatoria, liceat aliqua addere quae ad rem illustrandam fortasse utilia erunt.

1. Ac primum quidem, *pauca* [1] de origine et fine *huius* [2] schematis. Schema *hoc* [3] non fuit confectum ut separatim a generali quaestione unitatis *tractaretur,* [4] sed ut Concilium Vaticanum haberet occasionem ad significandam venerationem erga Ecclesias orientales, idque propter maiorem *earum* [5] propinquitatem, tam in doctrina quam in disciplina, cum Ecclesia latina.

Praeterea, ut omnes norunt, historia separationum Ecclesiarum orientis ab Ecclesia latina valde differt a modo quo saeculo XVI separatio facta est. Quare consentaneum fuit, ut a commissione orientali, quae tempore praeparationis Concilii curam rerum orientalium egit, proprium documentum conficeretur, in quo fides christiana communis — et fere eadem — recoleretur et simul exhiberetur pignus aliquod fraternae bene-

volentiae *et caritatis erga has Ecclesias orientis.*[6] Propter hanc rationem in finali redactione schematis *de unitate omnium christianorum promovenda,* huic documento *certe*[7] specialis locus assignandus erit.

2. Schema tamen a commissione orientali propositum, praeter ea quae ad solos orientales spectant, non pauca continet, quae etiam in schemate *de Oecumenismo* secretariatus pro unione habentur, quaeque omni labori oecumenico communia sunt. Haec in documento definitivo apte coniungi poterunt cum iis quae in aliis documentis *de Oecumenismo* habentur. Quae ad doctrinam *de unitate Ecclesiae* spectant, ...[8] definitive elaborari poterunt, *tum demum quando*[9] Patres Conciliares egerunt de cap. XI schematis *de Ecclesia* commissionis theologicae, quod *iterum*[10] inscribitur *de Oecumenismo.* De « communicatione in sacris », de qua aliqui Patres hic agendum censuerunt, commissio orientalis in proprio schemate agit quod commissioni centrali propositum fuit et suo tempore ad discussionem proponetur. *Idem valet de quaestione de patriarchis, de qua proprium exstat schema.*[11]

Coniunctis igitur omnibus, quae de unitate christianorum promovenda agunt, speramus oriturum esse Concilii decretum, quod fratribus nostris *carissimis*[12] christianis non catholicis clare demonstret studium *operosum*[13] Ecclesiae omnia faciendi ut unitas perficiatur, eosque fraterne invitet ad collaborandum nobiscum ad hunc *desideratissimum*[14] finem obtinendum, *simul autem etiam*[15] vias et rationes ostendat quibus hic finis attingi poterit.

3. Iam ad schema propositum, *quod mihi in genere valde placet,*[16] pauca notare liceat; *tantum pauca*: *reliqua secretariae tradam.*[17] Oratio pro unitate, de qua in n. 15, de hac secretariatus noster ...[18] proprium schema elaboravit, a commissione centrali iam *discussum,*[19] sed nondum typis impressum.

Momentum morum integritatis, de qua in n. 17, quae tamen non consideranda est *tantum, ut ibi fit,*[20] ut medium ad efficaciores reddendas preces, *sed*[21] potius ut exemplum authenticae vitae christianae quae eo magis fratres ad invicem *trahat,*[22] quanto magis Evangelio Christi Domini nostri *correspondet,*[23] maxime in iis quae tamquam tessera quaedam hominis christiani habenda sunt, scilicet in humilitate et caritate; sic utraque valde efficaciter parant viam ad unitatem...[24]

Item optime proponitur in schemate, ubi agatur de mentalitate fratrum christianorum non catholicorum cognoscenda, maximi momenti esse ut distinguamus inter doctrinam et modum eam proponendi vel enuntiandi, ad mentem eorum quae ipse Summus Pontifex edixit in sermone Concilio inaugurando habito. Ipse haec habet: « Est enim aliud ipsum depositum fidei, seu veritates, quae veneranda doctrina nostra

continentur, aliud modus quo eaedem enuntientur, eodem tamen sensu atque eadem sententia »...[25] Omnes quidem veritatem et doctrinam fidei amplecti debent, sed liceat eis eam enuntiare et annuntiare eo modo qui ipsis correspondet et qui ab eorum fidelibus intelligitur. *Haec res summi momenti est specialiter pro Ecclesiis orientis.*[26]

...[27] Item optima sunt quae ponuntur *de cooperatione* catholicorum cum omnibus christianis in rebus quae non directe fidem tangunt...[28] Ne ponantur tamen modo nimis « defensivo » et quasi id solum ob pericula ex una tantum parte ingruentia fiat, sed dicatur cooperationem dirigi contra omnem materialismum et atheismum, in quacumque demum forma occurrat, sive theoreticam sive practicam, et *ubique*[29] terrarum inveniatur...[30]

4. *Pauca quaedam adhuc liceat addere*[31] *de nova redactione* decreti, quando de eo cum aliis in unum redigendo, uti dictum est, agetur:

1) Definiatur clare *scopus,* aut doctrinalis aut magis practicus novi schematis; meo quidem iudicio — quamquam plura in constitutione *de Ecclesia* tractanda sint, quia unitas est nota essentialis Ecclesiae —, aliqua unitatis aspectus tamen, etiam necessario documento de oecumenismo tangi debent, etiamsi documentum hoc magis characterem practicum induat...[32]

2) Item amoveatur *illa incertitudo circa personas* ad quas documentum dirigitur...[33] Cum in decreto *definitivo*[34] principia generalia de opere oecumenico tradantur, ...[35] decretum dirigitur et dirigi debet ad totam Ecclesiam catholicam. Nullum tamen dubium est rerum, de quibus in decreto agitur, etiam fratrum christianorum non catholicorum permultum interesse, easque *res*[36] multa cum attentione ab eis audiri, etiamsi singulae partes magis ad hos vel ad illos auditores dirigantur. Decretum proinde omnium christianorum, immo quodammodo omnium hominum interest. Cui rei stylus ipse quoque respondere debebit. Quae autem in singulis partibus, v. g., Ecclesiis orientalibus...[37] communitatibus protestantibus in particulari propria sunt, ea breviter separatim exponi *poterunt.*[38]

4) In discussione *aliquando*[39] mentio facta est illius « peculiaris et stabilis consilii », quod Leo XIII instituit, quod tamen mortuo Leone XIII, *proh dolor,*[40] cessavit. Hoc consilium *Summus Pontifex Ioannes XXIII gloriose regnans suis*[41] paternis curis denuo *revivere fecit*[42] in « secretariatu ad christianorum unitatem promovendam ». Hic secretariatus nunc duabus sectionibus constat, altera pro communitatibus ex reformatione saeculi XVI ortis, altera pro orientalibus, sub uno tamen praeside et uno secretario, ut unitas in modo procedendi et res tractandi servetur. Sectio orientalis iam existens *nunc*[43] ulterius evolvetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] ederetur. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] demum. [9] postquam. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] desideratum. [15] ac simul. [16] deest. [17] deest. [18] pro unitate. [19] probatum (n. 13 ss.). [20] tam. [21] quam. [22] trahit. [23] respondet. [24] (n. 17). Venit dein mutua cognitio (n. 33), qua in re maximum momentum, quod cognitio aliorum mentalitatis, quam dicunt, habet, valde efferri debet (n. 18 ss.); ad quam cognitionem multum conducunt colloquia theologica catholicorum cum christianis non catholicis (n. 33), si bene parantur, et cum methodo et simul cum caritate fiunt, uti experientia docuit in pluribus nationibus in Europa. Magis in generali summi quoque momenti est, ut in spiritu caritatis et mutuae aestimationis alii aliorum mentalitatem et elucubrationes cognoscere studeant; proinde foveatur in occidente studium linguae graecae, quae lingua est septem Conciliorum et magnorum Patrum graecorum, item studium theologiae graecae; e contra in oriente foveatur oportet quantum possibile est, studium linguae latinae et Patrum latinorum, item Conciliorum posteriorum ac documentorum magisterii Ecclesiae et scriptorum magnorum theologorum uti occidentalium speciatim S. Thomae. Haec omnia in expendendis schematibus a commissione de Seminariis et Studiorum Universitatibus paratis, prae oculis habenda erunt. Hic autem modus procedendi, cum debitis mutationibus, etiam relate ad communitates natas inde a saec. XVI et deinceps, adhiberi poterit, v. g. nullum est. [25] (*L'Oss. Rom.,* 12 oct. 1962, pag. 2). [26] deest. [27] Item optima sunt quae dicuntur *de historia* cum veritate et caritate tractanda (n. 31) tam in investigationibus quam cum ipsa in scholis traditur. Qua de re etiam laici catholici investigationibus et studiis suis conferre possunt. Ubi sermo est *de erroribus,* qui fuerunt causa separationis (n. 31), accurate distinguatur inter errores circa veritatem, qui utique apud magisterium Ecclesiae admitti nequeunt, et inter defectus, etiam morales, personarum in Ecclesia. Talium defectuum certo plures omnino constant nec negari debent. Iudicium tamen de quantitate et gravitate culparum in unaquaque parte melius divino iudici relinquitur, quippe qui solus ea omnia cognoscat et iudicare valeat. [28] (n. 35). [29] ubicumque. [30] Demum valde placent quae dicuntur de comitatibus vel secretariatibus in Dioecesibus, immo etiam in singulis nationibus, constituendis ad motionem oecumenicam promovendam, adiuvandam et dirigendam (n. 39 ss.). [31] Aliqua pauca addam. [32] dico magis, non exclusive; patet quaestionem hanc concrete nonnisi post discussionem schematis *de Ecclesia* solvi posse. Proinde nova schematis redactio nonnisi illo tempore fieri poterit. [33] (de qua par. 26 s. sermo est). [34] deest. [35] certe. [36] deest. [37] vel. [38] possunt post tractationem principiorum generalium. 3) Patet decretum multo brevius esse debere pluribus punctis particularibus ad Instructionem quandam de mandato Concilii conficiendam remissis, simili modo prout ante paucos dies de schemate de instrumentis communicationis socialis decisum est. Ut talis Instructio vel « Directorium Oecumenicum » conficiatur, secretariatus pro unione iam dudum proposuit et postulavit, immo iam ex parte praeparavit. [39] deest. [40] deest. [41] nunc Summi Pontificis Ioannis XXIII. [42] revixit. [43] mox.

3

EXC.MUS P. D. EMMANUEL TRINDADE SALGUEIRO
Archiepiscopus Eborensis

Em.me Praeses, Patres et Fratres venerandi,

Cum veniam petiissem ad loquendum in genere de schemate *de Ecclesiae unitate*: *ut omnes unum sint,* revera loqui in genere in mente habui, ut haec tria animadverterem:

1. schematis excellentiam, maxime in cordis latitudine ac in fraternitatis christianae spiritu;

2. gravem schematis defectum *de Ecclesiae unitate* quoad fratrum separatorum occidentalium omissionem;

3. urgentem necessitatem normarum brevium sed concretarum determinandarum de unitate Ecclesiae interna, quia sine hac unitate, compago *aut structura* [1] Ecclesiae socialis subsistere nequit, nec apostolica eius vita fecundatur.

Verumtamen, *quia* [2] hac de re tot tantaque dicta sunt, ne prolixe loquar, statim ad *conclusiones accedam.*[3] Reverenter propono:

a) Ut hoc schema de unitate Ecclesiae introducatur velut pars schematis *de Ecclesia.*

b) Ut unum caput de fratribus separatis occidentalibus huic addatur schemati, positivos aspectus appropinquantes magis quam negativos respiciens, nullis autem veritatis iuribus praeiudicatis.

c) Ut congregatio vel consilium ad Ecclesiae unitatem promovendum, atque apud Apostolicam Sedem instituendum, iuxta n. 46, pag. 265, aut ipse secretariatus unionis Ecclesiarum, iuxta opportunam em.mi card. Bacci sententiam, de hoc huiusmodi quaestionis studendae respectu competens sit, ideoque a peritis illam bene noscentibus efformetur.

d) Denique, ut doctrina internae Ecclesiae unitatis aliquo in capite cum tribus paragraphis breviter exponatur:

In primo, Ecclesiae unitas in eius membrorum compagine inter se et cum hierarchia, per omnium scilicet fidelium, sacerdotum, episcoporum oboedientiam Romano Pontifici manifestata.

In secundo, caritatis essentia eiusque proprietates, videlicet supernaturalitas, universalitas, activitas, definiendae.

In tertio, media efficacia caritatis Christi promovendae, fovendae ac augendae, in vitae interioris exercitio ac relate ad alios determinanda esse. Reliqua exc.mo D. secretario generali tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] quoniam. [3] sequentes accedam conclusiones.

Animadversiones additae:

1. Concilium Unitatis hanc Oecumenicam Synodum saepissime vocant. Solus Deus, cordium scrutator, quid in crastinum erit, optime ac certissime novit. Nos vero scimus actualem separationem inter christianos nequaquam definitivam fore, sed e converso christianae fraternitatis spiritu finiendam, quemadmodum Dominus Noster Iesus Christus dixit: « ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti » (*Io.* 15, 21), « et fiat unum ovile et unus pastor » (*Io.* 10, 16). Ceterum omnes christiani nimis non sunt cum ad Civitatis Dei hostes firmiter debellandos, cum ad humanae dignitatis iura strenue ac invicte defendenda.

2. Quaecumque hac de re Concilium beneficia afferat, dignum et iustum est cordis latitudinem qua huiusmodi Decretum redactum est extollere. Etenim doctrinae prooemii notae fundamentales sunt. Revera ut unitas promoveatur, media commendata, scilicet supernaturalia, theologica, liturgica, canonica, psychologica practicaque, motiva sunt insophismabilia ac obiectiva ad Ecclesiae unitatem procurandam, maxime spiritus omne pervadens Schema latitudine, claritate, fraternaque charitate enitet. Forma huius Decreti forsan discutietur. Nemo autem est qui ei humanam latitudinem christianasque claritates denegare possit.

Veniens autem ad minima reverenter memini quod in mediis sponte susceptis religiosorum orationes sacrificiaque, maxime vitae monachorum ac monacharum contemplativae, oportet includi, necnon parvulorum supplicationes sacrificiaque, quia speciali apud Deum favore gaudent.

3. Meritum sane huius schematis agnoscens, liceat mihi, qua par est reverentia, in eo duos gravissimos defectus agnoscere, nempe:

Primo: Cum in eo de Ecclesiae unitate — Ut omnes unum sint — agatur, nihil de fratribus separatis occidentalibus ibi dicitur. Atqui etiam ipsi Ecclesiae unitatem valde exoptant, maxime sic dicta Alta Ecclesia Anglica ac Germanica, quae fides ritusque Sanctae Ecclesiae Catholicae, Apostolicae, Romanae propinquiores servant. Illa nota conamina ab aliquibus, praeside venerandae memoriae card. Mercier, cum Lord Halifax seniore, Mechlineae sub huius saeculi prima medietate facta, unionis desiderii bonaeque voluntatis vera sunt documenta. « Defuncti adhuc loquuntur » (*Heb.*, 11, 4). Etiamsi hoc non daretur, fratres nostri sunt. Quemadmodum pristinus ille patriarcha Ioseph, a Summo Pontifice Ioanne XXIII, feliciter regnante, in Coronationis suae die recordatus, unusquisque nostrum dicere ac facere debet: « Quaero fratres meos » (*Gen.* 37, 16). Ceterum quod in schemate de fratribus separatis orientalibus dicitur, verum et iustum est, ideoque silentium de orientalibus minime explicatur.

Secundo: Alius apparet defectus quoad dispositiones breves sed concretas huiusmodi schematis *de interna Ecclesiae unitate.* Enimvero quamvis solus aspectus socialis consideretur, unitas omnium Corporis Mystici membrorum inter se intimam compaginem subordinationemque harmonicam hierarchiae, atque summo in gradu Romano Pontifici, huius Corporis visibili capiti, supponit ac exigit. Porro sine interna unitate, quae ontologica vere dici potest, unitas externa impossibilis vanaque fit, quoniam Ecclesiae pretium in suorum graduum hierarchicorum compagine atque in suae actionis efficacia per internam unitatem supernaturalem, quam gratia efficit sanctificans, solummodo consequitur. Gratiam vero sanctificantem

semper caritas comitatur. Ergo caritas Christi hanc urget unionem, velut forma Corporis Mystici, ita ut Ecclesia una in compagine sociali appareat et sit, quia eius anima una exstat. De hac autem interna unitate, in qua aedificium sociale, in sua complexa compagine ac in apostolico splendore ad fratres nostros separatos omnesque homines in umbra mortis sedentes illuminandos, fundatur ac solidatur, schema tantummodo accidentaliter ac perfunctorie loquitur. Igitur mihi videtur hoc schema inseri debere velut partem schematis *de Ecclesia.*

4. Quae cum ita sint, omnibus mature perpensis, liceat mihi vobis haec proponere: [*Reliqua ut in textu oretenus prolato uti supra a*) *etc.*].

4

Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK

Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Venerabiles Patres Conciliares,

In disceptatione decreti *de Ecclesiae unitate,* vellem animadversiones quasdam proponere circa schema in genere et additionem quamdam facere ad n. 43, pag. 265 in particulari.

I. *De schemate in genere.* Si hodie totus orbis christianus, et quodammodo etiam populi non-christiani, aliquid momentosum et pro omnibus salutare ab Ecclesia et praesertim ab hoc Concilio exspectant, hoc certe certissime est finalis cessatio harum discordiarum, luctarum et divisionum populi christiani, quae per saecula iam stant pro scandalo inter nationes et pro impedimento inter homines recognoscendi in Christo verum Filium Dei, missum in hunc mundum ad eorum salutem (*Io.* 17, 21).

Praesertim hoc momento gravi et quodammodo tragico in historia humanitatis, ubi saepe saepius iam non agnoscitur distinctio inter verum et falsum, malum et bonum, honestum et inhonestum, ius et violentiam, ubi populi et nationes tam profunde dividuntur sub respectu morali, sociali et politico, ubi communitas humana quasi iam nescit ubinam quaerere lucem veritatis et ligamen unitatis, unitas populi christiani esset pro eis non solum donum pretiosissimum, sed verum initium novae erae.

Opus illud gravissimum christianae unitatis, Patres rev.mi, etsi obliget omnes christianos, primario tamen et principaliter pertinet ad Ecclesiam catholicam, quae sola potest dare mundo plenam veritatem Christi et quae sola potest sine errore conducere homines ad salutem.

Propterea, mea humili opinione, Concilium deberet:

1. Elaborare talem constitutionem de instauratione unitatis christianorum, ubi quaestio unitatis omnium christianorum dissidentium, tam

fratrum nostrorum orthodoxorum, quam fratrum nostrorum protestantium *et Anglicanorum,*[1] plene et debito modo tractetur.

2. *Etsi decretum de Ecclesiae unitate nobis maxime placet, sed quia dantur schemata de oecumenismo et caput unum in constitutione de Ecclesia de hac materia,*[2] constitutio talis *generalis et definitiva*[3] posset elaborari ex tribus documentis de oecumenismo, propositis Patribus Concilii: tum a commissione pro Ecclesia Orientali, tum a commissione theologica in schemate *de Ecclesia,* tum a secretariatu pro unitate christianorum. Constitutio illa posset habere titulum generalem: « de unitate christianorum », ut iam erat propositum.

3. In constitutione tali completa *et definitiva*[4] de unione christianorum, pars doctrinalis de Ecclesia deberet necessario fundari in collegialitate pastorali episcoporum, sub auctoritate Romani Pontificis, capitis collegii, ut iam dictum est in hac aula *conciliari.*[5] Quia talis doctrina fuit quasi unice nota in oriente in praeterito, et facile intelligitur ab eo adhuc hodie.

4. Ut doctrina et praecepta et consilia talis constitutionis possent methodice et practice deduci in vitam christianorum, tam catholicorum quam non-catholicorum, constitui deberet duplex commissio mixta theologorum: una commissio mixta composita ex theologis catholicis et orthodoxis ad unitatem praeparandam fratrum nostrorum orthodoxorum, altera commissio mixta, composita ex theologis catholicis et protestantibus ad unitatem praeparandam fratrum nostrorum protestantium.

5. Commissiones istae possent sub ductu manere secretariatus de unitate christianorum.

II. *Veniens nunc ad particularia,* addere vellem ad n. 43, pag. 265, lin. 5, ubi agitur de sollicitudine fidelium ad procurandam ecclesiasticam unionem, sequentem sententiam: « Ut igitur omnes fideles melius cognoscant matrem Ecclesiam, abundantiusque fruantur de omnibus eius divitiis spiritualibus et modo efficaciori ad veram unitatem christianam adlaborent, in omnibus catechismis, pro scholis et populo *christiano*[6] destinatis, semper adesse oportet expositio clara et systematica « de ritibus Ecclesiae », cum explicatione eorum historiae, valoris liturgici, ascetici et dogmatici... ».

Ratio: quia pro multis catholicis, non solum laicis *ritus latini, sed etiam proh dolor! — cum venia istius Concilii*[7] — etiam sacerdotibus, practice Ecclesia catholica saepe *saepius*[8] identificatur cum ritu latino, ita ut quodammodo videntur affirmare et agere ac si extra ritum latinum nulla esset salus. Quod provenit magna ex parte ex insufficiente scientia, vel ex tota quasi ignorantia quando de laicis agitur, totius istius partis vitae Ecclesiae, quae ritus eius spectat...[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] sed. [8] deest. [9] Ex hoc facto multae oriuntur difficultates magno cum damno animarum. Ita, e. g.: in scholis catholicis ritus latini, ubi simul cum pueris dicti ritus adsunt etiam aliqui pueri ritus cuiusdam orientalis, magistri, et saepius magistrae scholae, non satis edoctae de doctrina Ecclesiae in materia rituum, iubent pueros ritus orientalis facere signum crucis, genuflectionem coram Sacratissimo Sacramento modo latino, recipere primam S. Communionem in eodem ritu, assistere die dominica Missae eiusdem ritus, et sic porro, negantes hoc modo practice iura ritus orientalis. Similis difficultas saepe oritur in casu matrimonii mixti ritus, ubi pars latina sincere putat contrahere matrimonium extra Ecclesiam, si consentit benedictioni matrimonii sui in ritu orientali. Talis falsa et damnosa practica deberet semel et pro semper evanesci ex vita Ecclesiae. Hoc tamen fieri potest tantum per systematicam instructionem et continuam educationem fidelium in hac re.

5

Exc.mus P. D. EPHTIMIUS YOUAKIM
Episcopus Mariamnensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Schema *de Ecclesiae unitate* satis amplum maximique momenti est; unio enim omen est desideratissimum omnium nostrum et etiam orthodoxorum, qui nobis profecturis ad Concilium unanimiter clamabant: Redeuntes unionem factam annuntiate! Est ergo ad excitandam animi attentionem huius illustris coetus, cuius membra devote Christi zelo imbuta sunt. Nos omnes enim continuatores sumus missionis Christi, divini fundatoris regni Dei in terra. Omnes, et quam devote!, orationem Christi « ut unum sint » saepe saepiusque repetere gaudemus.

Magnam quidem meruerunt laudem huius schematis compilatores, ob sagacem peritiam ferventemque sedulitatem; ideoque minime dubito declarare meam plenam adhaesionem. Valde praesertim laetor quod inter media utilia ad unionem fovendam, neglecta non fuerunt media supernaturalia. Quin immo, haec anteponenda sunt, absque dubio, omnibus humanis mediis cuiusvis roboris et efficaciae. Ad hoc bene iuvat, mihi videtur, memorare doctrinam de gratia operante et de gratia cooperante.

Humilem autem meam cooperationem incipere cupio hisce duabus animadversionibus circa par. 14 et 15 pagg. 255 et 256 schematis propositi.

I. Par. 14 « lamentabiliter » incipit, cum dicat: « Ad tollendum lamentabile discidium quod a saeculis inter Ecclesiam catholicam et Ecclesias orientales invaluit et adhuc perdurat... », dum e contra melius

poterat incipere hoc alio modo: « Ad bene iuvandas et multiplicandas uniones partiales iam factas et adhuc perdurantes... ». Rationes:

1. Sunt in oriente communitates quae, etsi eorum capita ab unitate defecerint, tamen eorum fideles — qui et ipsi sunt Ecclesia —, in spiritu unionis manserunt.

2. Absolute loquendo, mihi non placet illa expressio « discidium adhuc perdurat » cum potius perduret dualismus et parallelismus, cuius ope efficitur ut prope « separatos » existant etiam « qui unionem servaverunt » et in unione eosdem ritus liturgicos qui veluti pontem constituunt ad rehabilitandam unionem hanc auspicatam.

3. Eadem expressio aliquantulum mihi videtur originem ducere ex quodam coetu latino-occidentali, qui quamdam speciem prae se fert considerandi *omnes* Ecclesias orientales tamquam separatas a se. Sane hic modus loquendi parum decet textum a Concilio Oecumenico emanantem, qui loquitur nomine totius Ecclesiae, tum latinae tum orientalis catholicae.

Quapropter feliciorem formam existimo eam quam supra laudavi, scilicet « Ad iuvandas et multiplicandas uniones partiales...[1] adhuc perdurantes ».

II. Par. 15, pag. 256, in qua commendantur preces et supplicationes novendiales a Leone XIII decretae, me inducit ad hanc brevem digressionem faciendam, ut meam consolationem exprimam eo quod personaliter cognovi illum magnum pontificem, multoque magis quod expertus sum animum nobilissimum illius Patris communis omnium fidelium in immortali eius Encyclica *Orientalium dignitas,* quae post Concilium Vaticanum I edita est.

Hodie nobis Deus alium Leonem concedit, Ioannem XXIII, eius successorem, cui ex intimo corde omnia cuncta fausta dicimus diuturnamque adprecamur vitam ut Concilium Vaticanum II alia *Orientalium dignitas* coronare valeat.

Preces, quas supra laudavi, meo sensu, locum obtinent gratiae operantis. A nobis attenditur « gratia cooperans », quam invenimus in precibus decretis ac memoratis, dummodo sint bene peractae et vero sensu oecumenico, sicuti optamus; scilicet, non ore tantum, sine fide et caritate cordis, aut sub aspectu reditus et conversionis filii prodigi, sed modo precandi Christi, non permixtae elementis humanis, sed sincere vere fraternae.

Tunc tantum infallibiles erunt hae preces nostrae, cum in *corde*[2] et intra nos adprecantem Christum inducemus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] iam factas et. [2] nobis.

6

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Em.mi Principes, Fratres carissimi,

Nos catholici in Iugoslavia vivimus una cum fratribus orthodoxis qui maiorem partem relativam totius populationis Status nostri constituunt. Proinde, problema unionis cum fratribus orthodoxis pro nobis maximi momenti est. Sed iam initio dicere debeo nos debere hoc problema considerare non ex libris, sed ex vita, non romantice, sed realistice. Nam Ecclesia catholica non habet tantum ius et vocationem oecumenicam attrahendi amore — *non vi et metu, certe* — *amore attrahendi* [1] orthodoxos ad se, sed ...[2] habet vocationem et ius defendendi quoque proprios *filios* [3] ne ad Ecclesiam orthodoxam transeant. Quod periculum, in quibusdam conditionibus non est tantum theoreticum, sed reale et, possum dicere, sanguineum. Sufficit putare illos catholicos in Europa orientali existentes, qui hodie versantur in periculo ad Ecclesiam orthodoxam transeundi. In Iugoslavia quoque ante bellum *plura decena* [4] millia catholicorum ad Ecclesiam orthodoxam, ob varias rationes opportunisticas, transierunt.

Proinde revera pro nobis est quaestio vitae et mortis invenire modum recte oecumenice loquendi cum orthodoxis. Non debetis ergo mirari, venerabiles Fratres, nos timere oecumenismum quemdam, qui vellet reticere vel saltem extenuare differentias inter nos catholicos et fratres orthodoxos. Nam illa reticentia vel extenuatio nihil proderit separatis fratribus, nostris autem fidelibus magnopere nocere poterit.

Prae oculis ergo his omnibus habitis, puto schema nostrum aequilibrium satis bonum inter oecumenismum et, ut ita dicam, dogmatismum, inter oecumenismum servilem et oecumenismum aggressivum *obtinere satis bonum aequilibrium.*[5]

Fraterne et humiliter *nempe* [6] de fratribus separatis loquitur, differentias plus aequo non extollit, etsi ubi opus est eas haud reticet, errores suavibus simul et firmis verbis, etsi raro, reprobat, atque doctrinam catholicam de unitate sub episcopis, et sub Petri successore sine ulla ambiguitate clarissimis verbis tradit. Ideo schema generaliter placet.

Placet quoque schema, quia agit de solis orthodoxis, non vero de protestantibus. Nam protestantes ab orthodoxis haeretici considerantur, et ideo certe offenderentur, si sermo de ipsis una cum fratribus protestantibus institueretur.

Contra schema habeo tamen quasdam observationes, *praetermissis iis quae dicta sunt.*[7]

2. In art. 9, pag. 254, in lin. 8, non placent verba: « ... et quasi per traditionem... », et ideo propono ut expungantur ex textu. Ratio propositi est, quia per ista verba *significari videtur*[8] fratres orthodoxos permanere in statu separationis a Romano Pontifice « quasi per traditionem », quod non est verum. Nam fratres orthodoxi habent traditiones divinas « quibus a sanctis Patribus locupletati sunt » dicitur in articulo huius schematis. Sed nefas est dicere illos in separatione manere ob eorum fidelitatem erga istas traditiones. Certo certius per illa verba extenuari videtur etiam materialis culpa fratrum dissidentium ab Ecclesia catholica.

3. In art. 31, pag. 261, lin. 21 et s., valde displicet propositio: « Erroribus tempore acto utrimque commissis, unius populi christiani fratres in varias abierunt partes ». Haec propositio videtur *insinuare saltem*[9] Ecclesiam tempore acto fuisse unam, sed ob errores eodem modo et mensura ab occidentalibus et orientalibus commissis Ecclesiam divisam esse, ita ut nunc habeamus duas Ecclesias. Quae duae Ecclesiae, uti audivimus, integrae remanentes, uniri deberent in unam Ecclesiam. Talis unio mihi videtur *non posse esse nisi*[10] accidentalis, speciem cuiusdam nestorianismi ecclesiologici prae se ferens.

Ita loquebatur quoque magnus noster episcopus orator in Concilio Vaticano I, Strossmayer, qui loquebatur, ni fallor, de una fide in duabus Ecclesiis, sed hoc fuit ante Concilium Vaticanum I.[11]

Candide atque ex angustia cordis loquor me timere talem dialogum oecumenicum, qui creat, secundum meam humilem opinionem, in fidelibus nostris magnam confusionem...[12] Ad *istam*[13] confusionem vitandam, separationem fratrum nostrorum a Petri cathedra considerare non solum sub aspectu historico debemus, sub quo aspectu certe etiam nos catholici errores contra unionem commisimus, sed *considerare debemus*[14] etiam sub aspectu theologico, sub quo aspectu fratres orientales sese separaverunt a Petri cathedra per peccatum schismatis, dum nos huic cathedrae fideles remansimus. Sed, proh dolor, habentur quidam nostri auctores *historici,*[15] qui aliter sentiunt. De ipsis forsan posset dici, quod scriptor celeberrimus Russicus dixerat in quodam suo libro, nempe « Fratres Karamazovi sciunt amare lontanos, minime vero proximos ».

Humiliter ergo propono emendationem sequentem textus citati: « Erroribus etiam a catholicis quandoque commissis, multi fratres nostri orientales, qui nobiscum unum populum christianum constituebant, a Petri cathedra sese separaverunt »...[16]

5. In fine, peropportunum esse censeo in schema addere admonitio-

nem aliquam brevem fidelibus et sacerdotibus nostris, quae admonitio etiam pro nobis episcopis valeret, scilicet nos non posse uniri cum fratribus orthodoxis, nisi prius unitatem maiorem, quam nunc est inter nos *ipsos* [17] catholicos *efficiamus*.[18] Iam tempus est ut nos catholici cessemus *nimis* [19] dividi secundum criteria nationalitatis, stirpis, classis socialis, *etc.*,[20] ut amplius non dividamur in catholicos liberales, et radicales, in catholicos progressistas, sinistros, sinistroides, dexteros etc. Haec divisio ostendit revera nostram libertatem, sed nostris in temporibus, quando inimici Dei uniti sunt, potest valde nocere Ecclesiae *Dei, et* [21] victoriae, utique *tantum* [22] temporariae, *victoriae inimicorum* [23] Dei *viam sternere*.[24] Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] etiam. [3] fideles. [4] plus quam 200. [5] obtinet. [6] deest. [7] 1. Propono imprimis mutationem tituli in « de unione christianorum orientalium cum Successore Petri ». Ratio propositi est, ut indicetur in schemate non agi nisi de unione orthodoxorum cum Ecclesia Catholica. [8] significatur. [9] significare. [10] esse tantum. [11] deest. [12] Populus meus, sicut etiam populi Polonorum et Slovenorum, constituunt per saecula pontem inter occidentem et orientem. Huius nostrae missionis nos conscii sumus. Sed isti pontes ita custodiendi sunt, ut orthodoxi fratres quam facilius ad Ecclesiam Catholicam transire possint, non viceversa. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] 4. Schema irenismum falsum reprobat indubiis verbis, sed quibusdam in locis positive eum extollit, e. g. pag. 260, art. 29, lin. 25, et pag. 261, art. 30, lin. 6. In Encyclica *Humani generis* « irenismus », « irenicus », « irenice » semper supponit pro falso irenismo. Ista terminologia excogitata est a Papa Pio XII et nescio cur eam debeamus relinquere tam cito post mortem Pontificis. [17] deest. [18] faciamus. [19] deest. [20] deest. [21] et viam sternere. [22] deest. [23] inimico. [24] deest.

7

EXC.MUS P. D. ABILIUS VAZ DAS NEVEZ
Episcopus Brigantiensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Schema *de unitate Ecclesiae* optimum censeo. Peropportuna invitatio fratrum nostrorum ad reingrediendam paternam domum. Utinam audiant invitationem Oecumenici Concilii! Nam facere non possumus quin ploremus discessum eorum! Hoc tamen observandum est:

1. Mihi videtur schema explicitius agere de unitate, ut ita dicam, externa seu sociali et minus de interna. Valde instat in argumentis irenicis, et vereor ut hoc non ducat ad veram viam unionis. Non sufficit

ut veniant, sed ut veniant et maneant. Tantummodo venient et manebunt, si obviam nobis faciant in iisdem dogmatibus (unitas fidei) et in eodem regimine. Nisi ita fiat, ageretur tantum de irenismo et hoc, ut luculenter apparet, minime sufficit.

2. In ultima cena, Christus Apostolis dixit: « Rogo... ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut ipsi in nobis unum sint » (*Io.* 17, 21). Et addit: « ut credat mundus quia tu me misisti ». Unitas quam Christus hic proponit inter se et Patrem illa est ineffabilis unitas quae datur in Trinitate, in qua tantum una substantia datur, una voluntas, una dilectio. Christus autem inculcavit discipulis similem unitatem in *cognitione* [1] et praesertim in dilectione. Et addit: « ut mundus conspiciens hanc dilectionem christianorum credat Christum missum esse a Patre ». Pagani, primordiis Ecclesiae, caritatem christianorum contemplabant et ita *agnoscebant* [2] Christum. « Videte quomodo se diligunt », aiebant. Caritas christianorum magnum argumentum quod revera ducit ad Ecclesiam illos qui extra Ecclesiam degunt. Magna ergo praeparatio reditus fratrum nostrorum erit dilectio sincera, unitas catholicorum. Videant ergo in Ecclesia magnum effluvium caritatis, in verbis et in operibus. Cum redeant, videant semper veram caritatem.

Velim ut haec idea *inculcetur* [3] in schemate quae mihi videtur esse genuinum medium reditus: « ut unum sint, ... ut mundus cognoscat quia tu me misisti ». « Notum feci eis nomen tuum et notum faciam ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, et ego in ipsis »...[4] Ideoque haec humiliter proponam:

a) Ut in schemate priusquam agatur de mediis revocandi fratres separatos, palam inculcetur caritas christifidelibus catholicis et etiam pastoribus, ut praecipuum medium unitatis. Nam ut apparet a verbis Christi, alia media sine isto, ut fundamentum, nihil aut fere nihil erunt. Dilectio eos trahet.

b) Ut in festis liturgicis, v. gr. Boni Pastoris, in festis liturgicis, quae ad Summum Pontificem, ad episcopum, sacerdotem spectant, in festis, quae nuper fiunt in honorem patrum et matrum, haec vincula unitatis et caritatis ad instar Patris et Filii in Trinitate inculcentur inter christifideles ad invicem et cum ceteris hominibus.

Quotidie *posset dici haec* [5] oratio: « Pater Sanctissime, dilectionis ardorem, quo Iesus a te petiit in ultima cena, Ecclesiae unitatem, tibi offero atque illi me adiungo ut continuo cum illo oblatio ...[6] sim ad unitatem consequendam. Per Christum Dominum nostrum ».

c) Ut in universitatibus catholicis et in seminariis accuratim studeatur huic genuinae dilectioni — nam agitur de profundissimo mysterio unitatis —, non tantum theorice, sed practice. Nam, proh dolor!

admodum oblitum manet hoc, quod est authenticus spiritus christianus. Ne obliviscantur haec verba Christi: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem »...[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] cogitatione. [2] cognoscebant. [3] inculcaretur. [4] (*Io.* 17, 26). [5] ut iam hic propositum fuit hesterna die, recitanda esset, privatim vel publice. [6] (et victima). [7] (*Io.* 14, 37).

8

Rev.mus P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI
Minister generalis O.F.M.

Venerabiles Patres,

Brevissime mihi loqui liceat circa schema de unitate Ecclesiae.[1]

1. Schema *de unitate Ecclesiae,* mense iunio commissioni centrali exhibitum, mihi placuit propter aequilibritatem et indolem oecumenicam et pastoralem. Schema nunc Concilio propositum magis placet quia feliciter emendatum est.

2. Artt. 1-11, qui doctrinalem indolem habent, secundum meum submissum iudicium servandi sunt. Ratio est, quia veritatis, sinceritatis et probitatis causa versus fratres non-catholicos, doctrina catholica per summa capita, sicut reapse fit in schemate, exponenda est. Adest altera ratio: quod schema exaratum est a multis membris et consultoribus (quasi 60) in hac re expertis, quorum media pars ex orientalibus sumpta fuit...[2]

3. Ad pag. 251, id est titulum, sicut pluries in hac aula illustratum est, melius dicatur « de christianorum unitate »...[3]

4. Ad pag. 253, linn. 31-34, proponerem suppressionem istarum linearum propter rationes psychologicas.

5. Ad pag. 254, lin. 20 *et aliis locis,*[4] pro verbo « dissidentes », proponerem verbum « separati », vel verbum « non-catholici »...[5] *Ratio est quia* [6] verbum « dissidentes » mihi male sonare videtur.

6. Ad pag. 259, linn. 15-21, constructio uti iacet obscura esse videtur. Textus schematis commissioni centrali exhibitus mihi clarior et correctior videbatur.

7. Ad pag. 265, lin. 29, placeret tantum sacrum consilium, non vero Congregationem, instituere.

8 et ultimo. Ad pag. 267, n. 52, articulus iste clarior reddatur. Nam uti iacet, *ni fallor,*[7] sensus non satis apparet.

Alias animadversiones minoris momenti ad perficiendum schema secretariatui generali tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] En aliquae animadversiones. [3] Linn. 7-8, melius dicatur « Per peccatum homines seiuncti sunt a Deo ». Lin. 21, omittantur verba « societas electorum » et reliqua usque ad finem. Linn. 26-27, melius dicatur « Fideles Christi autem peccato... subiiciuntur ». Pag. 253, lin. 20, melius dicatur « ita ut quidam christiani se ab auctoritate Vicarii Christi subtraxerint ». [4] deest. [5] item pag. 258, lin. 7; pag. 260, lin. 24; pag. 260, linn. 36-37; pag. 261, linn. 4-5; pag. 262, lin. 5; pag. 264, lin. 6; pag. 264, lin. 33. [6] deest. [7] deest.

Animadversiones additae:

Pag. 262, lin. 12, corrigatur « quaesistis » sicut legitur in textu officiali Vulgatae; pag. 263, lin. 1, corrigatur « lingua »; pag. 266, linn. 6-8, proponerem hunc textum: « Id autem quam maxime exoptat haec oecumenica Synodus, ut omnes partes aequales Ecclesiae sub uno coalescant *supremo Pastore,* qui, vel orientalis vel occidentalis, sit Pater communis ».

Interpunctio, claritatis causa, melius curetur: e. g. scribatur, pag. 256, lin. 5, « sed et publice fundatur, ut Deus in Ecclesia sua... »; pag. 258, linn. 5-6, « adlaborant, ne, falso irenismo quodam ducti, doctrinam catholicam... »; pag. 260, lin. 13: « agnoscimur discipuli, si dilectionem habuerimus inter nos »; pag. 256, linn. 17-18, « ut, collatis consiliis et viribus quantum fieri potest unitis, in unionem... ».

9

EXC.MUS P. D. DIONYSIUS ANTONIUS HAYEK
Archiepiscopus Aleppensis Syrorum

Venerabiles Patres, carissimi Fratres Observatores,

Permittatur mihi ut aliquam vocem ab Oriente Syriaco vobis audire faciam.

Schema *de unitate Ecclesiae* in suo complexu placet, non obstantibus aliquibus defectibus, quibus laborat. Perfectio enim Dei est: « unus est perfectus Deus ». Quasdam observationes tantummodo expono.

1. Cum schema ad Ecclesias orientales separatas solummodo dirigatur, bonum est ut remaneat disiunctum ab alio schemate, quod tractare potest de aliis fratribus, protestantibus nempe. Nam, post tanta studia, et solum de fratribus nostris Syris nunc loquor, perveni ad hoc quod ipsi qui habent omnia sacramenta et iuridicam hierarchiam, non habitant nobiscum eamdem domum ratione Primatus Petri eiusque successorum, in quem Primatum nos firmiter credimus, sed iidem fratres nostri Syri, teste historia, quam maxime venerantur Romanum Pontificem.

2. Quoniam idem schema agit tantummodo de fratribus orientalibus separatis, opportunum videtur:

a) Ut titulus, sicuti maioritas oratorum petiit, mutetur. Propono ut sit: « *De uno ovile et uno Pastore in Ecclesia Christi* ».

b) Ut octo primi articuli transferantur ad constitutionem *de Ecclesia.*

c) Ut schema, descriptis brevissime iis quae in art. 9, pag. 254, de damnis ex divisione, incipiat ab art. 10.

d) Ut, si in mente est de orientalibus Ecclesiis proponere constitutionem specialem, hoc *nostrum* [1] schema *de unitate Ecclesiae inde ab art. 1* [2] possit ibi locum habere; sin minus, formare puto debeat caput quoddam separatum in constitutione *de Ecclesia,* puta cap. XII, *sed inde ab art. 10, sicut notavi sub litteris a, b, c.*[3]

3. Quando agitur de orientalibus necesse est ut loquatur non de Ecclesia orientali sed de Ecclesiis orientalibus, quia de facto plures sunt hae Ecclesiae: Syro-Antiochena, Syro-Maronita, Syro-Chaldaea, Melchita, Armena, Copta, Ethiopica, Graeca, Syro-Malancarica, Syro-Malabarica, etc.

At dum in pag. 254, lin. 3, et pag. 255, lin. 32, aliisque locis loquitur de Ecclesiis orientalibus, legitur pag. 257, lin. 30: « ut commune Ecclesiae occidentalis orientalisque patrimonium », et pag. 265, lin. 30: « Congregatio virorum peritorum ex orientali et occidentali Ecclesia delectorum ».

Textus, *mihi videtur*,[4] emendandi ita: « ut commune Ecclesiae occidentalis et Ecclesiarum orientalium patrimonium »; et secundus textus: « Congregatio virorum peritorum ex Ecclesiis orientalibus et occidentali Ecclesia ». Hic humillime precor Sanctissimum Dominum nostrum Ioannem feliciter regnantem ut Congregatio, quae tractat negotia orientalium, appelletur: Sacra Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus et non pro Ecclesia Orientali.

Neque fas est loqui de duabus Ecclesiis: occidentali nempe et orientali, modo quo apparet quasi in Ecclesia Dei essent duo Ecclesiae parallelae. Ire in hanc viam periculosissimum est ducitque ad nefastas consequentias.

Ecclesia, quam Christus fundavit super Petrum, una est. « Et unam Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam » profitentur omnes christiani.

4. Quidam textus, e Sacra Scriptura desumpti, superflui sunt. Textus vero desumptus e libro Ezechielis (fine art. 34, pag. 262) contumeliosus est. Tollatur una cum lineis antecedentibus inde a verbo « Pastor ».

5. Nescio cur omissum fuit inter media supernaturalia, illud ma-

ximum, recursus scilicet ad Ss. Eucharistiam, quae est vinculum unitatis et ubi Christus pro nobis, credentibus in eum, rogat continuo modo « ut unum sint ».

6. Ad art. 49, pag. 266. Cum maior pars fratrum orientalium separatorum in bona fide degunt et boni christiani generatim sunt, sufficit in actu unionis, ut declarent simpliciter: credo quidquid sancta Mater Ecclesia catholica credit et condemno quidquid condemnat. Iis tamen qui ab unitate defecerint proprio actu applicetur norma statuta in fine eiusdem articuli.

7. Art. 30, pag. 260, lin. 30, monet nos ut ducamur in hoc campo unionis christianorum spiritu veritatis et spiritu caritatis qui verbis utitur blandis et benignis. *Supprimere*[5] oporteat igitur omnia verba dura et acerba quae hodie etiam inveniuntur in quibusdam libris liturgicis, historicis et canonicis.

8. Volebam etiam loqui de admissione fratrum separatorum ut sint patrini in baptismo catholicorum, de nova forma canonica celebrationis matrimonii, praesertim de matrimoniis mixtis initis coram ministro acatholico, de communicatione in sacris, aliisque quae omnia ansas dant fratribus nostris orientalibus eosque amovent a nobis; sed de his aliae constitutiones tractant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] Expungere.

10

Exc.mus P. D. IOANNES HEENAN
Archiepiscopus Liverpolitanus

Venerabiles Fratres,

Multis fratribus visum est, forsan, aliquomodo triste, quod tractando *de unitate Ecclesiae* initium facere debuimus cum sectione « De Ecclesiis orientalibus ». Licet communiter sit acceptum Ecclesias orientales ad unitatem redituras esse facilius et citius quam Ecclesias reformatas, tamen de facto contingere potest illam viam ad unitatem eo difficiliorem evadere quanto propinquiores nobis videntur in fide. Pauciora enim *nos* eis dare possumus. Inutile pro nobis esset eis offerre Sacramenta quasi non iam ea possidentibus. Similiter non pertinet ad nos in doctrina de Maria Matre Dei eos instituere. Illi enim in comperto habent, factum omnibus catholicis bene notum, quod Christum sequi impossibile est nisi eius amorem erga Beatissimam Matrem imitare velimus. Immo

ipsi orientales festum Assumptionis Beatae Mariae Virginis ante Ecclesiam romanam sollemniter celebrare consueverunt.

Sed praecise quia tam parva illis offerre valeamus, eo ipso ad unitatem non facile pervenitur. Ad hanc unitatem constituendam maximas partes obtinebit, tum apud nos tum apud illos, virtus humilitatis. Quia, ut omnes norunt, agitur potius de auctoritate et iurisdictione quam de discrimine in doctrina. Causa illius inimicitiae historicae inter Romam et Constantinopolim potissimum tribuenda est invidiae et suspicioni.

Liceat mihi ergo dubitare an in nostra aetate tentamina ad reunionem faustum possint habere exitum. Submittere Romano Pontifici requireret miraculum morale pro orthodoxis. Sunt enim conscii propriae dignitatis modo quod nobis mirum esse videtur. Psychologice fortasse magis quam theologice diversi sunt a nobis.

Attamen, venerabiles Fratres, ad istam unionem efficiendam viam praeparare nequaquam cessare debemus. Saepius enim accidit ut inimici Christi plus efficiunt malitiosa et superba instituendo, quam ipsi fratres Christi. Scitum enim est quid factum fuerit, utique invito, ab illo viro Adolpho Hitler bello universali grassante, quomodo, in facie communis persecutionis, protestantes et catholici nationis Germanicae, Gallicae et Nederlandicae, communibus necessitatibus subvenire certarunt. Eodem modo contingere potest quod atheismus militans communistarum ad unionem compellet fratres Christi in oriente et occidente. Patriarchae orthodoxi fortasse numquam talem opportunitatem iterum habebunt appropinquandi ad Ecclesiam Romanam. Nullus Pontifex largioris cordis esse posset quam Pontifex noster, Ioannes XXIII, gloriose regnans. Inde ab initio eius Pontificatus in causa laboravit unionis. Ipse Pontifex dicere *posset* [1] in verbis Sacrae Scripturae: « Quid facere debui vineae meae et non feci? ». Ex *parte Pontificis* [2] bona voluntas non desideratur, sed non ita certus sum quod omnes Ecclesiae orientales vere sunt paratae autonomiam propriam amittere et cum fratre magno romano se unire. Fere incredibile est quod in hac basilica adstant observatores ex Unione Sovietica profecti, dum, proh dolor, legationes ex Athenis, Hierusalem et Constantinopoli desiderantur.

Non ergo alloquendum est patriarchis Ecclesiarum orthodoxarum nimio sermone, cum inter nos versari pro magna parte non consenserint. Ex protracto sermone facile evenerit ut hostilitas augeatur. Melius ergo esset si schema abbreviaretur. Expressis verbis declaretur amor noster erga fratres orientales a nobis separatos. Nullum remaneat dubium de voluntate nostra omnia faciendi quod, salva fide, facere possumus ad unionem cum eis obtinendam...[3]

Iam vero, his praedictis, omnino dolendum est quod in hac prima

sessione nihil dici potuisset in schemate « de unitate », de nostris fratribus ex Ecclesiis anglicanis et protestantibus provenientibus. Imprimis quia tam sponte et alacriter invitationi S. Pontificis responsum dederunt. Anima mea aliquantulum extollitur quia, ut fertum est, arch. Cantuariensis, Ecclesiae Anglicanae primatus, primus omnium huic invitationi affirmative respondit, dicendo quod ad Concilium Observatores libentissime mandaret.

Utique verum est magis obstare videri quominus concordia theologica inter Ecclesias reformatas et nos obtineatur quam inter Ecclesiam orthodoxam et catholicam romanam. Tamen, in dies magis magisque florescit inter nos et protestantes summa caritas necnon comprehensio profundior. Etiamsi in Concilio usque adhuc nihil dictum sit de unitate inquirenda cum istis, pro certo habeo eos domum redituros esse res novas laetasque nuntiantes. Si antea opinati sint in Concilio vetitum fuisse catholicis libere loqui, nunc autem vident catholicos libertate filiorum Dei gaudere. Si antea iudicaverint Ecclesiam esse quid monolithicum, nunc autem testes sunt inter domesticos fidei, tam cardinales quam episcopos, regnare diversitatem sat magnam opinionum.

Attamen, in omnibus quae pertinent ad fidem, in conspicuo habetur unitas completa et perfecta. Utique non amplius minime perpendent auctoritatem Summi Pontificis qui, ut pater benevolens, filios suos dirigit, finem imponens argumentis antequam filii « purpurati » deveniunt non tantum vestibus sed etiam in facie!

Oremus omnes ut post hoc Concilium Vaticanum omnes christiani tum orientales cum occidentales sese inveniant propinquiores sibimetipsis et, quod maioris est momenti, propinquiores Christo Domino. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] potest. [2] nostra parte. [3] Quantum praestaret communitati christianae illa unitas conficienda! Quantum praestaret Ecclesiis orientalibus iterum in una Ecclesia catholica firmiter collatis!

11

EXC.MUS P. D. ALEXANDER OLALIA
Episcopus Lipensis

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesiae unitate* propositum laudandum est, et in genere approbandum, seu approbandum iuxta modum. Multa enim dicta sunt, et quidem bene dicta, de iis quae in schemate corrigenda, supprimenda, alio transferenda sunt, vel etiam nova inserenda.

Quasdam animadversiones de rebus particularibus et ipse facere *velim.*[1]

1. In nn. 1-6 *humiliter*[2] propono ut allegationes locorum Sacrae Scripturae ex textu schematis auferantur et remittantur ad notas in calce paginarum. Ratio: frequens allegatio auctoritatis in ipso textu interrumpit continuam lectionem doctrinae quae exponitur, et attentionem distrahit in alia praeter materiam de qua fit sermo. Exemplum esto n. 2, in quo post verba « Hoc corpus Christi est Ecclesia », allegationes locorum Sacrae Scripturae integram lineam occupant.

Quod proponitur, aeque valet in genere de aliis numeris schematis, immo de quocumque schemate.

2. In n. 3, ubi legitur: « Fideles autem Christi peccato et morti adhuc subiiciuntur », *humiliter iterum*[3] propono ut dicatur: « Fideles autem Christi adhuc peccato obnoxii sunt et morti subiiciuntur »...[4] Ratio: Verbum « subiiciuntur » nimis absolutum videtur, quasi fideles, post Christi redemptionem adhuc modo stabili sub peccato vivant, vel in illud necessario incurrere debeant. Praeterea, non eodem modo homines peccato et morti subiacent. Omnes homines debent mori: « Statutum est hominibus semel mori ». Dei autem gratia simul cum generositate ex parte hominis potest homo absque peccato, saltem mortali, vivere.

3. *Non pauci numeri breviores reddendi sunt in schemate, uti, v. gr.,*[5] in n. 16: propono ut prima pericopa tantum relinquatur et omnia alia remittantur ad notas explicativas, ita ut textus sic maneat: « Cum autem " permagnum unitatis christianae praesidium divinitus oblatum est in Maria", ad hanc adiutricem populi christiani potentem et clementissimam, Virginem et Dei et hominum viatorum Matrem maiore cum fiducia oportet occurratur ». Ratio: cetera omnia quae in hoc numero habentur sunt vel historica argumenta, vel exhortationes, quae vel omitti possunt, vel in notam explanatoriam remitti.

4. Quoad remedia adhibenda ad unitatem omnium christianorum obtinendam. *Meo humili iudicio hoc notandum est:*[6] cum de re agatur adeo necessaria, qualis est unio christianorum, pro qua ardenti desiderio ipse Christus Dominus Patrem rogavit antequam pateretur, videtur quod modus loquendi, qui in schemate adhibetur, debet esse firmior et magis imperativus, cum sermo est de mediis adhibendis ut tandem optata unio consequatur.

Frequenter adhibetur in schemate forma exhortativa, vel modus verborum subiunctivus, quasi de rebus facultativis ageretur ad quas nulla est obligatio. Opinor autem quod decreta Concilii abstinere debent, quantum possibile sit, a modo subiunctivo, et quod in ipsis adhiberi

debet modus imperativus, sin minus, saltem modus indicativus illius quod fieri debet vel oportet.

In casu praesenti, ratio est: media explicata in schemate sunt unica media quae nunc habet Ecclesia ad finem obtinendum, unionem nempe omnium christianorum, quae omnino quaerenda est et promovenda.

5. Ad finem unionis Ecclesiarum obtinendum etiam optandum est quod Concilium decernat ut in quibuscumque ecclesiasticis documentis nulla in futurum distinctio fiat Ecclesiae in occidentalem et orientalem, immo ut ipsae appellationes orientalis et occidentalis supprimantur. Ratio: Ecclesia una est, nam una instituta est a Christo Domino, qui unam vult eam esse usque ad finem temporum. Retentio istarum appellationum quodammodo operatur ad sustinendam excissionem.

In essentialibus nulla est distinctio inter catholicos occidentales et orientales. Distinctio praecipue est in accidentalibus rituum; at si haec fuisset sufficiens causa illas appellationes retinendi, tunc plures appellationes essent inducendae ad distinguendas Ecclesias diversorum rituum intra ipsam partem Ecclesiae in regionibus quae dicuntur Ecclesia orientalis.

Ex consequenti, *tunc supprimi posset* [7] apud Sanctam Sedem Congregatio quae vocatur pro Ecclesia Orientali, et aliarum Congregationum competentia extendenda ut ad illas pertineant etiam respectiva negotia quae nunc ad Congregationem pro Ecclesia Orientali pertinent.

Nec inde maior difficultas vel confusio causaretur in ceteris Congregationibus, eo quod Ecclesiarum, quae dicuntur orientales, peculiaritates in ritu et disciplina servandae sunt; quia singulis Congregationibus adscribi possunt tamquam membra, vel adsessores vel consultores, viri periti in rebus pertinentibus ad Ecclesias, quae dicuntur orientales, seligendi etiam e clero ipsarum Ecclesiarum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] intendo. [2] deest. [3] deest. [4] « quia mundus hic nondum per secundum adventum Christi absolutus est ». [5] deest. [6] deest. [7] supprimenda esset.

12

EXC.MUS P. D. IOSEPH PONT Y GOL
Episcopus Segobricensis-Castellionensis

Venerabiles Patres,

Postquam multa quae super schema audivimus, quaedam concreta tantum dicam. Cetera tradam secretariae. Et quidem: [1]

In nn. 18 et 19 praesentis schematis, *de facto* [2] agitur de accommodatione, sive nunc dicitur, de incarnatione Ecclesiae in omnibus culturis. Omnibus Patribus, sine dubio, persuasum est hanc esse unam ex gravioribus quaestionibus a Concilio perpendendam et pro viribus solvendam. Etsi enim technica materialis totum pervadat mundum, simul etiam vires spirituales cuiusque culturae humanae reflorescunt ita ut (quantum possibile est *ferre*[3] iudicium de hoc eventu nondum completo) alius erit humanismus aetatis novae in Iaponia, alius apud Indos, alius in Africa, alius in regionibus Europae, *etc.*[4] Nihil mirum si haec ipsa quaestio pluries redeat ad disceptationem nostram: egimus enim iam de ipsa in schemate Sacrae Liturgiae cum sermo fieret de aptatione rituum ad diversos populos et de lingua vulgari; iterum invenimus in schemate praesenti; redibit sine dubio in schemate de missionibus, et forsan etiam alibi. Unde poscendum videtur ut ea quae habentur in diversis schematibus de hac re, ita gravi et complexa, redigantur in unum, saltem quoad principia, et Concilio proponatur discutiendum et statuendum, nec postea amplius sermo fiat de illo in singulis schematibus, nisi forte ut pro unoquoque res concreta applicetur.

Item,[5] n. 35 agit de consociandis operibus christianorum in defensione personae humanae et communis haereditatis christianae. Rem tamen proponit modo, ut videtur, negativo et, *ut ita dicam,*[6] aliquatenus bellico. Assertio schematis: « Divina et humana iam periclitari videntur », videtur pessimismo eorum indulgere, qui ut verbis allocutionis pontificalis diei 11 octobris dicam, ...[7] « in praesentibus humanae societatis conditionibus, nonnisi ruinae calamitatesque cernere valent »...[8] Item assertio « commune patrimonium christianae civilitatis nobis defendendum est... », temperanda esset assertione Pii Papae XII, *felicis recordationis,*[9] qui asserebat: « Nulla civilitas potest praeberi ac si tota esset specifice christiana et catholica, nec quidem cultura mediaevalis »...[10]

Cum autem e contra tendendum sit, prout ipse Summus Pontifex asserebat, « ad synthesim religionis et vitae »...,[11] communis actio chri-

stiana in mundo hodierno non videtur plene descripta verbis istius numeri, nempe: « Qui Christi nomine gloriantur, aciem communem contra gliscentem atheismum et materialismum constituant », sed describenda forsitan esset ita, « omnes qui Christi nomine glorientur, sint in hoc mundo, ad atheismum et materialismum gliscente, fermentum, sal et lux Christi, ut mundus salvetur et civilitas, quaelibet illa sit, evadat christiana ».

Etiam,[12] in nn. 23 et 26, cum agitur de agnitione liturgiarum orientis ex parte Ecclesiae catholicae, additur conditionalis, « dummodo veritati et doctrinae fidei catholicae non adversentur »...[13] vel « quae fidei catholicae integritatem et mutuam coniunctionem nequaquam impediunt »...[14] Prout iacet, dura forsan apparet haec assertio, cum agatur de libris liturgicis qui a sanctis Patribus exarati videntur et per saeculorum decursum ante schisma in usu fuerunt. Ad tollendam hanc locutionem, quae ansam posset fortasse praebere offensioni, videtur proponenda huius omissio in textu citato, *prout in anteriori congregatione aliquis pater proposuit.*[15] Vel, si revera in quibusdam praesertim Ecclesiis, post divisionem, aliqua veritati *et unitati*[16] adversantia irrepserint, mutetur illa conditionalis n. 26 in sequentem: « Haec sancta Synodus declarat retinendos esse et maxima diligentia colendos ritus et caeremonias orientalium et eorum libros liturgicos...,[17] ad primaevam illam et genuinam formam redactos, quae fidei aut communioni ecclesiasticae profecto non obstabat »...[18] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema placet: in eo enim traditur doctrina sana et simul aperiuntur viae quibus labor pro unione celerior discurrat. De spiritu caritatis, qui totum schema pervadit, speciatim laudanda est commissio de Ecclesiis orientalibus, quae illud paravit. Quaedam autem animadvertenda humiliter censeo, primum de methodo pro his rebus disceptandis, et pauca alia de stylo. I. *De methodo.* 1. In schemate agitur tum de opere unionis in genere (nn. 1-22, 29-36, 38-47) tum de rationibus specialibus quibus unio cum orientalibus fovenda est (nn. 23-28, 37, 39, 42, 44, 47, 48-52). Cum autem ea quae pertinent ad opus unionis in genere etiam inveniantur tractanda in cap. XI propositi schematis *de Ecclesia,* et forsitan habebitur in illo de Oecumenismo a secretariatu unionis parando, optandum videtur ut, collatis viribus commissionis theologicae, commissionis orientalis, et secretariatus unionis, unum tantum schema de unitate Ecclesiae et de motione oecumenica inter catholicos conficiatur. 2. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] II. *De stylo.* 1. [6] deest. [7] « non satis aequa aestimatione prudentique iudicio res perpendunt. Hi enim. [8] (*L'Oss. Rom.,* 12 oct. 1962, pag. 2). [9] deest. [10] (A.A.S., 39, 1947, 369). [11] (ib. pag. 370). [12] 2. [13] (n. 26). [14] (n. 23). [15] deest. [16] vel coniunctioni cum Ecclesia catholica. [17] in quibus haec continentur. [18] (cf. n. 23).

13

EXC.MUS P. D. RUDOLFUS IOSEPH STAVERMAN
Episcopus tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Hollandiae

Venerabiles Patres Conciliares,

Iam clarum *videtur* [1] revisionem huius schematis et eius insertionem in constitutionem *de Ecclesia* inevitabilem esse.

Schema *enim,*[2] ut iacet, nocivum potius quam proficuum posset esse in relatione nostra tum cum protestantibus, quia omnino ignorantur, tum etiam cum orthodoxis, a nobis separatis, quia textus est nimis monologicus. Insuper schema potest videri cuneum infligere velle inter protestantes et orthodoxos, qui quidem inter se minime unitatem efformant, actualiter tamen et, ut puto, non sine Spiritu Sancto, colloquuntur in conventu Ecclesiarum (World Council of Churches). Duo autem sunt quae adhuc specialem mentionem merentur:

1. Valde placet quod in art. 31 culpam etiam nostram confiteamur, sed in reliquo schemate spiritus ille humilis compunctionis in vanum quaeritur. Firma fide credimus Ecclesiam catholicam solam esse Ecclesiam Christi veram et sanctam. Semper tamen memores simus nos singulos et omnes ab hac veritate et sanctitate quotidie deficere.

Stylus schematis redolet aliquam exculpationem, immo et laudationem sui. Laudanda *utique* [3] est gratia Dei in Ecclesia indefectibilis, sed caveamus ne videamur magnificare nosmetipsos.

Haec tamen confessio culpae nequaquam ponatur inter media sic dicta psychologica. Ita faciendo non solum sinceritas huius confessionis obscuratur, sed etiam innuitur agi de re tantum accidentali.

2. Res maximi momenti in dialogo oecumenico est doctrina de munere apostolico in Ecclesia. Iam vero quae de hac re in artt. 5 et 6 habentur, non solum forma confusa sunt, sed, *ni fallor,*[4] insuper doctrinae quae in schemate de Ecclesia habetur, non consonare, immo contradicere videntur.

Plures patres iam doluerunt ideam collegii episcopalis fere abesse. Hac in re, venerabiles Fratres, animadvertite quod dicitur in art. 6 sub fine, quod nempe Summus Pontifex « iudicat et decernit, sive solus, sive cum collegio episcopali ».

Iamvero caput collegii episcopalis, etiam si solus loqui apparet, tamen in re numquam sine collegio suo est.

Speramus fore ut haec obliqua casus positio corrigatur in schemate *de Ecclesia.* Dixi.

In textu scripto tradito: [1] est. [2] deest. [3] deest. [4] deest.

14

EXC.MUS P. D. NICOLAUS ELKO

Episcopus tit. Apolloniensis, exar. ap. Pittsburgensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Circa schema decreti *de Ecclesiae unitate,* de quo nunc agimus, iam plura bene ac sapienter *dicta sunt,*[1] aliqua vero minus recte dicta sunt. Ut autem nonnulla magis clare in lucem ponantur, attentis perlectis atque mature perpensis omnibus, quae in hoc decreto proponuntur, sequentia animadvertenda esse censeo.

I. *Animadversiones generales.* Schema decreti propositi, prout nunc exstat, mihi ...[2] placet. *Quare?*[3] Propter has praesertim rationes:

1. Quia, prouti ex textu totius decreti apparet, finis primarius huius schematis, ni fallor, alius non est nec esse potest quam praebere principia fundamentalia de visibilitate et indivisibilitate atque unitate Ecclesiae cum Petro et sub Petro, et praeterea, ostendere viam, qua procedendum sit ad unionem cum fratribus a Sede Apostolica separatis, et non cum aliis christianis ab Ecclesia catholica seiunctis, restaurandam.

2. Quia hoc schema clare manifestat erga fratres nostros separatos venerationis sensus et sincerae fraternaeque caritatis affectum...[4]

Ergo schema proponit res omnino practicas, vel, si vultis, pastorales, de quibus nemo dubio haerere potest. Clarum est, quod commissio de Ecclesiis orientalibus *praeparando hoc schema,*[5] suae competentiae fines excedere *non potuit.*[6]

Omnibus quoque notum est, quod fratres separati, eadem septem agnoscunt sacramenta atque retinent sicut et nos, quorum usu animarum regenerationem, refectionem *Eucharistiae et praeservationem*[7] in vita christiana obtinent.

Praeterea, *venerabiles Patres,*[8] oblivioni dandum non est, quod etiam ipsi disciplinam septem conciliorum oecumenicorum aliarumque synodorum particularium, in oriente ante separationem celebratorum, servant.

Quae omnia, venerabiles Patres, revera non solum aestimatione debita ac laude digna sunt, sed etiam tamquam patrimonium commune universae Christi Ecclesiae considerari debent.

Haec omnia in praesenti schemate, mea humili sententia, *semper humili,*[9] clare exposita sunt et validum constituunt fundamentum ad unionem cum iisdem fratribus promovendam atque restaurandam, ut tandem aliquando fiat « unum ovile et unus pastor ».

Insuper, in eodem schemate clare proponitur principium fundamentale de successoris Petri potestate iurisdictionis (*hoc est principium fundamentale in isto schemate, mihi videtur* [10]) « erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis veraeque oboedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent » (cf. Concilium Vaticanum I, sess. IV, caput 3 ...[11]).

Non desideramus graviter errare et dicere [12] hoc schema velle fratrum separatorum bonam voluntatem decipere. *Non.*[13] Iam, prouti me docet experientia... *Qualis experientia? Experientia* [14] quam habeo ex colloquiis habitis ante aliquot annos cum monachis in Monte Athos... *Ideo deduco* [15]: hodie obstaculum unionis non est tam doctrina de purgatorio, *non est doctrina* [16] de « Filioque », *non est doctrina* [17] de Immaculata Conceptione vel Assumptione Beatae Mariae Virginis, quam dogma de infallibilitate atque primatu Romani Pontificis. Attamen, *venerabiles Patres,*[18] fratres nostri separati, videntes ordinem, *videntes* [19] disciplinam, quae viget in universa Ecclesia catholica, quae omnia sunt necessaria ad conservandam unitatem fidei ac integritatem morum, facile comprehendunt Petri eiusque successoris primatum eiusque infallibilitatem. Haec omnia didici non ex scientificis dissertationibus doctorum vel, eo minus, ex speciali inspiratione Spiritus Sancti, sed ex mea personali experientia vitae quotidianae *apud fratres separatos.*[20] Etenim, in his ultimis annis in America Septemtrionali habuimus *in nostro exarchatu* [21] 1121 conversiones fidelium et 14 sacerdotum, qui a Pravoslavia *vel ab Ecclesia separata* [22] in sinum Ecclesiae catholicae redierunt. *Quare? Quia vident ordinem, vident disciplinam quae viget in universa Ecclesia catholica.*[23]

De cetero, observatores nostri carissimi, praesentes *nunc* [24] in hac aula conciliari, sunt testes, de visu, de auditu, quod Sanctus Pater noster Ioannes XXIII, feliciter regnans, quem Deus diu sospitem nobis servet, *quod Sanctus Pater* [25] non est dictator, *sed servus* [26] servorum Dei. Dictatori enim, subditi debent semper inclinare caput et dicere, « Kyrie eleison! Miserere nobis! Amen! Alleluia! ». *Sed non hic, in isto Concilio.*[27] Nobis e contra relinquitur plena libertas *in hoc Concilio, libertas* [28] loquendi, *libertas* [29] exprimendi propriam opinionem, *libertas* [30] faciendi propositiones, *libertas exeundi ad caffeum, libertas faciendi* [31] animadversiones etc. Et, venerabiles Fratres, quidem sine periculo aliquo punitionis vel detrusionis in carcerem...[32]

Praeses card. SPELLMAN: Tempus finitum est. [*Plausus*].

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] omnino. [3] deest. [4] « ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum » (1 *Io.* 4, 21). [5] praeparatoria, quae hoc schema nobis disceptandum proposuit. [6] nec voluit nec potuit neque transgressa est. Nemo est qui ignoret, quanto cum amore fratres nostri separati sacram Liturgiam ceterorumque sacrorum actionem peragunt, quibus fidem suam in Deum Unum et Trinum roborent, Deum Creatorem, Redemptorem et Sanctificatorem filiali prosequuntur veneratione, Domino Iesu debitum exhibent obsequium Eiusque Genitrici, unitatis christianorum praesidio nobis divinitus oblato, amorem pietatemque ostendunt. [7] et perseverantiam. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] in Collectione Lacensi, vol. VII, pag. 484. [12] Graviter proinde erraret qui diceret. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] et. [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] deest. [25] deest. [26] neque sui praedecessores dictatores fuerunt, sed servi. [27] deest. [28] deest. [29] et. [30] deest. [31] correctiones.
[32] II. *Animadversiones particulares.*

1. *Quoad titulum.* Cum in praesenti schemate agatur de unitate Ecclesiae specifice cum fratribus dissidentibus restauranda, propono, ut titulus hoc modo reformetur: *De Ecclesiae unitate inter fratres dissidentes promovenda et restauranda.*

Si haec propositio acceptetur, tunc, censeo, subtitulum seu verba: « Ut omnes unum sint » omitti posse. Deinde, statim in principio huius decreti, claris verbis dicatur, quod hoc schema respicit tantum fratres a Sede Apostolica separatos et non alios qui christiano nomine gloriantur.

2. Ad n. 23, pag. 258, lin. 31. In fine huius numeri addendum esse puto « ... et religiose serventur », prouti habetur in Motu Proprio *Cleri sanctitati,* can. 1, par. 1.

3. Ad n. 24, pag. 258, lin. 38. Statim post verbum « liturgicos » addi possunt haec verba: « ... in administratione sacramentorum aliorumque sacrorum actione » (cf. can. 2, par. 1 Motus Proprii *Cleri sanctitati*).

4. Ad n. 28, pag. 260, lin. 5. « ... vigere debet... ». Minime obstare debet unitati *quod inter ipsas Ecclesias orientales vigere debet.* « Vigere debet » i. e. illa mutua comprehensio et mutua agnitio, aestimatio reciproca et caritas christiana « quae communia adiuvant opera, ad bonum religionis expeditius promovendum » (cf. can. 4 M. P. *Cleri sanctitati*); mutuus amor et reciproca caritas vigere debet, non solum inter occidentalem et orientalem Ecclesiam, sed praesertim et in primo loco inter nos ipsos orientales diversorum rituum.

Etenim, summi est momenti rationabiliter desiderare et exigere, ut adsit mutua aestimatio atque mutua comprehensio inter ipsam hierarchiam orientalem diversi ritus, quae in eodem territorio potestatem iurisdictionis obtinet ad communia religionis opera explenda et ad unitatem inter christianos efficaciter promovendam. Praeterea, non minoris momenti est rationabili modo exigere, ut Hierarchae locorum diversorum rituum, praesertim in Medio Oriente, unicam normam, in tractandis negotiis cum gubernio civili locali, sequantur.

5. Ad n. 31, pag. 261, lin. 21. « Erroribus tempore acto *utrimque* commissis... ». Haec propositio faciliter poterit praebere occasionem falsae interpretationi, quatenus nempe in ea nihil dicitur de natura errorum ab utraque Ecclesia commissis. Quapropter, ad excludendam omnem ambiguitatem, necesse est, ut claris verbis declaretur, quod hic non agitur de erroribus dogmaticis, sed tantum de illis actibus consortii vitae humanae, qui sunt contrarii spiritui christianae caritatis.

6. Ad n. 43, pag. 266, lin. 11. « Fratres nostri orientales... ». Revera, uti ex ipso textu et contextu huius numeri apparet, accuratius esset dicere: « ... fratres nostri separati... ».

III. *Animadversiones speciales.*

1. Licet hic Romae, in centro totius christianitatis, diversa iam Collegia et Instituta habeantur ad formandos iuvenes orientales, qui Dei servitio sunt mancipati quique munificentia Sedis Apostolicae, praesertim Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, sustentantur (quae omnia benevolentiam Sanctae Sedis erga Ecclesias orientales demonstrant), nihilominus propono, ut in Urbe facultas iuris canonici orientalis instituatur, verbi gratia apud Pontificiam Universitatem Lateranensem, eo fine ac ratione, ut tam orientales clerici quam latini in iure canonico ac disciplina orientali debite et sufficienter instruantur.

Ratio propositionis est: *a*) ut amoveatur hac in re mutua ignorantia et magis promoveatur mutua cognitio atque aestimatio; *b*) ut clerici orientales, feliciter expletis studiis hic Romae, post suum reditum ad proprias eparchias, sacris pastoribus efficacem adiutricem operam praestare possint.

2. Consequenter, ad obtinendum hunc finem humiliter peto, ut Codex iuris canonici orientalis, si possibile est, quam primum promulgetur. Hucusque, ab anno 1949 usque ad annum 1957, per quattuor Apostolicas Litteras, motu proprio datis, promulgati sunt canones: *a*) De matrimonio, M. P. *Crebrae allatae sunt. b*) De iudiciis, M. P. *Sollicitudinem nostram. c*) De religiosis et de bonis temporalibus, M. P. *Postquam Apostolicis Litteris. d*) De ritibus et de personis, M. P. *Cleri sanctitati.*

3. Propono, ut ad athenaea catholicorum etiam clericis dissidentibus, si id petierint vel a propriis mittantur pastoribus, aditus pateat.

15

Exc.mus P. D. GABRIEL BUKATKO

Archiepiscopus tit. Mocissenus, coad. Belogradensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Cum alii, qui hucusque iam locuti sunt, me praevenerint in expositis argumentis necnon animadversionibus, de quibus ego etiam animum patefacere volui, ne repetam quae iam dicta fuerunt, meum sermonem scripto secretariatui centrali tradam.

Paucis verbis tantum de conclusione dicam: opinioni em.morum card. Cicognani, Spellman, Wyszyński et aliorum adhaerens, fateor quod schema propositum *Ut omnes unum sint* mihi placet. Admissa utique emendatione tituli et aliis quibusdam expressionibus, sicuti hoc etiam allatum fuerat. Dixi. [*Plausus*].

Textus scripto traditus:

Liceat mihi, quaeso, mentem meam patefacere de schemate nobis proposito uti iacet, nempe *de Ecclesiae unitate - Ut omnes unum sint.*

Vellem hac de re pauca quae sequuntur breviter proponere, salvo utique iudicio meliori.

1) Ante omnia ad titulum quod attinet — potest emendari et quidem facili modo, prout alia huiusmodi emendari solent; et non est cur in hoc immoremur.

Schema in genere mihi placet, licet hoc in nonnullis partibus sub respectu grammatico emendandum et perficiendum esse teneo, sicut hoc iam ab aliis indicatum fuerit. Tractat enim de materia-obiecto maximi momenti, scilicet de necessitate et convenientia, de postulatione unionis ecclesiasticae, atque de modis et viis quibus (separatorum) dissidentium orientalium facilior esse poterit reditus ad Ecclesiam catholicam, ad unum Christi ovile sub uno etiam visibili Pastore.

Tractationis obiectum clare describitur, finis bene determinatur, limites certi « intra quos » ponuntur.

Ipsa expositio quaestionum clara est et sat praecisa; sufficienti cura habita de citationibus ex S. Scriptura Sanctorumque Patrum saltem hic illic, utitur etiam modo, expressionibus ac terminologia menti orientalium magis accommodatis, et sine detrimento debiti styli Conciliaris necnon sensus oecumenici.

Schema ita sub omni respectu satisfacit, admissis utique ulterioribus emendationibus. Censeo proinde opportunum ac utile fore schema hoc accipere disceptationemque eius usque ad finem perducere.

2) Pariter teneo schema non remittendum nec simul cum alio schemate *de Ecclesia* tractandum esse, ubi quidem sermo fit de unitate Ecclesiae utpote notae eius propriae, sub omnino tamen alio aspectu.

Loquitur enim in hoc alio tractatu de unitate sensu theologico dogmatico et speculativo, dum e contra hic agitur de unione, vel potius de reditu ad unitatem — de quaestione ergo practica et theologico-pastorali.

Ad tractatum praeterea *de Ecclesia* quod attinet, licet utile fuisset antea hac de re tractari h. e. priusquam ingrediatur quaestio de schemate unionis *Ut omnes unum sint*; attamen hanc utilitatem anticipationis nullatenus omnino necessariam ad modum cuiusdam conditionis « sine qua non » considerari posse videtur.

Etenim, omnes hic praesentes — utpote Magistri in Israel — notionem sufficientem, immo sat profundam, de natura ac de notis propriis verae Ecclesiae habere iure meritoque praesupponuntur, ita ut capaces aestimari deberent ingrediendi tractationem de unione fratrum orientalium hucusque separatorum (dissidentium).

3) Cum teste historia ecclesiastica bene edoctis nemini nostrum lateat varios coetus fratrum dissidentium (separatorum) aliter omnino ac tot coetus et nominationes diversae fratrum separatorum occidentalium, vario tempore, variis ex causis variisque modis sese ab unione cum Christi Ecclesia decursu temporis detraxisse, omnino necesse videtur seorsim tractare de reditu ad unionem fratrum dissidentium (separatorum) orientalium et de tali reditu fratrum dissidentium (separatorum) occidentalium.

Hoc enim omnino suadet eorum diversitas indolis, culturae, doctrinae, mentalitatis et fidei; nam in his rebus alii ab aliis multum et valde differunt.

Meo ergo humili iudicio aliter proinde ac seiunctim tractandi sunt in reditu ad unitatem cum Ecclesia Christi fratres dissidentes (separati) orientales; aliter autem occidentales.

Secretarius generalis: Em.mus card. praeses, cum habeat thema huius decreti satis illustratum et enucleatum, quaerit a Patribus utrum

oporteat a disceptatione cessare. Si placet, surgant! [*Omnes surgunt*]. Velint omnes sedere! Ergo crastina proponetur aliqua motio conclusiva huius disceptationis. Dabitur typis impressa et, durante congregatione, crastina, fiet suffragatio. Hodie omnes suffragationes circa emendationes factae sunt et feliciter. Communico Patribus exitum quinque priorum suffragationum; aliarum exitus communicabitur crastina.

I emendatio:

Praesentes votantes	2.145
Vota *Placet*	2.096
Non placet	41
Nulla	8
Maioritas requisita erat	1.430

Ergo I emendatio approbata est.

II emendatio:

Praesentes votantes	2.143
Vota *Placet*	2.103
Non placet	34
Nulla	6
Maioritas erat	1.430

Ergo etiam II emendatio approbata est.

III emendatio:

Praesentes	2.139
Vota *Placet*	1.984
Non placet	150
Nulla	5
Maioritas erat	1.426

Ergo etiam III emendatio approbata est.

IV emendatio:

Praesentes	2.135
Vota *Placet*	2.113
Non placet	13
Nulla [1]	9
Maioritas	1.423

IV quoque emendatio approbata est.

---

[1] Quorum duo erant iuxta modum.

V emendatio:

Praesentes	2.125
Vota *Placet*	2.049
Non placet	66
Nulla [1]	10
Maioritas erat	1.418

V quoque emendatio approbata est.

Crastina legetur exitus aliarum suffragationum et incipiet relatio et disceptatio circa schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia*. Crastina quoque distribuentur aliae emendationes circa schema *de sacra Liturgia*, quae tamen suffragationi subicientur feria secunda proxima. Dixi.

[1] Quorum duo erant iuxta modum.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIAE UNITATE

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE ECCLESIAE UNITATE *

1

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

1. Pag. 251, lin. 30: Pro verbis « Ierusalem nova » (*Apoc.* 3, 12) suadentur « Ierusalem caelestis » (*Hebr.* 12, 22), quorum sensus ecclesialis melius constare videtur.

2. Pag. 251, lin. 31 et 252, lin. 1: Iisdem rationibus pro « Sponsa Agni » suadetur « Sponsa Christi » (cf. *Ef.* 5, 24, 25).

3. Pag. 252, lin. 28: Pro referentia ad *Apoc.* 21, 6, proponitur alia ad eumdem librum 7, 17, quia huius loci litteralis sensus melius respondet doctrinae expositae quam primi.

4. Pag. 252, lin. 29: Eadem ratione pro textu *Apoc.* 19, 6, ad regalem dignitatem Christi ostendendam allato, proponitur referentia ad verba *Io.* 18, 37: « quia rex sum ego ».

5. Pag. 252, lin. 32: Post verbum « Ecclesiae » addenda proponuntur « his in terris ». Sic doctrina clarius exprimitur circa cessationem in gloria exercitii potestatis hierarchicae (cf. card. Caietanus, In I-II, 33, 4°, n. 2) sive quoad iurisdictionem (ibid.), sive quoad ordinem (S. Thomas, III, 61, 4, ad 1; 63, 1, ad 1).

6. Pag. 253, lin. 15: Demantur verba « et schismata », quae procul dubio laedent sensus fratrum orientalium, quorum vero sensus satis verbo « divisiones » exprimitur.

7. Pag. 253, lin. 26: Post verba « Petri successore » addendum est « et ab Episcopis in eius communione gubernatur ». Secus potestas iuris divini ac propria Episcoporum obnubilatur ansaque tribuitur opinioni apud nonnullos separatos fratres vigenti quod in Ecclesia catholica nulla est vera potestas nisi solius Romani Pontificis. Haec doctrina iam in sess. IV Concilii Vaticani I exposita (Denz. 1828) clarius adhuc a Leone XIII evolvitur in Encyclica *Satis cognitum* (A.S.S., vol. 28, pag. 708 ss., sp. sub n. 52).

8. Pag. 253, lin. 33: Post verbum « christianorum » addendum est « esset » claritatis causa.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, textu exhibito, loqui non petierunt vel iuri loquendi renuntiaverunt vel demum disceptatio clausa est.

9. Pag. 254, lin. 9: Post verba « non esse » addendum est « ideoque salutem certo consequi posse ». Additio proposita non est nisi consequentia affirmationis in schemate contentae de analogica incorporatione quorumdam fratrum separatorum, in bona fide scilicet versantium, verae Ecclesiae: si salus est intra Ecclesiam, qui ad eam pertinent salutem consequi possunt cum iisdem principium « Extra Ecclesiam non est salus » applicari nequeat. Textus propositus inveniebatur in schemate commissionis «De Ecclesiae unitate », pro orientalibus, pag. 9, linn. 7 et 8. Declaratio vel additio quae postulatur gratissima insuper erit separatis fratribus quod non spernendum videtur ut elementum praeparatorium desideratae unitatis.

10. Pag. 254, lin. 30: N. 11 dematur ex integro. Propria etenim extollentia Catholicae Ecclesiae parum vel nihil prodest unitatis causae immo secus. Ad mentem Summi Pontificis fel. regnantis pluris est ad praesentia attendere quam ad historicas vicissitudines sese convertere in quibus non omnia ex utraque parte felicis recordationis digna sunt.

11. Pag. 256, lin. 3: Pro verbo « desudab*a*nt » ponendum est « desudab*u*nt », grammaticalibus de causis.

12. Pag. 256, lin. 25: Post verbum « fuerunt », addendum est « et sunt », ne Concilium videatur ignorare vel parvipendere actualem pietatem marialem fratrum orientalium separatorum.

13. Pag. 259, lin. 20: Oportet citationem verborum Pauli V finire post verbum « esse », ut vitetur periculum propriae extollentiae nec non historicas criminationes semper hac in re possibiles.

14. Pag. 259, lin. 30: Oratio finiatur verbo « retinuit », omissis ergo ab « exceptis » usque ad « obstant ». Etenim actualis sensus, sine scilicet emendatione proposita, supponit in Ss. Patrum institutionibus et in ecclesiastica orientalium disciplina, aliquid inveniri « derogans honestati », quod sane ut iniuriosum Ss. Patribus interpretabitur. Nec satis apparet cur res in genere morum tam perspicua, durius iterum exprimatur.

15. Pag. 263, lin. 24: Post verbum « Ecclesia » suadetur omissio « Christi », ne fratres separati hic offensionis occasionem inveniant.

16. Pag. 264, lin. 4: Pro verbis « qui patriarchali condecorantur titulo » ponatur « qui patriarchali fruuntur potestate ». Patriarchalis dignitas in Ecclesia non est quid mere honorificum, praelatorum familiae pontificiae instar, sed gradus iurisdictionis ecclesiasticae ut etiam in Codice novissimo pro orientalibus agnoscitur. Vitandum ergo omnino est quidquid patriarcharum potestatem minuit vel etiam extenuare videtur.

17. Pag. 264, lin. 30: Pro verbo « magis » ponatur « plene ».

18. Pag. 266, lin. 4: Pro verbis a « si qui » usque ad « seligantur », sequentia proponuntur: « si Summi Pontificis adiutores pro universali Ecclesiae regimine tum in Congregationibus, Commissionibus, Officiis ac Tribunalibus Romanae Curiae, cum qui Apostolicae Sedis in variis nationibus vices gerunt, ex omni quae sub caelo est natione seligantur. Quod votum Sacrosancti Con-

cilii Patres qua par est reverentia Christi Vicario offerunt ut ab eo executioni mandetur enixius deprecantes ».

Unus sane e praecipuis problematibus quod non tantum orientalibus sed etiam latinae Ecclesiae afficit est nimia praeponderantia virorum alicuius nationis in Romana Curia. Qui viri, quamvis multis rationibus laude digni ac abnegatione praeclari, nequeunt, etsi contrarium cupiant, res omnes ad diversas nationes mentalitatesque pertinentes componere. Quod criterium certe hodie progreditur, quin tamen dici queat sufficienter hucusque ad praxim deductum esse. Paucis verbis desideratur adhuc realis « decentralisatio » nec non « internationalisatio » Romanae Curiae.

19. Pag. 267, lin. 19: Addendum: « Cupiens autem Sacrosanctum Concilium pignus caritatis venerabilibus Ecclesiis orientalibus tribuere, libenter agnoscit earum dignitatem ac postulat a Romano Pontifice ut patriarchae etiam ante Patres cardinales locum obtineant. Rogat insuper Summum Pontificem et Occidentis Patriarcham ut benigne iisdem orientalium Capitibus ius concedat votum ferendi in ipsius electione, etiamsi ad Sacrum Collegium non pertineant.

2

EM.MUS P. D. VALERIUS CARD. VALERI

Pag. 261, par. 31, lin. 21 et ss.: Puto esse supprimenda sequentia verba: « Erroribus tempore acto utrimque commissis, unius populi christiani fratres in varias abierunt partes». Ratio est quia videretur Ecclesias orientales et Ecclesiam catholicam constituere ex aequo veram Ecclesiam. Ceteroquin, si admittendum est quod multi errores etiam a nobis commissi sunt, non est obliviscendum non parvam partem errorum commissam fuisse post separationem inductam a Michaële Coerulario et praesertim tempore Expeditionum S. Crucis (Crociate).

Pag. 263, par. 46: Dubito de opportunitate creandi novam Congregationem seu Dicasterium. Res fortasse enuntianda esset modo magis generali, ita ut nihil praeiudicaret de futura ordinatione ipsius Curiae.

Ibidem par. 47: Itidem de repraesentantibus Sanctae Sedis, non video necessitatem de hoc expresse in Concilio dicendi, multo magis quod quaestio valet non solum de orientalibus, sed etiam de occidentalibus.

3

EXC.MUS P. D. GARABED AMADOUNI

Episcopus tit. Amathusius in Cypro, exarcha Armenorum in Gallia

In hoc schemate, sub forma *decreti,* datur aliqua instructio pastoralis *de Ecclesiae unitate.*

Opportunum iudico inducere hic sequentes animadversiones tanquam *emendationes* practicandae in textum:

1) Par. 19, conceptus qui exprimitur sub nn. marginalibus 18-23, vagus est. Clarificandus.

2) Ad par. 24. Formulatio sub nn. marginalibus 32-36 infelix videtur.

Item expressio desumpta ab Encyclica Leonis XIII *Orientalium dignitas,* sonans sic: « augusta antiquitas et praeclaro ornamento est Ecclesiae », in se bona, non est bene applicata schemati nostro. Non correspondet conceptui ibi vindicato. Nam *a*) Liturgia et ritus orientales sunt plus quam simplex ornamentum: fons vitae spiritualis et mysticae alendae in fidelibus qui illa a Patribus receperunt in haereditatem, institutiones aeque venerabiles ac ritus romanus. *b*) Sunt documenta traditionis apostolicae.

3) Ad par. 21, lin. n. 33, post verbum « theologicis » addatur « et Historiae Ecclesiasticae ».

Verba acerba enim et iudicia iniusta proferuntur saepe cum sermo fit de quaestionibus Historiae Ecclesiae.

4) Ad par. 27. Incisus qui refertur ad consuetudines, sic sonans: « exceptis illis quae periculum generant animarum et ecclesiasticae derogant honestati », est tanquam norma generalis optima, sed num hic sit locus hoc inserendi, dubito. Documentum pastorale praefert silere de his, cum non adest ulla necessitas.

5) Ad par. 28. Addatur post terminum « moribus », in lin. n. 3, « et traditionibus ».

Ratio praecipua particularium consuetudinum est enim traditiones.

Ad pag. 260, in fine, linn. 4-7, potius fiat: « Id tamen potius quam obstare unitati quae inter occidentalem et orientalem Ecclesiam, *demonstrat unitatem Ecclesiae Christi, in pluralitate rituum et institutionum disciplinarium* ».

6) Ad par. 47. Incisus sub linn. 6-8, quid vult dicere per: « Id autem quam maxime exoptat haec Oecum. Synodus, *ut omnes partes aequales Ecclesiae,* sub uno coalescant Capite, *qui neque orientalis sit neque occidentalis,* sed Pater communis »?

Num Concilium hic vellet suggerere, *verbis velatis,* quod nulla partialitate ducantur successores Petri? Si ita, dedecet.

Si locus esset partialitatis suspicioni, id dicendum erit expressis verbis de membris Ecclesiae quae eo laborant. Ut omne dubium pro futuro tollatur, potest dici sic: « Ecclesia... quae neque orientalis est neque occidentalis, sicuti RR. PP. saepe saepius asseruerunt ».

Aliunde puto hunc conceptum transferendum esse in schemate *de Ecclesia,* cap. I, sub n. 7 et ibi melius evolvere.

7) Ad par. 49 et 50. *a*) Incisus a lin. 26 « Ab illis... » usque ad finem, lin. 30, transferatur ad par. 50, in fine. *b*) In par. 50, in linn. 35-36, incisus « iis tantummodo quae... expunctis » supprimendus videtur.

8) Ad par. 52. Redigenda videtur sic: « Ne status praesens rerum apud communitates catholicas Ecclesiarum orientalium, constituatur in futurum in obstaculum reditui fratrum separatorum ad unitatem catholicam, haec Sancta Synodus solemniter decernit, ut si quae sint, vestigia ritus, disciplinae ac praxis quae minus harmonice concordare iudicentur germanis traditionibus ipsarum, recognoscantur quamprimum et reducantur in statum genuinum ».

Nulla allusio fiat ad *dubium vel minus rectam suspicionem,* quia cum fratres separati oculis propriis vident, occasio suspicionis tollitur *ipso facto.*

His dictis adiungerem animadversiones tres indolis generalis tanquam suggestiones quae debuissent inspirare textus sub par. 7, 10, 31 etc.

A) Sub par. 7 sermo fit de factoribus quae dederunt originem divisioni inter christianos. Et sub par. 10, de vestigiis unitatis post separationem sermo fit, itaque de opere dato ab Ecclesia et a RR. Pontificibus ad restituendam unitatem.

Neminem latet dissidia doctrinalia originem duxisse maxime a viris ecclesiasticis, non exceptis patriarchis. Haec dissidia aucta esse, rivalitatibus Sedium, ex interventis principum qui armis theologiam defendebant. Inde relaxatio caritatis.

Politica secessionista Persarum pro christianis extra Imperium, invasiones Islam pro toto oriente, expleverunt omnia. In his regionibus communicatio cum Sedibus maioribus, dum ipsae erant adhuc in unitate, erat obnoxia suspicioni dominantium. Ita fuit maxime, sub Ottomanis, cum Sede Petri quae erat distans.

Hi sunt eventus historici-politici qui influerunt quam maxime evolutioni rerum.

Attamen omnis communicatio non fuit interrupta: Byzantini servarunt usque ad saeculum XI; inde ab hoc saeculo, tempore Cruciatorum, usque ad saeculum XV et ultra, armeni et Maronitae; deinde etiam Chaldei etc. Archivia Vaticana plena sunt actis quae attestantur pro bona voluntate harum Ecclesiarum.

Si tot et tanta conamina, ex utraque parte facta, in cassum sortita sunt, causae multiplices et valde complexae sunt. Causae politicae, imperitia hominum, quandoque mala voluntas mediatorum vel infidelitas, tentamina vana latinizationis a missionariis... Sed quod nobis interest hic, pro schemate nostro, est vindicare sinceritatem horum conaminum ex utraque parte, non tantum ex parte RR. Pontificum. Silere de hoc, de meritis harum Ecclesiarum, etiamsi non sint omnes Ecclesiae orientis, sed pars aliqua, pro instauratione unitatis, redolet et partialitatem et privaretur textus schematis aliqua bona

nota pastorali et oecumenica! Expressiones ideo in nn. 7 et 31, emendandae sunt hac veritate historica et genuino irenismo redigendae.

B) Heri, claris formulis, exc.mus D. Ancel, dixit de urgente necessitate humilitatis et abnegationis pro filiis Ecclesiae, et quod hoc plene conciliatur cum pietate erga Matrem Ecclesiam, Sponsam Immaculatam.

Hic conceptus inserendus est melius in par. 30, tali modo ut non sit Ecclesia catholica quae debeat dicere *mea culpa,* sicuti iuste declaraverunt esse ineptum quidam Patres Conciliares, sed filii eius qui peccaverunt.

Nostra pietas erga Ecclesiam fiet rationabilior, quando cognoscimus veritatem et profitemur sincere. Haec sinceritas elevat praedicationem nostram, in exaltationem ipsius Ecclesiae evadit quae instrumentis imperitis saepe maxime demonstrat suam sapientiam.

Homo obnoxius peccato et ignorantiae, sola causa separationis! Rationes istae iudicium nostrum de fratribus nostris mitigant.

C) Demum quidquid sit de theologia qualificationis Ecclesiarum separatarum, titulus « Ecclesia » denegandus non est, prouti facit schema in n. 7 et aliis locis.

Habent hierarchiam, sacramenta; aliqua sanctificatio recognoscitur eis, in statu bonae fidei, dum deest obex. Et quod notandum RR. PP. in documentis suis non desinent uti hoc termino. Etiam hic evitandus est nimius iuridismus. Factum perseverantiae in fide harum Ecclesiarum et actus heroici pro Christo quos quandoque ponunt ipsi fratres, quomodo explicarentur? Sub hoc respectu textus schematis debet corrigi ex fundo.

4

Exc.mus P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Laudandae omnino sunt comitas, caritas et benignitas, quibus orientales christiani dissidentes in hoc schemate tractantur. Ceterum schema dividi oporteret in duas partes: 1) a n. 1 ad 10; 2) a n. 11 ad finem. In I parte statuuntur principia unitatis. Censeo hanc solam partem esse quae sufficeret ad efformandum conciliare decretum, additis paucis normis generalibus ex II parte depromptis. Reliqua vero omnia exhortativa et paraenetica secundae partis, consultius relinquenda essent Sacrae Congregationi in Urbe statuenda, de qua sermo est n. 46.

Per totum schema saepe occurrunt voces « fratres » et « dissidentes ». Placet quidem haec recentior et mitior forma designandi orientales ab Ecclesia catholica separatos, quamvis hae locutiones valde recentes sint et ab usu Sanctorum Patrum et Doctorum catholicorum alienae. Tamen in n. 2 plures citantur Scripturae textus ad hunc novum usum confirmandum; textus vero omnes qui citantur, referuntur ad « fratres » eiusdem fidei eiusdemque com-

munionis, quemadmodum etiam saepissime occurrit apud S. Paulum. Usus vocis « fratres » in nostro casu aequivocatione non caret. Etenim eos appellamus « fratres », non solum quia habent eundem Deum Patrem, nec solum quia eundem Christum Redemptorem habent, nam haec duo de omnibus hominibus dici iure possunt. Si autem ulterius eos dicimus « fratres » quia eandem habent Ecclesiam matrem, tunc grave urget dubium: cum baptizati sint et Ecclesia non sit nisi una, si Ecclesiam habent matrem, quid eis deest ut vere « catholici » appellentur?

Praeterea constanter etiam in schema « dissidentes » appellantur. Hoc autem sine dubio fit ad vitandam vocem « schismatici », iuxta allusionem quam legimus n. 30: « Abstinendum, inquit, deinceps erit ab illis verbis, quae iudicium aliquod malevolum exprimunt, vel secundum aestimationem fratrum dissidentium exprimere reputantur, quamvis iam diu usu venerint ». Iure ac merito quidem. Attamen inde concludi posset, Concilium implicite asserere eos iam nec schismaticos nec haereticos esse. Cum autem, iuxta catholicam doctrinam, baptizati omnes, qui nec schismatici nec haeretici sunt, inter Ecclesiae membra reapse connumerantur, exurgit iterum dubium: quid in nostro casu dissidentibus deest ut revera « catholici » dicantur? Ad omnem cavendam aequivocationem, oporteret palam declarare huiusmodi denominationum sensum, ne fideles nostri in dubia vel errores incidant.

Ulterius in n. 9 sermo est de illis « qui bona fide in separatis Ecclesiis vivunt et a Vicario Christi materialiter tantum seiunguntur, et asseritur eos « ab Ecclesia vera quodam modo alienos non esse ». Notandum probe est, in his quaestiones tangi valde disputatas inter catholicos doctores, inde saltem a media aetate usque ad ipsos nostros dies. Alii enim magnae notae theologi tenuerunt et tenent, schismaticos *mere materiales* esse revera — non tantum « quodam modo » ut ait schema — proprio sensu Ecclesiae membra; alii vero etiam insignes auctores contrariam sententiam defendunt. Ideo in decreto oportet ut plane abstineamus ab hac quaestione decidenda.

Denique ter saltem in schemate (nn. 10, 34, 38) occurrit imago « *ovilis* » ad designandam Ecclesiam. Oportet hanc vocem omittere, quia orientales hoc non habent in suo textu Scripturae. Et quidem merito, quia quamvis imagines « gregis » et « pastoris » saepissime in Scripturis Veteris et Novi Testamenti adhibeantur ad designandum populum Dei et Christi Ecclesiam, attamen imago « *ovilis* » semel tantum in tota Scriptura occurrit (*Io,* 10, 16) « alias oves habeo quae non sunt ex *hoc ovili* ») et quidem ad designandum populum electum iudaeorum, « qui sub lege custodiebantur conclusi in eam fidem quae revelanda erat » (*Gal.* 3, 23). Verba autem illa « et fiet unum *ovile* et unus Pastor » (*Io.* 10, 16), ovile est mendum *Vulgatae;* nam in originali graeco, iuxta unanimem traditionem graecam textus et iuxta constantem lectionem latinam ante saeculum v, legimus: « et fiet unus *grex* et unus Pastor » (*Io.* 10, 16).

5

EXC.MUS P. D. RAPHAËL BAYAN
Episcopus Alexandrinus Armenorum

Liceat mihi quoque, humili orientis filio, pauca de praesenti schemate *Ut omnes unum sint* animadvertere.

Nemo nostrum est qui non videat urgentem necessitatem unionis omnium christianorum. Nemo est etiam, ut opinor, qui non concedat novum quemdam loquendi modum cum fratribus acatholicis fore magis utilem ad hunc finem re-unionis assequendum. Attamen quae dicta sunt in ultimis congregationibus generalibus, speciatim acerbae expressiones prolatae, minime fovent unitatem inter ipsos catholicos. De optima intentione loquentium nullum habeo dubium, sed, meo humili sensu, expressio ipsa fuit minime grata, asserta vero non tam felicia. De assertis haec pauca:

a) Propositum est, tamquam unum ex efficacissimis mediis ad unionem christifidelium fovendam, ut expositio doctrinae catholicae de Ecclesia quam maxime acceptabilis redderetur fratribus dissidentibus.

Iamvero, sedulo inquirendum est quid per propositionem istam intendatur. Si hoc idem valet ac votum offerendi fratribus acatholicis totam et integram doctrinam catholicam pacato animo, acerbis terminis prorsus sublatis, modo magis aptato ad mentalitatem eorum, quinimmo, ubi possibile hoc est, ipsissimis verbis Patrum orientalium, toto ex corde assentio pergratusque ero erga quemcumque hoc perutile opus perfecerit. Sin autem, propositio exponendi catholicam doctrinam modo non offensivo insinuare vellet quamdam obnubilationem veritatis, quamdam, ut ita dicam, restrictionem mentalem, hoc omnino reiicio. Inadmissibile enim est, in phasi praeparatoria ad fidem « quae nequaquam est motus animi caecus » ut ait Concilium Vaticanum I, inadmissibile omnino est nolle loqui, clarissimo quidem modo, de institutione ab ipso Christo Domino facta unicae Ecclesiae visibilis, quoad constitutionem hierarchiae, in cuius vertice eminet Romanus Pontifex, Beati Petri, Apostolorum Principis, Successor Christique Vicarius in terris, Supremus omnium Pastorum Pastor, infallibilitate in re dogmatica necnon morali praeditus, qui non tantum est centrum Ecclesiae collegialis sed caput eius supremum, cuius est suos confirmare fratres.

b) Sermo fuit de duabus Ecclesiis distinctis. Sed, ni fallor, Ecclesia Christi est necessario una unitate fidei, regiminis et communionis. Haec Christi Ecclesia nec occidentalis est nec orientalis; nec romana, nec byzantina. Ecclesiae distinctae nihil aliud sunt nec esse possunt nisi diversi coetus fidelium, qui in una eademque Ecclesia a Christo Domino instituta, sub uno eodemque Capite visibili a Christo Domino constituto, suum proprium habent ritum, suas peculiares leges disciplinares. Hoc sensu, utique, non tantum duae adsunt Ecclesiae, sed tot Ecclesiae quot ritus legitime agniti.

c) Fuse, immo fusissime, actum est de apostolicitate ecclesiarum dissidentium. Attamen potestne quis recte dici Apostolorum successor qui a Petro iam discessit? Aliis verbis, successio materialis, si quae adest, sufficitne ad apostolicitatem proprie dictam? Nonne ad hoc omnino requiritur et sufficit quidem sola communio cum Petro eiusque Successore? Hoc unico casu episcopus Apostolorum successor nuncupatur. Alioquin, quid dicendum esset de praeclaro hoc coetu praesulum, quorum perpauci materiali successione alicuius Apostoli fruuntur?

Venerabiles Patres Conciliares, ne haec aut similia minus correcta iterum atque iterum repetantur, humillime proponerem ut schema *Ut omnes unum sint* disceptationi nostrae subiiciatur postquam de doctrina catholica quoad Ecclesiam ex professo actum fuerit. Principia prius ponamus clarissima, terminologiam determinemus nulli aequivocationi ansam praebentem, realem non nominalem unitatem caritatis inter nos procuremus, ut postea dissidentes fratres ad unionem allicere valeamus.

6

EXC.MUS P. D. RAPHAËL BIDAWID
Episcopus Amadiensis

Schema, etsi aliquantulum prolixum, in genere placet.

Tractatio bene concinnata, ordine logico procedit, ex principiis theologicis de vera Christi Ecclesia, ad consectaria practica inde derivantia descendit, scilicet, ad unitatem omnium corporis Christi mystici membrorum sub uno Capite, ex quo vita toti corpori emanat.

Confidenter credo, schema nostrum, fratribus nostris separatis summopere placiturum esse, iis praesertim qui bona fide ad Christum in Sua vita et doctrina sequendum moventur, si quaedam partes, praesertim pars prima, ita recognoscantur, ut nulla eis praebeatur occasio animos exacerbandi, sed suavitate et caritate Christi ad veritatis intellectum captentur.

Cum autem multa iam bene et optime dicta sunt a multis Patribus hac de re, nonnisi paucas animadversiones breviter benevolae considerationi vestrae liceat mihi proponere:

1. Mihi videtur, nimis categorice et auctoritative affirmari in n. 7, aliam non dari Ecclesiam quae seipsam veram et unicam profiteri valeat praeter Ecclesiam quae a Petri successoribus gubernatur, hoc est, praeter Ecclesiam Catholicam Romanam. Nonne melius et certe acceptabilius auribus et animis fratrum nostrorum separatorum esset, id *indirecte,* argumentis biblicis, theologicis et patristicis illustrare, *notas* verae Christi Ecclesiae proponendo, ut omnes christifideles, conclusionem logicam inde trahere possint?!

2. Summi momenti esse puto illam animadversionem in n. 17 circa *irreligiositatem* plurimorum catholicorum, quae offendiculum fratribus separatis constituit.

At non minoris mali causa sunt *dissensiones* inter ipsos catholicos variorum rituum, quae non raro scandalum fratribus procul degentibus praebent, qui saepe illud « medice, cura teipsum » nobis dirigere possunt!

Hoc dolorosum factum experimur, nos praesertim, qui in regionibus orientalibus degimus, quod et magni detrimenti spiritualis revera exstat.

3. Omni laude digna sunt ea quae in nn. 24 ad 26 de ritu liturgico proprio servando dicuntur. Hoc enim maximi momenti est sub aspectu praesertim psychologico, cum ritus sint revera avitarum gentium et populorum traditionum genuina expressio, quaeque partem eminentem eorum patrimonii spiritualis et moralis constituant.

Multi errores, hac in materia praeteritis temporibus, uti adumbratur in n. 31, variis in locis, a pluribus Ecclesiae viris et missionariis, commissi sunt! Qui errores et imprudentiae, unitatem Ecclesiae plerumque retardaverunt illamque in magno discrimine periculi adduxerunt.

Quare necessarium erat omnino sollemniter hoc in Sacrosancto Concilio declarare Ecclesiam in magna veneratione et aestimatione omnes ritus liturgicos orientales recipere et promovere, ac nunquam fideles orientales coactos iri proprios ritus liturgicos relinquere. Nulli proinde criminationi aut timori dari posse locus apud orientales, quasi in Ecclesia non propriam sed alienam inventuros sint domum.

Eadem dicenda sunt de nn. 27 et 28 circa legitimos populorum orientalium mores et consuetudines, h. e. circa peculiarem earum disciplinam.

4. Mihi multum placent et grato animo perlegi ea quae in n. 37 dicta sunt: ut nempe « omnes Ecclesiae fideles fratribus orientalibus dissentientibus ea libenter agnoscantur in historia, traditionibus et institutis propriis, quibus de universa Ecclesia bene meriti fuere, prout clare testantur documenta ». Toto corde exopto ut Concilium nostrum, exemplum huius aestimationis, concrete et de facto, primum demonstret, in citationibus, non tantum ex Patribus occidentalibus, sed et ex orientalibus quoque depromptis, ad veritates fidei et morum comprobandas (cf. Leo XIII, *Praeclara gratulationis,* 20 iun. 1894, in *Acta,* vol. XIV, pag. 199).

5. Pius XI s. m. optime ait: « Per unirsi bisogna amarsi, e per amarsi bisogna conoscersi » (*L'Osservatore Romano,* 10-11 genn. 1927). Unitas amorem itaque praesupponit, hic autem mutuam comprehensionem exigit et requirit, de qua bene et clare schema nostrum loquitur sub n. 29 et sequentibus et denuo sub nn. 40 ad 43. Haec sunt revera requisita ad dialogum cum fratribus nostris separatis instituendum: caritas nempe, quae mutuam comprehensionem informat.

7

EXC.MUS P. D. FELIX BONOMINI
Episcopus Comensis

Ad schema quod attinet *de Ecclesiae unitate* animadversiones quae sequuntur huic secretariae generali videntur mihi humiliter per scriptum praesentandae:

1. Mirum mihi fuit audire in aula reiciendos vel ad minus radicitus reformandos primos duodecim numeros utpote minus aptos ad colloquium cum fratribus separatis. Sed quomodo disceptari potest si deest fundamentum disceptationis?

Et primi duodecim numeri mihi videntur constituere velut quoddam fundamentum totius disceptationis, immo totum schema valde incompletum esset absque numeris de quibus supra.

2. In schemate pag. 253, lin. 31, dicitur: « Error multo perniciosior habetur, quando regimini temporali cuiusdem civilis gubernii agnoscitur indebitum ius ingerendi in gubernium Ecclesiae, quasi civitas christianorum mere terrestris, non autem in primis caelestis » (cf. *Phil.* 3, 20).

In aula audita est plus quam una vox postulans ut praedicta verba de schemate tollerentur, dum mihi videntur absolute necessaria ad tutandam libertatem Ecclesiae, contra novatores cuiusvis generis, Ecclesiam considerantes veluti quoddam instrumentum regni.

Clare adfirmandum videtur Ecclesiam catholicam per divinam institutionem esse societatem perfectam, nulli potestati humanae nec subiectam neque subiiciendam, cum propriis iuribus a nemine conculcandis, ita ut parata sit ad martyrium subeundum, potius quam ad sua iura renuntianda, ut facile erui potest ex historia praeteriti et praesentis temporis; et hoc maxime quando de libertate agitur.

3. Optime in schemate, passim commendatur benevolentia erga fratres separatos et studium ne ullo verbo eorum sensibilitas offendatur, sed mihi videtur nihil omittendum quod ad totam veritatem exponendam necessarium aestimatur, nec dicant ad compromissionem pro amore pacis advenisse, cum damno veritatis.

Hoc praecipue faciendum est quando agitur « de unicitate Ecclesiae Christi » ut clare ex ipsis verbis Christi eruitur quando de sua Ecclesia loquitur, non vero de pluribus, et de principalitate Ecclesiae Romanae iuxta illud S. Irenaei: « Ad hanc ergo principalitatem necesse est omnes undique convenire Ecclesias... » (cito memoratim).

Nam si verum est Christum in oriente supra Petrum fundasse Ecclesiam, pariter verum et historicum est Petrum, post varias peregrinationes, Romam petiisse, in urbe Roma suam cathedram extulisse, ibique laurea martyrii coronatum, prope collem Vaticanum ultimum diem obiisse et ad eius sepulcrum

ab universo orbe convenire usque in praesens ad eius corpus in maximo mundi templo pie venerandum.

Pacifice quidem est Successores Petri in episcopatu romano successores eius esse etiam in Primatu totius gregis, iuxta verba Christi ad Petrum directa: « Pasce agnos, pasce oves », quidquid dicant aliqui moderni interpretes qui videntur currere sed extra viam, posthabita gloriosa traditione Patrum nostrorum venerabilium, qui Ecclesiam Dei decursu tot saeculorum optime et humiliter illustraverunt.

Finis Synodus nostrae, ut clare dixit Summus Pontifex f. r., sit praesentare omnibus et in primis fratribus separatis Ecclesiam Christi tamquam sponsam Agni, non habentem maculam neque rugam, spe suffulti ut eius pulchritudo et amorem in filios adaugeat et desiderium reditus in fratres separatos magis concalescat.

Quod Deus faxit, auspice Virgine Immaculata cuius novendialia heri incepta sunt.

8

Exc.mus P. D. ALFREDUS BONTEMPI

Episcopus tit. Palmyrenus

In schemate de quo loquimur, nobis proponitur pulchra exhortatio de exoptata re quae in votis est omnium. Schema placet. Liceat tamen solummodo quaedam notare, paucis lineis.

1. In schemate saepius res est de orientalibus vel Ecclesiis orientalibus, quin tamen, uti videtur, in dictione ubique clare appareat de quibusnam agatur in singulis numeris:

de orientalibus scil. Ecclesiae unitis, vel de orientalibus separatis?

de orientalibus qui agnoscunt septem Concilia vel de non agnoscentibus, ut monophysitae et nestoriani? (Cf. v. gr. nn. 10, 16, 28, 37).

2. Nonnumquam desideratur in enuntiatione claritas (in expressione) theologica. Licet nonnulla in latiore contextu vel in luce totius schematis omnino recta intelligenda sint, tamen, ut iacent, quaedam videntur ambigua vel obscura:

a) v. gr., in n. 2: de Ecclesia ut de societate electorum;

b) in n. 7, in lin. 30: de ecclesiis a Petro separatis, quae — ita dicitur in schemate — « non certe eodem modo ad eandem Ecclesiam invisibilem et caelestem vere pertineant »;

c) et in eodem numero, sub fine, ubi agitur de errore agnoscendi indebitum ius societatis civilis se ingerendi in gubernio Ecclesiae, videtur asseri, dico videtur, quod ille error perniciosior sit quam negatio primatus;

d) in n. 9, in lin. 12, legitur: « et quidquid est de salute individuorum et cetera », ac si agatur de quaestione de qua Ecclesia hucusque nihil serii dixerit.

3. Ut finem faciam, quasdam ponere voluerim quaestiones:

a) In nn. 10 et 42 adhibetur locutio « fratres dissidentes »; quaeritur an ipsa sit felix et iucunde omnibus sonans.

b) Quando dicitur in n. 18, lin. 12: « Non tamen necessarium est ut mordicus defendatur externa et temporibus locisque accommodata expressio, dummodo veritas revelata recte intelligatur et exponatur », de qua re agitur? Exempli gratia: de « Filioque »?

c) Dum in discussionibus de Liturgia iterum ac iterum audivimus liturgiam non esse rem immutabilem sed temporum et locorum conditionibus accommodatam, in n. 24, pro ritibus Orientalibus quaedam immobilitas et historicismus probari videtur?

Pono solummodo quaestiones; omina simul et vota ex corde enixe praebens ut spiritu bonae voluntatis et pietatis, poenitentiae et expiationis omnes christiani tandem in una paterna domo seu Ecclesia iterum adunentur.

9

Exc.mus P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Observatio generalis. Dato charactere huius Concilii Vaticani II esset inopportunum nihil relinquere de quaestione unitatis christianorum inter decreta Concilii, quamvis aliquod decretum de hac quaestione non multum proderit. Unionis christianorum via enim longa est, propositum postulans arduum laborem apostolicum individuorum. Aliquod decretum, si feliciter exaratum, iuvabit favorabilem spiritum creare. Unio inter christianos adveniet non per unionem variarum hierarchiarum, nec earum conatibus, sed per spiritum in populo quaerendi veritatem. Timendum est hierarchias saltem apud nonnullas communitates non catholicas et in futuro fieri obstaculum unitatis. Et in futuro idem erit, ac nunc est: deficiens ab Ecclesia catholicus nec licentiam nec consilium petit a sacerdote, et non catholicus intendens uniri cum Ecclesia similiter fugit a proprio ministro.

Successus unionisticus erit maior vel minor secundum gradum spiritus unionistici in populo.

De schemate Concilio Vaticano II proposito. Non omnia, quae inveniuntur in schemate, convenientia videntur pro elementis decreti Concilii. Ea, quae sub §§ 10, 11, sunt elementa historica. Ea vero, quae sub §§ 13-52, sunt paedagogico-methodica. Media et methodus apostolatus differunt secundum diversitatem regionum, gradum et diversitatem educationis generalis et religiosae individuorum, secundum individualem indolem apostoli etc. De his omnibus utiliter loquitur per modum suggestionum in aliquo libro pastorali, tamen hoc non est materia decreti, Concilii Oecumenici vel alicuius dicasterii principia et normas emanantis.

In decreto satis erit continere elementa ex §§ 1-9.

Ad singula. § 8. *De unitate in diversitate.* Cum *decretum* erit directum ad omnes homines bonae voluntatis, mihi videtur, necessarium esse saltem brevibus tamen claris verbis statuenda esse principia et limites, qua absolute observari debent et transgredi non possunt in coordinanda diversitate. Sine hoc apud magno zelo et non sufficienti doctrina theologica praeditos conatus coordinationis faciliter in confusionem degenerari possint.

Ad § 9. *Damna ex diversitate* seu potius ex divisione christianorum. Haec § 9 est principalis totius schematis et quaestionis. Ex illo debet elucescere necessitas unionis. Nisi erit expressa claris et persuasibilibus verbis necessitas unionis, superfluum videtur totum hoc schema, immo totus labor unionisticus.

Puto damna ex diversitate monstranda esse tali modo, ut hic locus decreti concutiat conscientias, intellectus et corda uniuscuiusque christiani: catholici et non catholici.

Damna illa nullo intellectu humano iam amplecti possunt. Si post 20 saecula christianitatis, post tot sacrificia personarum apostolico zelo ardentium adhuc maior pars generis humani nondum cognoscit Christum et sunt non baptizati, si nostram imaginationem superans numerus animarum sine baptismo ex hoc saeculo transierunt et quidem inter christianos viventium, si christianae nationes iam toties flagellatae sunt a systematibus gubernii creatis ab ipsis christianis, si etiam nunc tot christianae nationes et notabilis pars ipsius Ecclesiae catholicae sub flagello communismi sunt, pro his omnibus et multis aliis principaliter responsabilis est divisio inter christianos. Aliquando omnes hae victimae surgent ad reddendum testimonium contra carentiam sensus responsabilitatis apud christianos omnium denominationum et omnium temporum. Ratio existentiae christianitatis est opus Redemptionis. Ubi deest huius conscientia, nihil manet.

Mihi videtur, in § 9 de damnis ex diversitate est solummodo obiter et non satis dictum.

Ad § 21. Experientia doctus audeo proponere necessitatem vel saltem magnam opportunitatem, liceat mihi tali verbo uti, alicuius apologeticae negativae, i. e. explanationem errorum apud nonnullos non catholicos in exponendis veritatibus in Ecclesia catholica acceptis. Sic e. g. false a multis exponuntur veritates de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis, de Infallibilitate Summi Pontificis etc. In disceptatione *de fontibus revelationis* unus Pater optime observavit necessitatem cognoscendi quomodo alii intelligunt veritates a nobis creditas.

Ad § 22. Haec paragraphus mihi placet et audeo meam opinionem edicere timere omnes, qui putant aliter credentes ad unitatem alliciendos esse aliquo genere « vini adaquati ». Omnes homines bonae voluntatis, et solummodo cum illis serius sermo institui potest de unitate, quaerunt veritatem claram et integram. Illi quaerunt Ecclesiam Christi fundatam super firmam petram,

splendentem veritate et claritate et non velatam aliqua nebula indifferentis coloris, quasi-quasi eandem ac communitates non catholicae.

Ad § 29, lin. 9. Non est mihi clarum, quid sibi volunt hic verba: oriens et occidens, quasi separatio esset inter christianos orientis et occidentis. Separationes enim sunt inter christianos tam in occidente quam in oriente.

Et denique, liceat exprimere desiderium, et parcite mihi si hoc superfluum esset, ut Dicasterium apud Sanctam Sedem ad modum actualis secretariatus pro unione christianorum maneat permanenter etiam post hoc Oecumenicum Concilium Vaticanum II.

10

Rev.mus P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER

Praeses Congregationis Anglicae O.S.B.

Elenchum emendationum huius schematis a me propositarum tradam commissioni competenti. Haec pauca iam dicere velim.

1. Fortasse esset melius ut totum problema quod dicitur oecumenicum in uno decreto vel constitutione tractaretur. Sed si hoc non placet vobis, tunc suadeo ut titulus nostri decreti mutetur et substituatur, e. g., « De Ecclesia catholica et de fratribus separatis orientalium partium ». Ratio iam in hac aula exposita est.

2. Etsi hoc decretum problema orientalium prope unice tractat, tamen non est dubium quin fratres separati occidentales omni cura quae hic dicuntur observaturi sint. Schema autem typis impressum saepe ambigue loquitur de natura et effectibus schismatis, ita ut possit concludi Ecclesiam catholicam non revera credere Ecclesiam a Christo fundatam esse essentialiter unicam sacramentorum communionem vel unicam et essentialiter indivisibilem historicam societatem. Sed hoc est fundamentale principium pro nobis et ambiguitas de hac veritate non est toleranda; neque esset acceptum fratribus ipsis separatis ut in re talis momenti inadvertenter decipiantur. Ideo complures emendationes commissioni proposui, quanquam non sum omnino certus quod omnes locos ambiguos notavi.

3. Pag. 253, lin. 28 et sequentia, dicitur necessarium esse communionem cum sede Petri. Iam verum est secundum canones criterium schismatis esse quod renuit quis Sedi Petri subesse. Sed vera natura schismatis est esse, obiective loquendo, peccatum non contra obedientiam praecise sed contra fraternam caritatem; hoc, ni fallor, est doctrina S. Thomae Aquinatis vel Caietani. Ideo proposui ut substituatur haec locutio: « Necessaria est communio in fraternitate catholica sub sede Petri ».

4. Pag. 265, linn. 24-26. Non est omnino mihi clarum quid haec sententia dicere velit. Sed si sensus est ut suadeatur beatificatio vel canonizatio quorundam qui pro unitate mortui sunt in controversiis inter catholicos et fratres separatos, tunc omnino et enixe rogo ut sententia omittatur. Quia talis

beatificatio vel canonizatio esset pro magno scandalo fratribus separatis ipsis, maxime cum complures separati et ipsi in his controversiis mortui sunt.

Schedula emendationum propositarum:

1. Titulus. Legatur: « De Ecclesia catholica et de fratribus separatis orientalibus ».

2. Pag. 253, lin. 5 seq. Pro textu « non respondebit ... permanet » legatur: « non respond*eret* nisi una perman*eret,* sicut et semper permanet ». Pro ratione huius et sequentium emendationum videsis n. 2 supra.

3. Ibid. lin. 16 seq. « in sinum suum » legatur: « inter christianos ».

4. Ibid. lin. 19 seq. Pro « separationes ... Ecclesiae » legatur: « separationes inter christianos tales ut partes quaedam eorum qui baptizati sunt ».

5. Pag. 254, linn. 13-15. Sic legatur: « divisionem inter christianos nocumentum secum ferre ... christianae religionis ».

6. Ibid. lin. 20 seq. Pro « perfectae unitati gregis Christi consulant et » legatur: « indivisibilis unitatis gregis Christi memores ».

7. Iterum pag. 253, lin. 28. Pro « communio cum sede Petri » legatur: « communio in fraternitate catholica sub sede Petri ». Pro ratione videsis orationem supra, n. 3.

8. Pag. 255, lin. 35. Pro « efficienda » legatur: « impetranda ». Ratio: Quia precatio ad Deum non est sua natura *efficiens* sed *impetrans.* Nihil potest efficientiam exercere in Ipsum Esse, Purum Actum, sc. Deum. Textus typis impressus quasi-magice sonat.

9. Pag. 265, linn. 24-26. Haec tota sententia deleatur. Ratio data est in oratione supra, n. 4.

Cum fatale sit ut hoc decretum scrutinium sibi attracturum sit non solum theologorum catholicorum et fidelium sed fratrum separatorum, et imprimis eorum qui oecumenismo operam navant, quam plurimum interest ut omnes locutiones accurate perpendantur, ne locus detur falsis interpretationibus.

Inter omnia quae in re « oecumenica » tractanda sunt eminet doctrina de natura Ecclesiae visibiliter peregrinantis in hoc saeculo. Iamvero, fratres separati occidentales saepissime contendunt, vel animo concipiunt, Ecclesiam militantem non esse (per essentiam) actualem et unam *societatem* humanam vel unam solam et indivisibilem « communionem sacramentorum » (S. Augustinus), sed esse potius societatem ut ita dicam potentialem; ita ut, etsi Christus desideraverit et precatus sit ut christiani « unum sint », tamen per peccata et errorem hominum Ecclesia possit stare, et de facto stet, cum schismatibus et divisionibus quae re vera, pro tempore, *destruant* unicitatem suae communionis, sed non vere destruant ipsam Ecclesiam. Solent dicere, sicut Ecclesia sancta sit, sed non in hoc saeculo perfecte sancta, ita eam unam quidem esse, sed non in hoc saeculo ita perfecte unam ut excludantur schismata *in* Ecclesia. Et insistunt schismata non solum fieri *ab* Ecclesia, sed esse *in* Ecclesia.

Hinc ad praecavendas interpretationes minus veras doctrinae Ecclesiae et mentis Concilii de natura Ecclesiae militantis, valde necessarium est ut

non sint locutiones in hoc Decreto quae (saltem si extra contextum sumantur) favere appareant huic falsae sententiae de *divisibilitate* Ecclesiae peregrinantis.

Sunt autem in schemate locutiones quae ambigue sonant:

N. 7 (pag. 253). « Ecclesia voluntati sui divini Fundatoris non respondebit *nisi* una permaneat ». Dicent aliqui: homo peccans non respondet voluntati Dei; et tamen peccat et homo permanet; similiter, Ecclesia scissa non respondet voluntati Christi, et tamen scissa est et Ecclesia permanet. Velim igitur dicatur: « Ecclesia ... non *responderet* », et addatur post verbum « permaneat »: « sicut et semper permanet ».

Ibidem. « Divisiones et schismata ... in sinum suum ... irrepserunt ». En, dicet aliquis, schismata sunt non *ab* sed *in* Ecclesia. Velim igitur omittantur verba « in sinum suum » (et substituatur, si placet: « inter christianos »).

Ibidem. « Separationes in grege Christi ». Velim substituatur: « separationes a caula Christi ». Et pro « partes Ecclesiae » substituatur: « partes christianitatis » (vel simile).

Lin. 28. Pro « Necessaria est communio cum sede Petri » praeferendum esset: « Necessaria est communio cum fraternitate catholica sub sede Petri » — cum schisma formaliter sit peccatum in fraternam caritatem.

N. 9 (pag. 254). Pro « in sinu societatis christianae » substituatur: « in sinu christianitatis » (vel aliquid simile); cum societas una Ecclesia est a Christo fundata, quae est *indivisibilis* societas.

N. 14 (pag. 255, lin. 35). Pro « efficienda » legas « impetranda », cum precatio sua natura non sit efficiens — quod aliquantulum magice sonat — sed impetrans.

N. 31 (pag. 261). Pro « scissionis Ecclesiae » legas « divisionum christianorum » (nam Ecclesia ipsa est inscindibilis, indivisibilis, « individuum sacramentum » ut ait S. Cyprianus).

N. 45, ultima sententia. Quid hac sententia intelligendum sit mihi obscurum est. « Causa eorum », in hoc contextu, posset intelligi « causa canonizationis, vel beatificationis, eorum ». Valde spero hoc non esse sensum intentum; cum canonizatio eorum martyrum qui a schismaticis interfecti sunt scandalum fiat fratrum adhuc separatorum.

In genere, notabile est in quantum problemata orientalium in hoc schemate praeponderent et obumbrent problemata — et aspirationes — Anglicanorum et Protestantium. Optandum esset ut plus diceretur de his occidentalibus quaestionibus, quae hodie vix minoris momenti sunt quam istae.

Forsitan melius esset, si post introductionem generalem indicaretur sequentes constitutiones respicere solum orientales fratres separatos; et postea aliquas speciales constitutiones fratres separatos respicientes addere.

(Tota quaestio de baptismate ut membra Ecclesiae efficiente caute tractanda est, cum schismatici aliqui astruunt suas communiones, utpote ex baptizatis christianis, ideoque Ecclesiae membris, existentes, *partes* Ecclesiae esse. Forsitan posset clarius indicari adhaesionem voluntariam tali com-

munioni ligare vel practice minuere statum membri Ecclesiae. Debemus rationem habere tum characteris baptismalis cum suis proprietatibus et ordinariis effectibus, tum indivisibilitatis Ecclesiae ut visibilis communionis sacramentorum).

11

EXC.MUS P. D. PAULUS BUTORAC

Episcopus Ragusinus

Schema decreti *de Ecclesiae unitate « Ut omnes unum sint »*, vere admirationem excitare valet. Mirabile caritatis opus. Exaratum est movente Spiritu Domini, qui Spiritus caritatis est, uniens in Sanctissima Triade Patrem et Filium spiratione inenarrabili, ex qua omnis amor, spiritus Deo adnectens sive in caelis sive in terris, qua ex fonte procedit.

Et ego humillime opinor me nullum praesumptionis defectum commissurum, si dicere audeam Domini Spiritu auctores motos esse, qui hoc schema confecere. Exinde enim sic caritatis profluit sensus, ut melius quid ne exoptare quidem possimus. Immo addendum puto: si quis exoptat caritatis sensu in christianos fratres dissidentes, qui in oriente vitam degunt vel extra eorum sequuntur mentem moresque, vere imbui, addiscat hunc sensum ex summa, quae se exquisitissimis verbis in schemate prodit, caritate. Nihil ergo commutandum vel corrigendum puto illorum, quae illic de fratribus orientis dissidentibus leguntur.

Sed adiungo: si hoc de illis, cur non de aliis? Cur non de illis, qui Medio Aevo exspirante atque novae initio aetatis ab Ecclesia in occidente defecere? En inspiciatis, fratres, quam magnam nobis exhibuerint in ipsa conciliari aula attentionem, qua caritate ipse Summus Pontifex, Pontifex caritatis, ipsos amplexus sit qualive studio ipsos communi causae adsciscere studeat! Si Ecclesiae unitatem, quae ex Christi Corde prodiit, fovere velimus omniaque, quae nobis praesto sint, adhibere media, ut Dei filii congregentur in unum, nostri est muneris omnes omnino ad Christi Cor amplecti omnibusque, qui Christi adorant nomen, summam attentionem caritatemque exhibere. Hinc ad instar multorum, quae fratribus in oriente dicantur, capitum propono, ut quaedam saltem schematis initio fratribus in occidente tribuantur, et quidem eodem caritatis impulsu eademque amplitudine iisdemque officiositatis studiis, quibus quoad orientem christianum utimur. Immo vero, quum cum illis quoque quaedam saltem sint doctrinae consona capita, hoc meminisse iuvabit, quia Concilium hoc, ut mihi videtur, munus adsumit ea, quae christiani adseclas nominis ad invicem adproximare queunt, magis mundo ostendere quam illa, quibus separantur, veritatis tamen revelatae nullum admittens damnum.

Proposui Patribus, quo perfectius adstruatur de Ecclesiae unitate schema. Si vero propositum parum placet huius schematis titulus dimittatur aliusque admittatur: *De christianorum orientalium unione fovenda.*

Quoad nn. 1-6: ut lectio textuum in his numeris sit clara, ne interrumpatur, loci citationum poni debent in calce vel in notis.

In n. 3, lin. 26 et ss. ubi legitur: « Fideles autem Christi peccato et morti adhuc subiiciuntur etc. ». Haec sententia, meo humili iudicio, sic mutari debet: « Fideles Christi autem possibilitati peccandi et morti adhuc subiiciuntur ». Ratio: non placet expressio « Fideles Christi peccato adhuc subiiciuntur », quia videtur indicare modo stabili fideles Christi adhuc sub peccato vivunt.

Quoad n. 16: Ut textus sit brevior, sufficit, mihi videtur, quod sequentia verba « Cum ... usque occurratur » solummodo retineantur in textu. Alia omitti possunt vel poni debent in calce vel in notis, cum in his verbis agatur tantum de aliqua oratione et exhortatione.

12

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Schema propositum substantialiter mihi placet; tamen perficiendum in melius videtur, prae oculis habitis pluribus animadversionibus iam in aula factis.

Pars dogmatica, cum sit vere fundamentalis, ad verbum pensanda erit; loci S. Scripturae nonnisi cogentes et ad rem pertinentes erunt afferendi. In foliis quaedam minutiora secretariae trado, nempe:

Pag. 251, lin. 27: « Fideles ... peccato et morti adhuc subiiciuntur ». Non autem eodem modo, nam iuxta S. Paulum mors Christi nos a servitute peccati liberavit. Clarificentur igitur illa verba, ne sensu protestantico intelligantur.

Lin. 28: « mundus hic nondum ... *absolutus* est ». Quid praecise significat?

Pag. 252, lin. 17: « per eum ceteros apostolos in fide confirmans illosque una cum universo grege pascens ». Textus citati *Lc.* 22, 31 et *Io.* 21, 15 per se dicunt ipsum Petrum confirmare et pascere, non autem Christum per Petrum.

Lin. 21: « Unde doctrina catholica... ». Ex superius dictis et citatis directe sequitur Christum voluisse potestatem Petri, fundamenti et confirmatoris et pastoris, transmittendam esse successoribus. De successione autem episcopali non hic directe agitur.

Pag. 253, lin. 6: « ... nisi una permaneat ». Semper una permanebit vera Ecclesia Christi, etsi aliqui filii deficiant. Citata verba *Io.* 17, 21 directe loquuntur de unitate credentium, scil. christianorum, non vero de unitate quae est nota essentialis Ecclesiae.

Sit obiter dictum: in toto schemate nomen « Ecclesiae », et quidem cum

prima littera capitali, reservandum esset unicae verae Ecclesiae, quae est catholica; aliae enim, dogmatice loquendo, non sunt nisi communitates christianorum, vel, ad summum « ecclesiae » cum littera minuscula.

Lin. 19: « separationes in ipso grege Christi, ita ut partes Ecclesiae se ab auctoritate... ». Videtur potius dicendum: « separationes *ex* ipso grege Christi, ita ut *membra quaedam* Ecclesiae etc. ». Ita melius appareret cur non amplius pertineant gregi Christi qui voluntarie ab auctoritate Vicarii Christi se subtrahunt.

Lin. 28: Non videtur servata logica consequentia. Si enim est necessaria communio cum Petri sede, quomodo sequi potest (« ita ut... ») ecclesias separatas (non dicitur: « membra separata ») *vere* pertinere ad eandem Ecclesiam invisibilem et caelestem? Etsi « non eodem modo », sed tamen *suo* modo (de quo separati contenti esse poterunt) dicuntur pertinere.

Lin. 31: « Error multo perniciosior... ». Estne verum errorem iurisdictionalismi esse multo perniciosiorem quam errorem de intima natura Ecclesiae? Fortasse non hic est locus agendi de hac re!

Lin. 33: « quasi civitas christianorum ». Supplendum est verbum « sit ». Citatio *Phil.* 3, 20 non videtur ad rem.

Pag. 254, lin. 4: « sed e contra postulat auctoritatem unicam ». Propono textum sic emendatum: « sed e contra postulat, *ne unitas in substantialibus periclitetur,* auctoritatem *supremam* unicam ».

Lin. 11: « et directionem Magisterii ». Melius diceretur: « et directionem Magisterii *authentici* », secus orientales dicere possent se non carere magisterio.

Lin. 16: citatio *Io.* 13, 35 non videtur ad rem.

Pag. 255, lin. 5: loco « *ch*aritatis » dicatur « caritatis ». Et sic in toto schemate, in quo desideratur purior latinitas.

Pag. 256, lin. 15: « *Cum* autem ... oblatum *est* ». Ut servetur latinitas, dicatur: « *Quoniam* (aut quandoquidem) ... oblatum est ».

Pag. 257, lin. 15: loco « si in *terminis* etc. » dicatur « si in locutionibus ».

Pag. 258, lin. 6: loco « ne falso irenismo quodam ducti » dicatur « ne falso quodam irenismo ducti ».

Lin. 34: « velificantur ». Vocabulum nimis rarum et proinde legentibus subobscurum. Potest dici « ardent ».

Pag. 261, lin. 24: loco « seu Ecclesia iterum » dicatur « seu Ecclesia *catholica* iterum ».

Pag. 262, lin. 32: loco « aguntur » videtur legendum « anguntur ».

Pag. 263, lin. 3: loco « grata memoria ... solet ... omnino constat », legendum est: « grata*m* memoria*m* ... sol*ere* ... omnino constat ».

Lin. 9: « Apud ill*as* enim », bene dicitur apud Leonem XIII citatum, quia ibi sermo est de ecclesiis orientalibus. Hic vero, cum agatur in lin. 6 de fratribus orientalibus, locutio in feminino non amplius congruit.

Lin. 16: « quam ipsam ». Illud « ipsam » est superfluum.

Pag. 265, lin. 23: loco « ut causa eorum » dicatur « ut causa eorum *canonisationis* ».

Pag. 267, lin. 14: loco « suscipere ... non pos*set* » dicatur « ... non pos*sit* ».

Lin. 15: loco « et ordo hierarchicus » dicatur « et ordo hierarchicus *iuris ecclesiastici* », ne intelligatur etiam ordo hierarchiae divinitus constitutae.

1. Abstinere non possum quin locum evangelii S. Ioannis « et fiet unum ovile et unus Pastor » (*Io.* 10, 16 et non *Io.* 17, 23 ut citatur in pag. 263, lin. 31) commemorem, qui non ad rem citatur. Iuxta enim probatos exegetas ille locus evangelicus non habet directe valorem ecclesiologicum, sed potius soteriologicum. Scilicet, D.N.I.C. illis verbis clare ostendit per mortem suam mox futuram destructum iri murum divisionis inter iudaeos et gentes, et sic sub Se unico Pastore eas redimente oves omnes sive iudaicas sive gentiles collectum iri.

2. In pag. 256, n. 17: ubi sermo est de aliquo medio supernaturali, grato animo etiam id viderem expresse commemoratum, ut scilicet, praesertim ubi vivunt fratres separati, maior ivi vigeat concordia et existimatio et amor et collaboratio inter ipsos varios ritus catholicos.

3. In pag. 266, ad n. 49: ubi sermo est de formula fidei proponenda fratribus feliciter redeuntibus ad Ecclesiam catholicam, duae distinguuntur categoriae: ii qui bona fide extra Ecclesiam catholicam hucusque versati sunt, et ii qui ab ecclesiastica unitate proprio actu defecerunt.

Si bene intellexi, haec altera categoria illos comprehendit qui, cum essent catholici, per proprium ac responsabilem actum a fide catholica defecerunt et postea in pristinam suam Ecclesiam reingredi cupiunt. Prior vero categoria, quae comprehendere videtur maximam partem fratrum separatorum, in duas species, meo quidem iudicio, esset subdistinguenda: ex una parte populus simplex et ignarus, ex altera vero parte viri docti, sive ecclesiastici sive laici, qui, quamvis bona fide extra Ecclesiam catholicam versentur, tamen probe noscunt differentias doctrinales inter suam et catholicam Ecclesiam. Iamvero redeuntibus istis feliciter ad catholicam Ecclesiam, exquirenda esset, mea quidem sententia, integrae fidei professio, expressa scilicet comprehendens omnes veritates, praesertim eas quae a communitate separata ex qua proveniunt negantur.

4. In pag. 261: quae dicuntur sub n. 31 minus placent, quia « complexum culpae » aliquatenus sapere videntur. Iustitia, humilitas et sincera in fratres separatos caritas, mea quidem opinione, non exigunt — et forsitan si id fieret, effectum desideratum non attingeretur — ut catholica Ecclesia per actum conciliarem, ideoque sollemnissimum, iudicium quoddam promat de responsabilitatibus alicuius facti historici, dolorosissimi quidem at cum fide non connexi, quale fuit schisma, neque ut publicam poenitentiam agat de erroribus qui ab hominibus, licet in auctoritate constitutis, non autem a communitate vel instituto uti tali, admissi fuerunt praeteritis temporibus. Relin-

quamus, quaeso, historicis has responsabilitates ponderare, neque interim obliviscamur quam saepe sic dicta iudicia historica obnoxia sint successivae revisioni ob nova inventa documenta. Sufficiat igitur in textu conciliari, tamquam medium psychologicum, id edicere ut vir catholicus non praesumat, sub praetextu amoris et defensionis suae Ecclesiae, negare errores personarum, si quando historice de iis constet.

Nos qui nunc vivimus, sive catholici sive acatholici, responsabiles non sumus de patrum nostrorum erratis; ad ea tamen respicere debemus ne repetamus, et ut consequentias eorum, quantum fieri possit, reparemus. Nos vero qui nunc vivimus, sive catholici sive acatholici, de doctrinis differentibus respondere debemus, quia hinc inde eas nunc amplectimur, profitemur et defendimus. De doctrinis ergo cum fratribus separatis agere debemus, utique cum animo sereno et sincera caritate, quia nunc doctrinae differentes nos separant, non facta actualia.

Verum quidem est quosdam oratores dixisse in hac aula, modo nimis generico ni fallor, quaedam in praesenti poni facta ab Ecclesia catholica quae fratres nostros separatos offendunt et iter unionis praecludunt. Optimum quidem censeo fieri si haec facta Patribus conciliaribus in concreto indigitarentur, ut ii ad quos spectat remedium afferant. At, ut minus sapiens dico, periculum est ne, nimis insistendo in isto « complexu culpae » circa factum historicum schismatis, minimizetur vera substantia actualis separationis, quae est doctrinalis. Quin immo iniuria quaedam irrogaretur ipsis fratribus separatis, si illi, inter quos non desunt viri magnae virtutis et scientiae, optime edocti de fundamentis doctrinalibus separationis, describerentur tamquam a catholica Ecclesia separati ob rationes mere humanas.

5. Ex disceptatione apparuit non eodem modo ab omnibus Patribus haberi et intellegi illa « praeoccupatio unionistica seu oecumenica » quam vocant. Si quid in hac re liceat opinari, sincere dicam quosdam oratores mihi visos esse nonnihil in hac re exaggerasse.

a) Omnia sub luce et mensura desideratissimae unionis collocando, non satis, ut opinor, hierarchiam finium Concilii, quales a Summo Pontifice statuti et declarati sunt, servaverunt. Etenim Concilium in primis ad fideles catholicos respicere debet, cum sit, iuxta mentem S. Pontificis et iuxta declarationes ipsorum fratrum separatorum, res interna Ecclesiae catholicae, utique redundans in bonum ipsius unionis.

b) Illa « praeoccupatio oecumenica et unionistica » ultra iustos limites, ni fallor, influxum suum in nostros labores exercere non debet. Secus, non solum rerum tractandarum statutum ordinem revolvere posset, sed etiam selectionem argumentorum in Concilio tractandorum imponere: quod omnino admitti nequit. Ecce, exempli gratia, quidam de nulla re dogmatica vellent in Concilio agi — ne de re quidem fundamentali et urgentis momenti, qualis est inerrantia S. Scripturae, veritas historica evangeliorum etc. — eo fine ne videantur legitima libertate privari quidam audaces exegetae catholici qui dialogum instituere et pontem iacere intendunt cum fratribus separatis.

Ecce, quidam alii vellent ut Concilium de quibusdam doctrinis sileret, ne oecumenismo mortem daret, ut dicunt: non de Traditione neque de B. Maria Virgine ne protestantibus displiceatur; non de Primatu Summi Pontificis ne orientalibus displiceatur; non de communismo atheo et de materialismo sermo fiat ne videatur Ecclesia in rem politicam sese immiscere; ne citetur in Concilio Magisterium ordinarium Ecclesiae, nescio ob quam causam. Quod ultimum, in hac aula publice dictum, gravissimum est, cum praesertim Magisterio ordinario Ecclesia « omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » infallibiliter regatur et de vero sensu S. Scripturae doceatur!

Forsitan, quando sermo erit de ordine morali negabitur necessitas agendi « de iustitia et castitate et de iudicio futuro » (*Act.* 24, 25) quia de his rebus homines moderni, Felicem et Drusillam sequentes, nolunt audire!

Censeo fratres nostros separatos, qui est eorum amor veritatis et quae est eorum cordis aequanimitas, minime has limitationes a nobis desiderare, sed potius e contra integram expositionem nostrae doctrinae expostulare.

Ergo maneat plene apud nos sancta libertas tractandi in Concilio argumenta quae nobis necessaria videntur aut utilia, sine ullo « complexu timoris », vulgato nomine « tabù ». Veritas integra, si cum caritate uniatur, a nullo timeri poterit.

Utque praesentatio veritatis induatur oportet sensum positivum, pastoralem, aptum auribus modernis. Sed etiam in hac provincia, cum mica salis et ne quid nimis procedendum. Periculum et damnum esset si, nimis indulgendo psychologismo, methodum psychologicam — quae utique est utilis immo necessaria quando agitur de singulis hominibus ad veritatem alliciendis, quaeque ex natura sua est mutabilis, iuxta variationem conditionum humanarum, quaeque non tenetur ordinem logicum sequi — transferre velimus sic et simpliciter in textus conciliares exarandos.

13

Exc.mus P. D. SMILJAN FRANCISUS ČEKADA
Episcopus Skopiensis

Schema propositum *de unitate Ecclesiae* mihi placet. Problema unitatis Ecclesiae mihi videtur bene perspectum esse sub omni puncto: doctrinali, oecumenico, pastorali. Dum in parte doctrinali maior quorundam praecisio desideratur, explanationi materiae pastoralis et sic dictae oecumenicae nihil obiici potest. Praeterea, schema non est nimis amplum, ita ut in eo facile discerni possint elementa constitutiva et principalia.

Schema est imbutum spiritu pacifismi christiani vel iraenismi, ut adhibeam verbum ipsius schematis, attamen sine praeiudicio catholicae veritatis, quae semper et ab omnibus agnoscenda praesupponitur.

Media, quae proponuntur ad plenam unitatem Ecclesiae adipiscendam

necnon ad omnes Christi fideles in unum ovile congregandos — media supernaturalia, theologica, liturgica, disciplinaria et psychologica — mihi optime electa et opportuna videntur. Vix alia quaedam via exstat, ut ad sublimem metam, quam schema sibi proponit, perveniatur.

Etiam istud, quod n. 47 delicato modo suggeritur (nempe ut universalitas Ecclesiae adhuc pressius affirmetur per consequentem, etsi successivam, internationalisationem eius apparatus administrativi) nullo modo liceat definire ut ambitionem honorum vel disceptationem de primis locis.

Orta est enim haec inspiratio ex sincero et simplici desiderio, ut removerentur omnia impedimenta, quae unioni christianorum, saltem in campo psychologico, obstare possent.

Attamen, haud adiri poterit sublimis vertex, quem schema omnibus nobis attingendum proposuit. Difficultates, quibus in hoc fine prosequendo occurrendum nobis erit, non sunt parvipendendae. Mea modesta opinione hac in re tria *elementa negativa* in actuali condicione rerum prae oculis habenda sunt.

Hoc est prae primis *hierarchia Ecclesiae orthodoxae,* quae quasi ex toto adhuc est opposita ideae unionis cum Ecclesia catholica. Sunt diversa puncta doctrinalia, in quibus Ecclesia orthodoxa nobiscum non consentit, saltem si consultatur eius theologia officialis. Nihilominus, quoad omnia alia quaedam compositio cum Ecclesia catholica possibilis videtur praeterquam quoad infallibilitatem Summi Pontificis. Hac in re, quantum ego scio, omnis hierarchia Ecclesiae orthodoxae catholicae doctrinae usque modo infensissima mansit.

Pro secundo: scire debemus, hierarchiam Ecclesiae orthodoxae in terris orientis, praesertim eis quae sub regimine materialismi athei constitutae sunt, non pollere pleno sui iure. Hoc vel alio modo hierarchia orthodoxa dependet ab eis, qui gubernacula rei publicae dirigunt quique potestati Caesaris etiam potestatem Pontificis adiungere vellent. Hi autem nationum supremi moderatores abhorrent unionem Ecclesiarum tamquam, audeo dicere, supremum malum parati quidem, ut omnes conatus huius generis manu forti praepediant. Non nobis opportunum videtur facta individua, quae hanc assertionem demonstrare possent, huc in publico adducere.

Tertium elementum, etiam istud in praesenti negativum, sunt ipsi *fideles orthodoxi.* Traditionibus patriis dediti, religionem et nationem saepe tamquam unum considerantes, fideles orthodoxi rarissime ad religionem catholicam amplectendam sponte moventur. Hac in re quodam fanatismi spiritu praesertim eminent Serbi — loquor imprimis de orthodoxis Iugoslaviae —, dum e contrario Macedones, qui in territorio meae dioecesis vivunt, minus hostili animo erga Ecclesiam catholicam feruntur. Ante 100 circiter annos in Macedonia et Bulgaria, quae illo tempore dominio Turcarum subiectae erant, sane ex maiori parte propter rationes politicas fere 300.000 (trecenta millia) christianorum dissidentium in caulis Ecclesiae catholicae refugium quaesiverunt. Tamen, hucusque hic numerus propter iniuriam temporis alias-

que causas, quarum mentionem iam fecimus, reductus est ad minima, ita ut nunc in Macedonia, quae pars est Iugoslaviae, non plures quam 5000 (quinque millia) fidelium ritus slavo-byzantini inveniantur.

Nunc autem, quid dicendum? Omnibus his difficultatibus perpensis debemusne forsan desperare et omnibus laboribus pro unione christianorum valedicere? Absit hoc a nobis! E contrario, debemus credere, fortiter credere! Debemus etiam « contra spem in spem credere » (*Rom.* 4, 18), « quia non erit impossibile apud Deum omne verbum » (*Lc.* 1, 37). Debemus caritate, quae omnia vincit, fratres dissidentes ad nos allicere. Debemus virtute et vita christiana eis praestare. Debemus semper orare et non deficere (*Lc.* 18, 1). Haec omnia schema *de Ecclesiae unitate* valde opportune nobis commendat. Ego adderem tantum unum: Debemus etiam *paenitentiam agere!* Disciplina paenitentialis, quae apud catholicos est in usu, magis est declarativa quam effectiva. Fideles orthodoxi multo magis ieiunant quam nos. Cur nobis saltem in hac re ad eorum disciplinam propius accedere non licet, cum omnes nuntii, quos Deus nobis mittit, praeterito et novissimo tempore, hoc unum concinnunt: « Paenitentiam agite! » (*Matth.* 3, 2).

14

Exc.mus P. D. VITUS CHANG TSO-HUAN

Episcopus tit. Cyanitanus

Quae dicta sunt iam ab aliis Patribus Concilii omittam. Sequentibus tantum paucis verbis « declarationem », ut ita dicam, tituli capitis non esse auferendam dico.

Auditum est enim desiderari, ut declaratio titulo capitis adiecta « Ut omnes unum sint » auferatur. Humili meae sententiae id disconveniens foret. Credo igitur retinendum esse « Ut omnes unum sint » sub omni respectu.

Si enim Ecclesia habeatur ut unitas eorum tantum, pro quibus Dominus oravit sua oratione sacerdotali; tunc nondum possumus credere omnes illos a Christo in oratione sua sacerdotali intentos iam unitos esse, alioquin reiectos esse oporteret illos, qui, etsi nomine christianorum glorientur, sunt tamen nondum uniti nobiscum. Nemo tamen vult dicere, Christum pro ipsis non orasse.

Si vero *unitatem* Ecclesiae intelligamus iam ipsius *unicitatem,* tunc nobis multo plus incumbere labori credendum est, ut omnes unum sint! Sicut enim unus Deus Pater et unus Christus Redemptor sic etiam una Ecclesia Mater omnium, nullo omnino excepto, hominum, cui omnes Divini Agni sanguine redempti in unum colligi necessarium est.

Ideo « Ut omnes unum sint » retinendum est titulo capitis de unitate Ecclesiae, uti scopus conatui nostro propositus!

15

Exc.mus P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis

Hoc schema videtur bonum, etiam optimum. Quaedam tantum notanda sunt.

Pag. 251 ss.: Placet quod argumentum, notanter in initio, exponatur stylo biblico et non retineatur in formulis scholasticis, quae a fratribus separatis difficile acciperentur. Placet etiam quod omnimoda media proponantur ad ecclesiasticam omnium christianorum unitatem instaurandum. Placet tandem quod cum sinceritate admittatur « unitas in diversitate » (pag. 253, lin. 35) et quod sermo fiat de « erroribus tempore acto utrimque commissis » (pag. 261, linn. 21-22).

An opportunum est schema solummodo respiciens Ecclesiam orientalem? Nonne melius esset amplam et totalem quaestionem tractare de unione inter christianos, sive sint orientales, sive sint protestantes aut anglicani? Pono solummodo quaestionem. Ceterum remanet forsan possibilitas omnia reassumi in decreto generaliore.

Pagg. 252-253: Oportebat reaffirmare dogma de primatu Summi Pontificis. Votum autem exprimo ut in schemate de episcopis, illud dogma exponatur in suo vivo contextu, i. e. in relationibus ab ipso Christo institutis inter successorem Petri et successores Apostolorum. Adderem talem determinationem opportune iam breviter indicandam esse modo clariori in praesenti schemate, ita ut amoveatur apud orientales omnis confusio aut offensio.

16

Exc.mus P. D. GERARDUS M. CODERRE
Episcopus S. Ioannis Quebecensis

Hoc schema optimam doctrinam exponit de unitate obtinenda inter Ecclesiam catholicam et ecclesias orientales dissidentes. In eo tamen nihil invenitur de relationibus inter Ecclesiam catholicam et ecclesias protestantes. Valde cupiuntur normae de modo agendi cum illis ecclesiis.

17

EXC.MUS P. D. THOMAS COORAY
Archiepiscopus Colombensis

1. Pag. 251 et sqq. Quamvis in n. 12 (pag. 255, lin. 12) Sacrosancta Synodus hortationem suam dirigit ad omnes « qui christiano gloriantur nomine », nimis tamen decretum restringi videtur ad « dissidentes orientales ».

Ita, in n. 10 (pag. 254, lin. 25) « cuius fratres orientis simul ac occidentis », n. 14 (pag. 255, lin. 32) « ad tollendum dissidium ... inter Ecclesiam catholicam et Ecclesias orientales »: n. 18 et passim.

Certo, proximiores nobis sunt Ecclesiae orientales ac maiori honore tractandae; at magis indigent allici miseri « Reformationis » haeredes. Absque magna difficultate ipsos etiam ac expresse nominare potest. Decretum ac studium plurimorum ex ipsis commendare verum Evangelii spiritum dignoscendi pristinamque vitae ac cultus christiani praxim denuo instituendi.

2. Pag. 266, n. 47. Desideratum ut « in regimine Ecclesiae etiam ex oriente fratres maiorem adhuc nanciscantur portionem » adimpleri potest si, de beneplacito Summi Pontificis, Patriarchae (non mere titulares sed curam gerentes gregis) inter Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales annumerantur.

18

EXC.MUS P. D. IACOBUS CORBOY
Episcopus Monzensis

Schema decreti *de Ecclesiae unitate* certe magna cum cura est elaboratum et perplura continet quae non solum theologice sunt profunda sed etiam perutilia ad unitatem fratrum separatorum fovendam ac roborandam.

Displicet tamen quod hoc schema, tum quod ad eius praeparationem tum quod ad eius discussionem conciliarem attinet, non fuerit modo magis harmonioso et organico coniunctum ad schema dogmaticum *de Ecclesia* et ad alterum quoque schema quod de Ecclesiae unitate agit et cum quibus ex tota indole sua quam intime cohaeret.

Omnia enim principia theologica quae ad materiam unitatis Ecclesiae pertinent, ultimatim denuo tractanda erunt et de facto tractabuntur in decreto dogmatico *de Ecclesia,* dum simul perplures quaestiones quae ad ordinem practicum et pastoralem potius spectant, utrique schemati de Ecclesiae unitate sunt prorsus communes.

Hinc autem evenit quod eaedem fundamentales quaestiones theoreticae et practicae in praesenti materiarum divisione, sine ulla vera et obiectiva necessitate, repetitis vicibus a Concilio tractari debent, qua in re insuper

reale illud periculum existat ne formulationes in variis schematibus adhibitae, ob defectum debitae coordinationis organicae, non illam inter se conformitatem ac cohaerentiam habeant quales tamen desiderare omnino legitimum est. Cui iam in se gravissimo incommodo in praesenti nostra et tam delicata materia aliud adhuc et quidem haud spernendum periculum accedit ne scilicet aliae et aliae formulationes, in variis schematibus sine ulla vera necessitate adhibitae, comparationes minus desideratas elicere ac praesertim variis fratrum separatorum coetibus ansam mirationis ac perplexitatis, ne dicam scandali et suspicionis praebere possint.

Ob has rationes melius ergo sine dubio esset, si omnia generalia principia dogmatica et theologica, quae ad praesentem materiam spectant, in decreto dogmatico *de Ecclesia* exponerentur; omnia vero principia generalia practica et pastoralia in alio quodam decreto *de unitate Ecclesiae* colligerentur, quod scilicet de unitate omnium fratrum separatorum in genere ageret et sua vice directe ex decreto dogmatico *de Ecclesia* profflueret; cui tandem decreto generali ac universali aliqua, si lubet, capitula addi possent in quibus illae quaestiones speciales tractari possent quae in unione nostra cum fratribus separatis sive orientalibus, sive anglicanis, sive protestantibus sive aliis fovenda speciatim observanda sunt.

Quod vero ad praesens schema attinet sequentia magis in specie adnotare velim:

a) Primo loco dicendum esse videtur schema nimis longum esse et interdum revera prolixum; repetitiones non semper evitari et plus uno in loco stylum latinum nonnihil esse expoliendum.

b) Secundo loco observare velim locutionem de « fratribus dissidentibus » minus mihi placere cum ipsa plures connotationes historicas admixtas habeat quae spiritum polemicum nimium sapiunt ac hodiedum certe haud desiderantur. Propono igitur ut loco huius expressionis data opera et semper sermo potius sit de « fratribus separatis ».

c) Tertio loco non placet propositio aliqua quae in par. 7 invenitur (pag. 253, lin. 28 ss.) et quae sequentia habet: « Necessaria est communio cum sede Petri, ita ut quaecumque Ecclesia terrestris ab hac Sede separata, non certe eodem modo ad eandem Ecclesiam invisibilem et caelestem pertineat ».

Iamvero, omnino concedo hanc propositionem in se quidem rectam esse et immo gaudeo hisce verbis directe referri ad dogma catholicum de illa mirabunda unione quae existit inter Ecclesiam terrestrem et Ecclesiam caelestem, cuius unionis fides tam praeclarum ac centralem semper occupavit locum sive in doctrina theologica sive in praxi liturgica orientis christiani. Ast in nostra praesenti materia speciatim cavendum nobis est ne illi minus rectae conceptioni ecclesiologicae saltem aliquo modo favere videamur secundum quam etiam illi viatores qui a sede Petri separati, hoc est simpliciter separati sunt, tamen ad Ecclesiam Christi invisibilem et caelestem revera pertinent. Recta, e contra, fide edocemur nullum viatorem ad invisibilem

ac caelestem Ecclesiam pertinere posse nisi, ordine prius, sive reapse sive saltem in voto, ad illam Iesu Christi Ecclesiam pertineat, quae hisce in terris sub Romano Pontifice militat.

Ut autem haec maximi momenti veritas clarius in decreto nostro enuntietur et confusionum possibilitas efficacius inde a limine arceatur, propono ergo ut verba schematis mox citata modo qui sequitur emendentur: « Necessaria est communio cum Sede Petri et quidem tam absolute ut nulla ecclesia terrestris ad Ecclesiam invisibilem ac caelestem pertineat nisi ad hanc sedem Petri saltem in voto sit unita ».

d) Etiam illa quae in par. 6 de successore Petri, qui modo vicario est caput Ecclesiae, dicuntur, nova redactione certe indigere videntur.

Etenim, in schemate sicuti nunc iacet ordo iurisdictionis et ordo gratiae verbotenus ita absolute distinguuntur ut facilius, quamvis immerito, impressio oriri possit ordinem iurisdictionis ab ordine gratiae penitus et absolute separatum esse.

Verum porro est, successorem Petri gratias ad propriam sanctificationem eius datas eodem modo ac alios fideles recipere; sed res haud ita exhibenda est, ut gratiae gratis datae, charismata aliaeque quaevis gratiae statui illius accommodatae quasi explicite excludantur.

Nec certe placere potest quod in eodem semper textu sermo sit de « instrumento sacramentali » cum hic terminus sive apud auctores orientales sive apud auctores occidentales etiam contemporaneos sat diversos sensus habeat et immo sat generaliter modo utcumque vago et confuso adhibeatur.

Notandum denique est in eadem semper hac paragrapho, ob evidenter ineptas divisiones fundamentales, bis in dissitis locis sermonem esse de iurisdictione successorum Petri necnon magisterium illius indebito prorsus modo restringi videri ad magisterium infallibile, magisterio ordinario simpliciter neglecto.

Quibus omnibus prae oculis habitis patet hanc sextam paragraphum ex integro denuo exarari debere.

19

EXC.MUS P. D. IOSEPH D'AVACK
Archiepiscopus Camerinensis

1. Schema loquitur tantummodo de « orientalibus »: nihil de « protestantibus ». Huius silentii procul dubio iustae et graves sunt causae. Attamen peto annon opportunum sit has causas quodammodo enuntiare et declarare, ne forte fratribus separatis in « protestantismo » minus gratum sit videre se non amplecti sub titulo ceteroquin tam amplo: « Ut omnes unum sint ».

2. Ubi agitur de Ecclesia hierarchica, sicut iam suo loco dixi circa magisterium Ecclesiae, videtur necessarium revocare hunc ordinem hierarchicum esse revera quasi imaginem et donum et participationem divinae caritatis, quo

singuli non minuuntur, non coarctantur, sed tutantur et augentur ad veritatem et ad vitam; vel hic repetendo plus minusve ea quae iam suggessi circa Magisterium, vel hic expresse et perspicue revocando quae opportunius et omnino fusius dicere oportet in constitutione *de Ecclesia.*

3. Plura huius schematis plus minusve locum inveniunt etiam in constitutione *de Ecclesia; de Oecumenismo.* Curanda videtur maxima consensio et harmonia, nisi forte vel valde melius fusio in unum.

20

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Ad schema decreti *de unitate Ecclesiae* liceat mihi aliquas animadversiones facere.

1. Plura ibi inveniuntur bona et laudabilia, res tamen huius decreti aptius tractaretur in constitutione *de Ecclesia Christi,* ut iam dictum est.

2. Quoad ipsum textum, adhaereo plene iis quae ab em.mis card. Ruffini et Bacci dicta sunt. Quaedam tamen mihi addere liceat:

a) Optime schema postulat n. 22 ne nimis irenico spiritui cedatur. Falsus enim irenismus potius nocet quam iuvat conatibus ad unionem, seu conversionem fratrum separatorum. Unio enim aut in veritate habetur aut nonnisi apparens tantum est.

Inde non bene intelligitur quae versus finem n. 30 dicuntur, nempe quod historia irenice statui potest et debet. Quid sibi vult expressio « historia irenice statui potest »? Quod tacendum sit forsan de mala voluntate hominum illorum qui tunicam Christi dilacerarunt? Timeo ne talis historia scandalum fidelibus causet. Legentes enim historiam a catholicis conscriptam in qua nulla mentio fit de culpa illorum qui a fide defecerunt, possent sibi persuadere defectionem a vera Christi Ecclesia fieri posse sine ullo peccato.

Similiter quae ex Scriptura in n. 31 citantur mihi unilateralia videntur. Apostolus ille qui, verba Domini citans, dixit « Qui sine peccato est ... lapidem mittat », idem est qui, consilium in Domino ferens, prohibuit etiam « Ave » haeretico dicere. Ne eo quod et nos erravimus et peccata committimus oblivioni demus veritatem obiectivam, scilicet nos, gratia Dei, in vera Ecclesia Dei inveniri, illos proh dolor non. Unde plene approbo emendationem quam postulavit em.mus card. Ruffini in ultimis lineis istius paragraphi.

Praeterea non mihi viderentur contra oecumenismum verum additiones ad par. 33, 34 et 41, commendantes cautelam, ob periculum fidei, tum in colloquiis cum fratribus separatis, tum in formatione oecumenica clericorum. Idem fere dicendum de collaboratione in pugna contra atheismum et materialismum de qua in n. 35.

b) N. 42 determinatur erectio cuiusdam instituti superiorum theolo-

gicorum studiorum in Urbe, et ubi necessitas id postulaverit, in quo totum curriculum disciplinarum theologicarum instituatur ad mentem et secundum methodum orientalibus magis respondentem; in aliis autem facultatibus et seminariis maioribus lectiones sufficientes de rebus orientalibus, ut mutua cognitio aptius promoveatur. Mihi videtur quod haec mutua cognitio postulat non solum ut in facultatibus et seminariis maioribus in occidente erectis lectiones habeantur de rebus orientalibus, sed etiam ut in institutis erigendis ut totum curriculum theologicorum studiorum fiat ad mentem et methodum orientalibus magis correspondentem, lectiones habeantur de principiis et methodo scholastica. Idque non solum quia principia ratio et methodus scholastica clericis in occidente feliciter imponuntur, sed etiam quia scholastica maxime iuvat ad conceptus clare enuntiandos, ad dubia, opportunis distinctionibus, solvenda, ad veritatem contra sophismata vindicandam. Ecclesiae ergo magnum emolumentum affert. Videtur proinde bonum quod ab omnibus catholicis clericis cognoscatur. In hac ipsa aula conciliari vidimus egregium patrem ad scholasticam recurrisse ut mentem suam ceteroquin oecumenicam explicaret.

c) Ad n. 23 novem primae lineae supponunt omnia in Ecclesia orientali separata Deo grata esse et ad sanctificationem conducere, quod valet tantum pro iis qui sunt in bona fide. Melius esset paragraphum incipere a lin. 10, obiective loquendo, sine iudicio de actionibus sacris apud separatos.

Tandem aliquando quid sit Oecumenismus in aula conciliari dictum est, et quidem ab auctoritatem habente, nempe a secretario secretariatus pro unione christifidelium provehenda.

Si bene intellexi, Oecumenismus importat methodum quamdam novam, dialogum, nempe oecumenicum, cuius finis est ut ex utraque parte, catholicorum, scilicet, et christianorum acatholicorum, notitia clara habeatur totius doctrinae quam profitentur, nempe, catholici habent, melius, habeant claram et integram notitiam doctrinae christianorum acatholicorum, et hi, ex sua parte, doctrinae catholicae. Non immediate conversionem intendit, sed potius possibilitatem quaerit alicuius dialogi cum acatholicis. Catholici ergo debent conari ut comprehensionem acquirant testimonii fidei acatholicorum; ex alia parte, autem, doctrinam catholicam ita exponere ut acatholici etiam intelligant testimonium fidei catholicorum.

Res difficilis dicitur, cum doctrina catholica mutilari nequeat, eiusque expositio integram fidem catholicam praebere debeat. Exigit a persona quae oecumenismo inservit ut bene cognoscat quaenam sit sententia christianorum non catholicorum; quamnam opinionem ipsi de doctrina catholica habeant; quid non sit explicitum in doctrina catholica et explicite exponendum sit; tandem quaenam sit methodus in expositione habenda. Quoad methodum, scholastica methodus potius nocet quam iuvat oecumenismum; adhibenda est methodus, seu modus loquendi patristicus et biblicus, magis concretus, vivus quam sermo scholasticus qui abstractus est.

Hac ratione a pluribus patribus schema primum de fontibus revelationis

in limine reiicitur, diciturque magis nocumentum ad oecumenismum creare quam auxilium.

Ad haec sequentes liceat animadversiones facere.

1. Si ita est, dicendum erit Ecclesiam bene missionem suam non exercuisse per plura saecula, nempe a Tridentino, cum methodus scholastica in Ecclesia invaluit.

2. Non videtur cur methodus scholastica oecumenismo inservire non possit, cum de definitionibus Concilii agitur. Pro oecumenismo, enim, ut dicitur, exigitur ut doctrina catholica clare, perspicue annuntietur. Methodus autem scholastica eo praecise laudatur quod valde iuvat ad doctrinas cum claritate et distinctione exponendas. Haec est enim ratio cur Ecclesia in Iure canonico mandet ut ratio, doctrina et principia Doctoris Angelici sancte serventur (can. 1366, § 2). Nulla ergo methodus aptior pro definitionibus Concilii cum doctrina debeat dilucide exponi ita ut tota exponatur a quacumque alia distinguatur et in seipsa nullas indeterminationes patiatur. Methodus scholastica in definitione Concilii iuvat etiam ad dialogum cum acatholicis. Qui enim cum christianis separatis colloquitur, et doctrinam modo vivo, imaginibus pleno exponit, periculum falsum conceptum in doctrina tradenda vitabit si suam expositionem conferre possit cum definitione conciliari ubi conceptum ipsius doctrinae habet clarum, dilucidum et praecisum.

3. Non est cur opponantur diversi modi tradendae alicuius doctrinae, nempe, modus abstractus et modus vivus, imaginibus refertus. Non est enim idea ita abstracta ut concreto modo, exemplis, parabolis, non possit exponi. Ipsa Trinitas, Mysterium Dei altissimum, imaginibus, comparationibus a catechistis exponitur. In omnibus autem imaginibus, parabolis, similibus, idea quaedam latet quae multum lucratur cum a sensibilibus abstrahitur, dilucideque enuntiatur.

4. Methodum scholasticam facilius est culpare quasi nocumentum creet conversioni fratrum separatorum, quam demonstrare. Veritas enim nolentes non trahit; nemo autem confiteri vult se simpliciter nolle veritati adhaerere, inde excusationes quaerunt sive in modo exponendi veritatem a catholicis, sive in aliis. Iesus Christus certe animum oecumenicum habuit, volebat enim omnes salvare et ad veritatem trahere. In hunc finem praedicavit. Tamen, non solum omnes ad veritatem non traxit, sed potius in multis odium excitavit ita ut crucifixus sit. Non parvipendenda est methodus quae, dico, veritatem fidei exponendi quae vere iuvet conversionem fratrum separatorum, ne tamen in sola methodo spes ponenda est cum agitur de re quae maxime a gratia dependet, ergo ab oratione et piis operibus.

5. Amor separatorum fratrum non maior esse potest quam amor fratrum qui domi sunt. Non ergo derelinquenda est methodus qui tantos fideles optime congregat ex sola hypothesi quod alius forte aliorum conversionem obtinebit.

Secretarius secretariatus pro unione christifidelium provehenda conquestus est de commissione theologica praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II quia noluit secretariatum pro unione audire, contra mandatum Sanc-

tissimi. Libenter audirem alteram partem. Non videtur tamen res laudabilis insinuare Pontificem nescire tenorem alicuius schematis quod Concilio subiecit discutiendum, vel nomen Sanctissimi hinc inde in disputationibus invocare.

21

EXC.MUS P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA
Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis

In schemate proposito nonnulla meritoria sine dubio continentur: intentio, motivatio, scopus, stylus et color oecumenicus « Ut omnes unum sint ». Non tamen omnia in ipso laude et commendatione digna videntur. Praetermissis quae ab em.mis et exc.mis Patribus hucusque dicta sunt, pauca tantum addere mihi liceat de decreti parte doctrinali.

I. *In omnibus et prae omnibus veritas*: Concilium docet et docere tenetur, est enim exercitium magisterii. Magisterii autem obiectum et terminus est *veritas*. Concilium ergo *veritatem* docere tenetur.

Veritas quidem proponi potest acriter aut dulciter, fortiter aut suaviter, in rigore aut in caritate, attamen sive uno sive alio proponatur modo, semper proponenda erit *veritas*. Veritas enim est *substantia*; cetera, *modus*. Nunquam autem substantia modo, sed modus substantiae cedere et subordinari debet, ne forte, curantes modum, amittamus et substantiam. Haec fuit eritque semper norma agendi in vita nostra quotidiana. Cum enim de sanitate praeoccupamur, medicinam quaerimus efficacem, nihil curantes de modo, si amara aut dulcis sit; cumque de nutritione, cibum substantialem, minime vero qualitatem et modum, si frigidus aut calidus.

In aula conciliari multa de ratione oecumenica et pastorali hucusque dicta sunt et in futurum dicentur. Nunc autem, ni fallor, *oecumenicitas* et *pastoralitas* non in genere *substantiae* sunt, sed *modi*. Non ergo haec primo erunt attendenda, sed illud primum: *veritas*. Utinam utique utrumque obtineri semper posset; si vero secus, illud saltem unum, veritas nempe, erit retinendum sancteque servandum, sine quo, de cetero, nec oecumenicitas nec pastoralitas dari possunt.

Veritas denique *lux* est. In luce ergo exponi debet et in claritate, quin illam obnubilare vel dissimulare liceat, multoque minus cum, in exercitio magisterii authentici, directo et data opera de veritate proponenda et explicanda sermo fit.

II. *Natura Ecclesiae*: In parte doctrinali schematis decreti tradere intendimus, authentico magisterio, doctrinam catholicam de natura Ecclesiae, ita quidem ut omnibus pateat et lucescat quae sit vera Ecclesia Christi omnesque illam videant et illam veram agnoscantur et ad ipsam redeant « et fiet unum ovile et unus pastor ». Obtinetur autem huiusmodi propositum in casu? In schemate nonnulla occurrunt ambigua, obscura et in aliquibus inusitata,

quae, meo simplici iudicio, confusionibus, ne dicam erroribus, ansam faciliter praebebunt vel praebere possunt:

1. Ambigua est terminologia « terrestris et caelestis », cum non univoce, sed aequivoce hic et hic adhibeatur (cf. nn. 2-4 coll. 7 a lin. 30 usque ad finem).

2. Ambigua est et obscura definitio Ecclesiae in n. 2: « societas electorum ... consequuntur ». Qui sunt « electi »? Quid importat terminus « salutem »? Suntne omnes ad fidem vocati, qui fide, spe vel etiam gratia et caritate cum Christo uniuntur quique ideo aliqualem *salutem* ab eo consequuntur? Suntne potius « electi et vocati ad *salutem* et vitam aeternam? Si 1, haberemus indigitatam Ecclesiam invisibilem, quae, ni fallor, non est Ecclesia *una* ad quam omnes vocantur, de cuius unitate in praesenti agitur, cuique omnes inseri debent « ut omnes unum sint »; si 2, haberemus in schemate notam illam notionem Ecclesiae: « coetus iustorum et praedestinatorum », de cuius valore et sensu theologico ne unum quidem hic efferam verbum. Fateor autem hanc esse notionem, quam verba, prout iacent, immediate suggerunt.

3. Ambiguus est terminus « terrestris », cum posset intelligi de societate mere *terrena* et *temporali* natura sua. Ecclesia enim Christi etsi *hic,* in terris, non est *hinc,* de terra. Loco ergo « terrestris » deberet dici « in terris ».

4. Nec apparet cur iterum atque iterum de Ecclesia *caelesti* in schemate sermo fiat. Quando enim loquimur de « unione et reditu separatorum et dissidentium, ut omnes unum sint », non loquimur de Ecclesia caelesti, in caelo enim unitas datur perfectissima, sed de Ecclesia hic, in terris et dum in terris est.

5. Ultimo tandem: Loco notionis in schemate traditae alia clarior poni debet definitio v. g. « Regnum Christi in terris auctoritate apostolica regendum ». Huiusmodi vero definitio, quae sine dubio aliquibus exosa erit, nova quaedam innuit consideranda.

III. *Quae et qualis vera Christi Ecclesia in terris*: Ecclesia Christi in terris, ad quam omnes vocantur, est societas: 1. vere et proprie dicta; 2. obligatoria, non libera ad arbitrium uniuscuiusque; 3. iuridica, non amicabilis et amistosa; 4. hierarchica, etsi simul Corpus Mysticum; 5. visibilis, etsi elementum habeat invisibile.

Quando autem loquimur de « unione fratrum separatorum deque ipsorum reditu ad Ecclesiam », non loquimur de Ecclesia invisibili vel de simplici unione in elemento interno, fide, spe, gratia et caritate, sed loquimur et loqui debemus de Ecclesia visibili, cui dissidentes inseri debent « ut omnes unum sint et fiat unum ovile et unus pastor ». Character ergo visibilis et hierarchicus Ecclesiae clare et aperte doceri et exponi debet, ne videamur timide loqui hac de re. Haec est linea psychologica in schemate servanda, si logice procedere volumus.

IV. In n. 5: Tria notanda: 1) Ecclesia dicitur fundata super Apostolos tamquam « super fundamentum » et simul dicitur Christum elegisse Petrum « principem et caput, super quem aedificaret Ecclesiam »; utrumque verum est; attamen, ni fallor, inconcinnum est bis in eodem contextu immo et in eadem periodo adhibere verbum « fundare » et fundamentum duplex statuere, cum de cetero inusitatum sit dicere « fundare super principem et caput »; 2) Apostoli et Petrus non eodem modo sunt et dici possunt « fundamentum Ecclesiae ». Si Apostoli *fundamentum,* Petrus est fundamentum *fundamenti.* In textu autem non apparet clare indicata differentia et distinctio. Optima erit constructio et expressio, si dicatur: Apostoli, *fundamentum*; Petrus, *Kephas* et Christus *Lapis angularis*; 3) immerito trahuntur ad casum verba *Mt.* 28, 20, quae non sunt dicta de permanentia auctoritatis in Ecclesia.

V. In n. 6: Duo notanda: 1) Non videtur dicendum illud « Christus est Caput omni modo, in omni ordine, sub omni respectu »; 2) in lin. 35 de Successore Petri dicitur « instrumentum sacramentale ». Phrasis inusitata, quae confusionem generare poterit.

VI. In n. 7: Duo notare velim: 1) displicent quae occurrunt in linn. 8-10 « His verbis ... me misisti ». Meo iudicio, Christus non loquebatur ibi de unitate Ecclesiae consummatae in caelis, sed de Ecclesia in terris. Aliter et alia ergo deberent dici v. gr. « His verbis, Dominus noster Iesus Christus non intendit tantum unitatem internam et invisibilem, sed etiam externam, socialem et visibilem in terris »; 2) quae initio diximus de terminologia « terrestris et caelestis » in ultimis lineolis (30-35).

22

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

J'approuve pleinement la haute inspiration de ce décret. Les quelques remarques qui suivent aimeraient aider à lui assurer une pleine efficacité.

1. Un bref texte au début ne pourrait-il pas indiquer avec charité que la situation des Protestants à l'égard de l'Eglise n'est pas la même que celle des Orthodoxes? Sans cela, on risque de voir dans l'accent mis sur les Eglises d'orient une manœuvre politique. On connait, en effet, les bruits malheureux qui ont circulé sur une compétition entre le Conseil Œcuménique des Eglises et le Concile, dont l'enjeu serait précisément le ralliement des orthodoxes.

2. Les nn. 1-7 présentent heureusement l'Eglise comme étant le Corps Mystique du Christ; ils soulignent à propos les deux états, terrestre et céleste, de l'unique Eglise (cf. n. 4).

Le recours fréquent aux textes de l'Ecriture, dont je me félicite, s'accompagne cependant d'une certaine imprécision des formules. Certaines expres-

sions seraient même susceptibles d'une interprétation erronée. Eviter les équivoques est rendre service à la cause de l'unité.

Je relève quelques exemples:

N. 2, pag. 251, ligne 21. Qu'entend-on par « societas electorum »?

N. 4, pag. 252, lignes 4-6. « Structuris societatis humanae ». Peut-être « terrestris » serait meilleur, car on risque d'interpréter la formule dans le sens d'une société temporelle.

Idem. Les « elementa mundi » désignent plutôt les forces du péché qui ne se présentent pas à l'Eglise « sans tache ni ride ... sainte et immaculée » de la même façon que l'ordre des réalités temporelles. Il faudrait mieux distinguer les deux aspects.

N. 5, pag. 252, lignes 11-12. « Volens hanc aedificationem *visibilem* ». On pourrait mal comprendre. Le Christ veut l'édification de l'Eglise tout court, à la fois visible et invisible, le visible étant tout ordonné à l'invisible, qui est la réalité de la grâce et de la charité.

L'Eglise est indissolublement visible et invisible, sa dimension principale étant évidemment la dimension invisible.

Pour la même raison, ne faudrait-il pas éviter les expressions « Ecclesiae visibilis » (n. 6, pag. 252, ligne 32), « Ecclesiam invisibilem » (n. 7, pag. 253, ligne 30). Cela pourrait évoquer les doctrines erronées de l'Eglise invisible seule divine, alors que les « dénominations » visibles sont créations humaines.

N. 6, pag. 252, ligne 32. « In ordine iurisdictionis, seu Ecclesiae visibilis ». La formule est-elle exacte? L'Eglise est aussi visible par sa sainteté. Voir la doctrine rappelée au schéma II, n. 26, pag. 39.

Idem, ligne 36. « Quae ad exercitium temporale pertinent rerum spiritualium », temporale, spirituale; ce vocabulaire peut prêter à équivoque.

N. 7, pag. 253, ligne 12. « Sub aspectu etiam visibili et temporali ». Même remarque.

Idem, ligne 20. « Partes quaedam Ecclesiae ». Que signifie « partes »? Ce mot est-il employé dans un sens empirique et descriptif ou théologique? Ce n'est pas clair d'autant qu'aux lignes 23-27, on confesse qu'il n'y a qu'une seule Eglise. Cependant, à la ligne 29, on reparle d'Eglises, autres que la vraie, « quaecumque Ecclesia terrestris ab hac sede separata ». La formule qui suit ne me paraît pas claire non plus; on se réfère (ligne 30) « ad eamdem Ecclesiam invisibilem et caelestem », alors que l'on a affirmé au numéro 4 que cette Eglise céleste est identique à l'Eglise de la terre.

Idem, lignes 33-34. « Civitas christianorum mere terrestris, non autem in primis caelestis ». La formule peut aussi prêter à équivoque, d'autant que la « civitas christianorum » peut évoquer des résonnances luthériennes et qu'on touche ici au délicat problème des rapports du spirituel et du temporel.

Il serait regrettable qu'un texte d'une telle portée puisse donner l'impression d'un certain éclectisme théologique.

N. 34, pag. 262. Il faudrait préciser que ces conversations doivent être le fait de prêtres et de laïcs préparés. Les imprudences et les incompétences compromettent la cause de l'unité. Il faut aussi veiller à éviter le scandale des faibles (danger d'indifférentisme ou de syncrétisme).

23

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEVOTO
Episcopus Goyanensis

Introductio: Duplici de causa necessitatem sentio, in hac aula conciliari, meae mentis aperiendi: ex una parte, mea magna anxietas circa gravissimum problema de unitate Ecclesiae, et ex alia parte desideria valde repetita a fidelibus et manifestata in phasi praeparatoria Concilii in hac materia.

Credo etiam, valde necessarium esse, ante finem primae periodi, ut Concilium Vaticanum II clare et praecise manifestet voluntatem adlaborandi pro unitate omnium christianorum. Finis enim Concilii — ut iam a primo nuntio ipse Summus Pontifex significavit — est ut Ecclesia omnibus viribus adlaboret ad viam sternendam unitatis.

Circa schema, quod sine dubio est fructus ingentis laboris in materia sat delicata, sequentia animadvertenda sunt:

1. Schema videtur nimis prolixum et fusum; frequentes repetitiones habet, eiusque indoles potius parenethica est quam effectiva, ut ipsa res postulat.

2. Schema ad media, sic dicta « psychologica » appellat, quae quidem denominatio recta non est.

3. Schema denique insinuat unitatem esse medium « ad patrimonium christianae civilitatis » tuendum, quod quidem est rem ad planum politicum aliquomodo reducere. Sed e contra, nos non debemus determinatam formam civilitatis defendere, sed Regnum Dei, quod cum nulla civilitatis forma identificatur. Unitas vero ad quam totis viribus intendere debemus est mandatum ipsius Domini.

Desideria. Hoc schema ad aliquam declarationem de unitate reduci deberet, praetermissa parte dogmatica ad schema constitutionis *de Ecclesia Christi*:

1. Initium huius declarationis deberet esse sincera et humilis recognitio ab ipsa hierarchia Ecclesiae facta, de propriis et gravibus culpis, sive in initio separationis, sive in ipsius continuitate commissis.

2. Secundo loco, manifestare debet, sincerum et efficax desiderium removendi omnia obstacula, quae unitati opponuntur.

3. Inter obstacula removenda, notetur imprimis nimia identificatio essentiae Ecclesiae cum latinitate, quae de facto nullam rationem habet existentiae ecclesiae orientalis, suorum iurium et traditionum. Item nimia centrali-

zatio, quae catholicitatem, i. e. mirabilem varietatem Ecclesiae, sufficienter non manifestat.

Paucis verbis: maxime optatur ut iam Concilium Vaticanum II, clare et aperte manifestet vehementem voluntatem Ecclesiae catholicae, quam maxime progrediendi in via unitatis, magna cum fiducia et sub impulsu amoris erga fratres nostros separatos.

24

Exc.mus P. D. MICHAËL DOUMITH

Episcopus Sarbensis Maronitarum

In schemate *de unitate Ecclesiae,* diversa recensentur et evolvuntur media ad unionem restaurandam, et inter media supernaturalia commendatur praecipue et iure merito oratio. Nihil autem dicitur, nisi per transennam, de necessario complemento orationis quod est « ascesis ». Et ideo ut labor oecumenicus maneat rectus et fructus ferat, utiliter memorantur aliqua principia:

1. Primum principium est primatus abnegationis. In iure dicitur « summum ius, summa iniuria ». Propterea qui proprium ius requirit, nulla alia consideratione habita, fere semper ius aliorum laedit et caritatem. Probet ergo seipsum homo et agnoscat prius proprium limitem et, si opus sit, propriam culpam. Tunc alii grato animo illius ius agnoscunt. E contra requirere semper et recriminare reducit problema ad querelam pro imperio et suscitat animositates.

2. Secundum principium est primatus veritatis. Qui sincere credit, sive catholicus sive acatholicus, censetur propriae positioni inhaerere, ratione superioris dictaminis, quod est dictamen fidei. Ne facilius dicatur ergo unionem esse meram conciliationem ad quam procurandam sufficeret osculum pacis. Illi quibus sufficiebat osculum pacis, iam non sunt. Nobis opus est, praeter pacem, integra subiectio Verbo et voluntati Dei. Probet ergo seipsum homo et de veritate serio inquirat. Cavendum enim est ne credamus verbum nostrum esse Verbum Dei et voluntatem nostram esse voluntatem Dei.

3. Tertium principium est primatus sanctificationis. Non ex iustitia et sanctitate nata sunt schismata, nec iisdem dispositionibus ex quibus nata sunt reparantur; reparantur autem conversione ad Deum, vera et communi, et ideo primus passus in labore oecumenico est renovatio vitae christianae et conatus ad spiritum Evangelii quam profundius instaurandum. Ab interna vita maturescunt fructus, et maturitate superveniente, capiuntur.

Hic oecumenismi aspectus maximi momenti videtur. In illo debemus insistere, verbo et opere, ne decipiatur spes sperantium, et ne credatur in potestate hominum quod est opus et donum Dei.

25

Exc.mus P. D. MAXIMILIANUS DRŽEČNIK
Episcopus Mariborensis-Lavantinus

Schema *de unitate Ecclesiae* maximo gaudio me affecit. Tractatur enim quaestio maximi ponderis, quaestio hodie fere vitalis Ecclesiae et totius christianitatis.

Schema in genere mihi valde placet. Assentio tamen iis Patribus, qui proponebant abbreviationem vel omissionem partis dogmaticae et insertionem in schema *de Ecclesia* resp. ad schema *de Oecumenismo*. Maxime laudare vellem spiritum caritatis erga orientales qui redolet in schemate. Quaedam tamen locutiones essent mitigandae, sicut alii Patres proposuerunt.

Optime etiam schema inculcat media supernaturalia adhibenda ad tollendum schisma, orationem scilicet et speciatim devotionem erga B. V. Mariam n. 16.

Proponere tamen vellem, ut post art. 16 brevis articulus addatur de SS. Cyrillo et Methodio, qui similiter ac B. M. Virgo vinculum insigne constituunt inter orientales separatos et catholicos. Ipsos enim Slavicae gentes multum colunt ut proprios apostolos, a quibus saeculo IX fidem acceperunt. Qui licet nativitate graeci, a caesare byzantino missi in Moraviam a. 863, lingua slavica evangelium annuntiabant Slavis in Moravia et Panonia et eandem linguam in liturgiam induxerunt approbante S. Sede, de quo in hac aula iam sermo fuit. Et quamvis saec. IX schisma orientale parabatur, ipsi tamen fideliter adhaerebant Sedi Apostolicae. S. enim Cyrillus Romae mortuus est (a. 869) ibique maximis honoribus sepultus apud S. Clementem, et statim ut sanctus hic Romae colebatur. S. vero Methodius a S. Sede constitutus est Metropolita in Moravia et Panonia. Ideo iuremerito etiam apostoli unitatis Ecclesiae appellantur.

Quam ob causam saeculo elapso S. D. Antonius Martinus Slomšek, ep. Lavantinus in Maribor (nunc Iugoslavia), meus praedecessor, fundavit Confraternitatem SS. Cyrilli et Methodii ad fovendam unitatem Ecclesiae, speciatim ad obtinendam unionem fratrum orientalium slavicae originis. Ipsi enim maximam partem constituunt orientalium separatorum (Russi 150.000.000, Serbi 8.000.000, Bulgari 6.000.000). Quae confraternitas brevi divulgata est extra dioecesim Lavantinam in Imperio Austriae, praesertim inter slavicos populos. A. 1891 in Velehrad (Checoslavakia) transformata est in apostolatum SS. Cyrilli et Methodii, a quo inter alia celebres Congressus unionistici Velehradenses celebrabantur.

Conclusio. Propono igitur et rogo, ut post art. 16 schematis addatur novus articulus de SS. Cyrillo et Methodio his vel similibus verbis:

16. « Aliud etiam vinculum insigne feliciter coniungit orientales separatos, speciatim Slavos, cum Ecclesia catholica, communis scil. cultus SS. Cyrilli

et Methodii, quibus populi slavicae originis tamquam apostolis, a quibus fidem acceperunt, gloriantur. Ideo haec S. Oecumenica Synodus laudat et commendat cultum SS. Cyrilli et Methodii necnon pias uniones quae sub ipsorum nomine pro unione fratrum separatorum orientalium orant et laborant ».

Additamentum. Liceat mihi hac occasione addere Servum Dei Antonium Martinum Slomšek, de quo supra, auctorem principalem fuisse motus unionistici, eo quod fundaverat Confraternitatem SS. Cyrilli et Methodii (a. 1851). Qui motus medio saeculo elapso laudabiliter increvit in Ecclesia catholica, eiusque fructus, ni fallor, iam videmus in hoc Concilio Oecumenico Vaticano II. De Servo Dei Slomšek processus beatificationis agitur. Processus dioecesanus immediate ante Concilium conclusus, Sacrae Rituum Congregationi traditus est.

Rogare vellem Patres Concilii, ut petitionem pro beatificatione quibus placuerit, commendare velint. Sic obtinere possemus novum intercessorem in caelis in nostris orationibus et laboribus pro unione orientalium assequenda. Humillime censeo insignem apostolum unitatis Ecclesiae S. D. Antonium Martinum Slomšek, talem commendationem venerabilium PP. Concilii meruisse.

In quem finem brevem conspectum eius vitae ven. Patribus Concilii, si consilium praesidentiae permiserit, tradendum curabo.

26

Exc.mus P. D. AUGUSTINUS FARAH
Episcopus Tripolitanus Melchitarum

Inter media quae in schemate enumerantur ad unitatem promovendam, tria mihi videntur praesertim retinenda esse.

1. Media supernaturalia. Bene facit schema insistendo in illa: Unio enim nequit esse, perprimis, nisi effectus orationis humilis, sacrificii et expiationis, ex parte omnium christianorum.

2. Media theologica. Notandum est quod, quamvis multa sint disputata inter nos et acatholicos orientales, attamen pluraque reduci possunt, ut mihi videtur, ad diversos modos exprimendi eamdem veritatem: idem est dicere, e. g. Procedit a Patre Filioque, quam dicere, sicut admittunt orthodoxi: Procedit a Patre per Filium; et utriusque formulae aequivalentia a Concilio Florentino recognita fuit.

Cuius rei constatatio multum adiuvat ad praeparandam unitatem, eo magis quod dogmata fuerunt, in genere, non causa sed occasio separationis; ideoque non sunt difficillima obstacula.

E contra, dogma Primatus et infallibilitatis Summi Pontificis, practice, solum, retinendum est, quia constituit revera difficillimum obstaculum, utique, difficillimum; sed non invincibile; et de facto, Deo adiuvante, posset vinci,

ut opinor, si consideratur sub aspectu psychologico, i. e. relative ad mentalitatem orientis acatholici.

Certe, certissime, dogma Primatus et Infallibilitatis, firmiter tenendum, confitendum, et plene exercendum. Sed, in praxi facillime potest aptari et quoad modum illud exprimendi, et quoad modum illud exercendi: etenim multum facit, ad admittendam hanc praerogativam Summi Pontificis, modus quo exprimitur et exercetur. Ideo:

Ratio habenda est conceptionis secundum quam orientales acatholici insistunt in collegialitatem pastorum in Ecclesia. Ergo et nos, in dialogo cum eis, insistamus in collegialitatem et simul in Primatum Romani Pontificis, ut fundamentum et centrum huiusmodi collegialitatis, sicut dixit beat.mus noster patr. Maximos IV in sua interventione.

Ratio habenda etiam mentalitatis orientalium acatholicorum viventium, inde a saeculis, in independentia et autonomia, ita ut iugum Primatus illis appareat non gravius sed tam leve et tam dulce quam iugum Christi.

Ratio habenda tandem institutionum quas, hac in materia, tenent acatholici orientales ex traditione venerabili et antiquiori, ut promovendae sint vel restaurandae et etiam in Ecclesia catholica, ut sunt: *a*) Potestas patriarchalis plene exercita sive ipsius patriarchae sive Synodi patriarchalis; *b*) Potestas episcopalis plene exercita ipsius episcopi. Si hoc efficitur in contextu vel ambitu alicuius decentralisationis in administratione ecclesiastica; immo et alicuius participationis Collegii episcoporum ad generale gubernium Ecclesiae, saltem in exercitio potestatis legislativae. Si ad hoc adducitur quod dicitur, in n. 47 schematis, de participatione orientis ad regimen Ecclesiae, tunc via ad unionem erit realiter aperta; praesertim hodie, ubi non desunt theologi orthodoxi qui admittunt non tantum primatum honoris Summi Pontificis, sed etiam et Primatum quemdam moralem.

3. Media psychologica. Unus ex eis sufficeret: caritas! Caritas Christi; caritas Ioannis XXIII; caritas primo inter catholicos ipsos et deinde erga acatholicos; et quidem caritas effectior, quae se probet actu. Inde recognoscenda est disciplina nunc vigens, ita ut veram caritatem illustret: ad hoc veniunt mitigationes legum de communicatione in sacris, de matrimonio mixto etc.: quae res sunt maximi momenti pro nobis in contactu cotidiano quem habemus cum acatholicis in oriente.

Venerabiles Patres, Ecclesia catholica, haec vera mater, vult, per hoc sacrosanctum Concilium, eiicere, quantum est possibile, obstacula interposita inter eam et fratres acatholicos; itaque vehementer optandum est ut fratres acatholici qui vident canonem Ecclesiae catholicae ad unionem viam aperiendam, faciant et ipsi quod in eis ad eamdem viam aperiendam.

Tandem, faveant acatholici hoc scire, scilicet, quod unio non est operatio mere humana sed divina, i. e. verus concursus omnium in eodem Christo; quod unio cum Ecclesia catholica, si fuerit, nullam includet diminutionem pro eis, nullam fusionem, nullam absorptionem; faveant scire quod in hac unione non erit victus et victor, sed tantummodo victores in Christo.

27

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis - episcopus Squillacensis

Attento studio prosecutus sum *et* textum decreti (vol. I, pag. 251 sq.) *et* praesentationem factam ab em.mo card. Cicognani, a publicis Ecclesiae negotiis, *et* relationem rev.mi P. Athanasii, *necnon* animadversiones varias de textu, de dispositione partium, de mediis, de dignitate Ecclesiarum orientis etc. Historia multa nos docet in hac materia perdifficili, in qua multae confluunt quaestiones.

Liceat et mihi sequentia dicere.

1. Decretum, uti prostat, respicit quae Concilium statuere opportunum duxerit ad hoc ut fratres dissidentes orientis, immo vero ipsas Ecclesias dissidentes, suavius et facilius, praeveniente et adiuvante Dei omnipotentis gratia, ad sanctam catholicam apostolicam romanam Ecclesiam redire possint et uti fratres, veri et dilecti, omni honore et dignitate affecti, in universalem christianorum catholicorum familiam cum ingenti omnium gaudio recipi valeant.

Sed, mea quidem sententia, decretum hoc cum normis quae in eo edentur, respicit et respiciet *directe* filios Ecclesiae catholicae, *indirecte* tantum Ecclesias orientis dissidentes, quae ex decreto Concilii Oecumenici scient de mediis et conditionibus quibus paratur via ad iteratam unionem faciendam seu instaurandam.

Nunc vero: nonne etiam opportunum esse poterit — si Patribus placuerit — ut a Concilii Patribus, approbante Summo Pontifice, *invitamentum directe fiat ipsis Ecclesiis dissidentium,* ut ad unionem cum fratribus catholicis redeant?

In litteris Concilii Oecumenici, singulis praesulibus Ecclesiarum dissidentium orientalium mittendis, significentur:

cor et mens, desiderium et amor Patrum Conciliarium erga illos;

invitatio ad unionem proponatur efficacibus verbis facta, per reditum honorificum ad domum Patris communis Ecclesiae, qui est Iesu Christi Vicarius in terris;

demum ad preces enixe fundendas fraterne compellantur, patrocinante beatissima et sanctissima semper Virgine Dei Genitrice Maria, quae Mater est omnium filiorum suorum a Christo Domino redemptorum.

Per huiusmodi invitamentum omnes in cognitionem advenire poterunt mentis et amoris Ecclesiae catholicae universae erga illas Ecclesias tanta gloria saeculis anteactis onustas, et simul testimonium habere de voluntate firma et sincera qua nos auspicium ferimus ut cito, immo citissime illucescat dies in qua fratres ex oriente et occidente, cum Petro et sub Petro, una voce, una fide, uno corde, una anima confitebimur Domino quoniam bonus, quoniam

in aeternum misericordia eius: nam maxima misericordia Dei erga Ecclesiae filios est ut ipsi persentiant quam bonum et quam iucundum sit habitare fratres in unum!

2. In decreto ipso optime ponuntur principia generalia et indicantur media ad unionem parandam in ordine mutuae cognitionis et caritatis, in orationibus publicis et privatis ad hunc finem fundendis, sicut optime habetur in schemate (nn. 12-47 de mediis, et normae practicae ad hanc unionem procurandam: nn. 48 sq.).

Sed quaedam speciatim dicenda essent de modis sese habendi catholicorum cum fratribus dissidentibus orientalibus in locis *ubi simul* commorantur: et hoc in relationibus cum praesulibus, sacerdotibus, fratribus; in communione civili et ecclesiastica, etc., ad finem eliminandi difficultates, saltem quasdam quae animum illorum abalienarent ab Ecclesia catholica.

Melius demonstraretur tali modo, in ipsis constitutis Decreti Conciliaris, animus omnium nostrum ad rectas faciendas semitas viae communis in Christum, qui est vita nostra, cuius gratia in sua plenitudine ad singulos filios descendit in quantum in Corpore mystico consistunt, quod est universalis Ecclesia catholica romana.

28

Exc.mus P. D. IACOBUS FLORES MARTIN
Episcopus Barbastrensis

Mihi videtur opportunum esse hac de re solummodo tractare et praeparare schemata quo meliori modo possimus, sed rem non definitive concludere ut relinquatur tempus pro tractationibus et colloquiis cum fratribus separatis, qui sensum suum aperiant, cum secretariatu pro unione et dein alio opportuniore tempore res definiatur.

Forte utile sit invitare praesertim fratres orientales ut in pluribus vicibus tractetur thema et habeatur colloquium pro *unione*. Speciales preces fundantur ad Beatam Virginem a nobis et ab illis ut fructus Mariae habeamus in unitate.

264. N. 40. Optimum mihi videtur fore ut sacerdotes nostri apud orientales apostolice sese gerant et cum illis fiant adunationes inibi; de iis enim quae apud nos fiunt ipsi notitias generatim non habent. Nisi quod etiam possent invitari pro nostris congressibus ad rem habendis.

266. N. 49. Mihi videtur sufficere etiam non exigere abiurationem sed professionem expressam de his quae ipsi negaverunt. Abiuratio enim expressa semper producit quamdam extraordinariam difficultatem pro ipsis.

N. 50. Forte etiam perutile erit ut apud orientales, qui ordinarie ibi vivunt, solummodo ritum orientalem habeant et nullus ritum latinum, nisi qui transeuntes dicuntur. Ita vitatur comparatio et divisio.

29

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS GAD

Episcopus tit. Gratianopolitanus,
exarcha catholicorum riti byzantini in Graecia

Liceat mihi, nomine etiam episcoporum ritus byzantini eparchiarum « Lungro » et « Piana degli Albanesi » et nomine administratoris exarchatus apostolici Constantinopolitani pro byzantinis, aliqua animadvertere de hoc schemate nobis prolato.

Animadversiones, quae humiliter Concilio submittuntur, hae sunt:

1. Cum aliquando multa, non semper recta et iusta, audiantur et legantur de catholicis orientalium rituum, mihi videtur bonum esse rationem eorum — qui peculiarem habent in domo Patris mansionem adlaborandi ut omnes unum fiant — recolere inter media practica ad eumdem finem assequendum.

Opportunum ideo erit ut haec, post n. 42 vel alio opportuniori loco, addantur: « Latini in regione orientalium commorantes debita consideratione catholicos orientalium rituum prosequantur et cum ipsis collaborare satagant. Hoc enim facientes venerationem suam erga orientales Ecclesias practice testificabuntur.

Meminisse hic iuvabit catholicos orientales, praesertim clericos, fidelitatem erga omnia quae orientalem Ecclesiam spectant curare ex vocatione et conscientia, quae illos quodammodo pontem faciunt per quem catholici et acatholici sese alterutrum melius cognoscere et amare queant ».

2. Nobis compertum est quod n. 52 praesertim post commentarium R. P. Relatoris, suspicionem in futurum praebere posset de rationali benevolentia Sanctae Sedis erga catholicos orientalis Ecclesiae et eorum hierarchiam: quod quidem ansam daret iis qui, falso irenismo quodam ducti (ut bene dicit n. 22 nostri schematis) omnia sine iusta causa innovare conantur ad gratias quasdam acatholicorum inane adipiscendas.

Ad hanc suspicionem tollendam, quae nos maxime afficiet, considerando etiam quod numerus, de quo agitur, per ea quae indeterminate promittuntur, nemini et nihil practice tribuatur, mihi videtur hoc modo emendari posset: « Nemo existimare praesumat statum rerum orientalium in Ecclesia catholica in hodiernis adiunctis vigentem esse definitivum vel omnino immutabilem ita ut meliorem ordinationem suscipere non posset; siquidem *quando, Deo opitulante, omnes qui christiano nomine gloriantur in unum congregabuntur,* disciplina ecclesiastica et ordo hierarchicus, secundum necessitatem a Sede Apostolica probatam, mutationem ac perfectiorem valent recipere formam, quae novis rerum adiunctis magis respondeat et orientalium dignitati et momento melius conferat ».

Ceteroquin nos scimus quod Ecclesia catholica orientalis suam plenitudinem quodammodo sortiri non valeat quamdiu omnes fratres in unum ovile non sunt congregati.

30

Exc.mus P. D. FRANCISCUS IOSEPH GRIMSHAW
Archiepiscopus Birminghamiensis

Quod ad hoc schema attinet, vellem aliquas suggestiones proponere relate ad fratres separatos occidentales. Bene intelligitur multa quae in sequentibus animadvertuntur forsan in II serie schematum locum inventum iri. Attamen cum spes fratrum separatorum tam alta sit quod difficultates eorum ac aspirationes non a deliberationibus nostris omissa erunt, propterea videretur consentaneum esse saltem eorum aliquam mentionem fieri hac in I serie.

Pag. 251. Suggerem quod in fine sectionis primae aliqua verba de operatione Spiritus Sancti quoad Ecclesiae unitatem adderentur.

Suggerem aliquid huiusmodi: « Haec in Christo unitas constituit fructum principalem inhabitantis Spiritus Sancti in nobis, qui a Pontificibus quasi anima ipsius Corporis Ecclesiae celebratur. In Christo enim coaedificamur in habitaculum Dei in spiritu (*Eph.* 2, 22). Est enim unum corpus, et unus spiritus, sicuti vocati sumus in una spe vocationis nostrae (*Eph.* 4, 14) ».

Pag. 255, sect. 14, 36: Suggerem ut, post verbum « ardua », et ante verbum « Omnes », adderetur: « Quod suo modo etiam de communitatibus fratrum separatorum in occidente valet, quorum separatio a nobis, licet sit recentior, profundiores iam habet radices ».

Pag. 256 vel 257, ante sectionem 18: Suggerem ut adderetur hic et alicubi aliquid de precibus et lectionibus S. Scripturae quas interdum catholici simul cum fratribus separatis Deo offerre desiderant.

Suggerem aliquid huiusmodi: « Amoto periculo " indifferentismi " religiosi, et seclusa communicatione in sacris ac liturgicis ritibus, haec S. Synodus vetare non vult quominus fideles partem habeant in orationibus et lectionibus S. Scripturae quae fiunt occasione, v. gr., publici conventus, ubi catholici simul cum fratribus separatis simul aggregantur ».

Pag. 258, sect. 23, post ultima verba huius sectionis. Suggerem ut fiat hic aliqua mentio patrimonii religiosi precum et hymnorum quod apud communitates separatas occidentalium invenitur.

Suggerem, v. gr.: « Quod ad fratres separatos occidentales, iam a saeculo XVI a S. Sede direptos, attinet, constat eos thesauro ditissimo in lingua vulgari precum et praesertim hymnorum, ex magna parte e fontibus catholicis desumpto, praeditos esse. Quod quasi patrimonium nationale vel regionale vel familiare iam constituit, quo fidem et devotionem erga Dominum Iesum foveant. Est voluntas S. Synodi ut hi fratres separati sciant huiusmodi

preces et hymnos inquantum nihil sit in eis a fide vel moribus alienum, nullo modo inter obstacula unitati christianae numerandos esse, cum inter eos multa sunt quae devotioni fidelium inserviant ».

Pag. 267, ad sect. 51. Suggerem ut post sectionem 51 adderetur aliquid huiusmodi: « Licet pro communitatibus separatis occidentalibus non tam facilis sit via ad unitatem et communionem cum S. Sede, ipsi tamen intelligant quod S. Synodus sarta tectaque revelatione semper servata se in rebus disciplinaribus accommodatissimam monstrare vult ».

31

Exc.mus P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Cum amore et dolore ex divisione christianorum, sed et simul cum animo et gaudio, sicut et Mater Ecclesia, ad unionem fovendam, omnes nos hoc schema accipimus, praestantissimum ad illam unitatem, quam Dominus Noster Iesus Christus pro Ecclesia sua a Patre petivit.

Plaudimus ergo et celebramus voluntatem Ecclesiae et huius Concilii quorum in optatis est non solum doctrinam de unitate proclamare, vel fratres separatos ad plenam unitatem vivendam invitare, verum etiam idque maxime, augere in omnibus, pastoribus et fidelibus, sensum amoris genuini erga unitatem, viam et modum significando, quae tutius in quantum in nobis sit, augeatur. Dignetur Dominus Deus benedicere et fructificare hos labores et qui ex eis sequantur quoad unitatem Ecclesiae a Iesu a Patre postulatam.

Sed et propriam opem adferre cupio sequentibus annotationibus:

1. In schemate duae partes clare distinguuntur: alia doctrinalis et alia dispositiva seu practica.

Quoad doctrinalem, minime praetermittendum quod in n. 22 schematis theologis indicitur, sed omnibus opportunum: Puritas doctrinae nempe exponi debet omni claritate et in suo sensu genuino et certo, ne forte e falso irenismo ea ambigue aut obscure exponatur et fratres separati quid pro quo tenere cogantur. Hac de causa nitidior claritas desideranda esset.

Etenim v. gr. cum « de Ecclesia terrestri et caelesti » est sermo, haec verba sub n. 4 ad « duplicem Ecclesiae *statum* » referuntur, dum postea vero sub n. 7 ad « duplicem *aspectum* Ecclesiae visibilem et invisibilem » et postea sub eodem n. 7 ad « duplicem *societatem* civilem et spiritualem ». Eaedem dictiones servandae essent, quibus in prooemio schema liturgiae utitur.

Obscure etiam fit in n. 2 definitio Ecclesiae. Adaequata enim esset si vellet significare societatem *in qua* homines per baptismum vocati ad unionem cum Christo et ad salutem ab eo consequendam, ita ut extra Ecclesiam nulla sit salus; non vero quatenus exprimit, tempore praesenti loquendo quatenus de facto omnes per baptismum vocati salutem consequuntur, etenim conse-

cutio haec communis non constat. Corrigenda ergo est definitio ne peccatores ab Ecclesia in terris excludantur, et ne fiat tantum Ecclesia praedestinatorum.

Insuper, in n. 4, non apparet connexio, expressa illis verbis « proinde oportet », inter « corpus crescens in mensuram aetatis plenitudinis Christi » et structuram socialem Ecclesiae. Hierarchia enim non ex eo procedit quod Ecclesia construi et crescere debeat « in templum Domini », sed ex institutione positiva Christi.

Illum novum modum loquendi, in quo successor Petri tanquam minister cultus seu sacramentorum dicitur « instrumentum sacramentale », relinquendo, notandum etiam est quod sub fine n. 4 in enumeratione « iurisdictionis et auctoritatis, hierarchiae, superiorum et inferiorum, poenarum et legum », sacramenta, quae sunt media socialia Ecclesiae, non enumerantur. Itemque non sufficienter apparet distinctio inter apostolos, qui « fundamentum » Ecclesiae sunt, et Petrum, qui « Kephas » est, super quam apostolorum fundamentum construitur (n. 5).

Sed minus praecise loquitur de Christo tanquam Capite, « omni modo, in omni ordine, sub omni respectu », in n. 6, cum postea in eodem numero successor Petri dicatur « caput modo vicario, et quidem in ordine iurisdictionis, seu Ecclesiae visibilis ». Immo, cum quaestio de primatu sit « praecipuum desidii caput », ut Leo XIII (enc. *Praeclara gratulationis* 20 iunii 1894) dicebat, desiderandum esset quod amplius exprimeretur quaestio de primatu, ut facilius a fratribus separatis intelligatur, absque ullo metu etsi magna erga eos reverentia et amore. Ad nihil enim ducit de hac magna quaestione, immo praecipua quaestione, silere. Attamen, cum de primatu agatur in schemate de Ecclesia, forsitan melius et opportunius esset tota haec pars doctrinalis in illud schema de Ecclesia transferri tanquam specificum caput, ita ut postea, tamquam consequentiam naturalem, simul cum capite de oecumenismo, quaestio practica de mediis pro unitate fovenda, exponatur.

In n. 6 de successore Petri legitur ipsum « de formulatione fidei iudicare et decernere ... per magisterium infallibile », « sive solum sive cum collegio episcopali ». Forsitan haec ultima verba « sive solus sive cum collegio » tollenda sint, cum aliqui catholici theologi, Concilium Vaticanum firmiter tenentes, videntur non admittere distinctionem inadaequatam inter *duo subiecta,* Papam et Papam cum collegio, sed potius inter *duos modos* eiusdem subiecti.

2. Quoad partem dispositivam videretur extensio reducenda, et aliquando modus loquendi corrigendus. Sic v. gr. cum loquitur de Ecclesiis orientalibus, in quibus sermo fit de orientalibus separatis; sunt enim etiam Ecclesiae orientales catholicae seu unitae. Vel cum in nn. 27 et 50 supponitur possibilitas ut ritus orientales aliquid contineant contra honestatem vel bonos mores; quod quidem pugnat cum recto irenismo in nn. 29-31 vehementer commendato.

Nihilominus imo corde laetamur de hoc schemate, ubi clare ostenditur

voluntas Ecclesiae circa unionem. Deum benedicimus illique gratias agimus de hoc schemate, quod in suis praecipuis lineamentis placidus ac serenus est, incitatum ac vibrans, spe, veritate et caritate plenum.

32

Rev.mus P. D. BASILIUS M. HEISER

Minister generalis O.F.M. Conv.

Attenta peculiari indole et fine praesentis schematis nobis exhibiti, quod nempe non est nec esse vult diserta tractatio de Ecclesia aut de orientalibus ritibus, sed sermo exhortationis et invitationis — *exhortationis* ad catholicos de opportunis adhibendis et urgendis mediis in optatissimum christianorum unitatis finem, *invitationis* ad separatos fratres orientis ut nobiscum in plena unitate consocientur — *ipsum schema,* in sua substantia et generali textura valde placet, praesertim quod fraternos ac vere christianos sensus, apostolicum zelum, et sincerum ac sanum oecumenismi spiritum redolet, cum recta ac sobria principiorum enunciatione.

Quamvis ordo *logicus* postularet ut primum examinaretur schema de Ecclesia eiusque constitutione et natura, *et deinde* sermo institueretur de Ecclesiae unitate vel *potius « christianorum* unione » restauranda, tamen praesens schema, quatenus sermo exhortationis et invitationis est et intendit esse, commode potest independenter ab aliis schematibus proferri, paucis et claris enunciatis principiis quae necessarium fundamentum sunt auspicatae unionis in veritate et caritate prosequenda.

Huiusmodi fraternae invitationis ad separatos fratres magnam adesse opportunitatem videmus in hoc Oecumenico Concilio, eo praesertim quod omnium christianorum etiam dissidentium oculi in nos intenti sunt, et Concilii labores benevolo animo atque spirituali nobiscum coniunctione in oratione — quod vix umquam factum est — prosequuntur.

Quamvis autem invitatio Oecumenici Concilii ad omnes separatos fratres dirigenda sit, tamen multiplex ratio suadet ut *distincta invitatio* ad separatos Fratres *orientis* proferatur, uti optime fit in praesenti schemate: nexus enim quibus nos catholici cum iis orientis fratribus devincimur — ob ingens commune patrimonium doctrinae, pietatis ac traditionis christianae — *peculiares omnino sunt et arctiores* quam cum separatis fratribus occidentis. Cum vero « separatos fratres orientis » alloquimur, non eos solummodo intendimus qui *orthodoxi* vocantur, et longe maiorem partem eorum christianorum constituunt, sed illos etiam dissidentes fratres, quorum separatio ex controversiis christologicis quinti saeculi processit (Nestoriani, Iacobitae, Armeni gregoriani, etc.): utique supponitur cum iis recta doctrina christologica explananda. Sub hac consideratione non video quomodo usitata expressio « *fratres separati vel dissidentes orientis* » cum alia particulari substitui possit.

Ut autem ipsum schema tam in substantia quam in forma appareat tamquam insigne documentum apostolici zeli ac fraternae dilectionis Patrum Concilii, ad *breviorem* redactionem, forsan magis concinnam et efficacem, constringi poterit, paucis hic illic emendatis, prouti a Patribus animadversum est, variis quoque suppressis vel breviatis propositionibus et paragraphis quae *vel* superfluae vel prolixae vel redundantes sunt, *vel* minus acceptae esse poterunt, *vel* polemicum sensum (etsi praeterintentionalem) redolere possint, *vel utcumque* non necessariae nec opportunae, pro ipsius apparandi decreti indole ac fine videantur. *In distincto folio exc.mo secretario generali tradam aliquem elenchum* pericoparum quae commode praetermitti poterunt, quin ullum patiatur schema detrimentum: immo magis perspicuum et efficax evadere poterit.

Ex. gr., praeliminares paragraphi (nn. 1-4) de « opere redemptionis », aut de « Ecclesia terrestri et caelesti » et de « duplici Ecclesiae statu », notiones exhibent quae relationem cum proposito schemate vix habere videntur. Etiam subsequentia principia de Ecclesia hierarchica et de visibili Ecclesiae unitate, atque indivisibili unitate (nn. 5-7, pag. 252), clara quidem *at* breviore forma innui poterunt: non enim in iis diserte enunciandis aut illustrandis potest schema immorari, cum alius sit eius finis et indoles, et eorundem principiorum diserta tractatio ad alia remittenda sit schemata. Item ultima paragraphus (n. 52, pag. 266), ubi allusio fit « ad praesentem statum rerum orientalium in Ecclesia catholica », *consultius omitti poterit,* cum eiusmodi laconica enunciatio possit aequivocas interpretationes, quae a Concilii animo alienae sunt, suscitare. Item, quae de « mediis supernaturalibus » ad promovendam unionem pluribus paragraphis proferuntur (nn. 12-17, pag. 255 ss.), optime dicta sunt, sed prolixitatem redolent: breviori ac perspicuo sermone aptius constringi poterunt. Quaedam etiam *biblicae* citationes in variis paragraphis relatae videntur esse redundantes, et aliquando cum contextu non omnino consonae. Ita ex. gr. in paragrapho de « duplici Ecclesiae statu » citantur verba S. Pauli ex epistola *ad Galatas* (4, 26) « *Ierusalem quae sursum est, libera* », eaque referuntur in schemate ad Ecclesiam « quae in caelis consummatur », dum e contra, in contextu paulino verba illa referenda sunt ad *Ecclesiam nostram hic in terris degentem,* in oppositione ad « synagogam ».

Ad n. 10, pag. 254 (*Vestigia unitatis*). Recte extollitur factum historicum, ecclesiologicum et unionisticum maximi momenti, scilicet apud Ecclesias separatas orientis religiose servari commune nobiscum conspicuum patrimonium sacrum. Ut autem *omnibus pateat amplitudo consensus* inter Ecclesiam catholicam et Ecclesias orientis separatas atque veritas verborum Leonis Papae XIII: « non ingenti discrimine seiunguntur: immo, si pauca excipias, sic cetera consentimus, etc. » (*Praeclara Gratulationis,* Epist. Apostolica d. 20 iun. 1894), iuvabit explicite enumerare, etsi summatim, praecipua elementa illius communis consensionis: *eadem* septem sacramenta, *idem* sacerdotium, *idem* Sacrificium Eucharisticum, *realis* hierarchia actu perseverans, plurima

ac praecipua dogmata communiter admissa, permulta subsidia spiritualia, liturgica, canonica, theologica, *multi* sancti et doctores, *omnes* Patres Ecclesiae, ingens acies Martyrum, *par* aemulatio ac filialis veneratio erga Beatissimam Virginem Mariam.

Ad nn. 27-28, pagg. 259-260 (*Media canonica seu disciplinaria*). Placent quidem quae hic leguntur de *agnito et confirmato iure* « quo orientalis Ecclesia pollet se secundum propriam ac peculiarem disciplinam regendi, utpote moribus suorum fidelium magis congruam, atque bono animarum consulendo aptiorem ». Per hoc enim bene consulitur optatae cuidam autonomiae *internae* Ecclesiarum orientalium.

At opportune accederet, in hoc vel in alio loco, aliquod verbum de *autonomia etiam externa, utique relativa,* ac semper in ambitu unius et universalis Ecclesiae: autonomia scilicet respectu Ecclesiarum particularium, sive orientis sive occidentis, immo respectu etiam ipsius *Ecclesiae matris in quantum latino ritui addictae,* salva semper, ut patet, professione unius eiusdemque fidei, atque primatu et universali iurisdictione Romani Pontificis. Quod quidem orientalibus valde acceptum esse novimus, quodque in ipso *can. 1* vigentis Codicis Iuris Canonici explicitam admissionem habere videtur, ubi statuitur quod disciplina Ecclesiae latinae per se non respicit Ecclesias orientis.

Ad n. 13 « media supernaturalia »: ubi sermo est de *insuccessu* et *obstaculis* in obtinenda auspicata unione, verba *nimium pessimismum* redolent: opportune expressiones et verba mitigari poterunt et aptiorem sensum invenient. Ceterum, quae in sequentibus numeris dicuntur de supplicationibus enixe ad Deum fundendis « ad maturandum christianae unitatis bonum » (Leo XIII), ac praesertim de Beatissima Virgine Maria, christianorum omnium Adiutrice atque *christianae unitatis fautrice et auspice,* animos nostros magna fiducia replent.

Ad n. 18 ss., pagg. 257-258, ubi legitur quod « *methodo diversa* oriens et occidens ad divina cognoscenda et contemplanda protenduntur », — adduntur verba quae methodi scholasticae implicitam reprehensionem continere videntur: *non tamen iustam et obiectivam,* ut censeo. Non est enim obliviscendum theologiam scholasticam intendere explicationem et expoliationem *scientificam et systematicam* doctrinae revelationis, in qua ipsa terminologia diligenti ac diuturno labore expolita, suum habet valorem et momentum, non facile spernendum.

Quaedam particulares animadversiones ad textus formam *magis concinnam et expolitiorem reddendam.*

Ad n. 2, pag. 251: expressio illa: Ecclesia « societas *electorum* » aequivoca est nec sustinetur.

Quae in n. 6 dicuntur *de Christo* Ecclesiae capite supremo at invisibili, modo magis positivo exprimi possunt, et breviori sermone (supprimendo vel aliis substituendo verba illa « graviter erraret qui ex dictis concluderet ...

supplantare »). Nec necesse est immorari in dicendo quod Successor Petri gratiam recipit sicut ceteri fideles, etc.

In n. 7, pag. 253, supprimantur omnino ultimae quatuor lineae (« Error multo perniciosior ... caelestis ») et alia, in eadem paragrapho, forma magis succincta proponantur.

In n. 9, pag. 254: verba « *et quidquid est de salute individuorum* »: supprimantur verba ista, quae orientalibus minus accepta esse poterunt: — ceterum satis in superioribus lineis dictum est quod omnes qui *in bona fide versantur,* « ab Ecclesia vera quodam modo alieni non sunt ». Etiam usitata illa verba « *in bona fide* », in dialogo vel invitatione ad separatos fratres, vitari poterunt, et cum aliis substitui (ex. gr. ... « *qui recto ac sincero animo* », et similibus).

Integra paragraphus n. 13, pag. 255, supprimi potest, utpote redundans ac superflua (de necessitate orationis et recursus ad Deum, in praecedentibus ac subsequentibus numeris abunde sermo fit); ceterum verba huius paragraphi (« ... tot et tanta remanent obstacula ... *desperandum sit* ») nimium pessimismum redolent.

Pag. 256, lin. 4: loco dicendi « *iubet* S. Synodus », aptius dicatur: « *urget* ... ». Et in genere animadvertitur quod nimis frequenter schema adhibet *praeceptiva* verba, ubi magis opportuna et efficacia esse possent *propositiva* verba vel exhortativa (ubi sermo est de variis mediis a catholicis adhibendis: ex. gr. in n. 42, pag. 264: « *erigatur* quoddam Institutum »: satius erit dicere: « *Optandum* insuper est ...).

In n. 18, pag. 257 (*de mediis theologicis*): quae in *ultimis tribus lineis* leguntur (« Non tamen necessarium est ... exponatur »), nimis fortiter dicta sunt, et implicitam reprehensionem methodi scholasticae continere videntur.

Pag. 258, lin. 3: « ... a variis systematibus »: melius dicatur: « a variis *theologicis* systematibus ».

In n. 24, pag. 258 et seq.: integra pericopes: « *Maxima itaque religione ... redire gaudeant* », supprimatur, utpote superflua, et aliena a peculiari fine ipsius schematis.

In medio n. 29 (media psychologica), pag. 260, citatio verborum S. Ioannis Ap. « qui non diligit fratrem ... » omnino superflua est, et bene supprimi potest.

Integer n. 31, ceterum omnino prolixus (ubi sermo fit de agnoscendis utrimque culpis quoad praeteritam historiam ...), *valde inopportunus* videtur, saltem ea forma qua propositus est.

In n. 35, pag. 262, lin. 25: « virulentus hostis ... *sustinendus* et repellendus est »: melius dicatur « repellendus est, eique viribus unitis *fortiter resistendum* ».

Ibidem, lin. 26: loco verborum « in pugna *spirituum...* », melius dicatur: « in *spirituali* pugna » (vel: colluctatione).

33

REV.MUS P. D. IOANNES HOECK
Praeses Congregationis Bavaricae O.S.B.

Certo negari nequit schema de unitate esse exaratum omni qua par est cura et diligentia et sincera erga fratres dissidentes caritate. Si tamen, saltem ex parte, non omnibus placet, id non solum evenit ex defectu debitae coordinationis et collaborationis competentium commissionum (qui vero defectus certe non commissioni orientali est imputandus), sed etiam, et quidem praeprimis, ex difficultate vel potius impossibilitate componendi res incompatibiles. Ex una nempe parte exprimenda erat plena et sincera promptitudo ad unionem faciendam, ex altera vero parte nil erat sacrificandum vel supprimendum integrae veritatis. Sed ista difficultas semper aderit in omnibus eiusmodi conatis et ita numquam videtur posse impleri mandatum Domini, ut omnes sint unum. Quia sicut nos credimus et confitemur nostram Ecclesiam esse veram Ecclesiam Christi, sic et fratres separati id bona fide credunt et confitentur et debent credere, si nolint negare se esse christianos. Est enim haec fides fundamentum existentiale uniuscuiusque ecclesiae christianae et est logice et psychologice impossibile id dimittere. Ad impossibile vero nemo tenetur. Quid ergo? De unione desperandum? Vel solummodo dicendum possibile esse apud Deum, quod impossibile esse videtur apud homines? At non sunt leviter et praesumptuose exspectanda miracula, sed debemus etiam ipsi viam quaerere, et si viae ordinariae non ducunt ad finem, debemus et extraordinarias et inusitatas quaerere. Peto ergo veniam, si talem viam proponere audeo. In eo mihi consistere videtur, ut redeamus ante schisma et quaeramus commune patrimonium nostrum. Non possumus a fratribus orientalibus exspectare et poscere, ut uno saltu transsiliant septem vel decem vel adhuc plura saecula. Relinquamus ergo eam, quae hisce saeculis in Ecclesia occidentali evenit, evolutionem doctrinae et explicitationem fidei, non utique negando vel corrigendo vel celando, immo ne tacendo quidem, sed simpliciter non urgendo. Nonne et christiani ante hanc evolutionem salvi fiebant et forsan plures quam hodie? Credebant enim impliciter, quae postea explicitata sunt. Et quid loquor de praeteritis? Numquid hodie simplices fideles credunt omnia explicite, quae in nostris manualibus dogmaticis et collectionibus conciliariis inveniuntur? Ita etiam fratres separati implicite credunt, quae nos explicite confitemur. Credunt implicite dogmata Mariana, credunt Purgatorium, credunt implicite et Primatum Petri, uti prima Concilia demonstrant. Numquid non et ipsis hoc sufficit, saltem interim? Suo tempore Spiritus Sanctus et ipsis suggeret omnia. Debetne explicitatio fidei ubique terrarum eadem semper esse et modo et tempore? Si quando illud Apostolorum est respiciendum et adhibendum « Non inquietari eos » (*Act.* 15, 19) et: « Visum est Spiritui Sancto et nobis nihil imponere vobis quam neces-

saria » (*Act.* 15, 28), nonne in quaerenda unione? Sed est irenismus, dicetur. Utique est irenismus, sed nonne est ille irenismus, de quo dicit Dominus: « Si cognovisses et tu, quae ad pacem tibi sunt! »? Christus, si adesset ipse visibiliter in hac aula et audiret nostras disputationes et videret nostras praeoccupationes, forsitan diceret et nobis: « Fratres, fratres, solliciti estis erga plurima, unum est necessarium, hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem! » tunc brevi eritis unum.

34

Rev.mus P. D. IOANNES B. JANSSENS
Superior generalis S. I.

Unum praemitto quod magni momenti videtur: cum optatur ut « omnes unum sint », agitur in hoc schemate de orientalibus separatis tantum. Hi enim in genere fidem orthodoxam servarunt, ac per se tantum schismatici sunt.

Nihil autem dicet Concilium de protestantibus illis bene multis qui, quamquam in rebus gravibus a fide recta defecerunt, tamen et ipsi desiderant « ut omnes unum sint »; immo, id ardentius desiderant quam ipsi orientales separati? Nonne capiti de orientalibus alterum addendum est caput, non minore gravitate atque aequa cum caritate, de christianis (qui nempe credunt in Christum, Deum et hominem, Redemptorem humani generis) protestantibus (utputa Anglicanis, Lutheranis, Calvinistis plurimis)? Quo tempore haec scribuntur, multi protestantes invitationem ad Concilium tamquam « observatores » acceperunt, nonnulli eorum capita adiverunt Summum Pontificem; idem non dici potest de orientalibus dissidentibus. Num protestantes ignorabimus?

Quod ad ipsum hoc schema *de unitate Ecclesiae,* ad orientales spectans, hoc noto in genere: duas fere tendentias in eo distinguis. Longe maior pars schematis eminet caritate, reverentia erga dissidentes, moderatione in proponenda doctrina recta de Ecclesia. Alia autem pars quaedam — de singulis rebus infra —, potius aliqua polemica duritie laborare videtur. Certe oportet — et ipsi separati hoc cupiunt —, omnino sincere et clare profiteri doctrinam catholicam iis in rebus ubi orientales separati ab ea discesserunt. Aliud autem est clare et sincere affirmare, aliud duriuscula ratione obtrudere. Corrigantur illae partes ad mentem reliqui schematis.

Pag. 251, n. 3, lin. 28: minus felix videtur locutio « mundus nondum *absolutus* est »; vox est aequivoca. Nonne substitui potest textus S. Pauli ex multis qui de hac re agunt?

Pag. 252, n. 5, lin. 20: « manifeste voluit »: cum non pauci orthodoxi id negant, nonne aptius diceretur simpliciter « voluit », omisso verbo « manifeste », ne isti offendantur plus quam oportet?

Pag. 253, n. 6, lin. prima: « sive *solus* »; omnino verum sensu a Concilio Vaticano I plenius declarato. Nonne opportunum foret verbum « solus » hic brevi declaratione munire, ne ansam demus falsae interpretationi orthodoxorum? « Solus » enim significat « tamquam caput visibile Ecclesiae », quod ex assistentia Spiritus Sancti a corpore Ecclesiae in rebus fidei et morum sese seiungere non valet.

Pag. 253, n. 7: hic inseritur textus durior, praesertim a lin. 15. Eadem haec dici recte et sincere possunt modo magis evangelico et cum caritate. Et sub hoc respectu prorsus displicet linn. 31-34. Ad quid? Eo vel magis quod non pauci orthodoxi, etiam ex altissimis eorum Hierarchis, amare deplorant istam ingerentiam. Nec obliviscamur quantam ingerentiam potestatis civilis olim Ecclesiae catholicae ipsa toleraverit et adhuc in quibusdam rebus tolerat!

Pag. 254, n. 8, linn. 3-5: estne opportunum *iterum* insistere in necessitate auctoritatis unicae? Eo vel magis quod orthodoxi illam auctoritatem intellegent de auctoritate ad extremum usque centralisata quae paulatim obtinuit in Ecclesia occidentali? Sine damno omitti possunt hae lineae, cum res de qua agitur alibi satis affirmetur.

Pag. 254, n. 9, linn. 11-12: « sine quibus fides et mores christiani non perfecte praeservantur ». Nonne haec quoque melius omittuntur? Ecclesiae orientales separatae, quidquid est de quadam « anarchia » inter earum theologos, fidem et mores, non perfecte quidem quod ad omnia, mirabili tamen fidelitate servarunt. Ne sine fructu offendantur.

Pag. 254, n. 11: crediderim non adeo insistendum esse in conatus ex parte Ecclesiae catholicae ut omnium in Christo credentium communionem promoveret. Non pauca sine negotio congeri possunt quae e contra tendentias diversas in sinu Ecclesiae catholicae manifestent.

Opportunum vix videtur nec multum insistere in errores ex parte catholica admissos, nec nimis extollere merita catholicorum in hac re.

Timendum ne hic numerus tempestatem polemicarum ex parte orientalium separatorum provocet; nec omnia erunt ad laudem Ecclesiae catholicae.

Pag. 255, n. 13: estne opportunum declarare in Concilio causam unitatis humano modo adhuc desperatam videri?

Pag. 255, n. 14, lin. 12: discidium non est inter Ecclesiam catholicam et Ecclesias *orientales*. Ut simul vitetur perpetua illa oppositio inter Ecclesiam catholicam (quam notionem recusant orientales separati, iuxta quos *nos* sumus schismatici) et ceteros nonne dici potest « discidium quod a saeculis invaluit inter eos qui in Christo credunt », vel aliquid eiusmodi.

Pag. 256, n. 16 pulchrum praebet exemplum de expositione vera, sincera doctrinae, simul vitata mentione explicita rerum quae offendere natae sint, quamvis ad depositum fidei pertineant. In hoc enim numero tacetur, et opportune, de definitionibus Immaculatae Conceptionis et Assumptionis

quas orthodoxi, quamquam doctrinas in eis contentas et ipsi de facto profitentur, tamquam definitiones, 7 Conciliis posteriores, reiciunt.

Nonne et in aliis locis huius schematis tale prudens silentium imitari expedit?

Pag. 257, n. 18, linn. 12-14: rectum est quod intenditur; modus dicendi parum felix.

Pag. 257, n. 21, rectissime commendat ut abstineatur a modis dicendi qui discidia acuere nati sint. Utinam hoc in quibusdam huius schematis partibus plenius observetur!

Pag. 258, n. 22: Idem alio modo dicatur, qui non offendat. Commendetur plena sinceritas in exponenda fide catholica genuina; sed abstineatur forma negativa « Caveant theologi... ».

Pag. 258, n. 23, lin. 27: nonne melius omittitur mentio Concilii Florentini, quod apud orthodoxos non bene olet?

Pag. 259, n. 27, linn. 30-32: omittatur haec explicita mentio rerum « quae periculum generant animarum et ecclesiasticae derogant honestati », quae est offensiva pro orientalibus separatis, et aliunde per se patet. Nonnisi diffidentiam gignet apud dissidentes.

Pag. 263, n. 37, linn. 3-5: lapsus aliquis typographi? Sententia incohaerens.

Pag. 264, n. 40, linn. 15: « in unaquaque dioecesi et religione »? In magnis dioecesibus et in maioribus religionibus res erit possibilis; alibi non.

Pag. 264, n. 42: Concilium exprimat votum ut clerici orientales vel orienti destinati possint theologiae studere secundum rationem docendi et discendi orientalium; ulterius ne res definiat, ne postea, ut praevidere est, difficultates ordinis practici praescriptum Concilii reducant ad « litteram mortuam » ut dicitur. Determinationes practicas linquat Sanctae Sedi.

Pag. 265, n. 44: idem dixerim: talia linquantur Sanctae Sedi. Sunt enim difficultates practicae.

Pag. 265, n. 46: cum id iam factum sit a Sancta Sede, non est cur Concilium id praescribat; ad summum petat ut secretariatus existens perpetuus maneat.

Pag. 266, n. 50: omittantur potius verba « servatis iis quae de professione fidei sunt servanda », perinde ac si ageretur de haereticis; talia relinquantur administrationi ordinariae Ecclesiae; et certe supprimantur, ob causas superius dictas, linn. 35-36 ea quae de rebus rectae fidei et moribus adversis.

35

Exc.mus P. D. MARTINUS ANTONIUS JANSEN
Episcopus Roterodamensis

Nomine Conferentiae episcoporum neerlandicae schema decreti *de unitate Ecclesiae* quoad tenorem generalem laudare velim. Animadversiones maioris momenti circa hoc schema iam ab aliis tractatae sunt; parva tamen notare velim quoad particularia.

1. Sub n. 4 et sub n. 7 (lin. 9), nimis arcte affirmatur quod status caelestis Ecclesiae est iam consummatus; consummatio tamen Ecclesiae plena erit tantummodo in fine saeculorum.

2. N. 23 in aliquibus ambiguus est. In lin. 11 loquitur de christianis orientalibus, secundum contextum in sensu orientalium sive unitorum sive non unitorum. In lin. vero 23 dicitur quod Ecclesia *iubet* ut patrimonium commune ab orientalibus custodiatur. Numquid iubet Ecclesia orientalibus non unitis? Loco « iubet » dicatur « maxime desiderat ».

3. Sub n. 35 melius dicatur ut « aciem communem contra *ubique* gliscentem atheismum et materialismum constituant », secus concatenatio verborum « atheismus » et « materialismus » male intellegi possit.

4. Demum expresse laudare velim par. 35, in quo humilis confessio habetur et in quo laudabiliter dicitur quod « erroribus tempore acto utrimque commissis, unius populi christiani fratres in varias abierunt partes ».

36

Exc.mus P. D. IULIUS GEORGIUS KANDELA
Episcopus tit. Seleuciensis pierius, aux. patr. Antiocheni Syrorum

Pag. 251: novem lineae exordii schematis *de Ecclesiae unitate* sensu litterario non desunt; sed postea versus Scripturae Sacrae apponuntur confuso modo, et secundum meam humilem opinionem, rectius ordinarentur ut sequitur: lin. 9: « Sed per mortem et resurrectionem Iesu Christi impertitur gratia qua genus humanum fit " nova creatura " sicut S. Paulus in alio loco refert: " induentes Christum et novum hominem per baptismum "; et sic renovati fiunt "Corpus Christi et membra de membro "; " ubi non est gentilis et iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus " et " ubi fideles in unitatem cum Christo et inter se renovati " omnes fiunt unum in Christo Iesu ».

Eodem modo par. 3, lin. 23: « 3. Salus autem nondum plene consummata est. Siquidem Christus ipse, ut caput huius societatis electorum " sedet ad dexteram Dei " plenus gloria aeterna... ».

Nemo non videt hanc constitutionem *de unitate Ecclesiae* inspirationi cordis paterni solius Pontificis Ioannis XXIII esse attribuendam. Itaque, propter unitatem inter catholicos et acatholicos christianos instaurandam ac constituendam convenientissimum esset exemplum sequi B. Pauli apostoli, qui erat inter apostolos primum adiutorium Petri ad Ecclesiam aedificandam. Etenim, propter paganos diversae gentis lucrandos ad fidem in Christo, Paulus non cessavit praedicare, epistolas multiplicare, orationibus operam navare, multas persecutiones et tribulationes sustinere. Sed et ad exemplum Christi in Ioanne haec verba protulit: « propter eos meipsum sanctifico ut sint sancti in veritate ». Paulus etiam ad sanctificationem suam multum adlaboravit.

a) De praedicatione multa dicta sunt et eam praetermitto ad unam tantummodo animadversionem alludendo quod praedicatores et animarum administratores deberent gratis laborare in puritate intentionis et abnegatione ad fratres separatos adducendos ad Christum et Orientalem Matrem Ecclesiam, et non ad alienum ritum lucrandos. In mentem enim meam venit ab adolescentiae aetate, quod quidam Pater inscribebat neophytos adductos ad rectam fidem in alienum ritum quod non erat suum; et quod illi neophyti reversi sunt omnes ad maiorum fidem praeter tres familias adscriptas in ritu proprio orientali qui perseveraverunt in Ecclesia catholica usque ad finem cum eorum descendentibus.

b) Dictum fuit etiam de momento propagationis fidei vi preli catholici ac de necessitate habendi instrumentum modernum ad hanc operam tanti ponderis aptum.

c) Magnus animarum expugnator divus Paulus sciebat quod non sufficiunt ad istud praelium inter veritatem et eius negationem duo allata media; propterea, non tantum ad orationem dedit operam, sed et seipsum in sacrificium praebuit ad exemplum D. N. Iesu Christi, aerumnas ac plagas et carceres sustinuit, suum corpus domuit et per ieiunia mortificavit. Nos pastores gregum debemus exemplares esse in hoc certamine. Sed insuper, parvulorum ac infantium orationem et mortificationem amat et exaudit Dominus sicut legitur in Scripturis: « ex ore infantium et parvulorum praeparasti laudem ». Quapropter incumbit nobis ut doceamus infantes et alumnos scholarum utilitatem et dulcedinem ambulandi in spiritu mortificationis voluntariae, ad obtinendam gratiam pacis et concordiae inter Ecclesias, eleemosynas largiendi, candelas in altari Dei accendendi, aegritudines ac molestias vitae cum patientia sustinendi.

Oh! quam sapiens et opportunum fuit decretum Pontificis Ioannis XXIII largiendi indulgentiam quingenti dierum quotiescumque fidelis incommoda moralia ac physica dat in sacrificio Deo per quamlibet orationem, et indulgentiam plenariam secundum praescriptas condiciones.

d) Demum et in summum consilium praebitum a S. Paulo, scil. quoad propriam sanctificationem deberemus non tantum nosmetipsos ingressuros sanctorum vestigiis, sed oporteat orare pro fratribus separatis ut viam sancti-

tatis prosequantur. Habent enim fratres eadem media sacra, possident idem Evangelium cum 7 sacramentis, atque euntes in bona fide et amore ad Deum, consecuturi sunt vitam aeternam sicut nos.

Maiores nostri ante 200 annos nonnisi per sanctitatem vitae et morum meruerunt unionem cum Ecclesia Romana phari veritatis. Erant enim viri religiosi, erga pauperes misericordes, in ieiunio quadragesimali se abstinebant a carne et lacticinio, nonnulli ab occursu ad occasum ieiunabant, sine superbia et absque defectu ad Missam dominicalem et ad solemnitates festorum assistebant; propterea maluerunt persecutionem et carceres potiusquam revertere ad pristinam minus rectam fidem.

Praeterea, qui dicit unitatem, ipso facto dicit sanctitatem. Immo cum Ecclesia confitemur unam Ecclesiam, sanctam catholicam et apostolicam — quibus notis S. Pius X adiiciebat persecutatam, sicut antea dictum fuit de necessitate ferendi tribulationes et aerumnas.

Iam nos nati sumus in Ecclesia catholica sine ullo merito in quantum attinet ad nos. Sed habemus quod adhaeremus profunde ad eam et volumus vivere et mori in sinu eius. Si ardenter cupimus unionem fratrum nostrorum, deberemus vestigiis patrum nostrorum ingredi, bonum exemplum vitae integrae demonstrandi, ideale caritatis erga Deum et proximum amplectandi, inter nosmetipsos semper in concordia vivendi, servitia et tempora nostra non tantum ad fidelium nostrorum, sed ad acatholicorum fratrum consecrandi. Oporteat ad exemplum S. Pii X, qui in primis annis sacerdotii sui visitabat protestantes et catholicos fideles sine discrimine, communicationem cum separatis inire, iniuriam alicui eorum facere, episcopos et sacerdotes eos cum veneratione et obsequio visitare.

Non eamus ad fratres nostros cum argumentis et rationibus, sed cum nostro humili amore, quia veritas et unitas non comparantur auro. Sunt enim dona a Deo facta servo fideli, qui vere amat Deum et proximum, et ei bonum vult usque ad boni materialis proprii iacturam. Tunc possumus cantare cum Psalmista: « Quam bonum et iucundum habitare fratres in unum ».

37

Exc.mus P. D. HENRICUS THEOPHILUS KLONOWSKI
Episcopus tit. Daldianus, aux. Scrantonensis

Schemata constitutionum et decretorum, seriem I, quod attinet, utile videtur, salvo meliore iudicio et si permissum sit nunc hoc proponere, ut in schemate decreti *de Ecclesiae unitate,* « *Ut omnes unum sint* », aptis vocibus exprimatur magis explicite in una aliave paragrapho (5, 6, 7) conceptum quod Ecclesia visibilis caput visibile habeat necesse sit.

Fortasse hoc fieri possit pag. 252, par. 5 (Ecclesia hierarchica), lin. 16, si post vocem « quem » adiiciatur « veluti super petram visibilem ». Textus

ergo ita sonaret: « Et inter apostolos Christus elegit Petrum tamquam principem et caput, super quem veluti super petram visibilem aedificaret Ecclesiam (*Mt.* 16, 18) ».

Ratio est, quia quamvis hic conceptus iam implicite in istis paragraphis continetur, explicita expressio eius erroneam interpretationem plurimorum acatholicorum in verba Christi « supra hanc petram » quasi « petra » significaret « fidem », clarius corrigeret.

38

Exc.mus P. D. GEORGIUS LAYEK
Archiepiscopus Aleppensis Armenorum

In disceptatione de schemate *de unitate Ecclesiae,* quaedam valde dura prolata sunt ultimis diebus a quibusdam exc.mis Patribus, de Ecclesiologia quam ipsi orientalem nuncupant, de Oecumenismo, de ratione agendi Ecclesiae occidentalis erga orientales.

Forte multi Patres putaverunt agi de communi sententia omnium Ecclesiarum orientalium catholicarum. Fas mihi sit, salva reverentia et praeter iudicium de intentionibus oratorum, quae certe nonnisi ex zelo pro unione et ex amore erga fratres dissidentes procedunt, fas mihi sit declarare, illa dicta omnino aliena esse a nostra mente et a nostro sensu.

Filii orientis sumus et nos, atque veneratores et propugnatores spiritualis patrimonii et traditionum Patrum, ingenti quoque ardemus desiderio ut in patria domo nobiscum congregentur fratres nostri dissidentes omnes, praesertim illi quibus coniuncti sumus eadem communi stirpe eademque cruenta historia avitae fidelitatis Christo, attamen fatemur nos non tam bene intelligere locutiones illas quibus aliqui mulcere conantur traditionalem doctrinam de Ecclesiae unitate eiusque monarchica indole (cum loquerent de collegialitate principaliter et de duplici Ecclesia-fonte: « Eglise-source » etc.). Immo per saecula edocti sumus simul cum fratribus nostris dissidentibus, per patristicam traditionem orientis, Ecclesiam ut matrem venerandam unam (locutiones de pluribus ecclesiis lato sensu sumuntur ut partes unius dominici gregis). Sic Clemens Alexandrinus: « una autem sola est mater virgo: mihi autem placet eam vocare Ecclesiam ... integra quidem et inviolata ut virgo, amans autem ut Mater » (*MG,* 8, 300); tamen quot rugas quot maculas quot imperfectiones in ea invenire putant aliqui.

Dicitur et repetitur quod sincerus oecumenismus informari debet a caritate, verum est quidem sed primum et praecipuum caritatis oecumenicae obiectum nonne ipsa Mater Ecclesia esse debet? Nescio quantum opportunum et quantum oecumenicum sit queri cum fratribus separatis de quibusdam actibus legislativis et administrativis Sedis Apostolicae vel utrum per hoc regereatur et facilioris aditus fit via Unionis.

Meo humili iudicio oecumenismus incipit a mutua existimatione et actuosa

caritate inter nos et fratres acatholicos, et in sincera cooperatione in campo practico actionis et communis orationis pro unione christianorum, sicut optime notatur in par. 35. Testimonium valde modestum praebere auderem de eo quod fit in regionibus nostris cum fratribus nostris sic dictis Gregorianis, ubi iam ab annis incohata est intima collaboratio in campo culturali scholastico (communi conatu defendendo scholam christianam contra indebitam intromissionem gubernii islamici), caritativo, simul et communi solemnitate celebrando festa religiosa nationalia ut ex. gr. commemoratio martyrum sic dictae magnae caedis nationis armenae anno 1915, qui per centena millia millium in odium Christi trucidati fuerunt. Hoc iam generat fraternam sympathiam et mutuam venerationem quae nos ducit ad dialogum unionis fraternum, positive et sine peculiari difficultate.

Quoad schema ipsum in specie, aliquae animadversiones humiliter exponere auderem:

1. Primae quatuor paragraphi ita emendentur oportet ut tollatur quaevis ambiguitas circa doctrinam de Ecclesia ne intelligantur false, ad mentem quorumdam auctorum acatholicorum (Ecclesia caritatis).

2. Quod attinet ad par. 5 et sequentes in pag. 252, aptissime exponuntur praemissae illae doctrinales genuinae ecclesiologiae, quae cardinem constituunt veri oecumenismi et a quibus incipiat oportet quivis sincerus dialogus cum fratribus dissidentibus quippe qui nihil magis cordi habent quam scire tandem, quid firma fide nos teneamus et cum ipsis fraterna caritate condividere cupiamus. Haec enim videtur fuisse praecipua ratio qua ductae sunt confessiones separatae, cum observatores suos ad hoc S. Concilium miserunt. Ideo expositio clara et sincera doctrinae de Ecclesia nullo modo offendiculum praebet dissidentibus. Desideratur tamen ut illae praemissae paulo illustrentur sententiis SS. Patrum orientalium qui tam clare et luculenter locuti sunt de constitutione *monarchica et hierarchica unius Ecclesiae* a cuius visibili Capite seu a Petri Successore et ipsi quidem omnia in ordine pastoratus receperunt, videlicet communionem ecclesiasticam et iurisdictionem secundum illud Gregorii Nysseni: « (Christus) per Petrum episcopis dedit clavem caelestium bonorum ». Ne dicatur igitur: Ecclesiae orientales nec Patres orientales nihil a Sede Romana receperunt.

3. Quod attinet ad media psychologica ibi sermo est de agnoscenda humili spiritu, respectivam culpabilitatem scissionis christianorum ab utraque parte, a catholicis sc. et acatholicis. Sed hoc valde moderate fieri debet et nullo modo ansam praebere debet nobis errores quorumdam individuorum tribuere universae Ecclesiae occidentali, acriter loquendo de missionariis latinis eorumque ineptis agendi modis; hoc minime iustum videtur et parum historicum si « generalizatur » nam Missionarii latini magnum meritum habuerunt in opere reconstitutionis hierarchiarum quarumdam orientalium catholicarum saec. XVIII et in institutione seminariorum pro quibusdam communitatibus... simul et in custodiendo maximis sacrificiis Loca Sancta. Nonne errores paucorum ad universam Ecclesiam extendendo indebite, obstaculum

praebemus causae Oecumenismi, cum in animo fratrum separatorum generemus iniustam diffidentiam erga ipsam Matrem Ecclesiam.

Verus irenismus incipere debet a caritate utique sed etiam a veritate et iustitia: Prima caritas Veritas.

4. Humiliter petere auderem, ut par. 52, pag. 267 supprimatur simpliciter quia sat gravi aequivocationi ansam praebet cum acatholici putarent praesentem statum rerum in contumeliam esse ecclesiis orientalibus. Cum autem agatur de rebus ecclesiasticae institutionis quae ex natura sua mutari possunt secundum exigentias temporum, ne dicatur hanc mutationem esse meliorem ordinationem, quia tunc acatholici retorquerent: cur igitur Sedes Apostolica hactenus non contulit ordini hierarchico orientali illam perfectiorem formam quae « Orientalium dignitati et momento melius conferat ». Nullo modo igitur paragraphus necessarius est immo est oecumenismo nocivus.

Concludendo: schema de unitate Ecclesiae, adiectis quibusdam emendationibus, iam supra expositis vel ab aliis Patribus indicatis, omnino placet.

39

EXC.MUS P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK
Episcopus Epiphaniensis in Syria

Humiliter propono Sacrosancto Concilio Vaticano II emendationes sequentes:

A) Nn. 5 et 6, pag. 252 et 253 nimis concise referunt lin. 25, 31, 34 pag. 252, quae de Petro tamquam fundamento collegii apostolorum, atque quae de successoribus Petri agunt tamquam fundamentis collegii episcoporum. Etenim fratres separati expectant a nobis hanc doctrinam, praesertim hoc in loco, qui agit de unitate Ecclesiae, magis praecisam et claram.

Revera, si ipsi absque studio Ecclesiam primitivam considerant, animadvertent in ea elementa fundamentalia Ecclesiae catholicae in formatione. Inter quae elementa auctoritas Petri emergit in collegio apostolorum. Quae auctoritas, non limitatur solum ad verbum Dei annuntiandum, sed in germine iam comprehendit plenitudinem muneris in sensu Concilii Vaticani I, iam descriptam in tribus imaginibus evangelicis: de fundamento (*Matth.* 16, 8), de clavibus (*Matth.* 16, 8), de ligando et solvendo (*ibidem*); scilicet: potestatem spiritualem docendi, iudicandi et gubernandi, seu comprehendit responsabilem directionem spiritualem totius Ecclesiae; quae rationem reddit loci specialis quem Petrus occupat super Apostolos.

Iam vero haec potestas spiritualis non apparet tamquam privilegium personale Petri, sed transmittitur ad successores legitimos eius. Quod *fide* eruitur ex hoc quod Salvator noster permanere vult in sua Ecclesia usque ad consummationem saeculorum. Revera tantum *fides* nostra in Iesum Chri-

stum nos certiores facit de duratione praeeminentiae Petri in suis successoribus usque ad consummationem saeculorum. Dum *historia* nos docet Petrum Romae mortuum esse et episcopos Romae se semper considerasse tamquam successores Petri, cum exclusione aliarum sedium episcopalium. Quidquid sit de ulteriore determinatione historica sic dicti Primatus Petri duo facta apparent solidissima in antiqua traditione christiana, nempe: 1. Conscientia catholica consideravit unionem cum Petro et cum Ecclesia Romana tamquam necessitatem fundamentalem christianismi et salutis; 2. iam a primis saeculis Ecclesia Romana persuasionem habebat suae praeeminentiae, tamquam Ecclesiae principalis, ut regulae in formatione fidei, dogmatum, morum et cultus. Quae regula fundatur in praesidentia amoris, quam Divinus Salvator ter a Petro postulaverat, quando ei munus pascendi oves concredidit.

Ideo fide credimus quod in Episcopo Romae habemus Petrum cui Christus promiserat in Caesarea se aedificaturum super eum suam Ecclesiam; et cum Ecclesia Christi etiam fidem viventem in Filium Dei, factum hominem. Ubi enim non est Petrus, ibi etiam labefactatur communitas fidei et cum communitate fidei, ipsa fides in Iesum Christum.

B) *Ad particularia*:

1. In pag. 252, lin. 9: post « Hic remanent » addatur « in Ecclesia terrestri », claritatis gratia.

2. In eadem pagina lin. 26 loco « supplantare » ponere verbum magis latinum, puto « sufficere ».

3. Ex n. 6 « De unitate visibili Ecclesiae sub Petro » non apparet successores Petri esse Episcopos Romanos.

4. In pag. 253, lin. 2: saltem breviter explicetur magisterium infallibile cuius ibi mentio fit.

5. In lin. 33 pag. 252 deberet saltem brevis indicatio fieri: aspectum iuridicum Ecclesiae revera fundari in ordine amoris et gratiae.

6. Inter media practica apostolatus pro unitate Ecclesiae, sicut in n. 38, pag. 263: praeter alia media: promovendi sunt ritus orientales non solum apud dissidentes reversos ad fidem catholicam, sed etiam apud non christianos conversos ad fidem, Asiae et Africae; qui ritus nempe videntur magis adaptati ad mentalitatem et indolem istorum populorum.

40

Exc.mus P. D. IACOBUS MANGERS
Episcopus Osloënsis

Nobis, qui in plagis septemtrionalibus Europae apostolatum catholicum exercemus, ut minima pars inter dissidentes, *Schema VII, « Decretum de Ecclesiae unitate »* evidenter speciali modo corde tenet. Hoc in capite prae omnibus exstant spes nostra sicut etiam exspectationes ipsorum dissidentium,

praesertim fratrum nostrorum lutheranorum, qui in his regionibus numerice praevalent.

Fuse et positive necnon caritate ipsius Christi Domini penitus pellucens hoc schema decretorum viam et media proponit, quae nequeunt nobis nisi cum intimo gaudio implere. Verumtamen, sermo hic quasi unice est de fratrum ecclesiarum orientalium unione cum Sede Sancta. Ut revera primi proximique sunt intuitu unionis, omnibus facile patet. Sed, ut sub n. 12 in schemate notatur, Sanctam Oecumenicam Synodum se prae oculis habere proponit unionem omnium qui christiano gloriantur nomine.

Quapropter liceat nobis desiderium exprimere quod et alii dissidentes non intentionaliter tantum includantur aemulatione unitatem obtinendam, sed *expresse ac aperte nominentur.* Media supernaturalia et theologica et praesertim illa psychologica et practica quae in schemate proponuntur, mutatis mutandis, optime adhiberi possunt etiam quoad lutheranos aliosque protestantes.

De cetero non nobis videtur alias animadversiones alicuius momenti faciendas esse, nisi forsitan nonnullae definitiones et expressiones quae accuratius ac clarius formari possent.

Maximi momenti autem putavimus esse firmam condemnationem eae immanis iniustitiae quae adhuc viget in mundo relate ad bonorum materialium distributionem.

41

Exc.mus P. D. HENRICUS MAZERAT
Episcopus Andegavensis

Generaliter placet hoc schema quod multum adiuvare potest ad unitatem omnium christianorum promovendam, secundum praestantem intentionem Ioannis XXIII.

Sed videtur orientales in mente quasi exclusive habere, non anglicanos nec protestantes (quorum multi ut observatores erunt in aula Concilii), nec « Consilium oecumenicum Ecclesiarum (C.O.E.) ». Illae omissiones periculosae videntur; occasionem darent contentionibus, quae multum nocere possent ad finem, scilicet reconciliationem christianorum attingendam. Si Concilium, non tantum prosequitur, sed etiam aliquo modo *prosequi videtur,* politicam divisionis inter orthodoxos et protestantes, reactio non tantum protestantium sed orthodoxorum vehemens erit, et consequentiae gravissimae (ut vidimus in sic dicto « Incident de Rhodes »).

Pag. 254, n. 11: « Ecclesia nunquam ... cessavit ». Textus ficte suggerit omnia semper in hoc negotio fuisse perfecta.

Pag. 256, n. 16, linn. 24-25: « de eius mediatione et protectione ». Sufficit: « *de protectione* ». Notio mediationis enim, cum sit quodammodo ambigua, explicatione indiget. In schemate quod etiam ad protestantes attinet, haec

clausula inutiliter difficultatem praeberet, quin addatur ad conciliationem orthodoxorum.

Pag. 262, n. 35: « defendendum ... defendi ... aciem ... virulentus hostis ... machinatur et minatur ... repellendus ... pugna ... armis ... confligere », etc. Saltem voces, nimis pugnaces videntur cum agatur de praelio cuius arma principaliter consistant in caritate, et ubi non mortem sed conversionem inimicorum quaeritur.

Pag. 265, n. 46. Placet ut instauretur talis « congregatio virorum peritorum » ad promovendam unitatem.

Pag. 266, n. 50, lin. 36. Male sonat vox: « expunctis ».

42

Exc.mus P. D. IOANNES McELENEY

Episcopus Kingstonensis

Decretum tractat fere exclusive de fratribus separatis orientalibus. Simili modo eadem caritativa et humanissima invitatio ad unionem praebenda est fratribus protestantibus occidentis.

43

Exc.mus P. D. IOSEPH MELAS

Episcopus Galtellinensis-Norensis

Schema decreti *de Ecclesiae unitate* nobis ad disceptandum propositum maxima diligentia perlegi, et quae de eodem his diebus in Concilio a multis Patribus dicta sunt vivida delectatione audivi.

Quae huius schematis substantiam respiciunt omnino probanda et penitus admittenda puto. Agitur enim de re tanti momenti quae non solum placet, sed et animum movet et commovet, et ad magnam provocat spem.

Tam magna enim est nobis in schemate proposita causa, tanti ponderis, tam necessaria, tam magnopere in plurima cetera redundans ut totam ipsam Ecclesiae historiam longe lateque adoriatur, et ipsiusmet totius humanitatis fata suscipiat, ita ut quisquis ad summum illud argumentum accedit, idque tangit, fieri non potest quin ab eodem capiatur, alliciatur atque fere fascinetur et ad eamdem celsitudinem extollatur.

Nec aliter esse poterat. Causa enim est quae Divini Redemptoris optata, et voluntatem, et orationem, immo et testamentum refert iterum atque iterum tamque amanter significatum: « Ut unum sint! ».

Quot homines verbum hoc legerunt et meditati sunt? Quot profunde intellexerunt? Quot praedicarunt et ad effectum deduxerunt? Plurimae certo animae divinam hanc mentem suam fecerunt, vehementer exoptantes ut omnes homines pariter saperent. Et utinam omnes plene idem caperent! Fa-

cies terrae revera renovaretur! Hic sunt totius generis humani futura, hic erit salus! Id non fecisse immanis calamitas, cuius et nos testes sumus. Hinc odia, hinc discordiae, hinc bella quae tot luctus, et eversiones, et excidia in universum mundum diffuderunt.

Nonne nos omnes animum divexatum sentimus tot hominum partes spectantes qui christianos se nominant, et tamen inter se conflictantur, proprio nomini repugnantes, et evidentissime ipsiusmet Christi Domini voluntati contradicentes qui expressis verbis unam voluit Ecclesiam, et non duas, nec plures? Totius mundi hoc est revera scandalum maximum! De quo nobis erubescendum esset! Cur non id pudet nos? Audiamus Christum, Deum hominem factum, qui certe non laudat nos, sed acriter obiurgat et reprehendit: « Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.* 13, 34-35).

Quod celebratur Oecumenicum Concilium singularem nobis offert, immo unicam, opportunitatem de tanto argumento tractandi quod omnes et singulos tangit, praesentibus etiam, per Observatores, tot nostris fratribus dissidentibus. Sed hic quoque — proh dolor! — non omnes mihi videntur huius solemnis momenti rationem habere, et iterum error renovatur saeculis anteactis commissus — parcant mihi fratres, si aliter ac ipsi sentio — et remedium quod quaerimus forsan in venenum vertetur! Est proverbium omnibus notum: « Historia docet! ». Dolendum tamen quod quidam sint quandoque discipuli quos historia — proh dolor! — nihil omnino doceat!

Igitur spiritum superbiae deponamus, et animi acrimoniam, et loquendi asperitatem; et induamur humilitatem, caritatem, fraternitatem, conscii cum simus Dominum huc nos coadunasse non ad exacuendam discordiam sed ad animos uniendos, ad discrimina superanda, ad ambiguitates dissipandas! Nobis oblatum propositum tantae magnitudinis est ut nullum sit incommodum reiiciendum quod optatam christianorum unitatem impediat.

Media quae in schemate recensentur omnia quidem accipienda sunt et revera adhibenda. Cum tamen agitur de mediis supernaturalibus — de quibus in pagg. 255-257, nn. 13 ad 17 — oratio tantummodo videtur memorari. Vellem quaeso adiungere — ad ipsam orationem complendam et perficiendam — necessarium esse et sacrificium, seu poenitentia et expiatio, quae orantis animum certiorem reddunt et in proposito confirmant, et ipsam deprecationem Deo maxime acceptam et ad gratias obtinendas validiorem et efficaciorem efficiunt! De quo in schemate nihil dicitur. Norunt omnes Dominum Iesum docuisse maximas difficultates et graviora obstacula superari et vinci non posse nisi oratione et ieiunio, et omnis Scriptura de cinere et cilicio saepe saepius loquitur cum de placando Deo agitur et maximae expostulantur gratiae et dona, et « sine sanguinis effusione non fit remissio » (*Hebr.* 9, 22).

Ipse Dominus cum praeceptum caritatis discipulos docuisset, ne vacua solummodo verba dixisse crederetur, eadem supremo suo sacrificio signavit

cum animam suam pro ovibus posuit. « Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis » (*Io.* 15, 13). Quod verbo dixit et opere complevit ad omnium nostrum doctrinam.

Liceat et exemplum afferre cuiusdam filiae dioecesis meae Nuorensis, cuius et causa Beatificationis iam est incepta, nempe Venerabilis Servae Dei Sororis Mariae Gabrielae Sagheddu quae fratrum dissidentium ad domum Patris reditum ardenter cupiens, Magistrum Divinum secuta, semetipsam Deo obtulit pro fratribus victimam, viginti quinque annos nata. Cum sponsionis pignus tam altum esset operae pretium esse censuit omnem dolorem acceptandum et omnem poenam accipiendam!

Hanc amantis animae oblationem cum fratres anglicani rescivissent, tanto sacrificio commoti, illico eorum resonuit vox. Et ex Abbatia Anglicana quae in loco Nashdom exstat, dominus Benedictus Ley, Magister Novitiorum, Antistitae sanctimonialis nostrae rescribens, haec dixit: « Tam magna caritas vestra opinionem apud tot anglicanos inveteratam contra Romam destruit. Quod si omnes Anglicani vestram caritatem experimentis noscerent, certe murus qui nos dividit illico fractus in pulverem laberetur ». Et idem anglicanus presbyter ad matrem eiusdem sanctimonialis scribens haec aiebat: « Ego sum presbyter anglicanus, monachus in quadam communitate benedictina anglicana. Ex quo novi filiae tuae oblationem pro fratrum separatorum reditu, ego oravi pro te. Spero ut sinas me dicere tibi sacrificium filiae tuae me adigere ad maiorem fidelitatem erga Christum et ad intimiorem orationem ad obtinendam omnium christianorum unionem sub Papa. Forsan consolaberis cum scieris oblationem filiae tuae anglicanos multum iuvasse, quorum plures ardenter desiderant unionem cum Roma. Magnopere pro te orabo, domina. Matri Dolorum te committo, quae ad pedes Crucis Iesu stetit; ipsa te sustinebit et solabitur de iactura quam passa es ».

Denique ad ea me referens quae in pag. 256, n. 16, habentur, nempe de « permagno unitatis christianae praesidio divinitus oblato in Maria », liceat mihi suggerere ut Eam supplices invocemus sub titulo « Matris unitatis ». Deipara Virgo iam a primis temporibus christianis, millies, sub multiplici titulo, fidenter invocatur. Qui tituli dum fervidum filiorum amorem demonstrant, simul et declarant excelsae Matris potentiam et amabilitatem et misericordiam. Exstat in dioecesi mea Nuorensi Congregatio religiosa monialium, Ordinis S. Benedicti, quae hoc nomine appellatur: « Mater unitatis », utpote quae praecipuum sibi proponit finem pro altissimo proposito orandi et laborandi. Quae dum dico non est mihi mens dioecesim meam coram amplissimo consessu vestro revocare, sed tantummodo ea omnia indicare quae ad argumentum in schemate propositum unice referuntur.

Clare vero iam patet Ecclesiae unitatem non ab hominibus expectandam esse, sed a Deo; conspiratis igitur viribus orationi et poenitentiae instemus cum clamore magno et valido, vota nostra Deiparae Virgini enixe commendantes sub nomine Matris unitatis, nec amplius desperandum erit ita attingi posse ut fiat, tandem aliquando, unum ovile et unus Pastor!

44

Exc.mus P. D. IACOBUS MÉNAGER
Episcopus Meldensis

1. N. 35. Haec paragraphus contra atheismum et materialismum versatur. Omnes quidem haec pericula graviora esse putant, sed non est hic locus pugnandi adversus ista.

Etenim hic agitur tantum aut saltem quam praecipue de unione orthodoxorum cum romana Ecclesia; verba quibus utitur aspectum vindicativum potius quam evangelicum praebent; videtur (linn. 25-30) novam pugnam, in modo quidem dicendi quasi oratorio et nimis sensibili, aggredi et parare ad quoddam bellum sacrum. Hic modus nunc non intelligitur cum ab acatholicis tum a multis catholicis. Ii ultimi, enim, libentius acciperent conatus ad fovendam unionem in oratione ad Deum, in vita secundum Christum ducta, in spiritu missionario ad mentem Evangelii. Sic viteretur omnis confusio et oriretur nisus communis Ecclesiae, gubernantis et gubernatae, ad annuntiandum Dominum Iesum omni creaturae. Deinde, et praesertim, hoc esset melius remedium contra atheismum.

Aliam suggestionem tradere vellem.

In linn. 15-20 eiusdem pag. 262, non satis distinguuntur depositum revelatum, sc. doctrina catholica et civilisatio christiana. Prior quadam immutabilitate gaudet ex auctoritate Dei revelantis et Ecclesiae qui illam doctrinam accurate custodit. Secunda valde pendet a factis historicis, socialibus, et ex se in suo exteriori aspectu mutabilis est.

Valde periculosum inaptatum et vanum esset ut Concilium commendaret structuram generalem mundi christiani ad imaginem pulchriorem sed praeteritam mundi in medio aevo. Magis mihi arridet doctrina Encyclicae *Mater et Magistra* secundum quam omnes invitantur ad vitam christianam in mundo hodierno.

2. N. 36: de fratribus « qui tenuitate rerum aguntur » tractat.

Hic modus tractandi est quam maxime insufficiens; eius brevitas est etiam aliquomodo periculosa: melius esset omnino tacere de hac re quam de illa sic tractare.

Aliunde, non est hic locus eam tractandi: fratres separati non sunt prius pauperes in divitiis sed ante omnia nostra caritate interna et vera comprehensione egent.

Denique, si tractaretur de illa quaestione — et, meo sensu, a Concilio tractandum est — oporteret:

1. Doctrinam magis definitam et profundam praebere, cuius elementa omnia in documentis Pontificum hodiernorum, praesertim in Encyclica *Mater et Magistra,* iam adsunt.

2. Iniustitiae socialis causas statuere et denuntiare; e contra vitandum

est omne quod apparentiam habet misericordiae naturalis et, ut aiunt « paternalismi » (« manus porrigamus adiutrices »); vitandum est etiam ostendere quamdam caritatem nimis humanam et etiam supernaturalem, quin simul radices iniustitiae socialis clare tollantur et denuntientur.

Conclusio. Tollendae sunt par. 35 et 36.

Necesse est ut haec quaestio amplius et profundius recognoscatur ad mentem *Mater et Magistra* encyclicae; sic apparebit *verus Ecclesiae vultus* hominibus qui longe sunt ab ea et illam non cognoscunt.

45

Exc.mus P. D. DEMETRIUS MOSCATO
Archiepiscopus Salernitanus

Praeter viros tanti nominis in hac disceptatione adloquentes, supportate me, minimum inter fratres, qui non scientia, sed experientia loqui audeo; verumtamen experientia Ecclesiae viventis nostri temporis. Et imprimis pergratum mihi est, et puto etiam vobis, memoriam facere de S. Pio X, qui pauper et humilis, mitis et fortis, post multa memoranda certamina, agonista Dei invictus, suo sacro corpore et in amplissima gloria suae sanctitatis, nobis praesens est in hac petriana basilica. Recordatio erit quam maxime utilis, quia defunctus adhuc loquitur. Problemata magni ponderis quae nos nunc tenent, fere omnia eadem sunt ac ea quae ipse aggredi gloriose non destitit.

Liceat de hoc sacra verba referre: « Girans girando vadit mundus et in circulos suos revertitur ». Nam arbor illa modernistarum succrescentes adhuc ingentes tendit ramos. Redeunt igitur errores quos interemptos putabamus cum additamento novitatum quae insidiose errorum tentamina magis extendunt ope instrumentorum omnium hodiernae transmissionis socialis. Propterea quasdam animadversiones humillime submitto vestrae prudenti considerationi.

1. Oculos diligenter convertamus oportet ad quae vocatur exspectata unio fratrum separatorum. Quaedam unio iam practice existit et non solum adflatu caritatis et socialis, ut dicitur, sed ideologica quoque et studiorum, ita ut habeatur quaedam syntonia, vel, ut dicam, quaedam osmosis, non tantum amoris sed etiam doctrinalis. Etenim arca Domini fertur utique extra fines Ecclesiae, in castra separatorum, sed cum redierit intra fines Ecclesiae, secum portat grandem errorum sarcinam infeliciter gestam sub prestigioso titulo scientiae criticae, ita ut dicamus: « Timeo danaos et dona ferentes ». Parcite audaciae meae. Inquam amicus Plato, amicus Cicero, sed magis amica veritas. Nam nos, ut aliquid dicam, obsequio debito et maxima gratitudine eos prosequimur qui extra et infra fines Ecclesiae studio scientifico incumbunt, ut verbum Dei plenissime elucident. At nemo ignorat quod quidem sunt qui biblici vel biblistae dicuntur eodem modo quo Scipio vocabatur Afri-

canus. Hic quia destruxerat Africam, illi vero biblici quia destruunt Scripturam Sacram. Dein errores non pauci grassantur in omni campo: theologico, philosophico, historico, sociali et politico.

Audite quaeso: fuit professor quidam Scripturae Sacrae, qui aliis professoribus eiusdem disciplinae sic locutus est: « Oportet ut Scriptura Sacra ne subiiciatur episcopis in Concilio, quia ipsi de ea nihil intelligunt; unde si hoc fiat, actum est de critica biblica ». Et sic professores isti promoti sunt ad Ecclesiam docentem, et nos, fratres, regressi sumus ad Ecclesiam ignorantem.

Venerabiles Patres, haec est differentia habita inter Encyclicam *Pascendi dominicae gregis* S. Pii X et Encyclica *Humani generis* et aliorum documentorum Pii XII s. m., quia prima habuit cum virili pectore S. Pii X exercitus defensorum, dum e contra Encyclica *Humani generis* nec tantos nec validos invenit defensores. Propterea Pius XII i. m. invenit discipulos dormientes in horto, unde errores omni agmine deleto, omnibus finibus ablatis, facile cursum habuerunt et diffusionem; hinc vastatio ingens in qua, quae pro dolor dicta sunt in Concilio novum addunt fallace fermentum et novam errorum animationem.

Venerabiles Patres, Dominus nobis dedit virgam vigilantem, virgam oculatam, scil. oculis plenam. Oculos igitur ne claudamus ut videntes non videamus.

Velim verbis uti quibus S. Bernardus ad Papam Eugenium III dirigebat in suis considerationibus: « Exi in agrum Domini et diligenter considera quantum de veteri maledicto silvescat tribulis et spinis; annosae veternosae arbores sunt. Ad quid hucusque occupant terram? Si ista cernis, puderit otiosam iacere securim. Ad exstirpandum egrediaris necesse est ». Hoc est certum, quod si ad unitatem vocare conamur Fratres separatos, evidens est quod prius restaurare oportet unitatem, quae si non labefacta, certe vulnerata est intra fines Ecclesiae. Fode parietem, dixit angelus Ezechieli, et vidit turpitudinem pessimam in pariete depicta. Nostris temporibus non est necesse fodere parietes Ecclesiae. Nam Ecclesia fines et parietes lucis habet. Omnes possunt videre in libris, in ephemeridibus, in scholis, ubicumque absque velamine processus errorum. Monebat Gregorius VII, vindex libertatis Ecclesiae, integritatis fidei et sanctimoniae cleri, agonista plus quam maximus: « Est quidem in Ecclesia, qui etsi corpore videatur esse nobiscum, tamen corpore et animo contra nos est. Et est nequior hostis iste quam illi qui foris sunt et evidenter inimici ». Igitur recognoscere errores quae sparsim inveniuntur et eos sana doctrina refellere, est munus et officium nostrum pastorale caritate exercendum. Veritas aliquando odium parit, sed in hominibus bonae voluntatis est amor qui pacem gignit intellectus et cordis. Unde S. Augustinus inculcat: « Esto ergo bellando pacificus, ut eos quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas ».

2. Cum autem extra Ecclesiam inspicimus ad unionem fovendam cum fratribus separatis, animadverto quod S. Pius X diserte et maximo vigore ostendebat in suis litteris quae asservantur in processu beatificationis, olim

missae ad cardinales archiepiscopos mediolanensem, florentinum et alios. Id est: melius est quod, si necessitas ferat, desit pax et frangatur caritas, sed firma maneat veritas principiorum. Erat quaestio de unitate et integritate doctrinae. In ore suo verba Ezechielis Prophetae: « Ecce liber, et in eo scriptae lamentationes et vaeh! », scil. non est malleus barbarorum, etsi nos malleare valeat plus quam ferrum, quod timendum sit, sed tralignatio idearum timescenda prorsus omnino est. Et Summus Pontifex Ioannes XXIII qui de S. Pio X in quasi pervigilia Pontificatus sui orationem celebrativam pronuntiavit, diserte et clare non paucis documentis denunciavit. Unde ille posset dici de Pio illud quod Urbanus II et ipse mitis et mansuetudine amabilis de se adfirmavit relate ad Hildebrandum Papam: « De me credite sicut de beatissimo Pio: quidquid respuit respuo, quidquid damnavit damno, quae dilexit amplector! ». Et nos cum illo.

3. Missionarii qui in extremis ignotis partibus versantur, inter paganos scil., nullam habentes notitiam christianismi, utique procedere debent gradualiter. At diversa missio habetur erga christianos separatos. Positio enim haec prorsus antitetica est. Protestantismus, generatim loquendo, est quasi pulverizatio christianismi, ita ut dicere possemus: quot capita tot sententiae; quot sententiae tot Ecclesiae.

Catholicismus e contra maxime unitate gaudet, unum organismum vivens est: Corpus Christi Mysticum, Ecclesia scil. Christi. Haec unitas secundum constitutionem Ecclesiae quadruplex est: unitas doctrinalis, unitas hierarchica, unitas sacramentaria, unitas missionaria. Ecclesia catholica insuper non evolutioni subiicitur sicut protestantismus. De ea dici potest quod S. Augustinus dicebat de enigma temporis: « Ecclesia est praesens praeteriti, est praesens praesentis, est praesens futuri ». Non est codex rescriptus in quo per abrasionem novissimae paginae priora deleantur ut nova scribantur, nec interponitur scriptura in lineis anteactis, ita ut confusio babelica fiat. Ecclesia semper eadem est: apostolica, nicena, ephesina, tridentina, vaticana I et erit vaticana II si Concilium nostrum unitatem celebrare posset faustissimam et optatissimam unitatem christianorum, per gratiam Spiritus Sancti quam plenam in oratione et studio exspectamus.

4. Ne loquatur de unione cum fratribus separatis quasi catholici essent diaspora Ecclesiae quae ut vivat accommodare se debeat fratribus separatis quasi mutuando ab iis lumina. Ecclesia catholica de se luminibus nitens, a Christo omnia accepit. Procedendum est cum prudentia quae Dante noster describit sapienter cum tribus oculis in fronte ut videat scil. omnia tempora; insuper cum fortitudine, iustitia et temperantia: virtutes purpura indutae, scil. caritate, quae valde requiruntur in gubernatione Ecclesiae.

5. In mea civitate salernitana quae Hippocratica appellatur ex antiqua perillustri schola medica, viget effatum hippocraticum quod S. Paulus, gentium apostolus, fortasse agnovit. Certe ipse illum suis verbis amplissime demonstravit et transtulit in descriptione organismi viventis mirabili analo-

gia in descriptione Mystici Corporis: « Consensus unus, conspiratio una, consentientia omnia ».

Hoc auspicium affero fratribus separatis et nobis: Ut unum simus. Quod ita sit, faxit Deus.

Conclusio. Meo submisso iudicio unio in schemate proposita cum fratribus separatis, generatim et indiscriminatim sumpta, periculosa est. Regitur enim et efficitur irenismo qui, ut experientia docet, viam sternere potest interconfessionalismo vel syncretismo, et tandem indifferentismo religioso. Et erit error peior priore.

Attamen dialogus cum fratribus separatis ne omittatur, immo foveatur a viris catholicis delectis, qui gaudeant firma fide, illuminata doctrina ut maxima caritate, non occultando veritates nec dissimulando errores procedant, sed integram doctrinam exponere valeant et orent ut ad unitatem fidei fratres separati, Deo adiuvante, perveniant.

46

Exc.mus P. D. IOANNES NUER

Episcopus tit. Phatanensis, aux. Thebensis

Aliqua adnotanda vellem super par. 52 schematis *de Ecclesiae unitate.* Prae ceteris sinatis me textum legere.

1. *Textus.* « Ut tandem omne dubium vel minus recta suspicio e medio tollatur, nemo existimare praesumat statum rerum orientalium in Ecclesia catholica in hodiernis adiunctis vigentem esse definitivum vel omnino immutabilem ita ut meliorem ordinationem suscipere non posset, nec in eo obstaculum, quo reditus ad Ecclesiam catholicam impediatur, quaerat; siquidem disciplina ecclesiastica et ordo hierarchicus, secundum necessitatem a Sede Apostolica probatum, mutationem ac perfectiorem valent recipere formam, quae novis rerum adiunctis magis respondeat et orientalium dignitati et momento melius conferat ».

2. *Adnotationes.* Iuxta exposita, duo adnotanda veniunt. Primum, et quidem laude dignum, positivam dispositionem eorum qui schema redegerunt respicit. Corde enim exoptant ut aliquando, fratrum non catholicorum unione peracta, Ecclesiae orientali antiqua iurisdictio, praecedentia atque dignitas omnino restituantur. Haec optima intentio, iterum dico, laudanda est. Nihilominus, huic primae adnotationi secunda adnotatio in uno excipit. Praeter enim bonam voluntatem, mallem in Concilio ipsius bonae voluntatis actuationem. Ita ut, id quod in voto paragraphus continet, hoc nos, et quidem nunc, ad actum mittamus.

3. *Emendatio.* Hoc praehabito, ita paragraphum, emendatione auctam, clarius proponerem: « Patres Conciliares Ecclesiae orientali antiquam dignitatem, eiusque patriarchis iurisdictionem et praecedentiam, quibus ab initio fruebatur, agnoscunt ». De cetero propositio haec, ut notum est, commis-

sioni praeparatoriae exposita fuit et per universum orbem mediis communicationis divulgata. Ipsam nunc ausus sum iterum proponere hac ratione fultus: Quia concessio ante unionem facta, unionis obicem removet, ipsamque unionem facilius accelerat.

47

Exc.mus P. D. MARIANUS OBLAK
Episcopus tit. Flaviensis, aux. Iadrensis

Si isti secretariatui opportune videtur, haec tria vota proponendi licentiam humiliter peto.

Ad fovendam sanctam unitatem omnium in Christum credentium humiliter vobis haec tria vota propono:

1. Apud Conferentias nationales episcoporum uniuscuiusque nationis ubi opus sit comitatus episcopalis christianae unitatis instruatur.

Hi comitatus sub moderamine et subiectione pontificii secretariatus pro unione christianorum activitatem suam explebunt.

2. Occasione disceptationis « de unitate Ecclesiae » Sancta haec Synodus in signum fraternae caritatis omnibus praesulis separatis salutem mittat.

Eodem tempore Sacrosanctum Concilium votum suum exprimat ut etiam fratres separati comitatus unionis instruant. Tales comitatus cum nostris in caritate veritatis viam unionis sternent.

Si omnes in Christum credentes moderno materialismo concorditer se opponunt, neminem latet, ipsos communes valores spirituales legis naturalis et positivae efficaciori modo defendere posse.

3. Denique propono ut in conclusione huius I sessionis Concilii praesentes Patres Conciliares Patribus quacumque ex causa absentibus fraternam salutem mittant.

48

Exc.mus P. D. RENATUS PAILLOUX
Episcopus Arcis Rosebery

Paucis verbis vos certiores facere volebam multos Patres Conciliares — praesertim inter eos qui in medio protestantium versantur et eis vitae quotidianae commercio necnon amicitiae vinculo coniunguntur — ardenter exoptare ut aliud schema cito praeparetur, de Unione nempe christianorum sub speciali aspectu protestantium Ecclesiarum, ut a rev.mo Heenan hodie propositum est.

Alia verba etiam dicere volebam de illis pernumerosis catholicis qui nomine tantum sunt catholici dum de facto ab omnibus fere religionis acti-

bus et etiam a fide catholica longe absunt, et quos munus est nostrum pastorale ad unitatem Ecclesiae revocare.

Sed ne patientia vestra abuti videar, haec concilio praesidentiae in scriptis tradam.

Nonnulla iam dicta sunt, praesertim circa fratres nostros orthodoxos, et Deus scit quomodo nos omnes cupimus ut unio cum eis instauretur.

1. Quoad fratres nostros protestantes nos, episcopi catholici, qui in medio eorum versamur et eis vitae quotidianae commercio necnon amicitiae vinculis coniungimur, aliud schema exspectamus, de unione nempe omnium christianorum, sub speciali aspectu protestantium Ecclesiarum.

2. Nihilominus neminem latet multos, quin dicamus innumeros etiam catholicos, in universo orbe dispersos, nomine tantum catholicos esse, quippe qui de facto ab omnibus fere religionis actibus et etiam a fide catholica longe absunt.

Nobis videtur quod multum prodesset si haec S. Synodus aliqua saltem diceret de mediis quibus illi nostri, infelices quidem, sed tam propinqui fratres, ad unitatem fidei et Ecclesiae et ad religionis exercitationem reduci possent.

Inter innumeras causas, quibus haec defectio tam multorum hominum qui in Ecclesia catholica olim baptizati fuerunt, adscribi potest, fas sit mihi mentionem brevi facere de asperitatibus nostrae technicae aetatis, necnon de diris condicionibus vitae quibus pauperes et operarii laborant in omnibus orbis partibus, non omissis eis regionibus, quae vulgo « emergentes » dicuntur.

Quamobrem meam facio animadversionem quam feria IV elapsa rev.mus Dwyer in hac ipsa aula conciliari exprimere ausus est: « Pauperes, inquit, qui fame pereunt et illi omnes laboriosi homines qui anxietatibus vitae undique premuntur, ad hanc nostram Synodum oculos advertunt, ex ea optantes si quo modo tandem spes eis dari potuerit ut feliciores evadere possint, et eorum miseriis ad minimum reductis, facilius animas ad Deum convertant, qui est Pater omnium hominum, praesertim pauperum.

3. Unum tantum punctum retineo, quod nomine archiepiscopi mei simulac meo proprio humiliter propono.

Quando disceptationem supra schema constitutionis *de fontibus revelationis* habuimus, arch. Hurley dixit unam radicem differentiarum fuisse quod Patres diversas sententias circa significationem verbi « pastoralis » habent.

Disceptationes supra schema decreti *de Ecclesiae unitate* auscultans, puto radicem differentiarum opinionum — partim saltem —, in eo esse quod aliqui Patres graves misconceptiones habent circa notionem *legis amoris et caritatis.*

Nam cum aliqui Patres de *veritate* tamquam de fundamento desideratae ab omnibus unitatis christianorum loquuntur, video eos ex aliqua diffidentia erga legem *supremam* Christi, scl. *legem amoris et caritatis* laborare. Patres illi forte putant eos, qui de spiritu *amoris et caritatis* loquuntur, fundamentum

veritatis parvipendere, immo etiam forte praeparatos esse aliquid ex doctrina Christi oblivioni dare, ut unionem omnium Christianorum adipiscantur. Illis dico: *tali suspicione iniuriam nobis fertis!* Omnes enim scimus Iesum Christum dixisse: « Si diligitis me, mandata mea servate » (*Io.* 14, 15).

Scimus omnes christianos — catholicos et non-catholicos — Iesum Christum diligere, certi sumus nullum esse christianum — catholicum vel non-catholicum — qui positive *nollet* mandata Iesu Christi servare, sed si nihilominus aliqui mandata eius non servant, illud maxima ex parte aut ex fragilitate humana, aut ex ignorantia, quid praecise sit mandatum Christi, provenire. Amor tamen Christi alios ad voluntatem Dei de die in diem perfectius implendam adducit, alios vero ad voluntatem Dei de die in diem perfectius cognoscendam.

S. Paulus primam notam *caritatis* patientiam esse dixit: « Caritas patiens est, benigna est ... » (*1 Cor.* 13, 4). Patientia vero consistit in eo, quod malum — non tantum physicum, sed etiam morale —, sine ira, sine odio, sed cum amore, cum *vero* amore toleramus. Huius patientiae exemplum optimum ipse Iesus Christus nobis dedit: in Actibus Apostolorum legimus discipulos Iesu paucis momentis ante Ascensionem Domini, post tot instructiones ab ipso Divino Magistro deditas, adhuc quaesivisse: « Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël? » (*Act.* 1, 6). Erant ergo in errore, aliquis forsan diceret eos opinionem haereticam circa naturam Regni Christi tenuisse. Christus tamen hanc erroneam opinionem adhuc toleravit, non eos excommunicavit, neque anathematizavit.

In unione christianorum quaerenda fundamentum *veritatis fidei* magni est momenti, sed et fundamentum *amoris* Christi maximi est momenti. Attendatis bene, Patres Conciliares: Fundamentum *veritatis fidei* non parvipendo, fundamentum *veritatis fidei* revera *magni* esse momenti aperte profiteor, Legem tamen *amoris et caritatis* maximi esse momenti profiteor, quia non ego, sed S. Paulus dixit: « Si habuero *omnem fidem,* ita ut montes transferam, *caritatem* autem non habuero, *nihil sum* »!!! (*1 Cor.* 13, 2), et quia non ego, sed Petrus per os *Ioannis Papae XXIII* in allocutione ad nos initio huius Concilii habita sollemniter proclamavit: « *Ubi regnat veritas, ibi lex est caritas* »!

[*Subscripsit hunc n. 3 etiam* Adam Kozlowiecki, *arch. Lusakensis*].

49

EXC.MUS P. D. IOSEPH RABBANI

Archiepiscopus tit. Nacolensis, adm. ap. Hemesenus Syrorum et Apamensis

Permettez à l'humble pasteur de Homs, ancienne ville chrétienne de Syrie qui est fière d'avoir donné au deuxième siècle à l'Eglise un de ses Papes, Saint Anicet, de faire quelques considérations générales sur le schéma de l'Unité.

Ces considérations se résument en un mot: une charité sincère, effective, qui se traduit en actes, dans toutes nos relations avec les Eglises orthodoxes.

Ces vénérables Eglises, appelées par le Pape Pie XI, des parcelles d'or détachées de la roche d'or de l'Eglise Universelle, possèdent en effet, des trésors précieux de doctrine chrétienne, c'est-à-dire l'enseignement des Pères et des Premiers Conciles Œcuméniques, tous les sacrements de l'Eglise, la vraie dévotion à la Sainte Vierge, et le témoignage authentique des anciennes liturgies.

Quant aux différences de doctrine, elles se portent plutôt sur des mots ou expressions dont le sens philosophique ou théologique n'avait pas été précisé comme il le fut plus tard.

Comment nous serait-il donc permis de les nommer des hérétiques ou de les traiter en tant que tels, s'ils ne le sont pas formellement?

Aussi ces considérations m'ont-elles amené à soumettre humblement aux vénérés Pères Conciliaires les propositions suivantes:

1. Faire le possible pour unifier le Cycle Pascal avec les orthodoxes, et s'il est difficile d'arriver prochainement à un accord commun et définitif, laisser du moins à la Hiérarchie catholique en Orient, la liberté de s'entendre avec les Eglises Orthodoxes pour une solution locale.

(C'est là une question considérée par la masse du peuple chrétien en Orient, de toutes confessions, d'une importance primordiale, de sorte que le premier jour où fut annoncé le concile, tous, catholiques et orthodoxes s'écrièrent d'une voix unanime: « Enfin nous allons fêter ensemble, enfin l'union va être réalisée »).

2. Supprimer de nos prédications, de nos catéchismes, et de notre terminologie en général, toutes les fois qu'on fait allusion aux orthodoxes, ce qui choque leur sentiment comme les mots d'hérétiques, de schismatiques, de convertis, etc. On ne peut imaginer jusqu'à quels résultats funestes, l'indiscrétion de tels termes peut amener.

3. Retrancher de la profession de foi, tout ce qui pourrait blesser leur sensibilité, comme une abjuration formelle d'anciennes erreurs, et se contenter d'une expression générale comme la suivante: « J'accepte tout ce qu'accepte l'Eglise catholique, et rejette tout ce qu'Elle rejette ».

4. Pour le bien des âmes et afin de ne pas mettre obstacle à l'union, il est nécessaire de mitiger la législation concernant la communication in sacris, comme par exemple, les prescriptions au sujet du parrain orthodoxe dans le baptême, le mariage mixte, la forme canonique du mariage, l'assistance aux prières et cérémonies publiques, l'admission aux sacrements des enfants acatholiques qui fréquentent nos écoles, etc.

La raison en est que toute cette législation, autrefois nécessaire pour sauvegarder la foi et écarter les scandales, ne convient plus aujourd'hui, et comme les causes qui l'ont déterminée, ont cessé, elle aussi, doit cesser.

Ces propositions pourraient paraître à certains quelque peu audacieuses,

mais en vérité elles ne le sont pas, puisqu'il ne s'agit pas de dogme ni de compromis dans le dogme, mais plutôt de prescriptions disciplinaires qui, elles, peuvent évoluer ou être modifiées, selon les circonstances.

Or les circonstances actuelles exigent de pareilles modifications, si vraiment nous voulons faire des pas en avant vers l'union.

Ainsi nos frères en Christ sentiront par nos actes que nous les aimons réellement, que nous respectons leurs traditions, leurs coutumes, leurs anciennes liturgies, les prérogatives de leur hiérarchie, et que nous n'envisageons pas enfin de les dominer mais de réaliser le désir de Notre Seigneur qui voulait un seul troupeau et un seul pasteur.

Et n'est-ce pas déjà un fait bien encourageant que de voir aujourd'hui parmi nous les chers Observateurs orthodoxes et protestants qui représentent leurs Eglises respectives dans ce Saint Concile? Ils ne reconnaissent pas comme nous l'autorité des Successeurs de Saint Pierre et pourtant nous avons la joie de les voir réunis avec nous sous la coupole de Saint Pierre. Puisse le Seigneur bénir nos efforts communs pour aplanir la voie de l'unité dans la charité, signe distinctif des disciples du Christ.

50

Exc.mus P. D. INNOCENTIUS RODRIGUEZ DIEZ
Episcopus Conchensis

Breviter dicturus sum, ne meis parvulis rebus tempus eximium teram, quo opus est vobis, sapientibus, ut vestra magna moliamini.

Omnibus modis conclamatum est, naturam huius Concilii in primis pastoralem esse, et congruenter huic indoli, satis fuit ut nonnulli Patres censerent aliquod schema hac conditione non esse praeditum, ut de eo sententia « non placet » daretur.

Quae cum ita sint, non solum schemata pastoralia esse oportet, sed pastoralis etiam esse debet nostra ratio gerendi in Concilio Vaticano II.

Qua de causa, ausim huic magnae frequentiae Conciliari, cum tractatum *de unitate Ecclesiae* aggredimur, sequentia vota suggerere:

1. Cum effatum Iesu Christi sit « quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabo vobis », et in nomine eius petitur quidquid voluntati suae sanctissimae congruens est, ut unitas Ecclesiae, quia omnibus notum est illud orationis sacerdotalis « Pater, ut sint unum ... » propono igitur, ut omnes Patres Conciliares, manente huius schematis disquisitione, saltem uno die, sacrosanctum Missae Sacrificium ad hunc finem primarium litemus.

2. Deinde ut ipso die ad sanctum Missae Sacrificium, tanti pretii impetratoris, mortificationem aliquam iungamus ut ieiunium, aut cruciatum, aut quamlibet corporis paenitentiam.

3. Ut, per tempus quo schema tractetur, semperque in vita, verum enixe quaeramus, et caritatem iugiter colamus, qua Christi pax firmatur.

Haec omnia considerari possunt media aptissima ad unitatem consequendam.

Hoc, si vobis placet, fiat, fiat.

51

Exc.mus P. D. CAROLUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Auditis, quae a praestantissimis Patribus orientis patriarchis heri dicta sunt, necnon quae ab aliis sapientissimis Patribus prolata, interrogare nobis liceat, in quo praecise potestas patriarchatus consistat et constiterit.

Ex his, quae de patriarchatibus orientalibus in optimis libris aliquando didici, deducere mihi placet: Patriarchatus Antiochenus et Alexandrinus, eo ipso quod episcopi utriusque civitatis originem suam a B. Petro Apostolo deducebant — Antiochenus directe; indirecte per B. Marcum Alexandrinus —, ex hac sola circumstantia ii plus minusve eam potestatem exercebant ac S. Petrus. Patriarchatus canonice est ergo participatio in Primatu Petri.

Patriarchatus orientales sine ulla difficultate et dubio in tota Sancta Ecclesia semper agnoscebantur et a Romano Pontifice acceptabantur. Ii, patriarchae scil. orientis, una cum patriarcha occidentis, Romano Pontifice, electionem suam inter se communicabant, ea sola differentia quod orientales confirmationem petebant, occidentalis vero nuntium tantum mittebat. Potestas patriarchalis in se autem nihil aliud dogmatice erat, nisi translatio potestatis S. Petri in illos tres patriarchas, Romanum, Antiochenum, Alexandrinum. Postea venit ex rationibus, quae omnibus notis, politicis, patriarcha Constantinopolitanus. Propter praeexcellentiam Sanctae Hierosolymitanae Ecclesiae episcopus quoque Ierusalem gradum patriarchatus recepit, quin haberet iurisdictionem in alios.

Patriarcha occidentis supremam quidem potestatem etiam in alios patriarchas et in eorum Ecclesias habebat. Orientales solummodo in sui ipsorum ambitu patriarchatus; quem ambitum saltem cum tacita approbatione Romani Pontificis aliquando extenderunt.

Nescio autem, num historiographia maiores luces in hanc quaestionem ultimis temporibus iecerit. Quapropter, ut schema recte a nobis iudicari queat, petere nobis iuvat, ut quis lucide quaestionem nobis exponat: quae fuit potestas patriarchae primis christianismi saeculis? quae ea nunc est? Etsi ex tota primaeva christianismi historia luculenter pateat, patriarchas orientis sub occidentali fuisse — ut demonstrat ipsa S. Clementis ad Corinthios epistola, cunctus quoque contextus epistolae S. Ignatii ad Romanos, tertii Antiochenae Ecclesiae patriarchae —, attamen necesse mihi videtur, sciamus, quae sit nostris temporibus potestas illis attribuenda, ut inde aesti-

memus, quid in nostro schemate melius fortasse exprimi debeat. Forsitan tota haec quaestio una cum potestate episcopali in Ecclesia coniunctim tractanda sit.

Ex institutione patriarchatuum orientalium intellegitur, quomodo cardinalatus in Ecclesia institui potuit. Si Ecclesia Christi — (nemo enim dicet B. Petrum eos directe instituisse) —, episcopos Antiochenum, Alexandrinum, Hierosolymitanum, postea ipsum Constantinopolitanum quoque (et nemo dubitat, quin, quando Moscovita ad Ecclesiam catholicam redibit, illum etiam), in Primatu S. Petri Apostoli participare facere quivit, potuit quoque ad alios idem aliquantulum transferre. Ut videmus etiam in archiepiscopis, quando iuxta canones de sententiis suorum Suffraganeorum iudicat. Et cum cardinales quasi ad latus Summi Pontificis stent, bene comprehenditur eos natura rerum super episcopos constitui, etiam si hoc nobis nec semper nec ubique placuerit, ut videtur in vitis quoque Sanctorum, e. g. B. Bartholomaei a Martyribus, arch. Braccarensis et omnium Hispanarum primatis, in Concilio Tridentino.

52

EXC.MUS P. D. HILDEFONSUS M. SANSIERRA
Episcopus tit. Oriensis, aux. S. Ioannis de Cuyo

1. Adaequata distinctio facienda est quoad verba *unitas* et *unio*.
2. Respectu n. 13, cuius titulus *Media supernaturalia*: amplius patere debet; et adhaerendo voto cuiusdam exc.mi Patris Concilii qui manifestavit fieri *orationem quandam* ab omnibus christianis frequenter recitandam, propono ut commendetur *oratio pro Ecclesia* in *Didaché* iam ordinata, nempe: « Memento, Domine, Ecclesiae tuae ut eam liberes ab omni malo et in amore tuo illam perficias: collige eam a quatuor ventis sanctificatam in Regnum tuum, quod ei parasti: quoniam tua est virtus et gloria in saecula. Amen » (cf. *Didaché*, Publicazione in cinque lingue. P.G.M.R. s. i. ... 1910. Pag. 59, X, 5).

53

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SANTIN
Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Schema decreti *de Ecclesiae unitate* mihi placet; afflatum habet evangelicum, iura et officia, quae in hac materia ad filios Ecclesiae et ad fratres separatos pertinent, profert, modum indicat quo isti fratres *suum* locum in communi Domo cum honore capere possunt, ubi dilectionem invenient fratrum, qui eos flagrantissime exspectant. Adsunt in decreto sensus et notiones qui accuratius sunt explanandi, verba quae mitigatione indigent; de quibus

alii iam abunde dixerunt. Quod etiam animum meum percellit, et mihi videtur tanto fini nocere, est incongruens separatio argumenti de quo partim in hoc partim in altero schemate de oecumenismo, agitur. Praeferrem has esse duas partes eiusdem schematis diligenter et sapienter accommodatas. Minores difficultates et haesitationes inter ipsos fratres separatos exorirentur.

N. 35 respicit defensionem communis patrimonii christianae civilitatis non solum in religione, sed etiam in modo et ratione vivendi sociali et civili, in litteris, in artibus, in oeconomia, in re politica. Ad hanc communem defensionem Oecumenica Synodus omnes qui Christi nomine gloriantur, exhortatur. Oportet post verba « patrimonium christianae civilitatis » omnia omittere, quia non possumus aciem communem constituere pro tuendis litteris, artibus, oeconomia et politica nationum, utique vero contra gliscentem atheismum et materialismum in doctrina et in vitae usu.

Liceat mihi nunc memorare hoc quoque spectare Concilium, nostram scil. spiritualem renovationem nostramque sanctificationem, ut ex refulgente vitae Ecclesiae splendore separati fratres ad eam melius conspiciendam invitentur et, gratia Dei operante, ad unionem tandem perveniant. Nec res est parvi momenti, sed ad media principaliora pertinet. Quod quidem significatur in n. 17, qui christifideles ad hoc adhortatur. Quare vero solummodo christifideles? Omnibus et imprimis nobis episcopis et sacerdotibus et religiosis haec oportet fervida dirigatur invitatio. Copiose, ardenter, erudite disputatum est de mediis aptis ad obtinendum optatum finem. Humiliter, sed plene compertus ex longa experientia audeo dicere: Nos episcopi anteire debemus in virtute, et nobiscum sacerdotes. Hoc sane erit auxilium *oecumenice* efficacius, cum ratione gratiarum quae a Deo nobis affluent, tum ratione exempli sanctioris vitae, quod ipsis praebebimus. Confessiones ore et scriptis patefactae eorum qui in sinum Ecclesiae reversi sunt et quotidiana nostra experientia hoc salutare medium confirmant.

Haec mediocritatis aura, haec ad commodiorem vitam propensio, hoc poenitentiae languens studium, haec mentis evagatio, quae a mundi rumore et fucis paritur, bonum testimonium Christi in Ecclesia non reddunt nec talis taepida vita studium propius accedendi in separatis alit, nec sane ipsa, ut sanctorum mores et opera, est ignis emicans ad regendum cursum eorum qui sunt in via. Nos anteimus, fideles nos sequentur. Novus tum orietur virtutum fervor in Ecclesia, ipsaque in pastoribus et in commisso grege resplendebit. In mea dioecesi variae exstant religiones et confessiones religiosae; expertus sum vitae sanctitatem sacerdotis facilius et efficacius movere aliarum religionum et confessionum fratres eorumque sollicitam excitare reverentiam. Inde colloquia, indeque, caritate, animi probitate et Dei gratia, non raro pax, in Christo et in Ecclesia. Quod pro singulis valet, valet etiam pro inceptis oecumenicis de quibus est sermo.

Humiliter ergo rogo ut in hunc sensum mutetur et amplietur ille numerus schematis.

54

EXC.MUS P. D. VICTOR SARTRE
Archiepiscopus tit. Beroensis

Post ea quae dicta sunt, nihil addam de meritis et defectibus schematis.

Tantummodo quaedam verba afferam de quaestione non parvi momenti, nempe de apostolatu missionario ut stimulo ad unionem fovendam. Pag. 262, sub n. 35, schema loquitur de necessitate defendendi commune patrimonium in rebus divinis et humanis, cum illud in periculum adducatur sub influxu materialismi et atheismi. Haec defensio ut patet exigit unionem mentium et voluntatem omnium christianorum.

Sed ulterius mihi videtur progrediendum, recolendo scilicet in nostro schemate gravissimum debitum seu officium missionale. Nonne oecumenismus apud christianos separatos initium cepit ex scandalo divisionis in terris missionum? Nonne adhuc hodie desiderium unitatis ex hac consideratione missionali et difficultatibus ex divisione ortis saepe efficaciter nutritur?

Quamobrem meo humili sensu haec urgentissima necessitas et valde actualis obligatio Evangelium universo mundo annuntiandi omnino in mentem revocanda est ad unitatem citius attingendam.

Hodie nullum est dubium quin obligatio fidem christianam propagandi apud gentes innumeras quae Christum ignorant motivum sit aptissimum ad zelum missionarium stimulandum. « Caritas Christi urget nos ». Haec Pauli verba quae nosmetipsi in nuntio conciliari adhibuimus non debent inania remanere non solum apud nos sed apud fratres orientales separatos.

Unde, venerabiles Patres, vobis proponere mihi liceat ut sub n. 35 paragraphus nova addatur quae sic sonare possit:

« Cum ex una parte Dominus Noster Iesus Christus omnibus pastoribus praeceperit ut eant docentes omnes gentes ... et ex alia parte plerique homines adhuc in tenebris degant verumque Deum attrectare nequeant, caritas Christi nos omnes baptizatos et imprimis pastores urget ut in mundum universum simul euntes fidem christianam, spem communem aeternae vitae necnon caritatem qua Deum et proximum diligere debemus, viribus unitis et communi actione, omni creaturae praedicare valeamus ».

55

EXC.MUS P. D. NILUS NICOLAUS SAVARYN
Episcopus Edmontonensis Ucrainorum

Multa et praeclara de orientalibus in schemate *de Ecclesiae unitate* scripta sunt.

In schemate *Ut omnes unum sint* pergratum est legere de desiderio Concilii conservandi omnes traditiones, consuetudines, caeremoniasque propter augustam antiquitatem, praeclarum ornamentum omnis Ecclesiae et affirmationem divinae unitatis catholicae fidei.

Immo, in futurum perfectio status orientalium Ecclesiarum promissa est, quia legitur: « Ut tandem omne dubium vel minus recta suspicio e medio tollatur, nemo existimare praesumat statum rerum orientalium in Ecclesia catholica in hodiernis adiunctis vigentem esse definitivum vel omnino immutabilem ita ut meliorem ordinationem suscipere non posset ... ».

Hoc schema mihi videtur et irenicum et oecumenicum et plenum veritatis in caritate esse.

Ideoque illud personaliter mihi placet.

Una tantum mihi imponitur animadversio. Schema ex parte principiorum videtur unum ex optimis. Ex parte practica autem, quoad conatum unitatis ecclesiasticae in dubium verti potest. Principia, sine eorum sanctione, non observantibus, parvi pendentibus et transgressoribus, parvum prosunt. Historia est plena lamentabilium exemplorum. Hodierna experientia etiam multa desiderata secum fert. Pro futuro autem, sine sanctione efficaci, ubinam est provisio, securitas, guarantia, ne isti tristi casus repetantur? Non obstante sollemnibus promissionibus prolatis a Summis Pontificibus, ab Oecumenicis Conciliis, conventionibusque cum particularibus ecclesiis, teste historia et hodierna experientia, fuerunt, sunt, et non exclusum est, quod etiam in futuro transgressores horum principiorum esse possunt, qui e falso zelo, aemulatione, indebito proselytismo, imbuti sua mentalitate et suis opinionibus propriis proferre possunt, quod: « fides plus valet quam ritus »; « ritus est pro provectioribus non vero pro parvulis »; « melior est conditio possidentis ». Necessaria omnino esse videtur in hisce rebus pro futuro quaedam provisio efficax quoad reconciliationem orientalium, restaurationem unionis et unionem cum Sede Petri.

Unio, renovatio, reconciliatio omnium christianorum est tanti momenti ut ad eam assequendam, salva fide, omnia consecranda sint. Ideoque mea propositio: in pag. 267, post n. 52, provisio cum sanctione efficaci inserenda est, hoc vel simili modo: « Unusquisque transitus a proprio ritu ab hoc Sacrosancto Concilio reprobandus est, sive ex propria ignorantia sive industria aliorum fuit, nisi ex indultu Sanctae Sedis fit; et talis transitus contra vigentem legem est; ideoque, etsi ab immemorabilibus temporibus factus sit, irritus et invalidus est ».

56

REV.MUS P. D. AEMILIUS SCHOT
Praepositus generalis Barnabitarum

Pag. 253, par. 7. Omnia bene videntur dicta de unitate Ecclesiae indivisibilis deque necessaria communione cum cathedra Petri.

Attamen in optatis est ut ampliori loco et mentione exponatur quaedam sacralitas ac sanctitas obiectiva hierarchiae orientalis, etiam in schismate.

Exstant enim Ecclesiae orientales, etiam post schisma, membra Corporis sacri non omnino mortua, si vera sint (et sunt) quae dicuntur par. 9, et praesertim si verum sit (et est) sacramenta et characteres sacros valide conferri in Ecclesia orientali (cf. par. 51, pagg. 266-267).

57

EXC.MUS P. D. CESLAUS SIPOVIČ
Episcopus tit. Mariammitanus

Quo loco inter constitutiones vel decreta huiusce Concilii schema *de Ecclesiae unitate* ponatur, an scilicet ad schemata *de Ecclesia* et *de Oecumenismo* adiungatur an separatim, mea humili sententia res est minoris momenti. Liceat tamen mihi in eo insistere quod hac in materia plurimum refert, nempe ut schema emendationibus minoribus peractis integrum permaneat.

Schema propositum placet has ob rationes:

1. Quia respicit solos orientales, et hoc habet magnum momentum. Etenim hoc modo et solo hoc modo Concilium Oecumenicum suam particularem considerationem et aestimationem erga Ecclesias orientales separatas ostendere potest.

Neminem offendere debet veritas etsi tristissima quod inter catholicos orientalesque ex una parte et fratres separatos protestantes ex alia parte differentia est nimis magna. Differentia haec patet in doctrina de iustificatione, de sacramentis, in veritatibus de B.ma Virgine Maria, de Sanctis. In comperto etiam nobis omnibus est numerus magnus confessionum protestantium 200 excedens. Difficile mihi videtur tale et unicum schema proponere, quod nostris in circumstantiis omnibus christianis in unione fovenda adiutorio sit. Propterea non approbando propositum nobis schema Concilium nostrum occasionem perderet sibi oblatam ostendendi benevolentiam sinceram Ecclesiae catholicae erga orientales.

2. Placet hoc schema quia in eo doctrina de Ecclesia ita proponitur, ut fratres separati orientales clare intelligere possint mentem nostram seu

positionem nostram circa separationem hodie existentem et circa reconciliationem in futuro obtinendam. Velim attentos reddere venerabiles Patres ad nn. 5 et 6 in pag. 252. Ita in n. 5, linn. 14 et 15 legitur: « Super apostolos Ecclesia aedificatur tamquam super fundamentum ». En principium collegialitatis! In n. 6 fortiter asseritur de Christo capite Ecclesiae omni modo, in omni ordine, sub omni respectu. Haec est locutio non solum familiaris fratribus separatis orientalibus sed est eadem aequalis usitatae ab eis tum in libris theologicis tum in praedicatione pastorali. Iste modus veritatem praesentandi de primatu Petri eiusque successorum mea experientia est magis efficax et respondens desideriis dissidentium.

3. Placet hoc schema quia media ad reconciliationem obtinendam in eo proposita longe stant tum a proselytismo, a quo fratres separati abhorrent, tum a falso irenismo quem ipsi sicut et nos respuunt.

4. Placet hoc schema quia modi in eo propositi ad reconciliationem tum individualem tum collectivam actu perficiendam non tantum cum libertate individuali et iure Ecclesiae catholicae conveniunt sed etiam absque dubio assensum dissidentium obtinere possunt.

Concludo: Si ergo aliquid in hoc pulcherrimo schemate minus recte dictum est, corrigatur; si quid nimis aspere aut nimis auctoritative, emendetur; si quid nimis longum, abbrevietur; si quid deest addatur, sed iterum enixe rogo vos, Patres venerabiles, ne omittatis hoc decreto vestrum et omnium catholicorum particularem attentionem et affectum erga orientales manifestare.

Decretum nobis propositum exaratum est a viribus omnium Rituum orientalium ac a peritis Ritus latini. Liceat mihi etiam addere, quod nonnulli membrorum commissionis praeparatoriae « Pro Ecclesiis orientalibus » qui in schemate a nobis laudato apparando partem habuere, iam ab annis apud fratres separatos operae unionisticae et apostolicae dediti sunt atque experientia haud spernenda pollent.

58

EXC.MUS P. D. ANTONIUS TEDDE

Episcopus Uxellensis et Terralbensis

Liceat et mihi aliquas animadversiones scriptis humillime mandare quoad schema *de Ecclesiae unitate - Ut omnes unum sint.*

Schema nostrae considerationi propositum, ut prorsus iacet cum, mea humili sententia, veritatis claritate in caritate perspicue eluceat atque in veritatis claritate feliciter caritate pastorali perfusum sit, mire mihi placet.

A n. 1 ad n. 11 merito ac peropportune ut colloquium cum fratribus nostris orientalibus separatis aptius instituatur, proponuntur veritates theologicae seu fundamenta fidei catholicae atque actuosus ac constans amor Ecclesiae catholicae erga fratres nostros orientales separatos, quos, etsi « per iniu-

riam temporum et fragilitatem hominum » ab auctoritate Vicarii Christi se subtrahentes in partes secesserint, aperta fraterna caritate in hac Sancta Oecumenica Synodo omnes nos prosequimur.

Unio christianorum, etenim, non fit tacendo veritates quae aures alterius partis fastidiant nec integritatem doctrinae catholicae pessundando. Bene in schemate, in pag. 258, n. 22, dicitur: « Caveant tamen theologi et qui unitati Ecclesiae adlaborant ne falso irenismo quodam ducti, doctrinam catholicam ita conforment vel quodammodo accommodent doctrinis dissidentium, ut puritas doctrinae catholicae eiusque claritas detrimentum patiatur vel eius sensus genuinus et certus obscuretur ».

In hac aula conciliari anxia admiratione quandam sententiam passim audivimus, quae catholicam visibilem unitatem Ecclesiae catholicae ac magisterium summum et infallibile a Christo solemniore modo Petro eiusque Successoribus concessum minui videbantur.

Caritatis causa, opinari malo verba non bene oratoris animum retulisse. In Christi ovile, etenim, per ostium veritatis, animo aperto ac ideo iucundo, ingredi necesse est.

Utraque ex parte, historicis praeiudiciis abiectis ac animi intolerantia, in caritate Christi devicta, « caritate fraternitatis invicem diligentes » (*Rom.* 12, 10), congredi necesse est.

His attentis, quae in n. 31 dicuntur a lin. 18 ad 24 aptius concinnanda videntur.

A n. 12 usque ad finem, attamen, cetera vere urgente caritate Christi enixe dicta esse mihi videntur.

Ad conclusionem versus, mihi liceat aliquam animadversionem quoad n. 40 proponere.

In n. 40, pag. 264, optime sacros ministros haec S. Synodus adhortatur ut ad tantum negotium, id est ad unionem omnium christianorum fovendam, parati accedant.

Ne autem de ratione tantum technica, ut aiunt, cum sacris ministris haec S. Synodus in re tanti momenti agere videatur, hanc propositionem, post ultima verba n. 40, addendam humiliter propono: « Clerici autem, ac Religiosi, in Ecclesia catholica saluti animarum incumbentes, meminisse, in caritate Christi, velint se ad fratrum separatorum in Ecclesiae catholicae ovile reditum, si vitae sanctitate ac salutis animarum zelo, omnibus quae huius mundi sunt posthabitis ac contemptis, constanter eluceant, valenter, B. M. Virgine adiuvante, cooperaturos esse ».

Haec S. Oecumenica Synodus, igitur, Summi Pontificis Ioannis XXIII amabili ductu, colloquium in caritate cum fratribus orientalibus separatis iniit.

Omnipotens Deus B. M. Virgine intercedente, et ex utraque parte bona voluntate cooperante, opus perficiet.

59

EXC.MUS P. D. GREGORIUS B. VARGHESE THANGALATHIL

Archiepiscopus Trivandrensis Syrorum Malankarensium

Audiatur hic etiam vox Ecclesiae Malankarensium, quae inter omnes minima est. Loquor non ut doctor, sed ut pastor, qui aliqualem habuit experientiam in apostolatu unionis. Natus in Ecclesia orthodoxa, iuvenis, receptus sum in Ecclesia catholica. Pergratum mihi est vobis indicare, quod per gratiam Dei et per auxilium catholicorum, praesertim de occidente, magno cum fructu, inter confratres meos exerceo apostolatum unionis. In Ecclesia Malankarensi, per opera illustrissimi archiepiscopi Mar Ivanios, piae memoriae, aliorumque episcoporum, circiter triginta inter annos, plusquam centum millia orthodoxorum communionem adepti sunt cum Sede Apostolica. Pluries millia nunc quotannis in Ecclesiam recipiuntur.

Orthodoxi in India, una cum aliis christianis acatholicis, magno cum fervore, magna cum spe, susceperunt nuntium de Concilio hoc, cuius inter praecipua munera, ipsi considerant, viam sternendi ad unionem omnium christianorum. Spero, quod saltem in secunda sessione Concilii, aliqui ex his amicissimis viris, inter Observatores, in hac aula sedeant.

Mihi quidem persuasum est, venerabiles Patres, quod, Spiritu Sancto sic hominum corda movente, tandem aliquando, novum tempus advenisse, quando serie incipiatur opus praeparandi viam ad reconciliationem fratrum nostrorum dissidentium cum Ecclesia Dei, una et sancta. Item, cum omnibus cordatis viris, existimo Summum Pontificem nostrum Ioannem, missum esse a Deo, ut praecursorem, magnae et pretiosissimae huius reconciliationis. Quod ad nos, parum refert an fiat haec reconciliatio ut individuorum an ut coetuum; hoc relinquamus Deo, Spiritus ubi vult spirat.

Schema nostrum est primo et principaliter expressio nostrae benevolentiae et amoris erga Orientales fratres dissidentes. Item est exhortatio ad omnes catholicos ad opus unionis, Deo adiuvante, perficiendum. Schema mihi placet.

Unum tantum addere velim. Schema, inter media supernaturalia, dicit de oratione multoties, optime quidem. Mihi etiam maxime placuit, quod de oratione quadam communi, locutus est beat.mus patriarcha Chaldaeorum. Inter omnia tamen media supernaturalia unum, efficacia sua, omnibus aliis excellit: poenitentia iuncta cum oratione. Etiamsi aliquomodo insinuatur in schemate de poenitentia, duco maxime opportunum fore, ut explicite et ex consulto sermo fiat, in hac exhortatione ad populum Dei, de poenitentiam agendo, et quidem indicare quaedam in particulari. Ad dissidia inter christianos maxime applicari possunt verba Domini: hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et ieiunio. Meminisse iuvabit etiam monitionem Ioelis: Nunc ergo dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiu-

nio, et in fletu, et in planctu ... Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, ministri Domini, et dicent: Parce, Domine, parce populo tuo, et ne des hereditatem tuam in opprobrium ... ». Adaptari posse videntur etiam verba Domini, ad nostram aetatem: « Poenitentiam agite; appropinquavit enim tempus magnae reconciliationis ».

60

Exc.mus P. D. FELICISSIMUS STEPHANUS TINIVELLA

Episcopus tit. Canensis, coad. Taurinensis

Nn. 1-7, pagg. 251-253. Si dica più chiaramente che non si dà che un'unica Chiesa, con un duplice stato, celeste e terrestre, e, nel suo stato terrestre, con una duplice possibile appartenenza, da parte dei soggetti, imperfetta o perfetta. Il motivo fondamentale è: non si dà che un unico battesimo, che, validamente amministrato da non importa chi, inserisce nell'unica Chiesa di Cristo.

N. 10. (*Vestigia unitatis*), pag. 254. Si indichino gli elementi comuni fondamentali: battesimo, grazia santificante e virtù infuse, inabitazione delle Persone divine, orientamento verso la visione intuitiva, appartenenza al Signore Gesù, ecc. Per conseguenza non si dichiari che « non certe eodem modo ad eandem Ecclesiam invisibilem et caelestem vere pertineat » (par. 7), o che « ab Ecclesia vera quodam modo alienos non esse » (par. 9), ma, positivamente, si dica come da questi elementi comuni derivi una vera appartenenza all'unica Chiesa, qualunque sia poi la registrazione visibile (cattolica, ortodossa o protestantica) di questa appartenenza.

N. 9 (*Damna ex divisione*), pag. 254. « Quidquid est de salute individuorum ». Un'espressione del genere (come quella sopra riportata dal par. 9) forse non produrrà buona impressione sui fratelli separati. Non si evada la questione, ma si dica positivamente qual è il pensiero cattolico al riguardo.

Tenendo conto che « finis supernaturalis est unicus finis ad quem, etiam post peccatum, homo ordinatus manet » (schema constitutionis dogmaticae *de deposito fidei pure custodiendo,* par. 39, pag. 52) e che qui si parla della unità della Chiesa, sembra non si possa evitare la più ampia questione sull'appartenenza alla Chiesa di quanti pongono, con l'aiuto della grazia attuale, un vero atto di fede (secondo *Hebr.* 11, 6) ed un conseguente atto di carità soprannaturale (= battesimo di desiderio).

N. 14 (*Si ergo ad tollendum lamentabile discidium quod a saeculis inter Ecclesiam catholicam et Ecclesias orientales invaluit...*), pag. 255. Dopo l'esortazione del par. 12 rivolta a tutti i cristiani si passa improvvisamente, senza motivazione apparente, ad un trattamento preferenziale per le Chiese orientali, in quasi tutti i paragrafi successivi, fino al termine dello schema. Un tale passaggio improvviso può essere tanto più inopportuno nei riguardi dei fra-

telli separati protestanti, in quanto ha luogo nel contesto dei mezzi soprannaturali per ottenere una riunione generale. Un diverso trattamento dei fratelli ortodossi deve indubbiamente aver luogo; ma se ne indichino chiaramente i motivi. Si potrebbe, all'uopo, anticipare opportunamente il par. 48, aggiungendovi (Unitatis) *cum oriente*...

Il fondamento dogmatico ecclesiologico del presente schema dovrebbe essere allargato ed arricchito con altre considerazioni che interessino più direttamente i fratelli separati protestanti. Per esempio: Incarnazione di Nostro Signore Gesù Cristo in rapporto ai sacramenti ed alle istituzioni visibili permanenti ecclesiastiche; presenza di Cristo e amministrazione che ne vien fatta attraverso i vari ministeri; causalità principale, ma non esclusiva di Dio e della sua grazia redentiva, ecc.

61

Exc.mus P. D. ANTONIUS VARTHALITIS

Archiepiscopus Corcyrensis-Zacynthiensis-Cephaloniensis

Quam vivide experimur in hac aula conciliari magnitudinem atque pulchritudinem Ecclesiae catholicae! Episcopi ex omni gente lingua et natione congregati, quam mirabilem securitatem sentimus ex nostra unione ad invicem et cum Vicario Christi.

At vero agnoscimus et alias Ecclesias esse, alios christianos, alios fratres, qui hic praesentes non sunt, quia ab Ecclesia Romana separati. De quorum absentia omnes nos dolemus, de illis semper solliciti, ita ut in omnibus fere disceptationibus, Patres emendationes petant et additiones, ut foveatur unio christianorum omnium.

Ut assequamur illum finem, omnibus nobis tam expetendum, num quid amplius non possumus facere? Equidem arbitror nos aliquid eximium posse. Sicut enim superbia et cordis durities separationi favent, ita humilitate et caritate unio promovetur. Quod mirum non est: nam ad assequendum ut omnes unum sint, Christus non vi et potentia usus est, sed dilectione et humilitate crucis.

Hac via, quam Christus ostendit, nonne nobis eundum est? Quam ob rem hoc votum augusto vestro coetui demisse audeo proponere. Nuntium scriptum mittat haec Sancta Synodus, nuntium amicalem et fraternum, caritatis et humilitatis plenum, omnibus nostris fratribus adhuc nobis non plene coadunatis. Pronuntiemus illos fratres in Christo; dicamus nos de absentia eorum dolere, pro eis orare et petamus ab eis ut nobiscum orent. Simulque exhortemur catholicos et acatholicos ad orandum et laborandum ut tandem fiat inter nos omnes haec unio quam Christus nocte suprema desideravit et pro qua oravit.

Et cum unio christianorum omnium praeparanda sit unus ex praecipuis finibus huius nostri Concilii, si vobis videtur, venerabiles Patres, peto humiliter, ut hic nuntius quasi fastigium sit huius primae sessionis.

62

Exc.mus P. D. PETRUS VEUILLOT

Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia, coad. Parisiensis

Hoc schema, quod ad rem tanti momenti in hac Sacra Synodo pertinet, et profunditate doctrinae et spirituali unctione singulari modo emicat. Naturam Ecclesiae magna cum perspicuitate illustrat et ad eam magis diligendam suaviter allicit. Ideo valde probandum est et in omnibus suis partibus retinendum.

Animadversiones generales:

1. Videntur fortasse relatores ecclesias, ut dicunt, orthodoxas modo fere exclusivo in mente habuisse et protestantibus congregationibus tantum in raris casibus alludere. Haec autem, si in doctrina fidei maiori hiatu plerumque ab Ecclesia Romana certe dividuntur, non parva tamen ad unitatem propensionis testimonia exhibent. Itaque non videtur opportunum tantam dissociationem in hac quaestione inter acatholicas ecclesias urgere, quod facile apparet quibusdam ut aliqua machinatio.

2. Optandum est aliqua principia de modo agendi catholicorum cum acatholicis ad fovendum simul et regendum oecumenicum impetum schemati adici (vide *Monitum S. O.*).

De particularibus rebus quaedam animadvertenda sunt:

In n. 11, pag. 254, linn. 33-34, verba: « Numquam ab opere cessavit... » affirmationes nimis absolutas continere videntur. Si enim verum est mentem Ecclesiae erga unionem semper eamdem esse, non pari modo ad hanc unionem efficaciter promovendam omnibus aetatibus media adhibita sunt.

In n. 16, pag. 256, lin. 24. Non videtur opportunum in hoc schemate verbo « mediatione » uti. Hoc verbum enim, de Beata Virgine adhibitum, multorum acatholicorum aures offendit, quippe quod videatur confusionem instituere posse cum mediatione Christi. Facile est, ad hanc difficultatem removendam, eamdem doctrinam aliis verbis exprimere, v. g. « intercessione » aut « advocatione ».

Ad n. 35, pag. 262, linn. 13-30. Hoc caput aliquam pugnacitatem sapit quae, etiamsi iustificatur erga tenebras et principem tenebrarum, non congruit caritati evangelicae erga personas humanas, etiam erroribus illigatas. Nonne etiam periculum est hanc spiritualem pugnam a quibusdam false intelligi ut aliquam « cruciatam » christianarum nationum adversus populos qui sub iugo communismi laborant.

Ad n. 46, pag. 265, linn. 19-30. Valde optandum hanc « congregationem virorum peritorum » a Patribus Sacrae Synodi instanter commendari.

63

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

Infrascriptus ad schema *de Ecclesiae unitate* quaedam, quae se expositurum esse annuntiaverat, discussione terminata autem in aula conciliari noniam proponere potuit, scripta tradit, ut regestis inserantur et labori commissionis usui esse possint.

Schema placet in sua tendentia generali, et quia conceptum est ex mente Sacrae Scripturae. Quaedam autem annotentur, *primo* ad schema in genere.

1. Videtur schema carere recta proportione partium ad invicem. Cum in aula Concilii dictum sit partem primam, inde a n. 1 usque ad n. 12, non esse momenti principalis, propria schematis materia in iis videnda est, quae de mediis unitatis tractant, inde a n. 13 usque ad n. 49. Quibus numeris plura connumerantur, quae valde diversi sunt generis et momenti: media supernaturalia, theologica, liturgica, canonica seu disciplinaria, psychologica et practica iuxtaponuntur, quin organice ordinentur.

Fini et tendentiae huius schematis melius serviretur, si et necessitas et elementa unitatis magis theologice elaborarentur. Quaeri debet, num serviatur unitati eo, quod ea describantur, quibus Ecclesiae orientales a nobis separantur, an non melius eo, quod ipsa elementa unitatis Ecclesiae positive describerentur.

Conceptus « medium » in propositione non est clarus; distinguantur: 1) Principia unitatis; 2) elementa materialia unitatis; 3) signa essentialia unitatis; 4) aliqua remedia vel adiumenta unitatis, quae non sunt eiusdem valoris pro unitate quam elementa materialia, eorum signa aut principia unitatis.

Principia unitatis sunt a Christo Domino Ecclesiae instituta et non separata ab ipso Domino. Sic secundum litteras encyclicas *Mystici Corporis* « Spiritus Increatus est principium unitatis Ecclesiae ». Est elementum Ecclesiae ut mysterium, quod Ecclesia in Christo Domino habet divina principia unitatis. Principia unitatis et elementa unita ipsa non sunt idem; sed est etiam mysterium Ecclesiae quod iste connexus inter principia unitatis et unita est strictissimus et insolubilis.

2. Annotare velim rationem quandam ad schematis n. 49. Nihil creatum, a fortiori nihil historicum exsistit secundum suam abstractam, nudam essentiam, sed habet semper elementa, quae immutabilitatem essentiae non participant. Talia habent quidem magnum momentum, non autem habenda sunt ut absoluta et immutabilia. Propterea Ecclesia christianis a se separatis occurrens distinguere debet ea, quae in ipsa sunt essentialia, ab eis, quae e contra sunt mutabilia, ne, quae non sunt necessaria, imponantur conditio, sine qua unio cum Ecclesia non concedatur. Ecclesia ut « Mater et Magistra » officium gravissimum et nobilissimum habet, inquirere et distinguere, quae sint omnino necessaria, quae non.

64

EXC.MUS P. D. CYRILLUS IOANNES ZOHRABIAN
Episcopus tit. Acilisenus

Ecclesiae unitas prout intelligunt armeni sic dicti apostolici seu gregoriani.

Omnes ecclesiae quae denominari possunt christianae, illae scilicet quae admittunt necessitatem baptismatis, sunt pariter verae, pariter fundatae a Domino Nostro Iesu Christo, pro singulis nationibus ut per eam vitam aeternam consequantur. Apostasiae peccatum mortale committit, qui suae nationis ecclesiam derelinquit et extraneam amplectitur. Tamen praecedentiam concedunt Romanae Ecclesiae quia fundata est ab apostolo Petro, primo inter fratres apostolos. Non raro ipsi episcopi et patriarchae Ecclesiam Romanam appellant veram, considerantem eam ut caput, idest ut primam ordine antiquitatis.

Catechismus editus iussu Papkèn, catholicus patriarcha Antilias (Libanon), ad quaestionem: suntne differentiae substantiales dogmaticae quae separant ecclesias nationales inter se? — Respondet: Non sunt. Deinde explicat per exempla: Novimus omnes colorem nivis esse candidissimum. Perspicillis autem utentibus nigris, apparebit nigra, viridis virida et sic deinceps...

Non dicas: numquam vidi tantam ignorantiam in Israël, nam armeni dissidentes a pluribus saeculis non habuerunt theologos vel philosophos.

Possem tibi narrare plurimos casus meae vitae missionariae (incipiens ab anno 1905 usque ad 1962) praedicta mea confirmantes. Mulier quaedam catholica desponsata cuidam gregoriano, reprehensa a parocho gregoriano quod derelinquendo Ecclesiam catholicam seipsam proiicit ad damnationem aeternam, abscissit sponsalia.

Quaedam mulier gregoriana, graviter aegrota, in extremis constituta me vocavit pro benedictione ad infirmam. Haec votum vovit se catholicam futuram si perfecte et citius salutem corporis recuperaverit. De facto perfecte et citius sanata est. Scrupulis agitata recursum habuit ad parochum gregorianum petens ab eo quid facere deberet. Parochus respondit non licere religionem nationalem relinquere, quia Christus fundavit ecclesiam per apostolos Bartholomaeum et Thaddeum in Armenia pro nobis armenis. Subiunxit mulier: Sed, Pater Sancte, votum vovi Mariae Virgini me fore catholicam cum universa domo mea si perfecte et citius sana fuero! — Ah! Filia, votum vovisti? Debes adimplere votum; alioquin Deus te puniet. Morte moriemini tu cum omni domo tua.

His principiis ducti armeni apostolici frequentant nostram ecclesiam, confitentur peccata apud nostros sacerdotes, sacram Communionem suscipiunt absque scrupulo. Sacerdotes ipsi atque episcopi in nostris ecclesiis missam celebrarent, divinum officium canerent si nos iis permitteremus. Et nos vocant intransigentes, pauperesque spiritu.

Missionariorum latinorum gesta in Armenia aut apud armenos: Divisio ab Ecclesia romana incoepit ab epocha ingressus missionariorum latinorum in Armenia. Saeculo XIV missionarii pleni zelo animarum deficientes vero sensu practico, strenue laborarunt latinizare non solum gentem, sed et linguam, grammaticam, lexicon, liturgiam, officium divinum.

Hi missionarii recordantur apud armenos, non tantum catholicos, sed et amplius apud apostolicos, cum maledictione. Et causa ipsorum odio habentur in Armenia missionarii latini et vocantur *Unitores*.

Revera multum adlaboraverunt pro unione consolidanda cum Ecclesia romana, cum methodo propria sed maxime errata. Prelo ediderunt cum ingentis expensis: Lexicon, grammaticam, libros liturgicos, Rituale, Missale armeno-latinum etc. Existunt adhuc ex his libris in Bibliothecis Missionariorum Turchiae (apud PP. Dominicanos Perae, Istanbul; Capucinos Trapezuntis). Si tanta fecissent pro lingua armena genuina bonum nomen atque fiduciam armenorum acquisivissent!

Missionarii latini apud armenos sub regimine turcarum: Rarissimi (ne dicam nullus in quantum scio) sunt missionarii latini qui linguam armenam edidicerint. E contra cum omni diligentia student turcicae linguae quia haec est utilis pro mercato. At missus est missionarius pro armenis sub iugo turcarum vitam degentibus.

Sed rogo te ut patienter audias quae sequuntur. Saeculo praeterito quidam sacerdos armenus, nomine Nazliàn Ioannes, ex Erzerùm oriundus, parochi munere fungebatur in pago qui adhuc existit et vocatur Knaya (Knaya est pagus provinciae Latachiae antiq. Laudiceae). Pius sacerdos senio confectus rogavit patriarcham catholicum armenum Constantinopoleos ut sibi iuvenem sacerdotem in auxilium mitteret. Responsio fuit quod non sunt mihi sacerdotes disponibiles. Tandem sanctus senex necessitate compulsus se convertit ad missionis latinae Superiorem, qui statim ei mittit plurimos missionarios oneratos denariis plurimis. Missionarii statim fundant ecclesiam, hospitium missionarium, scholas et strenue adlaborant ut sibi concreditos fideles obliviscantur linguam suam patriam h. e. linguam armenam. Et omni conatu edocuerunt eos linguam turcicam: lingua turcica recitant precem dominicalem, salutationem angelicam, Gloria, Credo. Et catholici Knayae sunt pigri, molles, sunt oneri pro missione catholica: nam minis commovent missionarios ut eis vivendi media praebeant abundanter. In proverbium versum est sequens dictum: *ùn bitti, din bitti,* h. e. finita farina, finita religio. Et « aut nobis media praebetis ad bene et commode vivendum sicut faciunt pastores protestantes cum suis subditis, aut vertimur ad protestantes aut mahumetanos ».

Similis est historia conversionis districti Kessàb, qui nunc administratur a Patriarchatu armeno-catholico.

Ordinarie missionarii non perpetrant tales excessus, sed *generatim* ita se gerunt erga armenos ut sole clarius pateat eos suum commodum quaerere. Inter omnes orientales missionarii armenos praeferunt quia dociliores sunt

ceteris. Insinuabant amorem erga propriam (missionarii) patriam, immo erga Turchiam, et verbis et factis conabantur extinguere in cordibus pusillorum armenorum aestimationem Armeniae et linguae armenae, ita ut armeni catholici iam discipuli scholarum missionum erubescentes se esse armenos, gloriarentur impudenter se ignorare linguam armenam.

Facta quae superius narravi sunt particularia, sed credite mihi quod ita agunt adhuc ubicumque regionum ubi armeni gubernantur a missionariis latinis. Non tam iniuste igitur dicunt armeni gregoriani quod missionarii catholici non sunt praecones verae religionis Christi, sed propagatores politicae exterae cum damno nostrae gentis et linguae.

Ecclesia armeno-apostolica iam a pluribus saeculis non habet theologos ideo armeni dissidentes non sunt fanatici causa religionis. Sunt indifferentes pro quaestionibus speculativis, seu dogmaticis. SS. Papa Noster Ioannes XXIII narrat pulcherrimum episodium episcopi armeno-apostolici Bulgariae, qui cum magna devotione accepit numisma B. M. Virginis, a verso cum effigie Summi Pontificis Pii Pp. XI, quod illi donavit nomine Papae Delegatus Apostolicus (Angelo Roncalli). Deinde episcopus armenus graviter aegrotans, significavit suis familiaribus ut sepeliatur cum numismate a SS. Papa sibi donatum. Et ita factum est, teste SS. Ioanne XXIII.

Qua methodo procurari potest unio cum Ecclesia armena? Ex parte ecclesiasticae potestatis: 1) tollendae sunt leges restrictivae circa validitatem matrimonii, quae ingenter nocuerunt ad unionem; 2) in *quantum est possibile* larga tolerantia in communicationibus sacris.

Ex parte cleri catholici vel missionariorum maxima caritas et tolerantia: pro salute aeterna meorum connationalium, si possibile esset, vellem esse anathema... (qui potest capere capiat). Evitare disputationes theologicas, apologeticas, historicas et quascumque disputationes huius generis quae odium parant.

65

CONFERENTIA EPISCOPORUM CHILIENSIUM

I. *Observationes generales*:

1. Quia doctrina huius schematis ad ecclesiologiam spectat, opportunum videtur ut in constitutione « de Ecclesia » inseratur, praesertim si prae oculis habeatur pondus quod, ad hanc quaestionem aptius enucleandam, doctrinae de Corporis Mystici membris agnoscitur.

2. Insuper opus est ut tria themata (scilicet schema decreti « Ut unum sint », cap. XI « de Oecumenismo » schematis constitutionis « de Ecclesia » nec non schema decreti « de Oecumenismo catholico » a secretariatu pro unione exaratum, at nondum definitive typis impressum) in unum coalescant ac mutuo compleantur.

3. Nova istorum thematum conscriptio deberet continere:

a) Conspectum doctrinale de mysterio unitatis Ecclesiae, integre etsi concinne propositum.

b) Declarationem circa rationem cum omnibus protestantibus ad unionem fovendam, et

c) Peculiarem conditionem hac in re Ecclesiarum orientalium a Romano Pontifice separatarum.

II. Si vero textus schematis ex integro vel ex parte servetur, emendationes quae sequuntur inserendae videntur:

§ 4. Pag. 251, lin. 30: Pro verbis « Ierusalem nova » (*Apoc.* 3, 12), suadentur « Ierusalem caelestis » (*Hebr.* 12, 22). *Ratio*: Secundae citationis sensus litteralis ad rem melius constare videtur.

Pag. 251, lin. 31 et pag. 252, lin. 1: Pro « Sponsa Agni » suadetur « Sponsa Christi » (*Ef.* 5, 24 s.), eadem ratione.

§ 6. Pag. 252, lin. 28: Loco referentiae ad *Apoc.* 21, 6, proponitur collatio v. 17 capitis 7 eiusdem Libri, quia alterius textus litteralis sensus melius respondet doctrinae propositae.

Pag. 252, lin. 29: Pro regali Christi dignitate potius quam *Apoc.* 19, 16, referentia fiat ad *Ioann.* 18, 37 « quia rex sum ego ».

Pag. 252, lin. 32: Post verbum « visibilis » addatur « his in terris ». *Ratio*: Sic doctrina clarius exprimitur circa cessationem in gloria exercitii potestatis Hierarchicae sive quoad iurisdictionem (cf. card. Caietanus in I-II, 33, 4°, n. 2) sive quoad ordinem (S. Thomas, III, 61, 4, ad 1; 63, 1, ad 1).

Pag. 253, lin. 26: Post verba « Petri successore » addantur « et ab epipali ». *Ratio*: Potestas Summi Pontificis sufficienter etiam sine his verbis declaratur; si autem haec verba servantur, periculum est ne opinioni catholicae secundum quam Romanus Pontifex semper ut caput collegii agit ideoque et semper aliquo modo collegialiter, praeiudicetur.

§ 7. Pag. 253, lin. 15: Omittantur verba « et schismata ». *Ratio*: Duriora videntur.

Pag. 253, lin. 26: Post verba « Petri successore » addantur « et ab episcopis in eius communione gubernatur ». *Ratio*: Nisi haec additio fiat, potestas iuris divini ac propria Episcoporum in Decreto obnubilata manet ansaque tribuitur opinioni apud nonnullos separatos fratres vigenti quod in Ecclesia catholica nulla est vera potestas nisi solius Romani Pontificis. Haec doctrina iam in sess. IV Concilii Vaticani I exposita (Denz. 1828) clarius adhuc a Leone XIII evolvitur in Litteris Encyclicis *Satis cognitum* (ASS, vol. 28, pag. 708 ss., sp. sub n. 52).

Pag. 253, lin. 31 ss.: Tota ultima oratio omittatur. *Ratio*: Quia sensus quorumdam sine necessitate laedi poterunt.

§ 9. Pag. 254, lin. 9: Post verbum « esse » addatur « ideoque salutem consequi posse ». *Ratio*: Verba quorum additio postulatur inveniebantur in schemate a particulari commissione praeparatoria commissioni centrali pro-

posito, et non est nisi consequentia affirmationis in schemate contentae de analogica incorporatione quorumdam fratrum separatorum, in bona fide scilicet versantium, verae Ecclesiae: Si salus est intra Ecclesiam, qui ad eam pertinent, salutem consequi possunt cum iisdem principium « Extra Ecclesiam non est salus » applicari nequeat. Additio quae postulatur gratissima insuper erit separatis fratribus quod non spernendum videtur ut elementum praeparatorium desideratae unitatis.

§ 10. Pag. 254, lin. 20: Pro verbo « dissidentes » ponatur « separati » vel « non catholici ». *Ratio*: Ad vitandam laesionem eorumdem.

§ 11. Ex integro omittatur. *Ratio*: Propria extollentia catholicae Ecclesiae parum vel nihil prodest unitatis causae immo secus. Ad mentem Summi Pontificis fel. regnantis pluris est ad praesentia attendere quam ad historicas vicissitudines sese convertere in quibus non omnia ex utraque parte felicis recordationis dignae sunt.

§ 14. Pag. 256, lin. 3: Pro verbo « desudabant » ponatur « desudabunt ».

§ 16. Pag. 256, lin. 25: Post verbum « fuerunt » addatur « et sunt ». *Ratio*: Ne Concilium videatur parvipendere vel ignorare actualem pietatem marialem fratrum orientalium separatorum.

§ 26. Ex toto omittatur. *Ratio*: Quoad substantiam iam in § 24 invenitur. Insuper est in § 26 aliqua verborum ambiguitas qua SS. Patrum instituta in discrimen quoad orthodoxiam vocantur, quod saltem ut iisdem contumeliosum interpretari potest.

§ 27. Pag. 259, lin. 30 ss.: Omittantur verba a « exceptis » usque ad « obstant ». *Ratio*: Evidens est post unionem non posse admitti quod unioni obstat. Sed insuper, textus prout iacet supponit in *SS. Patrum* institutionibus et in *legitimis* populorum moribus, aliquid inveniri « derogans honestati », quod sane ut iniuriosum SS. Patribus interpretabitur. Neque potest aliqua disciplina esse legitima et simul « periculum generare animarum ». Res denique in genere morum tam perspicua non est duriori modo exprimenda.

§ 34. Pag. 262, lin. 7 ss.: Tota oratio et citatio Ezech. omittantur. *Ratio*: Quia verba Ezechielis ad separatos fratres applicata contumeliosa apparent.

§ 37. Pag. 263, lin. 24: Omittatur verbum « Christi ». *Ratio*: Ne aliae Ecclesiae a Christo Domino omnino alienae videantur declarari, quod a fratribus separatis iniuriosum habebitur.

§ 39. Pag. 264, lin. 4: Pro verbis « qui patriarchali condecorantur titulo » ponatur « qui patriarchali fruuntur potestate ». *Ratio*: Patriarchalis dignitas in Ecclesiis orientalibus non est quid mere honorificum, praelatorum familiae pontificiae instar, sed gradus iurisdictionis ecclesiasticae ut etiam in Codice novissimo pro orientalibus agnoscitur. Vitandum ergo omnino est quidquid Patriarcharum potestatem extenuare videtur.

§ 42. Pag. 264, lin. 30: Pro verbo « magis » ponatur « plene ». *Ratio*: Secus decretum interpretabitur ac si theologia latina superior existimetur et tantum pro unitatis amore Ecclesia parata sit, aegre tamen, concessiones aliquas orientalibus faciendi.

§ 50. Pag. 266, lin. 35 ss.: Verba a « iis tantummodo » usque ad « expunctis » omitti possunt. *Ratio*: Rationi rectae evidens est clausulam veritatem enuntiare; quia tamen res nimis evidens apparet, non videtur necessarium eam iterum dissertis verbis explanare non sine periculo offensionis.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis XIX

Congregatio Generalis XX

Congregregatio Generalis XXI

Congregatio Generalis XXII

Congregatio Generalis XXIII

Congregatio Generalis XXIV

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE FONTIBUS REVELATIONIS

Congregatio Generalis XXV

Congregatio Generalis XXVI

Congregatio Generalis XXVII

Animadversiones scripto exhibitae quoad schema de instrumentis communicationis socialis

Congregatio Generalis XXVIII

Congregatio Generalis XXIX

Congregatio Generalis XXX

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE ECCLESIAE UNITATE